CODEX DIPLOMATICUS REGNI POLONIÆ ET MAGNI DUCATUS LITUANIÆ

IN QUO

PACTA, FOEDERA, TRACTATUS PACIS, MUTUÆ AMICITIÆ, SUBSIDIORUM, INDUCIARUM, COMMERCIORUM

NEC NON

CONVENTIONES, PACTIONES, CONCORDATA, TRANSACTIONES, DECLARATIONES, STATUTA, ORDINATIONES, BULLÆ, DECRETA, EDICTA, RESCRIPTA, SENTENTIÆ ARBITRALES, INFEUDATIONES, HOMAGIA

PACTA ETIAM

MATRIMONIALIA ET DOTALIA

LITERÆ ITEM

REVERSALES, CONCESSIONUM, LIBERTATIS, IMMUNITATIS, DONATIONUM, OPPIGNORATIONUM, RENUNTIATIONUM, ERECTIONUM, OBLIGATIONUM, VENDITIONUM, EMPTIONUM, PERMUTATIONUM, CESSIONUM PROTESTATIONUM

ALIAQUE OMNIS GENERIS

PUBLICO NOMINE ACTORUM ET GESTORUM

MONUMENTA

NUNC PRIMUM

EX ARCHIVIS PUBLICIS ERUTA

AC IN LUCEM PROTRACTA

REBUS ORDINE CHRONOLOGICO DISPOSITIS

EXHIBENTUR.

TOMUS IV.

IN QUO

TOTIUS PRUSSIÆ RES CONTINENTUR.

VILNÆ

Ex TYPOGRAHIA REGIA & REIPUBL. CC. RR. Scholarum Piarum. Anno MDCCLXIV.

Proſtat etiam REGIOMONTI & LIPSIÆ in Officina Libraria JOANNIS JACOBI KANTERI.

Инв. № 292

CODEX
DIPLOMATICVS
REGNI POLONIÆ
ET
MAGNI DVCATVS LITVANIÆ
TOMVS IV.
IN QVO
TOTIVS PRVSSIÆ RES
CONTINENTVR.

Инв. №=292

PRÆFATIO.

SQuid juris Brandeburgicis Ducibus in Pruſſiam Polona conceſſerit Reſpublica, quidve Ei reſiduum ſit, Tomus hic Monumentorum, qui præ manibus eſt, tam abunde indicat, ut nihil omnino ultra deſiderari videatur. Jam enim inde, a quo Boruſſi Chriſtianæ fidei ſacris imbui cœperant myſteriis, Polonorum Imperio eos paruiſſe ſatis ſuperque compertum eſt, vel ex illa Summi Romanorum Antiſtitis Epiſtola (*a*), qua commonendam eſſe cenſuit Polonorum Gentem, ne nimis Boruſſis (ſicut ejus priſcæ ætatis adhuc truculentior ferebat genius) oneri eſſent, nec plus juſto moleſtia afficerent, quo illi a propoſito in gremio Eccleſiæ permanendi deterrerentur, ipſa barbarie, nec non æthnica ferocitate ſeſe efficacius tuituri.

Nec vero ſolum in primordiis, ſed etiam toto progreſſu temporum jus ſuum in Pruſſiam egregie ſuſtinuerunt Poloni; cum & Ordo Teuthonicus non a quoquam alio (*b*) illuc fuerit introductus, quam a Polonis, nec a quoquam alio, niſi a Polonis, quod ſuum erat vendicantibus, deturbaretur.

(*a*) Pag. 1. Tomi hujus.

(*b*) Teſtatur id, præter omnes Polonos Scriptores, Ordinis Teuthonici Hiſtoriographus PETRUS DE DUSBURG, cum pag. 35. ſui Chronici diſertis afferat verbis: CONRADUM Poloniæ Ducem (*agebat is tum* BOLESLAI PUDICI *Regis in juvenili ætate Tutorem*) dediſſe Fratribus Teuthonicis Terram, quam favente Domino in poſterum de manibus infidelium eriperent, cum omni jure & utilitate, quibus ipſe & Progenitores ſui poſſiderunt. Teſtimonium hoc DUSBURGII eo majoris debet eſſe ponderis, quod illud ab homine, nocendi non favendi cupido, veritas ipſa expreſſerit, & quod omnium pene ſit antiquiſſimum; ſiquidem Chronicon illud lucem aſpexit Anno Domini M. CCC. XXVI. prout apparet ex Epiſtola Dedicatoria Operi illi præfixa.

Equidem videre eſt non obſcura veſtigia, Romanorum Imperatores pro ſolemni more ſubinde in Pruſſiam quoque juris aliquid ſibi protendiſſe: cum & Fridericus II. Conradi Ducis Ordini Teuthonico factam Inſcriptionem invalidam fore putaverit, niſi ejus confirmaretur Diplomate (*c*), & Succeſſores ſui Gedanum, Elbingam, Thorunium, aliasque Civitates Boruſſicas identidem inquietaverint, tum ad Judicia ſua illas provocando (*d*), tum quoque auxilia bellica contra hoſtes ſuos exigendo (*e*); & denique Carolus V. Imperator ſua intereſſe plurimum cenſuerit, impedire, quo minus regio hæc Alberto Brandeburgenſium Marchioni in Feudum concederetur (*f*).

At vero jure ne id, an injuria potius attentatum fuerit, eventus ipſe meridiana luce clarius comprobavit. Agnoverunt enim ipſimet Imperatores Auguſtiſſimi errorem ſuum, atque quod inique factum erat, infectum eſſe voluerunt. Nam & Albertus pacifice tunc Ducatum Pruſſiæ obtinuit, defendente cauſſam ejus in Comitiis Imperii Ratisbonenſibus Poloniæ Legato (*g*), & Gedanenſes in mittendis auxiliaribus copiis minime obtemperarunt (*h*), & ſancitum, ne unquam in poſterum Civitates Pruſſiæ ultra fas & æquum ad Judicia Cameræ Imperialis evocarentur (*i*), & inſuper Maximilianus Imperator de veritate rei, quam nunc aſſerimus, adeo perſuaſum ſe exhibuit, ut Ducatum Pruſſiæ ejusque tum feudatarium Ducem Albertum nemini homini, præter Poloniæ Reges atque Rempublicam, obnoxium eſſe, publice declarare non hæſitaverit (*k*): in qua ſententia Carolus quoque V. fuiſſe ulteriori tempore cenſendus eſt, cum ab eo etiam prædictum Albertum, ut juramentum fidelitatis Polonis præſtaret, hortatum fuiſſe, liquido conſtet (*l*). Cæterum non ſubit adeo mirari arrogantiam Friderici II. Imperatoris, qui, petitis Fratrum Teuthonicorum auſcultans, fecit id, a quo commode & nullo prorſus cujuspiam detrimento abſtinere potuiſſet. Ita etenim a natura plerumq; comparati ſumus, ut quaqua arte auctoritatem nobis aucupemur, & ubi certa deſunt momenta, quibus firmiter fulciamur, dubiæ ſorti plurimum tribuamus; piſcatorum more, qui retia hamosve non ſemper illis tantum immergunt vadis, unde continuo ſe præda potituros in comperto habeant. Nec abs re fuerit ſuſpicari, Fratres Ordinis Teuthonici natione Germanos a Germanis Principibus potius, quam a Polonis dependere maluiſſe, atque prout aſtu-

tam

(*c*) Vid. Chronic. Dusburg. pag. 35. & pag. 3. hic.

(*d*) Vid. pag. 308. hic.

(*e*) Ibid. & pag. 187.

(*f*) Pag. 303. Tom. h. & 269.

(*g*) Vid. pag. 283.

(*h*) Vid. pag. 188.

(*i*) Pag. 201.

(*k*) Pag. 200.

(*l*) Pag. 205.

tam gerebant in pectore vulpem, ſic quæſiiſſe cuniculos, quibus, ſi poſſent, Poloniæ jugum excuterent, legitimamque illorum eluderent auctoritatem. Uno verbo: FRIDERICI II. Confirmatio ſperabatur fore Imperatori ipſi perhonorifica, Fratribus Teuthonicis perutilis, at nullo ſequuto effectu; CONRADO vero Duci totique Polonorum Genti ſuperflua prorſus erat, nulloque modo neceſſaria.

Hæc de auctoritate in Pruſſiam Auguſtiſſimorum Imperatorum. Alia vero eſt ratio, cur Summi Romanæ Eccleſiæ Pontifices ſuam hoc in negotio vicibus bene multis interpoſuerint auctoritatem. Cum enim Fratres Teuthonici Religioſam (ſaltem nominetenus) profiterentur vitam, atque hanc ob cauſſam Eccleſiaſticæ adnumerarentur Hierarchiæ, fieri non potuit, quin publicæ Transactiones ſtatum eorum concernentes a Supremo confirmarentur Moderatore.

Quoniam vero hoc in Tomo Fratres Ordinis Teuthonici peramplam occupant ſcenam, rem non injucundam me facturum exiſtimo, ſi eorum originem, in Pruſſiam adventum, atque inde egreſſum paucis breviterque perſtrinxero. Et primo quidem originem illis præbuit circa exitum Sæculi XII. bellum illud, quod collatis viribus Chriſtiana Reſpublica Mahumedanis edixerat. In expugnatione etenim Civitatis Ptolomaidis, ſeu alio nomine Acconitanæ, viri quidam Nationis Germanicæ Chriſtianæ Religionis (quæ poſt DEUM, amorem proximi ſummopere commendat) impulſu ducti, vulneratos, vel alio quocunque morbo laborantes in unum congregarunt tentorium, ibique non modo illis ad recuperandam valetudinem neceſſaria miniſtrarunt, verum etiam a barbarorum injuriis ſtricto defenderant enſe. Inde illis duplex officium, fovendi ſcilicet infirmos, & bellandi cum infidelibus, inde nomen quoque adhæſit: *Fratrum Militiæ Hoſpitalis Jeroſolymitani Beatæ Virginis MARIÆ Ordinis Teuthonicorum* (*m*). Tam piam intentionem omnibus non tantum collaudantibus, ſed & locuplete juvantibus eleemoſyna, brevi tempore in tantum excreverat novellus Ordo, ut ipſe ſolus manus cum hoſte conſerere par eſſe videretur, ac proinde a pluribus amplo propoſito præmio invitaretur. Paucis poſt hæc annis (*n*) accidit,

(*m*) DUSBURG. Chronic. Pruſſ. Part. I. cap. 1.

(*n*) DUSBURGIUS his annum aſſignat 1226. *Part. II. cap.* 5. DLUGOSS. vero *Annal. Tom. I. Lib. VI. fol.* 644. refert ad Annum 1230. quem ſequuntur cæteri Scriptores Poloni.

Vocaverat primum CONRADUS Enſiferos ex Livonia, inſcribens illis Caſtrum *Dobrzyń* (unde Fratres Dobrzynenſes appellati ſunt a pluribus) & villam *Cedelicze* in Cujavia; verum cum hi refringendis Boruſſorum viribus haud ſufficerent, viſum erat hoſce Fratres Teuthonicos advocare. DLUGOSSUS *ad Annum* 1224. *Tom. I. Annal. Lib. VI. fol.* 631. *Edit. Lipſien.* 1711. Illud quoque notare juvabit, a Scriptoribus Polonis tam Enſiferos quam Fratres Teuthonicos communi nomine Cruciferos paſſim appellari, eo, quod veſte cruce ſignata utrique uterentur. Enſiferi autem, ſeu Gladiferi Livonienſes inſtitutionem ſuam debebant ALBERTO Rigenſi Archiepiſcopo (ARNOLD. *Lubec.*

cidit, ut Thronus Poloniæ in Boleslaum dictum *Pudicum* delaberetur, qui cum ob puerilem ætatem regendo clavo non eſſet idoneus, ſumma rerum Conradus Maſoviæ Dux pro eo potiebatur. Is cum ſubaudiſſet, Teuthonicorum Ordinem ſibi otium amanti contra inquietos tunc utpote idololatras Boruſſos præſidio eſſe poſſe, eos ſine mora advocat, pingues aſſignat reditus, lætus quod ſe tam facile, prout cogitabat, tutum ab hoſtili effecerat impetu, reapſe vero infinitis prope ſtragibus ſementem dederat. Elati enim opibus, & comitante illas ſæpeſæpius ſuperbia homunculi, quid in injuriam Polonorum non attentaverint? quibus ſacris profanisve pepercerint? quam divinam humanamve legem non contempſerint? adeo, ut poſt ingentem ſanguinis effuſionem, cruentasque bellorum cædes, præcipue ſub Vladislao Jagellone, Casimiro ejus Filio, & Sigismundo Nepote, tandem Ordo ille in ordinem vix redactus fuerit, atque Gens Polonorum vix invenerit modum reprimendi eos, qui ad tuendas illorum oras a barbarorum incurſibus invitati ſunt, ampliſſimisq; aucti beneficiis. Ad extremum commodam nactus oportunitatem Albertus, e Familia Ducali Electorum Brandeburgicorum, ultimus eorundem Fratrum Teuthonicorum Ordinis Magiſter Generalis, exuta, ut ajunt, cuculla, Feudum Pruſſiæ, Ducalis ex eo tempore appellatæ, pro ſe ſuisque maſculis Succeſſoribus a Rege nec non a Republica Poloniæ impetravit, præcluſo in ævum Fratribus Teuthonicis in illam reditu.

Jam ne quis Polonæ Genti vitio vertat, atque improbet, quod Religioſos homines ſedibus ſuis propulſaverit, expediamus. Neque vero objicere nobis non nemo bonæ frontis audebit, violatam hoc loci fuiſſe Romanorum tum Antiſtitum, tum Imperatorum auctoritatem, qui Terras Boruſſiæ Fratribus Teuthonicis attribuerant; non, inquam, aliquis objicere id nobis audebit, niſi ſuperiorem, quam hac de re pertexuimus paginam, non ſatis æquo animo perlegerit. Eam itaque, ſi libuerit, repetat, æquitatemque, quam rogamus, adjiciat, ſic indubie confidimus, omnem hac in parte ab illo depoſitum iri dubitationem.

Unum

Lubec. Libr. VII. Cap. IX.) initio Sæculi XIII. & quoniam Fratribus Theutonicis profeſſione conſimiles erant, ideo non multis poſt annis illis conjuncti ſunt. Dusburg. *Chron. Pruſſ. Part. III. Cap. XXVIII. fol.* 116. *Edition. Jenenſ. An.* 1679. Quibus perpenſis facile eſt componere pugnam Chronologicam inter Dusburgium noſtrumque Dlugossum. Nam quoniam ætate Dusburgii duo iſti Ordines, Enſiferorum ſcilicet Livonienſium & Fratrum Teuthonicorum, in unum coaluerant, ideo ille nullo facto inter eosdem diſcrimine ingreſſui eorum in Pruſſiam annum 1224. aſſignat, quem Dlugossus accuratior ſolis attribuit Enſiferis, ut paullo ante meminimus. Fuiſſe autem Conrado non incognitos eo tempore Enſiferos Livonienſes, vel exinde liquet, quod in quodam Diplomate (*fol.* 5. *Tomi hujus*) Fratres Teuthonicos contra Pruthenos more Livonienſi militaturos dicit; quod ego non aliter interpretandum eſſe præſumo, niſi quod Conradus relegatis in Livoniam Enſiferis, in Terris antehac illis conceſſis Fratres Teuthonicos collocaverit, paribus, prout & illi erant, conditionibus.

Unum reſtat, ut videamus, quo pacto Gens Polona fidem ſuam emancipare potuerit, quam Conradus in conceſſis Pruſſiæ Terris Ordini Teuthonico obligaverat. Nam præter ea, quæ hoc Tomo extant pagina 5. 7. 9. 10., aliaque non pauca Diplomata, quibus variæ Terræ Fratribus Teuthonicis in perpetuum inſcribuntur, teſtatur Dusburgius fol. 35. ſui Chronici, præcipuum fuiſſe Diploma Conradi, quo Ordini ſubjuganda Pruſſia cedebatur. Neque noſtri Scriptores id inficias eunt (*o*), verum ultra conjiciunt, fuiſſe inibi quidpiam, quod palato Fratrum non adeo arriſerat, conditiones ſcilicet quasdam, quas illi implere neglexerant. Accedit his non poſtremum Dlugossi (*p*) argumentum, Conradum nempe, utpote ea tempeſtate Boleslai dicti *Pudici* Poloniæ Regis in juvenili ætate Tutorem, nihil in præjudicium ejus & Gentis totius agere potuiſſe, quod firmum & imperfractum haberet robur. Quid ſi cum toties citatis Cromero, Dlugossio, aliisque optimæ notæ Polonis Scriptoribus rem non prorſus creditu difficilem fidenter aſſeveremus? Fratres ſcilicet Teuthonicos de induſtria (*q*) Diploma illud ſuſtuliſſe, cum probe noverint cauſſam ſuam eo non fultum ſed vitiatum iri. Cur enim in tot tricis & perplexitatibus conſtituti illud nunquam exhibuerint? cur, ut alia omnia, quæ hucuſque extant, & hoc Tomo continentur, a blattis, aqua, igne, vel quacunque injuria, quæ illi interitum procuraverat, non defenderint? niſi quod perditum illud voluerunt, cauſſam non invenio. Itaque quod argumentum Dusburgius pro ſe maxime pugnare putaverat, in eummet ipſum ſumma vi retorſimus, Polonamque Gentem ab injuſtitiæ ſuſpicione in propulſatis e Pruſſia Teuthonicis Fratribus egregie defendimus.

Quod ad integritatem hujus Operis pertinet, omnia diligenter, ſicut ex Archivo Reipublicæ Cracovienſi, Senatus Conſilii permiſſione, tum aliis Magnatum noſtræ gentis peculiaribus, ſumma fide excerpta ſunt, hic prælo mandavimus, ſervato ordine chronologico, juxta methodum a primo ejus Compilatore adornatam: ita, ut ne quidem Fœderis a Friderico Vilhelmo cum Carolo Gustavo initi, quamvis illud Pactis Olivenſibus annullatum ſit, memoriam omittere auderemus. Deeſt quidem, neſcio quo fato, Renovatio Feudi eidem Friderico Vilhelmo per Vladislaum IV. Poloniæ Regem data; verum damnum hoc nihili æſtimandum eſt, cum eo tempore nullæ novæ additæ fuerant conditiones, ſed antiquiores tantum recoquebantur, ut ſæpius in aliis quoque ſequioris ævi Feudorum eorundem Renovationibus videre contingit. Omnem

 deni-

(*o*) Dlugossus Tom. I. Libr. VI. Annal. Polon. ad An. 1230. Martin. Cromerus Lib. VII. *in fine*. Stanislaus Sarnicki Annalium fol. 272.

(*p*) Vid. Dlugoss. Hiſt. Polon. pag. 644.

(*q*) Dlugoss. loc. cit. Cromerus Libr. VII. *in fine*.

denique impendimus ſollicitudinem, ut Tomus hic tam chartæ, quam caracterum nitore duobus, qui illum præceſſerunt, non eſſet deterior; eandem operam ſpondentes in ſubſequentibus edendis quantocyus, quantum per facultates noſtras licebit: quod publico bono obſequendi ſtudium noſtrum, Cives, ſi lubuerit, æqui bonique conſulite.

APPROBATIO.

Tomum quartum *Codicis Diplomatici Regni Poloniæ*, in quo continentur res totius Pruſſiæ, legi, & cum nihil contrarium reperi, ideo typis mandari permiſi. In cuius rei fidem ſubſcribo. Actum Vilnæ die 27. Menſis Auguſti Anno Domini 1764.

THOMAS IGNATIUS ZIENKOWICZ *Eppus Ariopolitanus, Secretarius M. D. Lit. Suffragan. & Decan. Vilnenſ.* (L.S.)

Ego infra ſcriptus notum facio omnibus has literas viſuris, quia authoritate publica mihi commiſſa, Tomus quartus *Codicis Diplomatici Regni Poloniæ*, in quo totius Pruſſiæ res continentur, per me fuit reviſus, & diligenti facta collatione approbatus, eumque evulgandi facultatem dedi. Act. Vilnæ die 17. Menſ. Auguſt. A. 1764.

ALEXANDER HORAIN *Eppus Hirenenſ. Referendarius M. D. L. C. L.* (L.S.)

ERRATA.

Pag. 212. poſſeſſiouem *lege* profeſſionem. Pag. 412. Ganez, liber, *lege* Gantz Liber. Pag. 213. Reymer *lege* Reymar.

INDEX
CHRONOLOGICUS
LITERARUM, DIPLOMATUM, TRANSACTIONUM, DOCUMENTORUM, MONUMENMENTORUMque, QUÆ IN HOC IV. VOLUMINE CONTINENTUR.

Ad ANN.

1212. *Innocentii III. Papæ ad Duces Poloniæ & Pomeraniæ Epiſtola, qua eos monet, ne Pruſſis ad fidem converſis onera ſervilia imponant.*

1222. *Conradi Ducis Maſoviæ & Cujaviæ Literæ, quibus partem Territorii Culmenſis, cum ſuis Caſtris & villis, item alias centum villas Chriſtiano I, Pruſſiæ Epiſcopo donat.*

1223. *Honorius III. Papa donationem Conradi Ducis Maſoviæ Epiſcopo Pruſſiæ factam confirmat.*

1226. *Friderici II. Romanorum Imperatoris Diploma, quo donatio Terræ Culmenſis, a Conrado Duce Maſoviæ & Cujaviæ Hermanno a Saltza promiſſa, confirmatur, eidemque poteſtas conceditur, Terram Pruſſiæ cum omnibus ſuis pertinentiis oppugnandi, ipſaq; Terra acquirenda dicto Hermanno, ſuisq; Succeſſoribus cum omnibus Regalibus confertur.*

1228. *Donatio Terræ Culmenſis & Villæ Orlow, a Conrado Duce Maſoviæ Hoſpitali S. Mariæ Domus Teutonicorum facta.*

—— *Chriſtiani I. Pruſſiæ Epiſcopi donatio decimarum in Territorio Culmenſi Ordini Teutonico facta.*

—— *Conradus Dux Maſoviæ Caſtrum Dobrzyn cum ſuo Territorio Magiſtro Militum Pruſſiæ, contra Prutenos more Livonienſi militaturo, donat.*

1230. *Chriſtianus I. Epiſcopus Pruſſiæ transfert in Fratres Ordinis Teutonici omnes donationes, a Conrado Duce Maſoviæ & ab Eccleſia Plocenſi ſibi factas.*

—— *Procuratores Chriſtiani I. Epiſcopi Pruſſiæ teſtantur, donationem ab Eo Fratribus Ordinis Teutonici factam eſſe conditionibus intro contentis.*

Conradi Ducis Maſoviæ & Cujaviæ donatio Terræ Culmenſis, facta Hoſpitali S. Mariæ Domus Teutonicorum. 1230.

Guntheri Epiſcopi Plocenſis Literæ, quibus bona ad Epiſcopatum ſuum pertinentia, ſita in Territorio Culmenſi, cum decimis ac jure Patronatus Ordini Teutonico donat. ——

Conradus Dux Maſoviæ & Cujaviæ recognoſcit donationem Territorii Culmenſis, Ordini Teutonico a ſe factam. ——

Idem donat Ordini Teutonicorum Caſtrum Nieſzovienſe cum quatuor Villis. ——

Gregorii XI. confirmatio donationum, ab Epiſcopo Pruſſiæ, & Conrado Duce Maſoviæ Ordini Teutonico factarum. ——

Idem confirmat donationem Territorii Culmenſis a Conrado Duce Maſoviæ Ordini Teutonico factam, & Articulum in ea comprehenſum, ut quidquid in Terra Paganorum prædictus Ordo obtinere poterit, totum ei cedat. ——

Chriſtiani I. Epiſcopi Pruſſiæ donationum Ordini Teutonico in Territorio Culmenſi a ſe factarum recognitio. 1231.

Gregorii XI. ad Conradum Ducem Maſoviæ Literae, quibus, collaudata ejus pietate, Pruſſiam tum ſubjugandam Ordini Teutonico confert, eamque in jus & proprietatem S. Petri ſuſcipit. 1234.

Ejusdem approbatio compoſitionis de Caſtro Dobrzyn, inter Conradum Ducem Maſoviæ & Ordinem Teutonic. factæ. 1236.

Bulla Gregorii XI. Papæ, qua Ordinem Militiæ Chriſti unit cum Ordine 1237.

dine Fratrum Domus Theutonicorum.

1238. *Vladislai Ducis Majoris Poloniæ Privilegium, quo Cruce ſignatis in Pruſſiam tranſeuntibus, item Civibus de Terris Fratrum Domus Teutonicæ, neceſſaria Domui ſuæ comparantibus, immunitatem teloneorum in ſuis ditionibus concedit.*

—— *Pactum Caſimiri Ducis Cujaviæ cum Fratribus de Domo Teutonica, quo ille nullam pacem vel inducias ſine ipſis ſe facturum, juſtitiamque in mutuis controverſiis adminiſtraturum promittit, idque ſub pœna Excommunicationis D. Papæ, per Epiſcopum Cujavienſem publicandæ, quam in judicem quoque pro transgreſſionibus Pactorum conſtituit.*

1243. *Innocentius IV. Papa acquiſita & acquirenda Fratribus Teutonicis in Pruſſia confirmat, & de eisdem Magiſtrum Ordinis inveſtit.*

1248. *Concordia per Jacobum Archidiaconum Leodienſem, Legatum, Capellanum Papæ, ejusque in Polonia, Pruſſia & Pomerania Vicesgerentem, inter Sventopelcum Pomeraniæ Ducem ex una, ac Magiſtrum, Ordinemq; Teutonicum parte ex altera, conſtituta, qua Ordo Duci Pomeraniæ Inſulam Nerie, Dux Caſtrum Pin cum villis ad Culmen ſitis Ordini reſtituit, & inter poſſeſſiones utriusque partis certi limites aſſignantur.*

1249. *Privilegium ab eodem Jacobo Archidiacono Leodienſi, Legato Pontificio, Neophytis Prutenis conceſſum, in quo etiam multa ſtatuuntur, quæ extirpationem Idololatriæ concernunt.*

1251. *Renovatio & Confirmatio Privilegii ab Hermanno de Saltza Ordinis Teutonici Magiſtro, Culmenſis Torunenſisque civitatis incolis conceſſi.*

1253. *Sventopelci Ducis Pomeraniæ Litteræ, quibus pacem & concordiam cum Ordine Teutonico opera Iacobi Archidiaconi Leodienſis initam ſe ſervaturum promittit.*

1255. *Conventio inter Caſimirum Ducem Cuiaviæ & Magiſtrum Ordinis Teutonici, qua medietatem terræ Lubaviæ idem Magiſter praefato Duci cedit, & certus injuriarum judicandarum modus praeſcribitur.*

—— *Alexandri Papæ IV. Epiſtola, qua Regem Ottogarum ad ferendam Fratribus Ordinis Teutonici contra Pruſſos opem hortatur.*

—— *Alexander PP. IV. mandat Epiſcopo Culmenſi, ut Conventionem, inter Caſimirum Cujaviæ Ducem & Magiſtrum ac Ordinem Cruciferorum de terra Lubaviæ factam, curet inviolabiliter obſervari.*

Privilegium Samborii Ducis Pomeraniæ, quo telonii libertatem in terris ſuis Elbingenſibus concedit. 1255.

Conventio Caſimiri Cujaviæ & Lenciciæ Ducis cum Fratribus Ordinis Teutonici in Pruſſia de non impetendis eorum poſſeſſionibus præcipue vero terra Sauſin nuncupata, item de villa Rogow pro qua ſexaginta marcas argenti dictis Fratribus perſolvit. 1257.

Alexander Papa IV. donationem Terræ Culmenſis Ordini Teutonico a Conrado Duce Maſoviæ factam confirmat, omniaque tam acquiſita, quam in poſterum ab eodem Ordine acquirenda in jus ac proprietatem Sedis Apoſtolicæ ſuſcipit. ——

Caſimirus Dux Cuiaviæ Eccleſiæ S. Trinitatis in Culmen donat mediam partem Terræ Lubaviæ. ——

Alexander PP. IV. ſub ſpecialem Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcipit omnes Terras & Regiones, quas Ordo Teutonicus de manibus Paganorum eripuerit, dummodo conſtet dictas Terras ad Chriſtianos nunquam pertinuiſſe, easq; Fratribus ejuſdem Ordinis in perpetuum poſſidendas concedit. 1260.

Caſimiri Lanciciæ & Cujaviæ Ducis Compromiſſum cum Magiſtro Ordinis Teutonici Hanno de Sangerhauſen in Arbitros mutuarum controverſiarum. 1263.

Tranſumptum Donationis partis Territorii Culmenſis cum Caſtro Grudenz, aliisque centum villis in eodem Territorio per Conradum Ducem Maſoviæ Chriſtiano I. Epiſcopo Pruſſiæ factæ. 1264.

Inſtrumentum Concordiæ inter Boleslaum Ducem Poloniæ & Theodoricum de Gadersleben Magiſtrum ac FF. Ordinis Teutonicorum in Pruſſia, opera Epiſcopi Vladislavienſis ſancitæ, quo Boleslaus pro illatis damnis dictis Fratribus centum ſexaginta marcas argenti ſe ſoluturum promittit. 1271.

Samborii Ducis Pomeraniæ donatio Terrae Wenzeke, aliarumque illi adjacentium cum pleno jure ac dominio Ordini Teutonico. 1276.

Rudolphi Imperatoris confirmatio privilegiorum & donationum a Ducibus Pomeraniæ Ordini Teutonico factarum. ——

Concordia inter Meſtwinum Ducem Pomeraniæ & Magiſtrum ac Fratres Ordinis Teutonicorum in Pruſſia, auctoritate Legati Apoſtolici facta, ope cujus Terram Meve, nec non Ducatum Svecenſem, aliaque bona idem Dux præfato Magiſtro & Fratribus cedit. 1282.

Martini Papæ IV. confirmatio concordiæ inter Ducem Pomeraniæ Meſtwinum & Ordinem Teutonicum opera Legati Apoſtolici factæ. ——

Ve-

1293. *Veſimiri Ducis Pomeraniæ Privilegium, quo Elbingenſes in ſuis ditionibus negotiantes ab omni exactione telonii immunes facit, paſſoſque naufragium gravari in corpore, ſeu aliis rebus quibuſcunque prohibet.*

1294. *Premislaus Dux Majoris Poloniæ libertatem telonii in terris Pomeraniæ, a Veſimiro Elbingenſibus conceſſam, confirmat.*

1298. *Vladislai Lokticı Regis Poloniæ approbatio Privilegiorum Elbingenſibus a Veſimiro Pomeraniæ & Premislao Poloniæ Ducibus indultorum.*

1304. *Oppignoratio Territorii Michalovienſis a Leſcone Duce Cuiaviæ Ordini Teutonico facta pro trecentis Marcis Denariorum Thorunenſium, quae ſumma, ſi intra biennium non fuerit exſoluta a Duce & Fratribus ejus, dictum Territorium ad præfatum Ordinem hereditarie devolvetur; interea Magiſter & Fratres nullam munitionem in eodem Territorio contra voluntatem Ducis conſtruent.*

—— *Conradi Sacci Magiſtri Ordinis Teutonici in Pruſſia recognitio, quod Terram Michalovienſem a Leſcone Duce pro ſumma trecentarum Marcarum denariorum Thorunenſium oppignoratam acceperit conditionibus ſupra expreſſis.*

1309. *Clementis Papæ V. Bulla Commiſſionis ad inquirendum in maleficia Fratrum Ordinis Teutonici.*

1311. *Diploma Henrici VII. Romanorum Regis, quo bona & poſſeſſiones, tam acquiſitas, quam inpoſterum a Fratribus Ordinis Teutonici in Pomerania acquirendas, eidem Ordini Teutonico confirmat.*

—— *Valdemarus Marchio Brandeburgenſis pro decem millibus Marcarum Brandeburgenſium vendit Ordini Teutonico Caſtra Gedanenſe, Dirſchovienſe atque Suecenſe cum ſuis Territoriis.*

1312. *Pactum Joannis Epiſcopi Plocenſis cum Carolo de Treviris Magiſtro Ordinis Teutonici de ducentis manſis, ad Caſtrum Xenitz pertinentibus, ratione quorum, elapſa ſeptem annorum libertate, prædictus Ordo ſingulis annis nonaginta Marcas monetæ Culmenſis Epiſcopo & ſuis Succeſſoribus, nomine fructuum decimalium, pendere tenebitur. Epiſcopus & ſui Succeſſores in Territorio Michalovienſi pleno jure in Spiritualibus fruentur, & bona Eccleſiæ Plocenſis, ibidem ſita, juſtis limitibus circumſcribentur.*

1317. *Venditio & Reſignatio Terræ Michalovienſis pro quingentis ſexaginta duabus Marcis, a Leſcone Duce Cujaviæ Ordini Teutonico facta.*

Sententia Judicum Apoſtolicorum, qua Ordo Teutonicus ad reſtituendam Regno Poloniæ Pomeraniam, damnaque refundenda condemnatur. 1322.

Frater Wernherus Ordinis S. Mariæ Domus Teutonicæ Magiſter, promittit, ſe Henrico Duci Wratislavienſi opem eſſe laturum contra Wladislaum Regem Cracoviæ. 1326.

Johannes Bohemiæ Rex donat Pomeraniam Magiſtro & Fratribus Ordinis Teutonici. 1329.

Idem dat poteſtatem Magiſtro Ordinis Teutonici, novas villas in Terra Dobrzynenſi ædificandi, ac deſerta extirpandi, exceptis his, quæ ad Caſtrum Dobrzynenſe pertinent. ——

Idem Terram Dobrzynenſem pro quatuor millibus & octingentis ſexagenis denariorum Pragenſium Magiſtro & Ordini Cruciferorum vendit, utque idem Ordo a præſtatione decimarum ex præfata Terra ſit immunis, curaturum ſe promittit. Cum Vladislao Rege Cracoviæ non prius pacem faciet, niſi ipſe, & Semoviti Fratris illius Filius, juri ſuo ad Terram Dobrzynenſem renunciaverint. 1330.

Bulla Excommunicationis Apoſtolicæ contra Magiſtrum, Provincialem, & Commendatores Ordinis S. Mariæ Teutonicorum Jeroſolymitanorum latæ, pro devaſtatione hoſtili Epiſcopatuum Vladislavienſis & Culmenſis. 1331.

Literæ Theodorici, Ordinis FF. Teutonicorum Magiſtri Generalis, ſuper ceſſione ipſius de Terris Breſtenſi & Dobrinenſi. 1334.

Sententia arbitralis a Carolo Hungariæ, & Johanne Bohemiæ Regibus lata, qua Pomerania Cruciferis, Dobrzynenſis vero & Cujavienſis Terra Regi Poloniæ adjudicatur. 1335.

Caſimiri Regis Poloniæ ratihabitio ſententiæ, per Carolum Hungariæ & Joannem Bohemiæ Reges latæ. 1336.

Caſimirus Rex Poloniæ Vladislao Duci Dobrzynenſi, a quo Terram Dobrzynenſem jure donationis acceperat, Terram Lancicienſem ad vitæ tempora tenendam confert. 1337.

Sententia definitiva, qua Commiſſarii & Judices, a Sede Apoſtolica delegati, Caſimiro Regi & Regno Poloniæ Pomeraniam, nec non Culmenſem, Michalovienſem, Cujavienſem, Dobrinenſem Terras adjudicant, & ratione damnorum perceptorum ad centum nonaginta quatuor millia & quingentas Marcas Polonici ponderis, & ad mille ſexcentas Marcas ratione impenſarum, Magiſtrum & Cruciferos condemnant. 1339.

INDEX

1342. Commiſſio Benedicti Papæ XII. a Clemente VI. innovata, qua Dobrzynenſis & Cujavienſis Terra, & decem millia Florenorum a Magiſtro Cruciferorum Regi & Regno ſolvi jubentur.

1343. Pax & concordia inter Caſimirum Regem Poloniæ, & Ludolphum Kœnig Ordinis Teutonici Magiſtrum, qua Pomeraniæ, Culmenſis, Michałovienſis Terræ, nec non Nieſzovia, Orłow & Ogorin Cruciferis relinquuntur.

——— Ejusdem Literæ Aſſecurationis, quibus ceſſionem Terrarum Pomeraniæ, Culmenſis, Michałovienſis, nec non Caſtri Nieſzoviæ, Orłow & Ogorin ſe manutenturum contra Ludovicum Hungariæ Regem promittit.

——— Literæ Epiſcoporum Regni Poloniæ, quibus recognoſcunt ceſſionem Terrarum Pomeraniæ, Culmenſis & Michałovienſis, a Caſimiro Rege Poloniæ Ordini Teutonico factam.

——— Literæ Procerum ſæcularium Regni Poloniæ, quibus prædictam Concordiam ſe manutenturos promittunt.

——— Epiſcopus & Capitulum Culmenſe, nec non Monaſteria Pruſſiæ condonant Caſimiro M. Regi Poloniæ damna & injurias, belli tempore ſibi illatas.

1349. Pacta inter Caſimirum M. Regem Poloniæ, & Henricum Dusnerum Ordinis Teutonici Magiſtrum, quibus Limites inter Terram Cujaviæ, & Terras Pomeraniæ ac Culmenſem deſignantur.

1375. Bulla Gregorii Papæ XI., qua deſignatio limitum ab Arbitris facta, inter Epiſcopi ac Eccleſiæ Varmienſis ac Ordinis Teutonici Terras ratihabetur.

1394. Henricus Epiſcopus Vladislavienſis promittit fidelitatem Vladislao Regi ac Regno Poloniæ.

1396. Sigismundus Rex Hungariæ conſenſum præbet Vladislao Duci Opolienſi, ut Terras Dobrzynenſem & Cujaviæ Ordini Cruciferorum vendere poſſit.

1404. Vladislaus Rex confirmat pacem & concordiam, a Caſimiro Anteceſſore ſuo cum Crucigeris initam.

——— Conventio Vladislai Jagellonis cum Cruciferis de Terra Dobrzynenſi & diſtrictu Złotoria.

——— Pax & Concordia inter Vladislaum Regem Poloniæ, & Conradum de Jungingen Magiſtrum Pruſſiæ, de limitibus inter Lithuaniam & Pruſſiam.

1405. Vladislaus Rex approbat Pacta, inter ſe & Conradum Magiſtrum Pruſſiæ de Terra Dobrzynenſi inita.

——— Recognitio Conradi de Jungingen Magiſtri Pruſſiæ, quod 50000. Floren. ratione Terræ Dobrzynenſis & Caſtri Złotoria a Vladislao Rege acceperit.

Tranſumptum Literarum Vladislai Jagellonis Regis Poloniæ, quibus cum Ulrico de Jungingen, Ordinis Teutonicorum Magiſtro Generali, in Venceſlaum Romanorum ac Bohemiæ Regem compromittit. 1410.

Henrici Epiſcopi Sambienſis ſubjectio Vladislao Regi & Regno Poloniæ. ———

Privilegia & donationes Civitati Gedanenſi a Vladislao Rege factæ. ———

Arnoldus Epiſcopus Culmenſis promittit ſe Vladislao Regi & Regno Poloniæ ſubjectum ac fidelem fore. ———

Pax & Concordia inter Henricum de Plauen Magiſtrum Pruſſiæ, & Vladislaum Regem Poloniæ, ac Vitoldum Ducem Lithuaniæ. 1411.

Fidejuſſio Sigismundi Romanorum Regis, qua pollicetur Vladislao Poloniæ Regi, & Alexandro alias Vitoldo Magno Lithuaniæ Duci, quod Cruciferi intra certum tempus in ſe compromittent, & ejus parebunt ſententiæ. 1412.

Compromiſſum Vladislai Regis cum Henrico de Plauen Magiſtro Cruciferorum in Sigismundum Regem Romanorum. ———

Sententia arbitralis Sigismundi Romanorum Regis, inter Vladislaum Regem Poloniæ & Ordinem Teutonicum ſuper Articulo Epiſcopi, Præpoſiti & Capituli Vladislavienſis. ———

Declaratio Vladislai Regis & Vitoldi M. D. Lithuaniæ, qua Archiepiſcopo Gneſnenſi & Archidiacono Lencicienſi, tanquam Procuratoribus, plena tribuitur poteſtas tractandi cum Crucigeris ſuper negotiis Samogitiæ. 1413.

Teſtimonium Benedicti de Marca Subarbitratoris, quod Vladislaus Rex & Vitoldus ejus Frater ſententiæ Sigismundi Romanorum &c. Regis, tanquam amicabilis Compoſitoris, paruerint in iis, quæ quosdam captivos concernebant Crucigeros: quodque proteſtatio nomine Filiæ Regis Poloniæ, & Filiae Vitoldi facta ſit, ne de Terra Samogitarum aliquid diſponeretur. ———

Reclamatio Ejusdem contra calumnias in Vladislaum Poloniae Regem, & Vitoldum ejus Fratrem per Crucigeros ſparſas. ———

Literae Proviſionales Martini Papae V. quibus declaratur, teſtimonium a Legatis ſuis in rem Crucigerorum datum nullum eſſe & invalidum, neque per id Polonis Litvanisque praejudicari poſſe. 1419.

Tranſumptum alterius ſententiae arbitralis, per Sigismundum Imperat. latae. 1420.

Donatio Nieſchovienſis Arcis cum quatuor villis, facta Cruciferis a Conrado Duce Maſoviae & Cujaviae, ſub Tranſumpto Epiſcopi Pomeſanienſis. 1421.

Fœdus

1422. *Fœdus perpetuae pacis, unionis & concordiae inter Vladislaum Regem Poloniae, ac Vitoldum M. Ducem Lithuaniae, Ducesque Maſoviae ab una, & Paulum de Rusdorf Magiſtrum Cruciferorum & ſuum Ordinem parte ab altera.*

1423. *Martinus Papa V. abſolvit Vladislaum Regem, & omnes Adjutores & ſubditos ejus ab Excommunicatione, propter bellum contra Cruciferos geſtum incurſa.*

—— *Teſtimonium Guillerini Tituli S. Marci Presbyteri Cardinalis, de magno regeſtro Actorum ſuper cauſis inter Vladiſlaum Regem Poloniæ, & Ordinem Teutonicorum in Pruſſia coram Martino Papa V. pendentibus, ex Commiſſione ejusdem conſcripto, & in formam publicam redacto.*

1424. *Vladislai Regis Poloniæ Confirmatio & Declaratio Pactorum cum Paulo de Rusdorf Magiſtro Ordinis Teutonici initorum.*

—— *Albertus Archiepiſcopus Gneſnenſis ratam habet, & promittit ſe ſervaturum pacem & concordiam ſupra Oſſam fluvium ad lacum Melnam inter Vladislaum Regem & Magiſtrum Ordinis Cruciferorum initam.*

1428. *Compromiſſum Vladislai Regis cum Magiſtro Pruſſiæ, ſuper arce ac territorio Drzen in Vitoldum Ducem Lithuaniae.*

1433. *Induciae duodecim annorum inter Vladiſlaum Regem Poloniae & Duces Lithuaniae, Maſoviae, Stolpenſem ab una, & Paulum de Rusdorf Magiſtrum Generalem, Magiſtrosque Almaniae & Livoniae Ordinis Teutonicorum ab altera parte conſtitutæ.*

1436. *Perpetua Pax & Fœdus inter Vladislaum Jagiellonis Regem, Regnumque Poloniae, ejusdemque Principes tam Eccleſiaſticos quam Saeculares ex una, & Magiſtrum Generalem, nec non Magiſtros Almaniae & Livoniae Ordinis Teutonici, eorundemque Praeceptores, adhaerentes ac ſubditos, & ipſorum haeredes ac ſucceſſores ex altera partibus conſtitutum.*

—— *Literae Reverſales Vladislai Regis Polon.*

—— *Literae Reverſales Pauli de Rusdorf Ordinis Teutonici Magiſtri Generalis.*

1440. *Bund der ſämtlichen Stände des Landes Preuſſen, worinnen ſie unter gewiſſen Bedingungen verſprechen, dem Hochmeiſter und gantzen Teutſchen Orden allen ſchuldigen Gehorſam zu leiſten.*

—— *Confœderatio omnium Ordinum & Statuum Terrarum Pruſſiae, per quam ſub certis conditionibus Magiſtro & Ordini Teutonico obedientiam & ſubjectionem promittunt.*

Concilium Baſileenſe teſtatur, ſe non abſolviſſe Ordinem Teutonicum a juramento de ſervanda perpetua pace cum Polonis. 1446.

Ejusdem Concilii ad Magiſtrum Ordinis Teutonici Epiſtola, in qua teſtatur, de abſolvendis a juramento Cruciferis Sanctam Synodum nunquam fuiſſe requiſitam. ——

Caſimiri Regis Poloniae Mandatum ad exigendum jusjurandum a Conrado de Erlichshauſen Magiſtro & Fratribus Ordinis Teutonici de ſervanda pace. 1448.

Oratio Legatorum Terrarum Pruſſiae ad Caſimirum Regem in Conventu Cracovienſi habita, qua ſe in fidem & ditionem Regni Poloniae recipi rogant. 1454.

Caſimiri Regis Poloniae ad Magiſtrum & Ordinem Teutonicorum Epiſtola diffidatoria. ——

Ordinum Pruſſiae confœderatorum Literae, quibus homagium & omnia obſequia Magiſtro Ordinis Teutonici renunciant. ——

Diploma Incorporationis Regno Poloniae recuperatae a Cruciferis, & ad Corpus Regni ſponte redeuntis Pruſſiae & Pomeraniae. ——

Ordinum Pruſſiae & Pomeraniae ſubjectio Caſimiro Regi & Regno Poloniae. ——

Gubernator & Palatini Pruſſiae fidejubent pro Epiſcopis Pruſſiae de praeſtando ab illis Caſimiro Regi fidelitatis juramento; quod ſi non fecerint, declarant ſe eos pro hoſtibus habituros. ——

Recognitio Ordinum & incolarum Terrae Culmenſis de praeſtito a ſe Caſimiro Regi Poloniae ſubjectionis & fidelitatis homagio. ——

Literae homagiales Terrae Elbingenſis. ——

Gedanenſes recognoſcunt ſubjectionem perpetuam Regi & Regno Poloniae, cum ſolutione duorum millium Flor. Hung. ſingulis annis, Curiamque cum granario & ſtabulo Regi aedificare promittunt. ——

Literae homagiales Terrae Koenigsbergenſis. ——

Privilegium Caſimiri Regis, quo ſtatuitur, ut tenutae civitatum aliorumque locorum in Pruſſia nulli extraneo, ſed ſolis indigenis conferantur. ——

Privilegium Caſimiri Regis datum Civitati Gedanenſi ſuper Commendatoriam Gedanenſem, & Officium Magiſtri Piſcatoris, ac villam Leiba. 1455.

Literae Caſimiri Regis ad Philippum Burgundiae Ducem, ut Gedanenſibus libertatem mercandi in Hollandia & Zelandia concedat. 1456.

Philippi Ducis Burgundiae ad Literas praecedentes Reſponſum. ——

Rex Caſimirus dat facultatem Magiſtratui 1457.

INDEX

& Communitati Gedanenſium caera rubri coloris in ſigillis utendi, coronam auream in ſuperiori ſtemmatis parte adhibendi, & veſtes auro ornatas portandi.

1457. Juramentum Gedanenſium.

— Statutum Caſimiri Regis, quo prohibet ſub privatione bonorum omnium, & bannitione de Regno, ne quis Incolarum ſpiritualium vel ſæcularium de Judicio Civitatis Gedanenſis ad Imperatorem, aut ad Urbem Romanam in quibuscunque cauſis citare audeat.

1463. Pactum Bernardi de Szimberg Capitanei Chelmenſis in Pruſſia cum Caſimiro Rege.

1466. Pax perpetua inter Caſimirum Regem Poloniæ, & Ludovicum de Erlichshauſen Magiſtrum Generalem & Ordinem Domus Jeroſolymitanæ Teutonicorum in Thorun, qua Terræ Culmenſis, Michalovienſis, Pomeraniæ, Mariæburgum, Stuma, Chriſtburgum, Elbinga, cum aliis compluribus locis jure perpetuo Regno Poloniæ addicuntur, & incorporantur, reliqua vero pars Pruſſiæ lege beneficiaria Ordini Teutonico confertur, Magiſterque Generalis in Vaſallum & Feudatarium Principem Regni Poloniæ aſſumitur, primusque Regni Poloniæ Conſiliarius conſtituitur.

— Ludovicus de Erlichshauſen Magiſter Generalis Ordinis Teutonicorum remittit culpam ſuis ſubditis, quod belli tempore partibus Caſimiri Regis adhæſerint.

— Caſimirus Rex Poloniæ promittit Ludovico de Erlichshauſen Magiſtro Teutonicorum in Pruſſia quindecim millia Flor. Hungar.

— Recognitio Ludovici Magiſtri de acceptis centum quinquaginta Florenis ex ſumma quindecim millium Florenorum Hungaricalium, ſibi & ſuo Ordini a Caſimiro Rege inſcripta.

— Magiſter Ordinis Teutonici teſtatur, Pruſſiæ Terrigenas per annos 24. ab oneribus bellicis per Caſimirum Regem Poloniæ eſſe diſpenſatos, niſi eo caſu, quo Turci vel Tartari Regnum Poloniæ infeſtarent: eosque ipſe Magiſter liberat a tributis pendendis ſpatio annorum 25.

1467. Capitulum Varmienſe ſpondet ſe Pacem Thorunenſem in omnibus punctis & articulis obſervaturum.

1470. Teſtimonium Joannis Archiepiſcopi Gneſnenſis, & Primatis Regni Poloniæ, de præſtito per Henricum Richtenbergium, in Magiſtrum Generalem Cruciferorum noviter electum, fidelitatis juramento.

1473. Remiſſio indignationis Regiæ incolis Epiſcopatus Varmienſis.

1476. Privilegium Caſimiri Regis, quo Conſulibus Elbingenſibus datur poteſtas, villas a ſe eis donatas jure, quo ipſi velint, regendi.

1476. Caſimirus Rex, abrogatis cæteris juribus, Culmenſe Jus per univerſam Pruſſiam ſervari jubet. Præterea in recognitionem dominii ſui quotannis cenſum ſolvi conſtituit. Item ne lacus fiſcales quisquam ſibi uſurpare audeat, cavet.

1477. Confirmatio Iurium & Privilegiorum Terrarum Pruſſiæ.

— Statutum de non faciendis Appellationibus a Iure Civitatis Gedanenſis, tam ſpiritualium quam ſæcularium Proceſſuum.

1479. Nicolaus Epiſcopus Varmienſis cum ſuo Capitulo facit obedientiam Caſimiro Pol. Regi, Succeſſoresque ſuos ad eam faciendam Regibus Poloniæ, pro tempore exiſtentibus, adſtringit & obligatos facit: juramentorumq; modum & formam per eos ipſos Succeſſores ſuos Epiſcopos, Prælatosque & Canonicos, ac quamcunque Perſonam Eccleſiaſticam beneficiatam Eccleſiæ & Diœceſis Varmienſis, circa receptionem beneficii cujuslibet faciendorum dat & inſcribit, contentaq; omnia in Inſcriptione Pacis perpetuæ facere promittit.

— Remiſſio indignationis Regiæ Nobilitati Diſtrictuum Brodnicenſis & Culmenſis, quam incurrerunt bello ultimo, ad Ordinem Teutonicum deficiendo.

1480. Martini Truchſes Magiſtri Pruſſiæ Recognitio de concordia inita cum Caſimiro Rege, & de compenſatione damnorum per Polonos illatorum.

1494. Joannis Alberti Regis Confirmatio jurium & libertatum Terrarum Pruſſiæ.

1502. Maximiliani Imperatoris ad Gedanenſes Literæ, quibus eos ad generalem contra Turcas expeditionem hortatur.

— Alexandri Regis Poloniæ ad præcedentes Literas Reſponſum.

1504. Alexandri Regis Poloniæ Confirmatio jurium Oppidi Gdanen.

— Idem confirmat jura Terrarum Pruſſiæ.

1505. Ejusdem Donatio Inſulæ Neringa dictae Civitati Gedanenſi.

1506. Tranſumptum proteſtationis & informationis, coram Summo Pontifice & Cardinalibus a Procuratoribus Ordinis factæ, quod non ſit neceſſe mittere Nuntium Apoſtolicum ad Regnum Poloniæ & ad Pruſſiam pro facienda pace, quæ jam facta fuit Thoruniæ.

1513. Bulla Leonis X., qua ſuadet Sigismundo Polonorum Regi, ut cauſam cum Cruciferis Lateranenſi Concilio ſubjiciat dijudicandam.

1515. Articuli pro parte Sereniſſimi Principis Domini Sigismundi Regis cum Reverendiſſimo Domino Matthæo Cardinali Gorcenſi, Oratore Imperiali concordati in Conventu Poſoniano.

Ma-

1515. *Maximilianus Imperator declarat, ſe nolle Magiſtrum & Ordinem Teutonicum in Pruſſia ſubtrahere ab obſervantia Pactorum, cum Caſimiro Rege Pol. initorum*

— *Kayſer Maximilianus ſpricht die Einwohner derer Städte Dantzig und Elbingen vom Reichs-Bann, und andern ihnen vom Kayſerlichen Reichs-Kammer-Gericht auferlegten Strafen frey und los, befiehlet auch, hinführo gegen ſolche auf keine Weiſe mehr gerichtlich zu verfahren.*

— *Maximilianus Electus Imperator abſolvit Gedanenſes & Elbingenſes a banno & aliis pœnis Cameræ Imperialis, vetatq; ne contra ipſos ullo modo procedatur.*

1517. *Commiſſio S. R. Majeſt. in cauſa Epiſcopi Varmienſis ratione Diſtrictus Scharſaw.*

— *Sigismundi I. Regis Poloniæ ſententia, qua Epiſcopus Varmienſis in poſſeſſionem Diſtrictus Scharſaw reſtituitur.*

1519. *Carolus V. Imperator hortatur Albertum Magiſtrum Pruſſiæ, ut juramentum fidelitatis Regi Poloniæ præſtet.*

— *Idem Præſidentibus Cameræ Imperialis inhibet, ne contra Civitates Pruſſiæ in Iudicio Imperiali procedere audeant.*

1520. *Sigismundi I. Regis Poloniæ ad Leonem X. Literæ, in quibus de Alberto Magiſtro in Pruſſia & Ordine Cruciferorum conqueritur.*

— *Mandatum Caroli V. Imperatoris Oratoribus ſuis datum, ad tractandum de pace inter Sigismundum Regem & Albertum Magiſtrum.*

— *Idem Sigismundo Regi ſignificat miſſos eſſe ad eum Oratores ſuos, eumque ad pacem hortatur.*

— *Legatio Oratorum S. Cæſ. & Cath. Maj. ad Sigismundum I. Regem de componenda pace cum Magiſtro & Ordine Cruciferorum in Pruſſia.*

— *Leonis X. ad Carolum V. Imperatorem Breve in eodem negotio.*

1521. *Articuli inter Majeſt. Reg. Poloniæ, & DD. Oratores tam Cæſ. Majeſtatis, quam Sereniſſ: D. Hungariæ & Bohemiæ Regis, in negotio conficiendæ pacis cum Magiſtro & ejus Ordine acti & concluſi.*

— *Summarium Relationis DD. Oratorum S. Cæſ. Majeſt. & Sereniſſ. Hungariæ & Bohemiæ Regis, factæ coram Majeſt. R. de his, quæ cum Illuſtri D. Magno Magiſtro egerunt.*

— *Sereniſſ. Majeſt. Regia Poloniæ, ad inſtantiam Summi Pontificis, S. Cæſ. & Cath. Majeſtatis ac Sereniſſ. D. Hungariæ & Bohemiæ &c. Regis, tanquam Fratrum ſuorum, & ob ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ, contenta eſt arma deponere, & cum Illuſtri Domino Magno Magiſtro inducias & pacem inire infra ſcriptis modis.*

Literæ Univerſales poſt ſuſpenſionem armorum reſtitutam ad Capitaneos & cæteros incolas Terrarum Pruſſiæ, ut denuntient inducias & armorum ſuſpenſionem inter Reg. Majeſt. & Magiſtrum Pruſſiæ. 1521.

Oratores Sac. Cæſareæ, & Regiæ Hungariæ ac Bohemiæ Majeſtatis teſtantur, ſe impetraſſe a Sigismundo I. Rege Poloniae ſuſpenſionem armorum contra Magiſtrum Ordinis Teutonici. —

Sigismundi I. Regis Literae ſuſpenſionis armorum & induciarum Alberto Mag. Ord. Teutonici a Feria quarta poſt Feſtum S. Mathiæ Apoſtoli ad Dom. Palm. excluſive conceſſarum. —

Ejusdem ſalvus Conductus Alberto Magiſtro Ordinis Teutonici datus. —

Mandatum Magiſtri Ordinis Teutonici Nuntiis ſuis datum, ad tractandam pacem cum Regia Majeſtate Poloniae. —

Induciae quatuor annorum inter Albertum Magiſtrum Ordinis Teutonici & Sigismundum I. Regem Poloniae concluſae. —

Ratificatio earundem induciarum ex parte Sigismundi I. Regis Poloniae. —

Albertus Magiſter Ordinis Teutonici confirmat Articulos, a ſuis Nuntiis cum Conſiliariis Reg. Majeſt. concluſos de captivorum ex utraque parte dimiſſione. —

Sigismundi I. Regis Confirmatio jurium, privilegiorum & libertatum Terrarum Pruſſiae.

Pax perpetua inter Sigismundum I. Regem & Regnum Poloniae, ac Albertum Magiſtrum Pruſſiæ, qua Ordo Hoſpitalis B. Mariae proſcribitur, & penitus aboletur; Albertus Pruſſiae partem titulo Ducis obtinet, & Regis Poloniae imperio ſimul cum Provincia ſubjicitur, eique primus locus in Senatu conſtituitur. 1525.

Approbatio eorundem Pactorum per Proceres & incolas Ducatus Pruſſiae.

Diploma Sigismundi I. Regis, quo Terrae Pruſſiae Alberto, atque deficiente ejus prole maſcula, tribus ejus Fratribus, Georgio, Caſimiro & Joanni in Feudum traduntur. —

Sigismundus I. aſſignat penſionem annuam Alberto Duci Pruſſiae quatuor millium Florenorum Rhenenſium ad vitae ejus tempora. —

Literae Sigismundi I. Regis Poloniae ad Clementem VII. P. quibus ei de negotiis cum Alberto Duce tranſactis ſignificat. —

Reſponſum nomine Sigismundi I. Regis Poloniae Epiſcopo Pomeſanienſi datum contra novatores Fidei. 1526.

INDEX

1526. *Reſponſum nomine Sigismundi I. Regis Poloniae Alberto Duci Pruſſiae datum de reſtituendis munimentis Ordinis Teutonici, de finium ordinatione, & de cudenda moneta.*

—— *Aliud nomine Sigismundi I. Regis I. Alberto Duci Pruſſiæ Reſponſum, quo illum ab Hæreſi Lutherana dehortatur.*

—— *Sigismundus I. Rex Poloniæ ratam habet Inveſtituram Terrarum Pruſſiæ per Legatos Ejus Alberto factam.*

—— *Auctio Privilegiorum Alberto Duci Pruſſiæ per Sigismundum I. Regem Poloniæ conceſſa.*

—— *Sigismundus I. Rex Poloniæ confirmat Privilegia Civitatis Gdanenſis.*

—— *Donatio perpetua oppidi & bonorum Hela, Civitati Gedanenſi una cum vectigali, quod a mercatoribus in Portu Gedanenſi exigitur, facta per Sigismundum I. Poloniæ Regem, ubi quoque de mercibus per naufragium ad littus delatis & de bonis, quorum nulli extant hæredes, diſponitur in rem fiſci Regii.*

—— *Edictum Sigismundi I. Regis, quo Gedanenſibus prohibetur lectio librorum hæreticorum.*

—— *Conſtitutiones a Sigismundo I. Rege pro Pruthenis latæ.*

—— *Decretum Sigismundi I. Poloniæ Regis, quo inhibetur Thorunenſibus, ne merces perſonarum Eccleſiaſticarum & Militarium, Gedanum, vel ultra deportandas, detineant.*

—— *Statuta & Ordinationes a Sigismundo I. Poloniæ Rege Gedanenſibus latæ, tam in his, quæ rem Eccleſiaſticam, quam quæ bonum Ordinem concernunt.*

—— *Ordinationes per Commiſſarios Regios pro Civitate Brunsbergenſi factæ, quibus ea, quæ rem tam Eccleſiaſticam, quam civilem concernunt, diſponuntur, & Civitas ipſa in poteſtatem Epiſcopi dimittitur.*

1529. *Reſponſum nomine Sigismundi I. Regis, datum Oratoribus Alberti Ducis Pruſſiæ, ſuper facultate eligendi Regis, & Appellationibus ab eo ad Regem, ut ſupremum Dominum, non denegandis.*

—— *Renovatio perpetuæ Pacis & Concordiæ inter Sereniſſimum Regem D. Sigismundum, ejusdemque S. R. Maj. Filium D. Sigismundum Auguſtum, in M. Ducem Lithuaniæ electum ex una, & Illuſtriſſ. Principem D. Albertum Marchionem Brandeburgenſem & in Pruſſia Ducem ex altera partibus facta.*

—— *Exemplar ejusdem Renovationis ex parte Alberti Ducis.*

—— *Sigismundus I. Rex deſignat Commiſſarios ad renovandos limites inter Lithuaniam & Pruſſiam.*

Sigismundus I. Rex confirmat donationem ab Alberto Duce Conjugi ſuæ factam, promittitque ſe ejus Tutorem futurum, Marito vita defuncto. 1530.

Edictum Sigismundi I. Regis contra invehentes in Pruſſiam monetas adulteratas, vel quoquo modo eis abutentes. ——

Conſtitutio Sigismundi I. Regis, qua declaratur, quod Ordines Pruſſiæ ad Electionem novi Regis admitti debeant, & quod Sigismundus Auguſtus, poſtquam ad ætatem juſtam pervenerit, jurare debebit, ſe jura & privilegia Statuum Pruſſiæ ſervaturum. ——

Monitorium pœnale contra Albertum Ducem Pruſſiæ, una cum citatione ejus ad Judicium Cameræ Imperialis. ——

Oratio nomine Alberti Marchionis Ducis Pruſſiæ ad Sigismundum I. Regem Poloniæ, coram Rege & Senatu dicta per Cancellarium Ducis, Duce ipſo præſente, in qua petit ſuffragium eligendi Regis, admonet de periculo Terrarum Pruſſiæ, ex nova Magiſtri Cruciferorum per Cæſ. Majeſt. creatione. ——

Reſponſum nomine Sigismundi I. Regis Poloniæ Alberto Duci Pruſſiæ datum. ——

Quietatio Directoris Officinae monetariæ Torunenſis. 1531.

Sigismundus I. Rex Poloniæ hortatur & mandat Alberto Duci Pruſſiæ, ne, ſub amiſſione Feudi, Mandato pœnali Imperatoris, ejusdemque citationi pareat. ——

Legatio Ducis Pruſſiæ ad Regem contra bannum Cæſaris, ubi quoque de coæquatione monetæ & de quibusdam aliis minutioribus agitur. ——

Reſponſum datum Oratori Ducis Pruſſiæ nomine Majeſtatis Regiæ. ——

Conſtitutio Sigismundi I. qua valor Aureorum in Pruſſia deſignatur. ——

Manifeſtatio Legati Poloniæ nomine Regis ſui facta contra bannum Imperiale, in Albertum Ducem Pruſſiæ editum. 1532.

Supplicatio Adminiſtratoris Magiſtratus Ordinis Teutonicorum in Pruſſia, Cæſ. Majeſtati oblata, contra præcedentem Oratoris Poloni Manifeſtationem. ——

Apologia Alberti Ducis Pruſſiæ Ratisbona ad Comitia Imp. miſſa, in qua adducuntur cauſſae, ob quas ille ab Ordine deſciverit, Ducatum Pruſſiae in Feudum acceperit, & uxorem duxerit. ——

Reſponſum nomine Sigismundi I. Legato Alberti Ducis Pruſſiae datum, quo culpa nondum determinatorum limitum inter Pruſſiam & Lithuaniam in Commiſſarios Pruſſicos rejicitur. ——

Epiſtola Sigismundi I. ad Carolum V. Imperatorem, qua eum hortatur, ut bannum in Albertum Ducem Pruſſiae latum aboliri faciat. 1534.

1534. *Ejuſdem Epiſtola ad Ferdinandum Romanorum atque Hungariae & Bohemiae Regem in eodem negotio.*

—— *Eiuſdem Epiſtola ad Præſidentes Cameræ Imperialis in eodem negotio.*

—— *Ejuſdem Epiſtola ad Electores R. I. in eodem negotio.*

—— *Ejuſdem ad Civitates Imp. in eodem negotio.*

1535. *Approbatio a Sigismundo Rege data oppignorationis per Albertum Pruſſiæ Ducem Diſtrictus Preuſchmark.*

1537. *Supplex Libellus Conſiliariorum Pruſſiæ Sigismundo Regi porrectus, quo rogant Eum, ut Officia in illis Terris, niſi indigenis non conferantur.*

1538. *Conſtitutiones Terrarum Pruſſiæ, in publicis Comitiis Thorunenſibus Sigismundi Regis auctoritate confirmatæ.*

1539. *Inſtructio D. Stanislao Laſki data, cum apud Joachimum Bran. Elect. Nuntium ageret, in qua exponuntur cauſæ, cur Filio ejus Pruſſiæ Feudum collatum non fuerit.*

1540. *Exemplar Epiſtolæ Sigismundi I. Regis ad Abbates Pruſſiæ, in qua eos hortatur, ut partem proventuum ad promovenda literarum ſtudia convertant.*

1541. *Literæ Alberti Ducis Pruſſiæ ad Sigismundum I. Poloniæ Regem, in quibus de re monetaria præcipue, & de nonnullis aliis negotiis agitur.*

1542. *Literæ Sigismundi I. ad Ferdinandum Romanorum Regem, quibus eum monet, ne aliquid ſibi juris in Civitates Pruſſiæ uſurpare velit.*

—— *Statutum Sigismundi I. Regis, quo præcipitur, tres ad ſummum judiciarias inſtantias in Civitatibus Pruſſiæ obſervari debere.*

—— *Formula Gubernationis Ducatus Pruſſiæ ab Alberto Seniore concepta.*

—— *Articuli gubernationem Ducatus Pruſſiæ continentes, ex Teſtamento Alberti Ducis Pruſſiæ excerpti.*

1545. *Ratificatio Pactorum inter Sigismundum I. Regem & Albertum Sen. Ducem Pruſſiæ initorum, per Albertum Iuniorem facta.*

1548. *Oratio Stanislai Laſki Pol. Legati in Comitiis Auguſt. pro jure Polono in Pruſſiam.*

—— *Reſponſum Adminiſtratoris Magiſtratus Teutonicorum ad præcedentem Poloni Legati Orationem.*

—— *Sacræ Cæſ. Majeſtatis Reſponſum Regis Poloniæ Oratori Domino de Laſco &c. in negotio Pruſſiae Auguſtæ datum.*

—— *Literæ ad Sigismundum Auguſtum Poloniæ Regem, in quibus ei nuntiatur, quid cum Duce Pruſſiæ de juribus ejusdem Ducatus actum ſit.*

1549. *Recognitio Conſiliariorum Pruſſiæ de præſtito Sigiſm. Aug. fidelitatis juramento.*

—— *Poſtulata ad Cæſ. Maj. per Oratorem Regis Poloniæ in negotio Pruſsiæ.*

Sac. Rom. Regiæ Majeſtatis Reſponſum, datum Oratori Regis Poloniæ in negotio Pruſsiae. 1549.

Commiſsio S. Cæſ. Majeſt. ad Sereniſſ. Romanorum, Hungariae ac Bohemiae Regem &c. de ſuſcipienda amicabili tractatione (absque tamen praejudicio, vel judiciarii proceſſus impedimento) inter Regem Regnumque Poloniae, & ab eodem cauſam praetendentes ex una, & Adminiſtratorem Ordinis Teutonicorum ex altera partibus, ſuper proprietate jure & dominio Provinciae Pruſsiae. ——

Exemplum Literarum S. Rom. Reg. Maj. ad Regem Poloniae, praefixionem diei ad tractandam concordiam in cauſ. Pruſſiae continens. ——

Exemplum Literarum Sigismundi Auguſti Regis Poloniae ad S. R. Majeſt. quo ejus arbitrium in negotio Pruſsiae reſpuit. ——

Libellus Oratorum Ducis Pruſsiae, quo ejus abſentiam excuſant, & renovationem Feudi poſtulant a Sigismundo Auguſto Poloniae Rege. 1550.

Ceremoniale pro renovatione Feudi Ducatus Pruſsiae, conferenda per Sigismundum Auguſtum Poloniae Regem, praeſentibus Legatis Marchionum Brandeburgenſium. ——

Petitio Alberti Junioris per Legatos ſuos, ut ad Inveſtituram Pruſsiae admittatur. ——

Plenipotentia ab Alberto Seniore Duce Pruſsiae data Legatis ejusdem, ad renovandam Inveſtituram Ducatus Pruſſiae per Sigismundum Auguſtum Poloniae Regem. ——

Renovatio Feudi Ducatus Pruſsiae per Sigismundum Auguſtum Poloniae Regem Alberto Duci facta, ubi etiam Georgius Fridericus & Albertus Junior ad Feudum admittuntur. ——

Sigismundus Auguſtus Pol. Rex approbat inſcriptionem dotis, per Albertum ſeniorem Ducem Pruſsiae Conjugi ſuae factam. 1552.

Reſponſum S. R. Majeſtatis Duci Pruſsiae ſuper loco & ſuffragio in conſultationibus, ſuper appellationibus & jure cudendae monetae datum. 1553.

Decretum Sigismundi Auguſti Poloniæ Regis ſuper nullitate Appellationum, a colonis Elbingenſibus fieri ſolitarum. 1554.

Idem Privilegium Gedanenſibus datum. 1555.

Reſponſum S. R. Maj. ad conſueta Ducis Pruſsiae poſtulata. ——

Literae Plenipotentiae a Joachimo Marchione Brandeburgenſi datae Oratoribus ad petendam Inveſtituram Ducatus Pruſsiae in Comitiis Petricov. Regni. 1562.

Promiſsio & obligatio Joachimi Electoris Brandeburgenſis citra ſervanda fideliter ——

liter omnia, quae illi, ſuisque Succeſſoribus a Rege & Ordinibus Regni praeſcripta ac impoſita fuerunt.

1563. Admiſſio Joachimi Marchionis & Electoris Brandenburg. ad ſimultaneam Inveſtituram Ducatus Pruſſiæ; quæ etiam extenditur ad alterum Joachimi Filium Sigismundum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, facta a Sigismundo Auguſto & Ordinibus Regni, cum obligationibus & conditionibus in ſucceſſores Electores Brandeburg. impoſitis.

—— Inſtructio Legatorum ad petendam Inveſtituram ſimultaneam in Comitiis Petricovienſibus.

—— Confirmatio ratihabitionis Illuſtriſſ. Principis D. Georgii Friderici Marchionis Brandeburgenſis.

1569. Libellus a Conſiliariis Pruſſiæ Sigismundo Aug. Pol. Regi porrectus, in quo primum de libero Auguſtanæ Confeſſionis exercitio, tum de quibusdam aliis ſit poſtulatio.

—— Reſponſum S.R. Maj. ad præcedentem Conſiliariorum Pruſſiæ Libellum.

—— Edictum Sigismundi Aug. Pol. Regis, quo Senatoribus & Legatis Pruſſiæ injungitur, ut illi in ſenatu & illi in ſtuba, quoties opus fuerit, adeſſe non omittant.

—— Cauſæ, ex quibus Conſiliarii Terrarum Pruſſiæ in conſeſſu Regni ſedere non teneantur.

—— Reſponſum Conſiliariorum Regni Pol. ad præcedentia Nuntiorum puncta.

—— Replicatio Conſiliariorum Pruſſiæ ad præcedens Polonorum Reſponſum.

—— Decretum Sigismundi Auguſti Pol. Regis, quo ſtatuitur, Conſiliarios & Legatos Pruſſiæ in Comitiis Regni de negotiis tam Reipul. quam Ducatus Pruſſiæ ſimul tractare debere.

—— Proteſtatio DD. Conſiliariorum Terrarum Pruſſiæ contra præfatum S.R.M. Decr.

—— Proteſtatio Legatorum Nobilitatis & minorum Civitatum Pruſſiæ contra idem Regium Decretum.

—— Altera eorundem proteſtatio, poſtquam Conſiliarii Pruſſiæ in Senatu Regni conſederunt.

—— Tertia eorundem proteſtatio, cum ipſi inter Nuntios Regni conſedere juſſi ſunt.

—— Proteſtatio Nuntiorum Civit. Thorun. & Elbing. contra præfatum S.R.M. Decr.

—— Literæ Sigismundi Aug. Pol. Regis ad Albertum Iun. Pruſſiæ Ducem, in quibus de adventu ejus perſonali ad reddendum homagium, & de quibusdam aliis agitur.

—— Petitio Illu. D. Georgii Friderici March. Brandeb. &c. nomine.

—— Petitio nomine Illuſtr. Domini Joachimi Electoris Brandeb. & Filii ejus Ioannis Georgii per Nuntios in theatro habita.

Petitio Inveſtituræ nomine Illuſt. Principis D. Georgii Friderici March. Brandeb. publice in Theatro habita. 1569.

Reſponſio Marchionibus, id eſt tam Illuſt. Duci Pruſſiæ, quam cæteris Marchionibus Brandeb. nomine S. R. Maj. poſt petitionem Feudi data. ——

Actus Inveſtituræ Ducatus Pruſſiæ in perſona Alberti Iunioris. ——

Literæ Inveſtituræ ſeu Homagii Ill. Principi D. Alberto Friderico March. Brandeb. Duci Pruſſiæ a S.R. Maj. datæ. ——

Confirmatio S. R. M. ſummariorum, & præcipuorum Capitum Commiſſionis Pruthenicæ. ——

Renovatio ſimultaneæ Inveſtituræ poſt mortem Ioachimi II. Ioanni Georgio data. 1571.

Declaratio Sigismundi Aug. Regis, Electorem Ioannem Georgium poſt obitum D. Parentis Ioachimi Electoris, cum antea ſimultanee inveſtitus ſit, ad alia præſtanda obligatum non eſſe. 1572.

Reſponſum nomine Henrici Regis Pol. datum Oratoribus Ioannis Georgii Electoris Brandeb., in quo de Feudo Pruſſiæ, de limitibus, de negotio Sophiæ Brunſvic. & de vectigali pro 300. bobus peragitur. 1574.

Stephanus Pol. Rex Marchioni Anſpacenſi permittit curationem Ducatus Pruſſiæ ob ægritudinem mentis Alberti Iunioris Pruſſiæ Ducis. 1577.

Legati Ducis Ansbacenſis pro præcedente Curationis promiſſione gratias agunt, & eum impleturum omnia, quæ ibi continentur, promittunt: Additur quoq; mentio de permutatione arcis Memelianæ. ——

Regia Majeſtas Ansbachio ſignificat diem & locum Comitiorum. ——

Plenipotentia ab Electore Brandeb. Nuntiis ipſius ad accipiendam Renovationem ſimultaneæ Inveſtit. Ducat. Pruſſiæ data. 1578.

Petitio & gratiarum actio Illuſtr. D. Ioachimi Electoris Brandeb. & Filii ejus Ioannis Georgii per Nuntios in Theatro habita. ——

Diploma Stephani Pol. Regis, quo conceditur Georgio Friderico Curatio Ducatus Pruſſiæ, Alberto infirma mentis ægritudine afflictante: & in caſum, quo is ſine prole maſcula decederet, Inveſtitura illi confertur, cum futura ſucceſſione cæterorum Principum ex Familia Brandeburgica. ——

Proteſtatio Nuntiorum terreſtrium contra ſucceſſionem Familiæ Electoralis Brandeburgicæ in Ducatu Pruſſiæ. ——

Proteſtatio Legatorum Brandeburgenſium contra præcedentem proteſtationem. ——

Reſponſum S. R. Majeſtatis, ad Legationem Illuſtriſſ. DD. Marchionum Brandeburgenſium, Electoris S.R. Imp. Patris ——

triſ, & Adminiſtratoris Magdeburg. Filii, in quo refellitur facta proteſtatio: agitur quoque de navigatione Gedanenſium, & de navigatione Wartæ & Oderæ.

1579. *Cavet Regia Majeſtas Duci Pruſſiae de voluntario ſubſidio ab eodem Duce ad expeditionem Polocenſem Majeſtati ſuae miſſo.*

1580. *Quietatio Georgio Friderico Duci in Pruſſia de perſolutis Stephano Polon. Regi de ducentis florenorum millibus.*

1589. *Reſponſum Sigismundi III. Polon. Regis, Legatis Ioachimi Electoris Brandeb. in quo promittitur ei Inveſt. Duc. Pruſſiae.*

—— *Tranſumptum Conſtitutionum Ducatus Pruſſiae Anno 1563. factarum.*

—— *Diploma Sigismundi III. Pol. Regis, quo confirmatur Curatio & Infeudatio Ducatus Pruſſiae, Georgio Friderico per Stephanum Poloniae Regem facta, cum ſimultanea ejusdem Ducatus infeudatione Ioanni Georgio Electori Brandeb. & ſucceſſoribus ejus maſculis.*

—— *Reſponſum Regis Sigismundi III. Legatis Illuſt. Marchionum Brandeb. poſt Inveſtit.*

1592. *Literæ Sigismundi III. Pol. Regis, quibus ſignificatur, Ducem totamq; Nobilitatem Pruſſiae a teloneis ſolvendis immunes eſſe pro illis, quae non mercandi cauſſa, ſed ad uſum proprium e Poloniae ditionibus illuc devehuntur.*

1593. *Privilegia minoribus Civitatibus Pruſſiae conceſſa a Sigismundo III. Pol. Rege.*

—— *Confirmatio Decreti Commiſſorialis, quo donationes ab Alberto ſen. factae caſſantur.*

1605. *Plenipotentia Nuntiorum March. Brandeburgenſis in negotio Pruſſiae.*

—— *Tractatus & conditiones habitae cum Internuntiis Brandeb. in negotio Pruſſiae.*

—— *Diploma Sigismundi III. Pol. Regis, quo vita functo Georgio Franciſco, Curatio Ducis & Ducatus Pruſſiae confertur Ioachimo Friderico Electori Brandeb.*

—— *Ratificatio Ioachimi Friderici Elect. Brandeburg. ac conditionum, ab ejus Legatis cum Rege Regnoque Pol. conventarum: ubi quoq; uſurae ſummae Piltenſis tam praeteritae quam futurae condonantur.*

1609. *Reſponſum Sigismundi III. Polon. Regis datum Nuntiis Nobilitatis Pruſſiae.*

—— *Ejusd. Reſponſum Legatis Civitatum Pruſſiae datum.*

—— *Diploma Sigismundi III. Pol. Regis, quo defuncto Ioachimo Friderico, curatio ac gubernatio Ducis ac Ducatus Pruſſiae Filio ejus Ioanni Sigismundo defertur.*

—— *Cautio Ioannis Sigismundi de conditionibus ſervandis, exercitioq; Catholicae Religionis non impediendo.*

—— *Acta & Decreta Commiſſariorum Sigismundi III. Polon. Regis.*

Conſtitutio Comitiorum Regni Pol. generalium habitorum Varſaviae. 1611.

Tranſumptum Plenipotentiae Internuntiorum Ioannis Sigismundi Electoris Brandeb. in negotio ſimultaneae Inveſtiturae Ducatus Pruſſiae. ——

Legati Brandeb. ſpondent pro Ioanne Sigismundo, quod conditiones ſimultaneae Inveſtiturae obſervabit. ——

Sigismundus III. Polon. Rex ſupradictam ſponſionem acceptat & approbat. ——

Literae Conſiliariorum Ducatus Pruſſiae & univerſae Nobilitatis & Civitatum, ad S. R. M. in negotio Feudi datae. ——

Deſcriptio, quo ordine Feudum Illuſt. Ioanni Sigismundo March. & Electori Brandeburg. collatum.

Diploma S. R. M. pro Inveſtitura Ducatus Pruſſiae, Illuſtriſſ. Ioanni Sigismundo Marchioni & Electori Brandeb. & tribus ejus Fratribus ſimultaneo jure Feudi conceſſa. ——

Tranſumptum proteſtationis Nuncii Apoſtolici circa praeſtitum per Elect. Brandeb. ratione Ducatus Pruſſiae homagium, de juribus in eo Ducatu S. Pontificibus & Eccleſiae. ——

Tranſumptum plenipotentiae Internuntiorum Marchionum Brandeburgenſium ad contactum Vexilli. ——

Diploma Sigismundi III. Pol. Regis, quo Joannes Georgius, Erneſtus & Chriſtianus Marchiones Brandeb. ad ſimultaneam Inveſtituram Ducatus Pruſſiæ admittuntur. ——

Reſponſum S. R. M. datum Magnificis, Generoſis & Nobilibus Abrahamo a Dhona Baroni & Burgrabio, Ioanni Truchſes & Ioachimo Hubnero, Illuſtriſſ. Princ. D. Marchionis Brandeb. in Pruſſia Ducis Oratoribus. ——

Inſtrumentum Commiſſionis S. R. Maj. in Pruſſiam. 1612.

Sigismundus III. Pol. Rex promittit juribus Ducatus Pruſſiæ per Inveſtituram, Electoribus Brandeb. datam, nihil derogatum iri, quamvis Nuntii Ordinum non adfuerint. ——

Tranſumptum Literarum Ioan. Sigismundi Elect. Brand. quibus promittit navigationem fluvii Warthæ facilitatum iri. ——

Oblatæ Literarum, quibus aſſignatur ſtipendium pro Parocho Eccleſiæ in ſuburbio Sackheimiano Regiomontano extructæ. ——

Literæ Reverſales, DD. Commiſſariis Regni Pol. ab Ordin. Ducat. Pruſſiæ datæ. ——

Formulæ Iuramentorum S. R. M. & Illuſt. Electori præſcriptorum, ex præſcripto Dominorum Commiſſariorum. ——

Cautio DD. Commiſſariorum cauſa Marchionum Franconicorum.

INDEX CHRONOLOGICUS.

1612. *Recognitio de acceptis Literis reverſalibus ab Ordinibus Ducatus Pruſſiæ.*

— *Receſſus Commiſſionis Regiomontanæ.*

— *Confirmatio Commiſſionis Regiom. S. R. M.*

1613. *R. Majeſtas concedit Regiomontanis foſſam fodere ad facilitandam navigationem ex Lithuania.*

1614. *Decretum Sigismundi III. Pol. Regis de Appellationibus incolarum Pruſſiæ ad Iudicia S. R. M. Relationum.*

1621. *Tranſumptum Literarum Georgii Vilhelmi, quibus conditiones Feudi Pruſſiæ approbantur.*

— *Diploma Sigismundi III. Pol. Regis, quo Feudum Ducatus Pruſſiæ Georgio Vilhelmo confertur.*

— *Cautio S. R. M. de corrigendo defectu in Diplomate præcedenti.*

1639. *Oblata Literarum confirmationis generalis jurium Civit. Elbingenſi ſervientium.*

1641. *Diploma Vladislai IV. Pol. Regis, quo Friderico Vilhelmo Inveſtitura in Ducatum Pruſſiæ confertur.*

1649. *Confirmatio jurium Ducalis Pruſſiæ.*

— *Confirmatio Privilegii Sereniſſ. olim Vladislai IV. Civitati Elbingenſi ſuper bona in eadem Civitate vacantia, & absq; hærede derelicta.*

— *Confirm. feudi Frid. Guilhelmo Duci Pruſ.*

1656. *Pacta inter Carolum Guſtavum Sueciæ Regem & Fridericum Vilhelmum Electorem Brandeb. quibus hic Ducatum Pruſſiæ pro Feudo Regni Sueciæ recognoſcit.*

— *Fœdus inter Eosdem contra quosvis, tam in terris eorum propriis, quam in illis, quas ſibi in Polo. appropriaverant, militantes.*

— *Excerptum Fœderis inter Carolum Guſtav. Sueciæ Regem ab una, & Belgium Fœderatum parte ab altera concluſi.*

— *Fœdus inter Carolum Guſtav. & Frideric. Vilhelmum, quo Pacta feudalia abolentur, atque Domui Brandeb. abſolutum in Ducatu Pruſſiæ dominium attribuitur.*

— *Dilucidatio quorundam Articulorum in præmiſſo fœdere contentorum.*

1657. *Fœdus perpetuum, quo Domui Brand. Ducat. Pruſſiæ in ſupremum & abſolutum, certis conditionibus, dominium ceditur.*

— *Specialis Conventio inter Pol. Regem & Brandeb. Marchionem de conjungendis armis ad expurgandam quibusvis hoſtibus Poloniam, Pruſſiamq; Regiam & Ducalem per eosdem Plenipotentiarios, iisdem loco, anno & tractata & concluſa.*

— *Confirmatio Pactorum Velav. ubi quoque Præfecturæ Bytow & Lavenburg Duci Pruſſiæ in feudum conferuntur, atq; Elbinga cum territorio in poſſeſſion. ceditur.*

— *Literæ Ioan. Caſimiri Pol. Regis, quibꝰ de ſubſidio bellico ſibi invicem per decennium dando cum Duce Pruſſiæ convenitur, eiq; Præfectura Drahim. ceditur pro 120000 Tal. Imper.*

Cautio juris in Ducalem Pruſſiam Illuſtriſ. Principi D. Chriſtiano Wilhelmo Marchioni Brandeburgenſi. 1657.

Exemptio incolarum Ducalis Pruſſiæ a priori juramento. —

Reverſales Electoris Brandebur. Friderici Vilhelmi Regi Pol. traditæ, quod ſolutis ſibi a Rege & Regno Pol. 400000. Talerorum Imper. Urbem Elbingam retradere debeat. —

Formulæ jurisjurandi, qua tam a Rege & Electore, quam a Senatoribus Pol. omnia Pacta præmiſſa confirmata ſunt. —

Puncta 2. ex Tractatu Leopoldi Hung. & Bohemiæ Regis, atq; Friderici Vilhelmi Elect. Brand. Poloniam concernentia. 1658.

Approbatio per Leſzczynium Poſnanienſ. Palatinum, nomine Regis Pol. facta. —

Declaratio, quod pax Olivenſis juribus Ducis Pruſſiæ, præcipue quoad traditionem Elbingæ, nocere non debeat. 1660.

Ratificatio ejusdem Art. per Ordines Reip. —

Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis privilegium Civit Gedan. conceſſum, de commercio libere in Anglia ejusdemque portubus exercendo. 1661.

Literæ Ioan. Caſimiri Regis Pol. ad Electorem Brandeb. de cauſis dilatæ reſtitutionis ſummæ Elbingenſis & Drahimenſis. 1667.

Renovatio Feudi ſuper Lavenb. & Bytaw. 1670.

Oblata renovationis Pactorum cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico. 1672.

Oblata recognitionis Feudi ſuper Præfecturas Lavenburg. & Bitovienſ. 1677.

Oblata ratificationis Pactor. Velav. & Bydgoſtien. ſub Ioanne III. Rege Pol. 1688.

Renovatio recognitionis Feudi ſuper Præfecturas Lavenburg. & Bytovienſem. 1698.

Literæ ad Ser. & Pot. Polon. Regem ac M. Ducem Lith. a Seren. Electore Brandeb. datæ de occupatione Urbis Elbingæ. —

Literæ ejusdem ad Cardinalem Primatem, ut & ad ſingulos Senatores Regni Pol & M.D.L. Elbing. occupatam concernentes. —

Reſponſum Regis Pol. ad Electorem Brandeburg. in cauſa Elbingenſi. —

Declaratio Conſilii Varſavienſis ſuper negotio Elbingenſi. 1699.

Statuta Commiſſionis Elbingenſis. 1700.

Literæ Regis Pol. ad Electorem Brandeb. auxilium contra Svecos petentis. —

Aliæ Regis Pol. ad Electorem Brand. Literæ circa tranſitum militiæ Maj. ſuæ. —

Reverſales Reipubl. Pol. ab Electore Brandeb. datæ, quod Regalis, quem aſſumſit Titulus nullum Reip. adferet præjudicium. —

Declaratio Electoris Brandeb. Polonis ratione Regni Boruſſiæ facta. 1701.

Confirmatio generalis jurium Terrarum Pruſſiæ. 1734.

Confirmatio Privilegii omnibus minoribus Civitatibus Pruſſiæ ſervientis. 1739.

)o(

PRIVILEGIVM.

AVGVSTVS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector.

Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Omnes quidem bonarum Artium, Literarumque Cultores, præſertim vero eos, quorum ſtudia ad publicam Patriæ utilitatem collimant, ſingulari complectimur benevolentia. Cum igitur cura & labore Religioſorum Scholarum Piarum præparatur luci publicæ Codex Diplomaticus Regni Poloniæ, ſeu Collectio omnium Tractatuum Regni cum Exteris: decere bonitatem & æquitatem Noſtram duximus: ut intentionem & induſtriam Auctoris egregiam, Opusque ipſum pro uſu, & commodo publico non utile duntaxat, verum & maxime neceſſarium diſerto Gratiæ & Benevolentiæ Noſtræ proſequeremur teſtimonio: illudque Typis publicis quantocius mandari non modo libenter concederemus, ſed quod rei præſtantia a Nobis expoſcit, etiam optaremus; prout quidem proſequimur, concedimus, atque optamus præſentibus Literis Noſtris. Edicentes, atque prohibentes, ne quiſpiam alius, qui non ſit ex prælibato Scholarum Piarum Inſtituto, Opus ſimilis Argumenti & Materiæ, idque ſive in toto, ſive in parte, Typis publicis excudere audeat, tam in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Litvaniæ, annexisque Provinciis, quam in reliquis Dominiis & Ditionibus Noſtris Hæreditariis, ſub mulcta mille Aureorum Hungaricalium, cæterisque pœnis, contra convulſores Mandatorum Noſtrorum Lege publica ſancitis. Quod omnibus, quorum intereſt, præſertim vero ordinariis Librorum Cenſoribus & Typographis ad notitiam deducentes, mandamus, quatenus præmiſſa & ipſi obſervent, & ab aliis obſervari faciant, ſub pœnis ſimilibus contra ſe extendendis, & pro Gratia Noſtra Regia. In quorum fidem Præſentes Manu Noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni communiri juſſimus. Dat. Varſaviæ die X. Menſis Decembris Anno Domini MDCCLIV. Regni vero Noſtri XXII. Anno.

AVGVSTVS Rex.

JOANNES KLOSSOWSKI *Canonicus Cathedralis Premislienſis, Sac. Regiæ Majeſtatis Sigilli Regni Secretarius. mppr.*

ATTE-

ATTESTATIO ILLVSTRISSIMORVM DD. COMMISSARIORVM.

Nos infraſcripti teſtatum eſſe volumus, quod, cum apertio Archivi Regni vigore Reſultatorum Senatus Conſiliorum Cracoviæ ſubſecuta eſſet, & A. R. P. Mathias Dogiel copiam Inſtrumentorum Originalium ſibi factam haberet, Exemplaria eorundem Inſtrumentorum Originalium ſumma fide confecit, Nobisque præſentibus eadem Exemplaria cum ſuis Originalibus diligentiſſime, ſummaque fide contulit, quibus Exemplaribus, quod eadem fides, ac ipſis Monumentis Originalibus haberi debeat, præſens teſtimonium manibus noſtris ſubſcripſimus, & Sigillis noſtris munivimus. Dat. Cracoviæ die 4. Octobr. 1755.

Georgius Antonius Mieroſzewſki Canon. Cath. Crac. Cuſtos Coron. Reg. mppr. (L.S.)

Petrus Cœleſtinus de Roxyce Zapolſki Tribunus Terræ Cernenſis, Caſtrenſis Ravenſis, ac Supremus Theſauri Notarius, ab Illuſtriſſimo, Magnifico, Supremo Regni Theſaurio delegatus. mppr. (L.S.)

Mathias Franciſcus in Boguty Bogucki Vice-Notarius Juratus Caſtrenſis Cracovienſis, ab Illuſtriſſimo Magnifico Vexillifero Regni, Capitaneo Cracovienſi, ad hunc Actum delegatus. mppr. (L.S.)

APPRO-

CODEX
DIPLOMATICVS
REGNI POLONIAE
ET
MAGNI DVCATVS LITVANIAE.

PRVSSIA.

I.

ANNO 1212. INNOCENTII III. *Papæ ad Duces Poloniæ & Pomeraniæ Epiſtola, qua eos monet, ne Pruſſis ad fidem converſis onera ſervilia imponant.* Datum Signiæ Idib. Auguſt. Pontificatus Anno decimo quinto. *

Nobilibus Viris Ducibus Poloniæ & Pomeraniæ.

Licet, teſte Apoſtolo, impoſſibile ſit Deo ſine fide placere, ad placendum tamen ei fides ſola non ſufficit, ſed caritas eſt præcipue neceſſaria, de qua idem teſtatur Apoſtolus: quod ſi quis linguis hominum, & Angelorum loquatur, & ſi habeat omnem fidem, ita ut montes transferat, & in cibos pauperum omnes ſuas diſtribuat facultates, caritatem autem non habeat, ei penitus nihil proſit. Cum autem hæc exercenda ſit ſollicite erga omnes, utpote mandatum Domini latum nimis, quod etiam ad inimicos extenditur, circa eos tamen, qui nuper relicto gentilitatis errore ad cognitionem veritatis, quæ Chriſtus eſt, pervenerunt, eo debet propenſius exerceri, quo facilius retro aſpicerent inhumane tractati. Hoc utique quidam veſtrum, ſicut accepimus, minime attendentes, & quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti, quam cito intelligunt, aliquos e gentilibus per Pruſſiam conſtitutis novæ regenerationis gratiam ſuſcepiſſe, ſtatim oneribus eos ſervilibus aggravant, & venientes ad Chriſtianæ fidei libertatem deterioris conditionis efficiunt, quam eſſent, dum ſub iugo ſervitutis priſtinæ permanſerunt, per hoc multorum impedientes ſalutem, qui fuerant credituri, & temporale commodum Angelorum gaudiis præferentes, qui ſuper pœnitentiam agentibus gloriantur. Ideoque Univerſitatem Veſtram monendo rogamus, & exhortamur in Domino, per Apoſtolica Vobis ſcripta mandantes, quatenus intuitu eius, qui venit ſalvum facere, quod perierat, & ANNO 1212.

* Epiſt. INNOCENTII III. Edit. Baluz. Tom. 2. fol. 669.

Anno 1212. dare animam ſuam redemptionem pro multis, huiusmodi novellæ plantationis Filios non gravetis, ſed agatis tanto clementius cum eisdem, quanto memoria priſtinæ converſationis infirmi facilius in antiquum relaberentur errorem, cum veteres utres vix novum vinum contineant iuxta Evangelicam veritatem. Nos enim Venerabili Fratri noſtro H. Gneſnenſi Archiepiſcopo noſtris damus litteris in mandatis, ut tales foveat propenſius propter Deum, & defendat eosdem a moleſtiis indebitis, & preſſuris, oppreſſores eorum indebitos monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam, ſublato appellationis impedimento, compeſcens. Datum Signiæ Idibus Auguſti, Pontificatus noſtri anno decimo quinto.

II.

1222. Conradi *Ducis Maſoviæ & Cuiaviæ Literæ, quibus partem Territorii Culmenſis, cum ſuis Caſtris & Villis: item alias centum Villas* Christiano I. *Pruſſiæ Epiſcopo donat.* Actum Lovicii Anno 1222. Non. Aug. *Ex Archivo Regni.*

Ego Conradus Dux Maſoviæ & Cuiaviæ notum facio omnibus fidelibus tam præſentibus, quam futuris, quod Venerabili Domino Christiano Epiſcopo Pruſſiæ primo, & ſuis Succeſſoribus, pro eo, quod H.Ducem Sileſiæ LL. Wratiſlavienſem, & L. Lubuſzenſem, Epiſcopos cruce ſignatos, & eorum Barones, cæterosque cruce ſignatos verſus Pruſſiam, ad petitionem meam, meorumque Baronum, Caſtrum Culmenſe, per multos annos a Prutenis deſtructum, & totaliter deſolatum, reædificare cum eius bona voluntate permiſit; partem prædicti Culmenſis Territorii, quondam Caſtra Grudenc, Wabſko, Koprywno, Wilczylas, Colno, Ruck, Kyſzyn, Głębokie, Turno, Pin, Plotch, cum omnibus eorum villis, & attinentiis, cum utilitate libera, & cum iure Ducali in remiſſionem peccatorum meorum liberrime donavi, dedi etiam ſibi in eodem Dominio Culmenſi centum villas ac poſſeſſiones, & hæreditates cum eorum attinentiis, iure prædictorum Caſtrorum, quarum poſſeſſionum, & villarum, villas iſtas ad præſens confero, videlicet Coſelko, Naorſine, Mirſche, Harneſe, Bolmuno, Oſtromeres, & omnes villas, quas Comes Syro circa Culmen habuit, Samek, Reniz, Croſcino, Paſceno, Wetzwino, Wnyſlaw, Benkono, Glonino, (Glomno) Polanſche, Nenaugenez, Nedalyno, Crobno, Tuſeph, Kelz, Dambens, Selnovis, Poſtolko, Pomzmo, Duc, Pojeſib, Ceredche, Unizhe, Parchenne, Gelez, Gleſzowar, Oſtrowick, omnesque hæreditates meas circa Loram, cum earum attinentiis, uſque ad centum hæreditates in Culmenſi Terra, cum omni libertate contuli. Ut autem prædicti Epiſcopi Pruſſiæ ad reædificandum Caſtrum Culmen. bona voluntas, ac conſenſus accederet, Reverendus Dominus Gechko *, Epiſcopus Plocenſis, cum ſuo Capitulo de Carnowo & Papowo, & de omnibus villis, & poſſeſſionibus, & de omni iure tam ſpirituali, quam temporali, quod idem Epiſcopus, & ſuum Capitulum in prædicto Culmenſi Dominio olim habuerunt, videlicet ab eo loco, ubi Drewanza de Pruſſia egreditur, iuxta terminos Pruſſiæ in Oſſam, & ſic inferius per Oſſam in Viſlam, & ſic per Viſlam ſurſum ad Drewanzam, & ſic per Drewanzam ſurſum ad locum, ubi Drewanza egreditur de Pruſſia, ad Epiſcopatum ſæpe dicti Epiſcopi reſignarunt. Anno 1222.

Præterea autem in Caſtro Culmenſi Curiam propriam, & quicquid ad Dominium Culmenſis Territorii pertinet, exceptis bonis prædictis, quæ ſupra dictus Epiſcopus Pruſſiæ ibi habet, aut in poſterum quocunque iuſto modo, aut emptione, aut fidelium donatione habiturus eſt, quicunque Terram Culmenſem habuerit, omnes proventus ipſius Terræ cum Epiſcopo Pruſſiæ dimidiabit. Inſuper decimam temporalium de parte ſua Epiſcopo Pruſſiæ dabit, excepto Duce Sileſiæ H. qui faciet cum Epiſcopo, ſecundum quod iis duobus viſum fuerit expedire. Ne itaque mea, & ſupradicti Epiſcopi Plocenſis, & ſui Capituli donatio in poſterum, quod abſit, duci poſſit in irritum, ipſam præſentis ſcripti atteſtationem tam mei Sigilli, quam etiam Plocenſis Epiſcopi, & ſui Capituli, nec non Illuſtrium Ducum L. L. Poloniæ, & H. Ducis Sileſiæ, & Venerabilium Patrum V. Gneſnenſi Archiepiſcopo conſentiente, J. Cracovienſ. P. Poznanſ. V. Wratiſlavienſi, L. Lubuſzenſi, M. Cujaviæ, eorum Sigillorum impreſſione, dignum duxi roborare. Imo & aliis teſtibus ſubnotatis: Gotthardo Cancellario Maſoviæ, Nicolao Cancellario Cracovienſi, Arnoldo Maſoviæ, Marco Cracov. Jacobo Sandomiriæ, Birſcone Wratiſlaviæ Palatinorum: Pacoſlao Cracov. Miſtwino Sandomiriæ, Oſtaſio Wiſliciæ, Cle-

* Gedeon. vid. Cromer, libr. 7. de orig. & rebus geſt. Polon.

ANNO 1222. Clemente Plocinenſ. Theodoro Cruſwic. Stephano Poleſlav. Petricone Lenciniæ Caſtellanorum. Acta ſunt hæc in Lonyſ* Anno ab Incarnatione MCCXXII. Nonis Auguſti, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto.

III.

1223. HONORIUS III. *Papa donationem* CONRADI *Ducis Maſoviæ Epiſcopo Pruſſiæ factam confirmat.* Dat. Lateran. XIV. Kal. Maji, Pontificatus anno ſeptimo. *Ex Archivo Regni.*

HONORIUS III. Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabili Fratri Epiſcopo Pruſſiæ Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum a Nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id pro ſollicitudine officii, ad debitum perducatur effectum. Ex litteris ſane tam Nobilis Viri CONRADI Maſoviæ, & Cujaviæ Ducis, ac Venerandi Fratris noſtri Guthko Epiſcopi, & dilectorum Filiorum Capituli Plocenſis, quam aliorum plurium Epiſcoporum & Nobilium Sigillis munitum accepimus, quod cedentibus tibi prædictis Epiſcopo, & Capitulo decimas & omnia iura ſpiritualia cum poſſeſſionibus, quæ in Terra Culmenſi, ut dicitur, obtinebant, idem Dux Terram eandem cum quibusdam villis conſiſtentibus in eadem Culmenſ. videlicet, Mirſche, Harneſe, & Bolemino, nec non Caſtra Grodzancz, Wabſk, & Cobrinen, ac poſſeſſiones villarum ſcilicet Kyſin, & Plot ab omni exactione libera, cum ſuis pertinentiis, tibi & per te Eccleſiæ tuæ, ac tuis ſucceſſoribus contulit intuitu pietatis; Nos ergo tuis iuſtis precibus inclinati, Terram, Caſtra, & alia ſupradicta, ſicut ea omnia, iuſte, canonice, & pacifice poſſides, & in prædictis litteris plenius continetur, tibi, per te ipſi Eccleſiæ, ac tuis ſucceſſoribus auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Laterani XIV. Kalendas Maji Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

* Lovicii vid. Cromer. loc. cit.

IV.

FRIDERICI II. *Romanorum Imperatoris Diploma, quo donatio Terræ Culmenſis a* CONRADO *Duce Maſoviæ & Cujaviæ Hermanno a Saltza promiſſa confirmatur, eidemque poteſtas conceditur, Terram Pruſſiæ cum omnibus ſuis pertinentiis, oppugnandi, ipſaque acquirenda Terra dicto Hermanno, ſuiſque Succeſſoribus cum omnibus Regalibus confertur.* Datum Ariminæ Anno Domini 1226. *Ex Originali.* ANNO 1226.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen.

FRIDERICUS Secundus, Divina clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem, & Siciliæ Rex. Ad hoc Deus Imperium noſtrum præ Regibus orbis terræ ſublime conſtituit, & per diverſa mundi climata noſtræ ditionis terminos ampliavit, ut ad magnificandum in ſæculis Nomen eius, & fidem in gentibus propagandam, prout ad prædicationem Evangelii Sacrum Romanum Imperium præparavit, ſollicitudinis noſtræ cura verſetur, ut non minus ad depreſſionem, quam ad converſionem gentium intendamus, illius proviſionis gratiam indulgentes, per quam viri catholici, pro ſubiugandis barbaris nationibus & divino cultui reformandis, inſtantiam diuturni laboris aſſumant, & tam res, quam perſonas indeficienter exponant. Hinc eſt igitur, quod præſentis ſcripti ſerie notum fieri volumus, modernis Imperii, & poſteris univerſis, qualiter Frater Hermannus, Sacræ Domus Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Hieruſalem Venerabilis Magiſter, Fidelis noſter, devotam animi ſui voluntatem attentius referando propoſuit coram Nobis, quod devotus noſter CONRADUS Dux Maſoviæ & Cujaviæ promiſit, & obtulit ei providere, & Fratribus ſuis, de terra, quæ vocatur Culmen, & in alia terra, inter Marchiam ſuam videlicet, & confinia Prutenorum, ita quidem, ut laborem aſſumerent, & inſiſterent opportune, ad ingrediendum, & obtinendum terram Pruſſiæ, ad honorem & gloriam veri Dei: quam promiſſionem recepiſſe diſtulerat, & Celſitudinem noſtram ſuppliciter implorabat, quod ſi dignaremur annuere votis ſuis, ut authoritate noſtra fretus inciperet aggredi,

ANNO 1226. & proſequi tantum opus, & ut noſtra ſibi, & Domui ſuæ concederet, & confirmaret Serenitas tam terram, quam prædictus Dux donare debebat, quam totam terram, quæ in partibus Pruſſiæ per eorum inſtantiam fuerit acquiſita; & inſuper Domum ſuam immunitatibus, libertatibus, & aliis conceſſionibus, quas de dono terræ Ducis præfati, & de Pruſſiæ conquiſitione petebat, noſtræ munificentiæ Privilegio muniremus, ipſe oblatum donum dicti Ducis reciperet, & ad ingreſſum, & conquiſitionem terræ, continuis & indefeſſis laboribus bona Domus exponeret, & perſonas. Nos igitur attendentes promptam & expoſitam devotionem eiusdem Magiſtri, qua pro terra ipſa ſuæ Domui acquirenda ferventer in Domino æſtuabat, & quod terra ipſa ſub Monarchia Imperii eſt contenta, confidentes quoque de prudentia Magiſtri eiusdem, quod homo ſit potens opere, & ſermone, & per ſuam, & ſuorum Fratrum inſtantiam potenter incipiet, & conquiſitionem terræ viriliter proſequetur, nec deſiſtet inutiliter ab inceptis, quemadmodum plures multis laboribus in eodem negotio fruſtra tentatis, cum viderentur proficere, defecerunt, autoritatem eidem Magiſtro conceſſimus, terram Pruſſiæ cum viribus Domus, & totis conatibus invadendi, concedentes & confirmantes eidem Magiſtro, Succeſſoribus eius, & Domui ſuæ in perpetuum, tam prædictam terram, quam a præſcripto Duce recipiet, ut promiſit, & quamcunque aliam dabit, nec non totam terram, quam in partibus Pruſſiæ conquiret, Domino favente, velut vetus, & debitum ius Imperii in montibus, planicie, fluminibus, nemoribus, in mari, ut eam liberam ab omni ſervitio & exactione teneant, & immunem, & nulli reſpondere proinde teneantur. Liceat inſuper eis de conceſſione noſtra per totam terram conquiſitionis eorum, ſicut acquiſita per eos, & acquirenda fuerit, ad commoda Domus, paſſagia, & thelonea ordinare, nundinas, & fora ſtatuere, monetam cudere, talliam, & alia iura taxare, directorium per terram, in fluminibus, & in mari, ſicut utile viderint, ſtabilire, fodinas, mineras auri, argenti, ferri, ac aliorum metallorum, ac ſalis, quæ fuerint & invenientur in ipſis terris, poſſidere perenniter, & habere. Concedimus inſuper eis Judices, & Rectores creare, qui ſubiectum ſibi populum, tam eos videlicet qui converſi ſunt, quam omnes alios in ſua ſuperſtitione degentes, iuſte regant, & dirigant, & exceſſus maleficiorum animadvertant & puniant, ſecundum quod ordo exegerit æquitatis. Præterea civiles & criminales cauſas audiant, & dirimant ſecundum calculum rationis. Adjicimus inſuper ex gratia noſtra, quod idem Magiſter, & Succeſſores ſui iuriſdictionem, & poteſtatem illam habeant, & exerceant in terris ſuis, quam aliquis Princeps Imperii melius habere dinoſcitur in terra ſua, quam habet, ut bonos uſus & conſuetudines ponant, aſſiſias faciant, & ſtatuta, quibus & fides credentium roboretur, & omnes eorum ſubditi pace tranquilla gaudeant, & utantur. Cæterum auctoritate præſentis Privilegii prohibemus, ut nullus Princeps, Dux, Marchio, Comes, Miniſterialis Scultetus, Advocatus, nullave perſona ſublimis, vel humilis, eccleſiaſtica, vel mundana, contra præſentis conceſſionis, & confirmationis noſtræ paginam audeat aliquid attentare, quod qui præſumpſerit, pœnam mille librarum auri ſe noverit incurſurum, quarum medietas Cameræ noſtræ, reliqua paſſis iniuriam perſolvetur. Ad huius itaque conceſſionis, & confirmationis noſtræ memoriam, & ſtabilem firmitatem, præſens Privilegium fieri, & Bulla aurea typario noſtræ Maieſtatis impreſſa, fecimus communiri. Huius rei teſtes ſunt Magdeburgen. Ravenen. Turen. Panormitanus, & Reginus Archiepiſcopi: Bononienſis, Ariminenſis, Ceſanus, Mantuanus & Tortoſanus, Epiſcopi: Saxoniæ, & Spoleti Duces: Marchio de Monte Ferrato, Salingirra de Ferraria, Henricus de Schwartzburg, Guntherus de Keverenburg, Vuernherus de Kyburg, Albertus de Habſpurg, Ludovicus & Hermannus de Froburg, & Thomaſius de Acerris Comites, Albertus de Arnſtein, Gotfridus de Hohenloe, Rucardus Marſcalcus, & Ricardus Camerarius Imperialis Aulæ, & alii quam plures. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo viceſimo ſexto, Menſe Martii, decima quarta Indictione, imperante Domino FRIDERICO Dei Gratia Sereniſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hieruſalem & Siciliæ Rege, Romani Imperii eius Anno ſexto, Regni Hieroſolimitani primo feliciter Amen. Datum Ariminæ, Anno, Menſe & Indictione præſcriptis.

V.

Donatio Terræ Culmenſis, & Villæ Orlaw a CONRADO *Duce Maſoviæ Hoſpitali S. Mariæ Do-*

Anno 1228. *Domus Teutonicorum facta.* Dat. in Breſze Anno 1228. IX. Kal. Maji *Ex Original. ſub Sigill. 3.*

In Nomine Domini Amen.

Nos Conradus Dux Maſoviæ & Cujaviæ notum facimus tam præſentibus quam futuris, quod Hoſpitali S. Mariæ Domus Teutonicorum Fratrum Jeruſalem, pro ſalute animæ noſtræ, & Parentum noſtrorum, Terram Culmenſem cum omnibus attinentiis ſuis, tam in aquis, quam in agris & nemoribus nihil utilitatis Nobis reſervantes, vel in futurum ſperantes, & villam Orlaw nuncupatam, in Cujavia iacentem, contulimus in perpetuam proprietatem integraliter poſſidendam, omnium Hæredum noſtrorum accedente conſenſu. Sed ne vetuſtas mater oblivionis hanc donationem poſſit in poſterum perturbare, hanc paginam Sigillis noſtro, & Fratrum noſtrorum, omnium Ducum Poloniæ, nec non Epiſcoporum, & Teſtium, qui prædictæ donationi interfuerunt, ſubſcriptione duximus roborare. Quorum hæc nomina ſunt: Dominus Michaël Cujavienſis Epiſcopus, Dominus Guntherus electus Plocenſis Epiſcopus, Comes Arnoldus Palatinus Cujav. Comes Cethegus Zechæus Judex Curiæ, Stephanus Frater eius, Comes Thomas Caſtellanus Breſcenſis, Comes Golutz, Comes Andreas, Comes Mauricius Venator, Albertus Frater eius, Comes Portreck Agazo, Comes Thomas, Comes Krinozudus, Crimiſlaus Frater eius, Joannes Subcamerarius, Albertus Subagazo, Ziros Subpincerna. Nicolaus Ceſim Ztralk, Boguſlaus Bogunidus, Boguſlaus, Dominus Gregorius Subcancellarius, Jacobus Presbyter, Nicolaus Niculț, Anshelmus &c. Datum in Breſze Anno Incarnationis Dominicæ 1228. Nono Kal. Maji.

VI.

Christiani I. *Pruſſiæ Epiſcopi donatio decimarum in Territorio Culmenſi Ordini Teutonico facta.* Actum Anno 1228. quinto Nonas Maji. *Ex Archivo Regni.*

In Nomine S. & Individuæ Trinitatis.

Ego Christianus, Divina miſeratione primus Prutenorum Epiſcopus, notum facio univerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod contuli Militibus de Domo Teutonica pro defenſione Chriſtianitatis, decimam in Territorio Culmenſi, in iis bonis, quæ Dux Conradus Maſoviæ & Cujaviæ dictis Militibus, ſalvo iure noſtro, licite conferre potuit. Acta ſunt autem hæc Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo octavo, quinto Nonas Maji, in Domo Ordinis Ciſtercienſis, quæ vocatur Clara Tumba, præſentibus P. Abbate, primo eiusdem loci Priore, & Conventu, & Fratribus de Domo Teutonica, Philippo de Halle, & Heinrico Boëmo, Conrado Monacho, Legatis Pruſſiæ. Anno 1228.

VII.

Conradus *Dux Maſoviæ Caſtrum Dobrzyn cum ſuo Territorio Magiſtro Militum Pruſſiæ contra Prutenos more Livonienſi militaturo donat.* Actum in ripa fluminis Viſla IV. Non. Iulii Anno 1228. *Ex Originali Sigill. 4.*

In Nomine Domini Noſtri JESU Chriſti Amen.

Notum ſit omnibus præſentem Litteram inſpecturis: Quod Ego Conradus Dux Maſoviæ & Cujaviæ, Filiis meis Boliſlao, Caſimiro, Semovito, bona, ac ſpontanea voluntate conſentientibus, intuitu Dei, & ſalvationis animæ meæ, & Provinciæ Maſoviæ, contuli Magiſtro Militum Pruſſiæ, & Fratribus eius militaturis contra Prutenos more Livonienſi, Caſtrum Dobrin cum ſpatio Terrarum, quæ continentur inter hos duos rivulos Camenicam, & Culmenicam, uſque in Pruſſiam, hæreditarie, ſub pleno Jure libertatis ab eo, & ſucceſſoribus eorum perpetuo poſſidendum, cum parte Villæ, quæ vocatur Qwercz inter Viſtulam & villam Siedlce conſtitutæ ante Junivladiſlaviam; Abſolvi etiam eos ab omni ſolutione teloneorum, ubicunque pertranſierint, ſive per terram, ſive per aquam. Statuimus etiam, quod nullus habeat ius iudicandi in habitatores earundem terrarum, niſi iidem Fratres, excepta tantum FamiliaDucis. Ego quoque Guntherus, electus Eccleſiæ Maſovienſis, cum conſenſu Fratrum meorum ceſſi eiſdem Fratribus de Villa Eccleſiæ meæ in Dobrin, & cum Inſula magna ei pertinenti. Ceſſi quoque eis de decimis ſupra dictarum Terrarum, quas excoluerint Viri linguæ Teutonicæ. Exceptis duntaxat cultoribus Polonis. Nos quoque Canonici Eccleſiæ Vladiſlavienſis pro Cambio, quod Dux Conradus Nobis fecit, ceſſimus Fratribus de omni iure,

Anno quod habebamus in Villa Wiſzyn. & e-
1228. ius attinentiis. Acta ſunt hæc publice in ripa fluminis dictæ Wiſlæ, contra Civitatem Plocko, Anno Incarnationis 1228. menſe Julio, quarto Nonis eiuſdem menſis, Feſto Vdalrici eo die occurrente. Teſtes vero huius facti ſunt: Michael Epiſcopus Cuiavienſis, Micul Archidiaconus, Magiſter Joannes Dobroſlaus, Magiſter Petrus, Canonici Plocenſis Eccleſiæ. Gotthardus Cancellarius, Gregorius Subcancellarius, Joannes Abbas B. Adalberti Plocenſis, Wenceſlaus Abbas, Gerhardus Præpoſitus, Petrus Prior Cirvenſis Eccleſiæ, Boguſſa (Boguſlaus) Palatinus Mazoviæ, Comes Arnoldus, Cethegus Judex, Abraham Pincerna, Martinus Dapifer, Vitus Caſtellanus de Płonſk, Matthæus Caſtellanus de Raciąz, Seguła Dapifer, Barta (Bartholomæus) Succamerarius, Adalbertus Caſtellanus antiquæ Vladiſlav. & alii Nobiles quam plures. Ne vero aliquis in poſterum contra has donationes rite celebratas aliquatenuns venire præſumat, formam ipſarum conſcribi, & Sigillorum noſtrorum de communi conſenſu, auctoritate fecimus corroborari.

VIII.

1230. Christianus I. *Epiſcopus Pruſſiæ transfert in Fratres Ordinis Teutonici omnes donationes a* Conrado *Duce Maſoviæ, & ab Eccleſia Plocenſi ſibi factas.* Actum Anno 1230.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Amen.

Ego Christianus primus Pruſſiæ Epiſcopus, notum eſſe volo univerſis præſens ſcriptum inſpecturis, quod propter Deum, & ob defenſionem Sacroſanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ, heu! iam pene in partibus illis depopulatæ a Paganis, videlicet Territorio Culmenſi Fratribus de Domo Teutonica, quicquid habui, dati mihi a Duce Conrado, vel ab Eccleſia Plocenſi, vel empti, libere contuli, ut ipſi mihi, omnibus meis Succeſſoribus ſint parati, contra Paganos pugnaturi. Ipſi vero mihi in eodem Territorio iam ſupra dicto contulerunt de omni aratro unam menſuram tritici, & aliam ſiliginis, & ducenta aratra, & quinque hologia, unumquodque de quoquo aratro, cum omni utilitate. Teſtes autem huius donationis & promiſſi: Henricus Abbas de Lugna, Frater H. Sacerdos, Frater H. converſus, Fratres Milites Chriſti, Andreas Gœtz, cæterique quam plures, Alexander Sacerdos, Cives Albertus Scultetus, Mauricius, Anno
Hildebrand, & quam plures. Et ut 1230.
hæc permaneant inconvulſa, Sigillorum noſtrorum præmunivimus appenſione. Acta Incarn. Domini MCCXXX.

IX.

Procuratores Chistiani I. *Epiſcopi Pruſſiæ teſtantur donationem ab Eo Fratribus Ordinis Tentonici, factam eſſe conditionibus intro contentis.* Actum Vladiſlaviæ Anno 1230. *Ex Archivo Regni.*

In Nomine Domini Amen.

Ego Frater Henricus, dictus Abbas de Lugna, & ego Frater Joannes dictus Abbas de Linda, univerſis Chriſti Fidelibus, præſentibus ac futuris notum facimus, quod cum Ven. Pater Christianus D. G. Pruſſiæ Epiſcopus operam daret omnimodam, ut Pagani, qui nimis invaluerant in partibus Pruſſiæ, extirparentur, zelo fidei & Eccleſiæ S. ductus, terram, quam in Culmenſi Territorio, tum per titulum emptionis, tum per collationem Conradi Ducis Cuiaviæ, Lenciciæ, & Maſoviæ, tum per conſenſum Venerabilis Patris Epiſcopi, & Capituli Plocenſis, pleno Jute, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus legitime, & rationabiliter fuerat adeptus, Viris Religioſis Fratribus Domus Teutonicae, nobis mediantibus, & pro poſſe noſtro cooperantibus contulit. Ita ut ſibi, & ſucceſſoribus ſuis, de Terra prædicta, ſingulis annis, unam menſuram tritici, & alteram ſiliginis de quolibet aratro Teutonicali, & de quolibet aratro Slavico, unam menſuram tritici, qualis menſura communiter in Wratiſlavia fuerit uſitata, in toto Culmenſi Territorio in perpetuum perſolvere deberent. Et hæc promiſerunt ſolvere ipſi Fratres tam de terris arabilibus, quam de omnibus terris in Culmenſi Territorio de novo in culturam redigendis. Inſuper promiſerunt de terra prædicta CC. aratra Teutonicalia, cum omnibus rebus ad ipſa pertinentibus, vel plenarie hominibus locare, vel Epiſcopo dimittere locanda, ſi vellet, & ubicunque ei placeret; item promiſerunt ei & Succeſſoribus ſuis quinque Curtes, quamlibet de quinque Teutonicalibus aratris in Culmenſi Terra, ubicunque ei placeret, ita quod præfata CC. aratra, & dictas quinque Curtes cum omnibus ſuis pertinentiis, pratis, paſcuis, fluminibus, lacubus, piſcationibus, molendinis, ſylvis, venationibus, ſalis fodinis, auri fodinis, argenti fo-

ANNO 1230.

fodinis, vel cuiuscunque metalli fodinis, & breviter cum omni utilitate, ſeu proventibus, qui tunc fuerunt, vel poterint provenire in poſterum de ipſis, tanquam Dominus in ſuo Dominio, habens in eis iuriſdictionem temporalem, & ſpiritualem, & libere pro ſua voluntate, nullo habito reſpectu ad Fratres ſæpedictos diſpenſare debeat; promiſerunt nihilominus, quod quicquid Epiſcopus in memorato Territorio nomine feudi conceſſerat, Vaſallos ſuos, quiete permitterent poſſidere, ita, ut ipſi Epiſcopo & ſuis Succeſſoribus, tanquam Vaſalli Domino ſuo, deberent eſſe ſubligati, & quod nulli in eadem terra quicquam nomine feudi darent, vel præſtarent, ſine conſenſu prædicti Epiſcopi, & omnes eandem Terram inhabitantes tam feudales, quam alii, Prutenos expugnare in propriis expenſis & Epiſcopatui ipſius ſubiicere deberent, et in expeditionibus vexillum prædicti Epiſcopi, tam in eundo, quam redeundo, ante vexillum ſæpe dictorum Fratrum incedere. Item promiſerunt homines eiusdem Epiſcopatus, tam feudales, quam cæteros cum omnibus ad eos pertinentibus, & omnia quæ habuit, et habiturus fuit, & omnem iurisdictionem Epiſcopi, & Succeſſorum ſuorum contra omnem hominem bona fide, conſilio & auxilio ſine dolo tanquam bona propria fovere, pro toto poſſe ſuo, ac defenſare, & nihilominus ubicunque veniret Epiſcopus ad bona ipſorum debito honore, tanquam Epiſcopum & Dominum ſuum recipere, ac eidem neceſſaria ſubminiſtrare. Item promiſerunt omnia Inſtrumenta, & autoritates, quas in cruce ſignatis, & ſignandis ab Apoſtolicis felicis memoriæ Dominis, INNOCENTIO & HONORIO habuit, & inſuper omnia Inſtrumenta negotium Pruſſiæ tangentia, propriis impenſis & laboribus, ſub Bulla Sanctiſſimi Patris ac Domini GREGORII IX. Romanæ Sedis Summi Pontificis procurare, innovare, hoc adiecto expreſſe inter ipſos, quod ſi iidem Fratres memorato Epiſcopo penſiones ſimul, & exactiones promiſſas ſuo tempore non ſolverint, ex tunc ipſe de poſſeſſionibus ſæpe dictis, tanquam ſuis, licite ſe intromittere haberet fcultatem. Acta ſunt hæc in Wladislavia, Anno Gratiæ 1230. Menſe Januario præſentibus teſtibus ſubnotatis, Joanne Priore, Hermanno Monacho Lugnenſi, Fratribus de Thimau, Gerhardo & Conrado Militibus Chriſti de Pruſſia, Andrea Wernero, Joanne Albrando, Conrado, feliciter Amen.

X.

ANNO 1230.

CONRADI *Ducis Maſoviæ & Cuiaviæ donatio Terræ Culmenſis facta Hoſpitali S. Mariæ Domus Teutonicorum.* Actum in Cruſwitz ante pontes Anno 1230. *Ex Archivo Regni Lib. 3. n. 4. f. 133.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen.

Quoniam iuxta verbum Viri Sapientis: Generatio præterit, & generatio advenit, nihilque eſt ſtabile, vel permanens ſub ſole, ſed vanitati atque mutabilitati ſubiacent univerſa, ne cum labentibus annis rerum magnifice ſeu utiliter geſtarum labatur pariter & aboleatur memoria, munificentias & libertates, præſertim in pias cauſas, loca religioſa collatas, ſcriptura convenit perpetuari, quæ non ſolum omnem emergentem inpoſterum præcidat & tollat ambiguitatem, verum etiam univerſis, ad quorum notitiam pervenerit laudabilis, & imitatione digni exempli ſpeciem repræſentando commendet, & ad ſimilia invitando accendat. Cum enim omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum ſit a Patre luminum deſcendens, qui dat omnibus affluenter, & nemini improperat, hominibus concedens temporalia, non ut placeant, aut delectent, quia in ſui natura, vana, vaga ſunt & corruptibilia, ſed tanquam ſemen & materia exercendo miſericordiæ opera benigne ſubminiſtrans, oportet diem extremæ miſſionis, quando omnes ſimiliter in unum dives & pauper ſtabunt ante Tribunal diſtricti Judicis rationem de omnibus geſtis ſtrictiſſime reddituri, operibus caritatis praevenire, in huius vitæ via ſeminando, quod tunc metatur in patria, quando in exultatione reportabuntur manipuli bonorum operum cum fructu centumplato. Ea propter ego CONRADUS Divina miſeratione Dux Maſoviæ & Cuiaviæ cunctis præſentibus, & futuris præſens ſcriptum inſpecturis notum eſſe volo, quod cum Pruteni, aliique Chriſti nominis inimici magnam partem Terrarum mearum ipſis adiacentium deprædationibus, incendiis tam Eccleſiarum, quam aliorum locorum, interfectionibus & captivationibus virorum, mulierum & parvulorum, peccatis hominum, qui Altiſſimum in vanitatibus ſuis irritaverunt, exigentibus, miſerabiliter divina permiſſione vaſtaverint, eorumque, qui Chriſtum oderunt, ſemper aſcendens & ſuperaſcendens ſuperbia in-

ANNO 1230. invaluerit adeo, ut nec adhuc ipſum in membris eius perſequi ceſſent, aut deſiſtant; non ſolum res, immo magis ipſum ſanguinem fidelium inter infinitas, & horrendas auditu & dictu abuſiones, quas in contumeliam exercent Creatoris, ſitientes, ſperans per Viros Religioſos manum Domini, quæ nos tetigit, & flagellum ſuæ indignationis placari, ejusque favente gratia, qui ſuis adeſſe conſuevit per Chriſti Milites, quorum ſpes, virtus & gloria Deus eſt, brachium fortitudinis Saracenorum conterendum, ſalutis animæ meæ ac meorum, æternæque retributionis intuitu, ac ob defenſionem fidelium in Polonia, Uxore mea Agafia, Filiisque meis Boleslavo, Kazimiro, Semovito expreſſe de bona & ſpontanea voluntate conſentientibus, accedente quoque conſilio & conſenſu Epiſcoporum, Magnatum, ac Maiorum Terræ meæ, dedi & contuli Hoſpitali S. Mariæ Domus Teutonicorum, & Fratribus eiusdem Domus totum & ex integro Culmenſe Territorium cum omnibus ſuis attinentiis ab eo loco, ubi Driwancza egreditur terminos Pruſſiæ, & per deſcenſum eiusdem fluminis uſque in Viſlam, & in deſcenſu Viſlæ uſque ad Oſſam, & per aſcenſum Oſſæ uſque ad terminos Pruſſiæ, in veram & perpetuam proprietatem poſſidendum pleno iure cum omni libertate, fructu & utilitate, totam Terram cum aquis, aquarumque decurſibus, ſtagnis, paludibus, montibus, vallibus, ſaltibus, nemoribus, ſylvis, arbuſtis, pratis, paſcuis omnibus cultis & incultis, viis & inviis, cum omni eorum libera & plena utilitate & fructu, quæ in prædictis omnibus ſunt, vel fuerunt inventa, apparentia vel occulta, & ſpecialiter ſive aurum, ſive argentum, vel alia quæcunque ſpecies æris, vel metallorum, aut gemmarum, fontes, vel venæ ſalis, & quicquid omnino in terra vel ſupra, vel in aquis inventum fuerit, caſtores, & omnes venationes quarumcunque ferarum, piſcationes quoque piſcium omnis generis, cum ipſis aquis prædictis, & omni earum proventu & utilitate, in piſcationibus, navigiis, paſſagiis, pontibus, molendinis & inſulis cum Villis, Caſtris, Oppidis, Grangiis, Foris, monetis, pedagiis, teloneis terrarum & aquarum, & omnino cum omnibus continentiis intra limites prædictos, & pleno iure, & integra libertate, ipſorum etiam limitum ſine qualibet diminutione, cum omni honore & iurisdictione perfecta, ac vero dominio, proprietate, ac poſſeſſione omnium prædictorum & aliorum omnium quæ in Privilegiis largitionum, in favorabiles quaslibet perſonas vel loca, in favorem, commodum, & cautelam eorum, quibus confertur, conſcribi ſolent aut poſſunt, ita ut beneficium meæ collationis, largiſſimam ad omne commodum, honorem & utilitatem Domus, & Fratrum eorundem recipiat interpretationem. Nihil prorſus iuris, utilitatis, Advocatiæ, Patronatus, vel cuiuslibet alterius iurisdictionis aut poteſtatis, quocumque nomine cenſeri poſſit vel appellari, mihi, Hæredibus, vel Succeſſoribus meis, in omnibus ſupradictis, vel quolibet eorum retinens aut reſervans, ſed omnia ea cum libertatibus, cum pleno & integro iure, ſine omni dolo, fraude, captione ac captioſitate, ſine diminutione ac coarctatione, cum bona & exuberante fide, & largiſſimo intellectu Domui, & Fratribus memoratis contuli, & collata recognoſco, me, Hæredes & Terram eam obligans, & teneri volens de evictione. Præterea quicquid de perſonis vel bonis omnium Saracenorum, captivatione, deprædatione, extorſione, occupatione, vel ſubiugatione mobilium ſive immobilium, terrarum vel aquarum atq; omnium in eis contentorum, quolibet modo Fratres prædicti adipiſci potuerint, cum omni & integro iure, ac libertate ſuperius præmiſſæ donationis, nulla prorſus diminutione, coarctatione vel impedimento ipſis a me, Hæredibus meis, vel quolibet alio, quem nos prohibere, vel coarctare poſſimus, præſtando vel procurando, eisdem conceſſi, cum vera proprietate & perfecto Dominio quiete poſſidendum: & in hoc conſenſi, cum Uxoris meæ & Filiorum meorum, Epiſcoporum, Baronum & Magnatum Terræ meæ conſenſu, contra omnem hominem ad obſervationem, & defenſionem omnium ſupradictorum, ſecundum omne poſſe & totas vires meas, eisdem auxilium & conſilium bona fide firmiter promittens, omnes Hæredes & Succeſſores meos, & Terras meas obligans mecum & adſtringens ad ratihabitionem, obſervationem & conſervationem donationum, conceſſionum, obligationum, & promiſſionum omnium ſupradictarum. Fratres quoque prædicti bona fide repromiſerunt mihi, Hæredibusque meis, ſecundum Dei honorem & timorem, contra Prutenos, & alios Saracenos Nobis conterminos, Terram noſtram impugnantes, quamdiu hoſtes fidei ſunt, & inimici cultus Chriſti, aſſiſtere, & ſine dolo ac fictione una nobiſcum omni tempore militare. Ne igitur donationes & conceſſiones prædictæ, celebri dignæ memoria, tam utiles, quam neceſſariæ, non ſo-

ANNO 1230. ſolum ſecuritati fidelium in Polonia, qui graves impugnationes & oppreſſiones ab hoſtibus Chriſti iam dudum ſuſtinuerunt, in præſenti proficientes, verum etiam propagationi & ampliationi Ss. Fidei Catholicæ, ut etiam ad ipſos infideles, quorum exinde ſperatur converſio, per Dei gratiam profuturæ abeant in oblivionem, aut cuiuscunque calliditate, dolo, verſutia, ſiniſtra interpretatione debilitari, perverti, frangi, violari valeant vel immutari, vel ſaltem malevola machinatione attemptari, ſed potius piæ meæ donationes factæ firmæ permaneant & inconvulſæ; ad perpetuam præfatorum geſtorum memoriam præſentem paginam teſtium inſcriptione, mei, Uxoris meæ, Epiſcoporum & Magnatum Terræ meæ Sigillis roborari feci atque communiri. Acta ſunt hæc in Cruſzwiz ante pontes, ab anno Incarnationis Dominicæ MCCXXX. Menſe Junii, Indictione tertia. Teſtes horum ſunt: Guntherus Epiſcopus Maſoviæ, Michael Epiſcopus Cuiav. Chriſtianus Epiſcopus Pruſſiæ. Barwoldus Præpoſitus, Wilhelmus Decanus, Pacoſlaus ſenior, Pacoſlaus iunior, Comes Dirſchovienſis, Nicolaus Cancellarius, Magiſter Johannes Cancellarius, Gregorius Subcancellarius, & quam plures alii tam Religioſi, quam Sæculares.

XI.

GUNTHERI *Epiſcopi Plocenſis Literæ, quibus Bona ad Epiſcopatum ſuum pertinentia, ſita in Territorio Culmenſi, cum decimis ac iure Patronatus Ordini Teutonico donat.* Actum in Plotzk Anno Domini 1230. *Indidem.*

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.

Nos Divina miſeratione G. Epiſcopus, V. Decanus Plocenſis cum noſtro Capitulo univerſis Chriſti Fidelibus tam præſentibus, quam futuris in perpetuum. Quia religioſam vitam eligentibus congrua conſideratione conſpiciendum eſt & providendum, ne unquam a Dei ſervitio & devotione per illicitas controverſias abſtrahantur, & maxime Militibus Chriſti, qui perſonas ſuas pro Chriſti amore periculo ſupponere non formidant; Ideo Nos, zelum Dei habentes ad honorem & commodum S. Eccleſiæ Dei, Milites Chriſti, ſcilicet Fratres de Domo Teutonica Hieroſolymitana, qui inimicis Chriſti audacter reſiſtunt, & eos ANNO 1230. etiam fortiter impugnant, in quantum poſſumus, in ſua conſtantia fovere volumus & manutenere. Cum igitur Illuſtris Dux CONRADUS Maſoviæ & Cuiaviæ Terram Culmenſem cum omni utilitate ac proventu, qui nunc eſt ibidem, vel in poſterum inveniri poteſt, cum omnibus Caſtris ac prædiis, & omni libertate & immunitate, nihil ſibi in prædicta Culmenſi Terra iuris aut patrimonii reſervando, dictis Fratribus perpetualiter contulerit poſſidendam, videlicet intra terminos Drewentzæ defluentis in Wislam, & Wislæ inferius uſque in Oſſam, & Oſſæ ſuperius uſque in Pruſſiam; Nos quoque conſiderantes devaſtationem Epiſcopatus noſtri ibidem per Paganos Pruſſiæ, volentes etiam prædictos Fratres noſtris donationibus ad pium propoſitum, quod habent ſuper commodo & pace fidelium, ardentius incitare, omnia prædia & poſſeſſiones in prædicta Terra Culmenſi ad Epiſcopatum noſtrum pertinentes, tam in Caſtris, quam in villis, agris, paſcuis, ſylvis, aquis, cæteriſque appendiciis, & omnes decimas & Eccleſias, & earum patronatum cum omni iure ac libertate, quod ibidem habemus, vel habere poſſumus, dictis Fratribus liberaliter conferimus in veram proprietatem, eisdem Fratribus perpetualiter poſſidenda infra terminos ſupra dictos; hoc duntaxat excepto, quod Criſma & Conſecrationes Abbatum, Monialium, Eccleſiarum, & alia Sacramenta Eccleſiæ a Nobis expoſcentur, per quæ protaxatæ noſtræ donationi eisdem factæ Fratribus in nullo aut derogari queat, aut deperire. Ut autem hæ noſtræ donationes ratæ ſint in poſterum, & a nullo hominum poſſint violari, præſentem paginam noſtris Sigillis, ſcilicet Epiſcopali, & Chorali communivimus. Actum in Plotzk, Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo trigeſimo.

XII.

CONRADUS *Dux Maſoviæ & Cuiaviæ recognoſcit donationem Territorii Culmenſis Ordini Teutonico a ſe factam. Indidem.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

Ego CONRADUS Divina miſeratione Dux Maſoviæ & Cuiaviæ, cunctis præſentibus & futuris præſens ſcriptum inſpecturis notum eſſe volo, quod intuitu Divinæ retributionis, meæque ſalutis animæ, & propter defenſionem Fidelium, Uxore mea Agafia, Filiisque

Anno 1230. liisque meis, Boliſlao, Kaſimiro, Semovito conſentientibus, dedi Beatæ Mariæ & Fratribus de Domo Teutonica totum ex integro Culmenſe Territorium, cum omnibus ſuis appendentiis, ab eo loco, ubi Drewantza egreditur terminos Pruſſiæ, per ipſum fluvium uſque ad Wiſlam, & per Wiſlam uſque ad Oſſam, & per aſcenſum Oſſæ uſque ad terminos Pruſſiæ, in perpetuum poſſidendam, cum omni utilitate, & omnimoda libertate & iure eorum, quæ eſſe poſſunt in terra, ut eſt aurum, argentum, cæterorumque metallorum genera, caſtores, aliæque venationes quarumcunque ferarum, ſive in aquis, aquarumque decurſibus, foris, moneta, teloneis, & in cæteris, quæ ſcribi ſolent in Privilegiis. Promiſi etiam ut quicunq; prædictos Fratres impedierit in præfata poſſeſſione, quod ego tota mea virtute defendam eos. Ipſi quoque Fratres cum omni fidelitate promiſerunt mihi, cunctis meis Hæredibus, ſecundum Deum & eorum poſſe, contra inimicos Chriſti, & noſtros, videlicet omnes Paganos, ſine fictione & omni ſimulatione, etiam uno eorum ſuperſtite una nobiſcum omni tempore fore militaturos. Teſtes donationis huius & promiſſi ſunt: Michaël Epiſcopus Cuiaviæ, Chriſtianus Epiſcopus Pruſſiæ, Pacoslaus ſenior, Comes Dirſchov. Nicolaus Cancellarius, Magiſter Joannes Cancellarius, Gregorius Subcancellarius. Ne igitur hæc donatio tam utilis & neceſſaria aliquorum calliditate & verſutia irritari valeat, ſed potius integra permaneat & inconvulſa, ipſam Teſtium inſcriptione, meique Sigilli, & eorum appenſione ſollicite curavimus præmuniri. Acta ſunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ 1230. Ego Guntherus Epiſcopus ſubſcribo.

XIII.

Idem donat Ordini Teutonicorum Caſtrum Nieſzovienſe cum quatuor Villis. Indidem. fol. 132.

Ego Conradus Divina miſeratione Dux Maſoviæ & Cuiaviæ, univerſis tam præſentibus, quam futuris ſcriptum præſens inſpecturis notum fieri volo, quod de conſilio proborum virorum, magnaque neceſſitate urgente, divinæ retributionis intuitu meaeque ſalutis animae, de conſenſu Haeredum meorum, nemine contradicente, omnique ſemoto impedimento, libere & abſolute dedi B. Mariae, & Fratribus de Domo Teutonica Caſtrum, quod dicitur Nieſzowa, cum his quatuor villis: Oſzchotyno, Wyſne, Miſnete, Okrola; cum omni utilitate, iure, libertate, cum cunctis attinentiis eidem Caſtro, & villis in campo, agris, pratis, ſylvis, nemoribus, deſertis, venationibus quorumcunque animalium, ſive ferarum, in aquis, aquarum decurſibus, piſcationibus quorumcunque piſcium, & eorum omnium, quae in Privilegiis inſcribi ſolent. Igitur ne haec donatio tam utilis & perneceſſaria aliquorum calliditate & verſutia irritari valeat, ſed potius integra permaneat & inconvulſa, ipſam Teſtium ſubſcriptione, Sigilli mei, eorumque appenſione curavimus praemuniri. Pro hac etiam donatione Fratres ſaepedicti cum omni fidelitate contra Paganos quoslibet una nobiſcum ſpoponderunt, omni tempore ſe militaturos ſecundum Deum & eorum poſſe. Eorum hi ſunt Teſtes: Michael Epiſcopus Cuiaviae, Chriſtianus Epiſcopus Pruſſiae, Magiſter Joannes Cancellarius de Cracow, Gregorius Subcancellarius; Frater Heinricus Sacerdos. Acta ſunt haec Anno Incarnationis Dominicae 1230. Anno 1230.

XIV.

Gregorii IX. *confirmatio donationum ab Epiſcopo Pruſſiæ & Conrado Duce Maſoviæ Ordini Teutonico factarum.* Datum Anagniæ ſexto Kalend. Septembris, Pontificatus Anno quarto. *Indidem.*

Gregorius IX. Epiſcopus Servus ſervorum Dei dilectis Filiis, Magiſtro & Fratribus Militiae Chriſti in Pruſſia Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt Nos facilem praebere aſſenſum, et vota, quae a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Eapropter dilecti in Domino Filii, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, poſſeſſiones et alia bona, quae Venerabilis Frater noſter Epiſcopus Pruſſienſis, et Nobilis Vir Conradus Dux Maſoviae et Cuiaviae, Vobis pia liberalitate donarunt, ſicut eas iuſte, ac pacifice poſſidetis, Vobis et per Vos Ordini veſtro auctoritate Apoſtolica confirmamus, et praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Anagniae VI. Kalendas Sept. Pontificatus noſtri anno quarto.

XV.

ANNO 1230.

XV.

Idem confirmat donationem Territorii Culmenſis a CONRADO *Duce Maſoviæ Ordini Teutonico factam, & Articulum in ea comprehenſum, ut quidquid in Terra Paganorum prædictus Ordo obtinere poterit, totum ei cedat.* Datum Anagniæ IV. Idus Septembris, Pontificatus anno quarto. *Indidem.*

GREGORIUS IX. Servus ſervorum Dei, dilectis Filiis, Magiſtro et Fratribus Hoſpitalis S. Mariae Teutonicorum in Jeruſalem, Salutem et Apoſtolicam Benedictionem. Veſtrae devotionis ſinceritas et laudabilis intentio dilecti Filii Nobilis Viri Ducis Maſoviae promerentur, ut pia et liberalis gratia ab ipſo vobis et Ordini veſtro facta, favore Apoſtolico fulciatur. Ex ipſius ſane Litteris intelleximus, quod Paganis Prutenis deſaevientibus nimis crudeliter in Chriſtianos in eorum finibus exiſtentes, cum ipſe et Chriſtiani praedicti eis obſiſtere non valerent, idem ad auxilium potentiae divinae confugiens, Ordinem veſtrum in terram ſuam ad Chriſtianorum auxilium introduxit, quaſi plene confidens, per Fratres ipſius Ordinis dextra Domini in eis faciente virtutem Paganorum ſaevitiam comprimendam. Et eidem Ordini Caſtrum, quod Culmen dicitur, cum pertinentiis ſuis pia liberalitate conceſſit, conſtituens inſuper, ut quicquid Fratres veſtri in Terra Paganorum poterint obtinere, cedat Ordini memorato. Nos igitur ipſius Ducis ſupplicationibus annuentes et cupientes Ordinem veſtrum in illis partibus propagari, quod ab eodem Duce pie, et provide factum eſſe dinoſcitur in hac parte, ſicut in ſuis Litteris et Privilegiis plenius continetur, dum tamen talis ſit Terra Paganorum, in qua nondum cultus Chriſtianae Religionis fuerit introductus, auctoritate Apoſtolica confirmamus, et praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Anagniae 4. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

XVI. ANNO 1231.

CHRISTIANI I. *Epiſcopi Pruſſiæ donationum Ordini Teutonico in Territorio Culmenſi a ſe factarum recognitio* Actum Anno 1231. *Indidem.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen.

CHRISTIANUS primus Pruſſiae Epiſcopus omnibus in perpetuum. Evaneſcunt cum tempore, quae geruntur in tempore, niſi recipiant a viva voce teſtium, aut a ſcripti memoria firmamentum. Proinde ad notitiam tam praeſentis aetatis, quam futurae poſteritatis praeſenti ſcripto cupimus pervenire, quod Nos Fratribus Hoſpitalis S. Mariae Teutonicorum Jeroſolymitani, qui ſe abiectis illecebris mundi Deo ſacrificium obtulerunt, ſe murum pro Domo Domini ponentes, atque ad humiliandos Crucifixi hoſtes, et ad ampliandam nominis ſui gloriam ſe viriliter accinxerunt, in Territorio Culmenſi contulimus totum, quod ab Epiſcopatu Plocenſi in ſubſidium Epiſcopatus Pruſſiae ſuſcepimus et habuimus, videlicet de Eccleſiis conferendis, et decimarum proventibus, Nobis in reliquis Epiſcopalem iurisdictionem reſervantes. Dictis quoque Fratribus omnem CONRADI Ducis Maſoviae donationem in eadem Terra Nobis collatam, cum omni iure et proprietate, ſicut ab eo accepimus, bona voluntate donavimus, nec non praedium in Rezin, quod ab Haeredibus Chriſtianis comparavimus, cum omni utilitatis proventu, ſaepe dictorum Fratrum uſibus cedere volumus in perpetuum. Ut autem noſtrae largitionis traditio in perpetuum firma omnibus modis permaneat, nec ab aliquo valeat infirmari, praeſentem paginam Sigilli noſtri duximus impreſſione roborari. Huius rei Teſtes ſunt: Albertus Abbas Velegradenſis, Conradus, Geroldus, Ditmarus SubPrior de Sancta Cruce, Henricus Sacerdos, Gebolfus Fratres Domus Teutonicorum, Fridericus, Henricus, Ulricus, et alii quam plures. Acta ſunt haec anno ab Incarnatione Domini 1231. Domini GREGORII Papae IX. quarto, imperante Domino FRIDERICO Glorioſiſſimo Romanorum Imperatore feliciter Amen.

XVII.

GREGORII IX. *ad* CONRADUM *Ducem Maſoviæ Literæ, quibus collaudata eius pietate,*

 Pruſ-

ANNO 1234. *Pruſſiam tam ſubiugatam, quam ſubiugandam Ordini Teutonico confert, eamque in ius & proprietatem S. Petri ſuſcipit.* Datum Spoleti quinto Kalendas Septembris. Pontificatus Anno octavo.

GREGORIUS IX. Servus ſervorum Dei, dilecto Filio, Nobili Viro, CONRADO Duci Maſoviae Salutem et Apoſtolicam Benedictionem. Multorum inſtructi relationibus didicimus, quod ſis in conſpectu Dei et hominum gratioſus, pietatis vacando cultui, ut poſſis aeterna Chriſti munera promereri, gaudium exinde grande excipimus, et ut ſemper ad meliora proficias, affectamus, Nobilitatem tuam gratiarum pulchritudine proſequentes, quod ad S. Romanam Eccleſiam, Matrem tuam filialem reverentiam habere dinoſceris, et acceptos ſibi fructuoſa dilectione diligere delectaris. Hinc eſt, quod cum dilectos Filios, Fratres Hoſpitalis S. Mariae Teutonicorum Jeroſolymitani fidei negotium in Pruſſiae partibus pro Redemptoris gloria magnanimiter promoventes, tuorum bonorum liberali largitione refeceris, ſicut ipſorum iucundo relatu didicimus, et in tuo Privilegio perſpeximus contineri, Sinceritatem tuam rogamus et obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus prudenter advertens, quod quanto promptior ad Superioris honorem quis redditur, tanto eiusdem gratia plenius providetur, memoratos Fratres ita ſupremi Regis intuitu aſſiduo favore confoveas, ipſos tuae protectionis munimine roborando, ut tam in perſonis, quam bonis eorum, et praecipue in illa parte Pruſſiae, quam per ipſos defenſioni fidelium deſudantes Dei et Chriſtiani exercitus faciente ſubſidio Chriſtiano nomini ſubiugatam, vel ab aliis in poſterum tuentibus familiam Redemptoris Auctore Domino ſubiugandam, in ius et proprietatem S. Petri ſuſcepimus, ipſisque cum omni iure, et proventibus ſuis conceſſimus in perpetuum libere poſſidendam, nullam ab aliquo patiantur iniuriam vel iacturam, ſed potius pace gaudeant et quiete, ſicque fiat, quod eisdem cum caeteris Chriſti fidelibus Chriſtiani exercitus in praedictis Pruſſiae partibus conſtitutis, quos tibi in Domino, ſicut poſſumus, fiducialiter commendamus exiſtentibus ab omni adverſitate liberis, per ipſos amplietur gloria Creatoris, ſicque tibi exinde felicitatis aeternae perceptio, et favor Sedis Apoſtolicae in tempore proveniat opportuno. Datum Spoleti 5. Kalendas Sept. Pontificatus anno VIII. ANNO 1234.

XVIII.

Eiusdem approbatio compoſitionis de Caſtro Dobrzyn inter CONRADUM *Ducem Maſoviae, & Ordinem Teutonicum factae* Datum Viterbii ſecundo Idus Januarii Pontificatus anno nono. *Ex Originali.* 1236.

GREGORIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Praeceptori, et Fratribus Hoſpitalis S. Mariae Teutonicorum in Pruſſia ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Omnia, quae iudicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata perſiſtere, et ne in recidivae contentionis ſcrupulum relabantur, Apoſtolico convenit praeſidio communiri. Exhibita ſiquidem Nobis veſtra petitio continebat, quod cum inter vos ex parte una, et Nobilem Virum CONRADUM Ducem Maſoviae ac Cuiaviae, ac Filios eius ex altera, ſuper Caſtro de Dobrzyn quaeſtio fuiſſet exorta, tandem amicabilis inter partes compoſitio intervenit, prout in literis confectis exinde dicitur plenius contineri, quas Apoſtolico petiviſtis munimine roborari. Nos igitur veſtris iuſtis precibus inclinati compoſitionem ipſam ſicut rite, ſine pravitate, provide facta eſt, et ab utraque parte ſponte recepta, et hactenus pacifice obſervata, authoritate Apoſtolica confirmamus, et praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Viterbii ſecundo Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno nono.

Bulla GREGORII IX. *Papae, qua Ordinem Militiae Chriſti unit cum Ordine Fratrum Domus Teutonicorum.* Vide Tom V. ad hunc Annum. 1237.

XIX.

VLADISLAI *Ducis Maioris Poloniae Privilegium, quo Cruce ſignatis in Pruſſiam tranſeuntibus,* 1238.

Anno 1238. *bus, item Civibus de Terris Fratrum Domus Teutonicæ, neceſſaria Domui ſuæ comparantibus immunitatem teloniorum in ſuis ditionibus concedit.* Datum in Gneſna Anno 1238. XV. Kalend. Martii. *Ex Originali.*

Nos Vladislaus Dei Gratia Dux Poloniae notum eſſe cupimus univerſis, qnod cum ab honeſtis Viris Fratribus Domus Teutonicae, et ab aliis pluribus audiſſemus quaerelas multimodas ſuper exactionibus teloneorum indebitis in Terra noſtra, viſum eſt Nobis cum deliberatione, quod iura conſcribi de talibus faceremus, ut ſciat diſtincte, quis de quibus teloneum ſolvere teneatur et quantum, ne vano timore percuſſi tam Cruce ſignati peregrini, quam negotiatores, a ſuis intentionibus deſiſtendo, itinera ſua mitius peragant, & ut Tellonearii extorquere plus quam debeant, non præſumant. Statuimus igitur, ut omnes tam peregrini cruce ſignati, quam qui cum familiis & ſuppellectilibus tranſeunt ad Prutiam, vel ad Terram Culmenſem, omnimoda gaudeant libertate, niſi ſi in reditu talia duxerint, de quibus negotiatoris evidens ſuſpicio habeatur. Si vero evidens non extiterit, is, cuius ſunt illa, iuramenti cautione præſtita, quod ad uſus proprios habere propoſuit, ſe abſolvat. Item cum cives de Terris Fratrum, quos prædiximus, exire voluerint ad Domus ſuæ neceſſaria comparandum, ſi unus, vel duo, ſeu plures cum literis teſtimonialibus eorundem Fratrum venerint, in quibus ipſorum nomina ſunt notata, de huiusmodi neceſſariis nihil ſolvant. Et cum ad ultimum revertentur Telloneum, ſuas literas debebunt Tellonneario reſignare. Hoc autem Telloneum eſſe factum ſancimus in Gneſna, & in Poſnan, ut negotiatores quidquid in curribus ſuis duxerint, præter ſalem & allecia, debent de quolibet equo curruum duos ſcotos tantum, niſi de pannis unam ulnam longam ad totum brachium de optimo panno, quem habuerint ſub ſcarlato, & marcham piperis ſuperaddant Telloneo memorato. De ſale vero pro quolibet equo Teutonico unum cribrum cum cumulo dabitur. De alleciis quoque, ſi currus Polonicus fuerit, pro equo ſex verua alleciorum, ſed ſi Teutonicus extiterit, pro ſingulis equis novem verua. Item ſi quis in curru, in quo ducit neceſſaria ſupradicta, pannos decem ad maius, quam vendere voluerit, vel etiam totidem ad maius pannos cum aliis mercationum generibus duxerit, de quolibet panno dabit duos denarios Thorunenſes præter Telloneum ſupradictum. His adiicimus inſtitutis, quod quidquid comparaverint, cum omnibus primo dictis, niſi allecia, nihil ſolvent. Harum inſtitutionum teſtes ſunt hi Fratres Ordinis prædicti: Jażco tunc in Miniſterio Sanctæ Crucis conſtitutus, & Joannes, & Nobiles Magiſtri Domerat, Cicerat, Caſtellanus Gneſnenſis, Mileſa, Caſtellanus in Ożgowe Hebora, Caſtellanus in Oberyż Zbilut, & alii quam plures. Datum in Gneſna Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo trigeſimo octavo, Indictione undecima, quindecimo Kalendas Martii. Anno 1238.

XX.

Pactum Casimiri *Ducis Cuiaviæ cum Fratribus de Domo Teutonica, quo ille nullam pacem, vel inducias ſine ipſis ſe facturum, iuſtitiamque in mutuis controverſiis adminiſtraturum promittit, idque ſub pœna Excommunicationis D. Papæ per Epiſcopum Cuiavienſem publicandæ, quem in Judicem quoque pro transgreſſionibus Pactorum ſibi conſtituit.* Actum in territorio villæ Piſkowe. Anno 1238. tertio Kalend. Julii. *Ex Originali. Sigill. 2.*

Nos Kasimirus Dei Gratia Dux Kuiaviae praeſentium proteſtamur tenore, quod talibus obligavimus Nos promiſſis Fratribus de Domo Teutonica in Culmenſi terra, & in vicinis eidem, ſive Polonia, ſive Prutia, quod eorum honorem in terra ipſorum, & in hominibus & in ipſis debeamus fideliter contueri ſecundum iuſtitiam, quantum dinoſcitur expedire. Et quod a Nobis, & a noſtris hominibus, & etiam de Terra noſtra ipſis, & eorum hominibus, & etiam bonis, quae habent in poſſeſſione, vel privilegiorum authoritate in terris praedictis, vel ſunt in poſterum iuſto titulo habituri, gravamen iniuriae, quantum cavere poterimus, nunquam fiat, ita ut hoc pactum nequaquam propter aliquem hominem propinquum Nobis ſanguine, vel amicitia violemus, ſed & cum Paganis, aliisque treugas, vel pacem ſine ipſis nullatenus faciemus. Etſi aliquam quaerelam eorum homines contra noſtros ventilaverint, benigne talem eis facere iuſtitiam erimus obligati, qualis in Terra noſtra fuerit conſveta. Si autem diſcepta- ve-

Anno 1238. verint Nobiſcum dicti Fratres pro aliquibus bonis in Terra noſtra, debemus cum eis ad eadem convenire, & ſecundum notitiam hominum terrae ipſorum & noſtrae amicabiliter cedere ab ea parte, in qua Nobis audierimus dictam notitiam obviare. Caeterum ſi unquam contra aliquem articulum praedictarum praeſumptuoſe venerimus pactionum, & hoc Nobis notum factum fuerit, Ven. Patri Cuiavienſi Epiſcopo, ſi ab eo & ab aliis viris idoneis commoniti fuerimus, ſique infra ſpatium unius anni et diei non emendaverimus eis ſecundum iuſtitiam vel gratiam, voluntarie Nos ſub cenſuram Excommunicationis Domini Papae ſubiicimus, ita ut in ea tamdiu ſimus, quouſque Nos exceperit emendatio ſupradicta. Ad promulgandum vero Excommunicationem huiusmodi, & in Judicem pro transgreſſionibus, quas prædiximus, pactorum, Epiſcopum eligimus memoratum. Harum obligationum teſtes ſunt hi: Michael Cuiavienſis Epiſcopus, Comes Boguſſa Palatinus Maſoviae. Abraham Pincerna eiusdem Provinciae, Vitus Martinus Caſtellanus Kruſwicenſis, Johannes Subcamerarius Kuiaviae, Opachalz Petrus Subcamerarius Maſoviae, Gozzlaus Caſtellanus de Budogatt, & alii quam plures. Actum in territorio villae, quae Piſkowe dicitur, Anno gratiae milleſimo ducenteſimo trigeſimo octavo. Indictione undecima, tertio Kalen. Julii.

XXI.

1243. INNOCENTIUS IV. *Papa acquiſita, & acquirenda Fratribus Teutonicis in Pruſſia confirmat, & de eisdem Magiſtrum Ordinis inveſtit.* Datum Anagniæ Kal. Octob. Pontificatus anno primo. *Ex Originali.*

INNOCENTIUS IV. Servus ſervorum Dei. Dilectis Filiis Magiſtro & Fratribus Hoſpitalis S. Mariae Teutonicorum Ieruſalemitanae Salutem et Apoſtolicam Benedictionem. Pietati proximum, et rationi conſonum arbitramur, quod vobis, qui voluptatibus ſaeculi derelictis tollentes crucem, ſecuti eſtis Dominum crucifixum, omnem, quam cum Deo poſſumus gratiam favoris liberaliter impendamns, præſertim cum, licet immeriti, eiusdem Domini vicem geramus in terris, qui ſua veſtigia ſequentibus perennia vitæ præmia largitur in cœlis. Sane vero relatu didicimus, quod vos ad Pruſſiæ partes Salvatoris virtute præambula procedentes, in terra nomine Culmen, quam a Chriſtianis longis retro temporibus habitatam, Prædeceſſoribus dilecti Filii Nobilis Viri CONRADI Ducis Poloniæ donantibus in eadem, idem Nobilis vobis pro ſalute ſua & fidelium in confinio dictarum partium poſitorum pia liberalitate donavit, prout in eiusdem privilegio ſuper hoc confecto plenius dinoſcitur contineri, conſtructis per vos caſtris & villis non abſque multis laboribus & impenſis, & Prutenorum impetu divina propitiante gratia refrænato, & dictorum ſalute procurata fidelium, quos a multis temporibus afflixerat eorundem inſania Prutenorum, Pruſſiæ partem reddidiſtis Chriſtiano nomini ſubiugatam. Nos itaque adinſtar piæ recordationis GRERORII Papæ Prædeceſſoris noſtri digne volentes, ut pro acquiſitione Terræ Pruſſiæ eo plenius veſter animus invaleſcat, quo vos & exiſtentes ibidem Fidei Catholicæ profeſſores a Nobis obtinebitis gratiam ſpecialem, quod a vobis ſuffragante Exercitu Chriſtiano iam de ipſa Terra auctore Domino dinoſcitur acquiſitum, in ius & proprietatem D. Petri ſuſcipimus, & eam ſub ſpeciali Sedis Apoſtolicae protectione & defenſione perpetuis temporibus permanere ſancimus. Ipſamque vobis & Domui veſtrae cum omni iure & proventibus ſuis concedimus in perpetuum libere poſſidendam. Te dilecte in Domino Fili CONRADE, Magiſter Domus eiusdem annulo noſtro de Terra inveſtimus eadem, ita, quod ipſa, pro qua fidelitatem Sedi Apoſtolicae promiſiſti, per vos, aut alios nullius unquam ſubiiciatur dominio poteſtatis. Quae vero in futurum largiente Domino inſiſtendo defenſioni Chriſtianitatis, de Terra Paganorum in eadem Provincia vos contigerit adipiſci, firma & illibata vobis, veſtrisque Succeſſoribus, ſub iure & proprietate Sedis Apoſtolicae eo modo ſtatuimus permanenda. Caeterum in eadem Terra diſpoſitioni Apoſtolicae Sedis reſervamus, ut per ipſam, cum Vos propitiationis divinae munimine, optata eiusdem Terrae ſpatia contigerit obtinere, ac de ſtatu ipſius per vos plenius fuerimus informati, ordinetur de conſtituendis in ipſa Eccleſiis, & inſtituendis ibidem Clericis, Epiſcopis, & Praelatis aliis, nec non de providendo, quod iidem habeant de praefata Terra congruam portionem, & quod promiſſiones & pactiones, quas praeſentibus habitatoribus eiusdem Terrae feciſſe noſcimini, aut futuris facietis in poſterum, a vobis valeant obſervari, & quod in recognitionem dominii, & perceptae a Sede Apoſtolica libertatis, Eccleſiae Romanae

Anno 1243.

Anno 1243. manae cenſus annuus perſolvatur, ſicut in Domino ad honorem Eccleſiae, ac utilitatem veſtram viſum fuerit expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae protectionis, conceſſionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Anagniae Kal. Octob. Pontificatus noſtri anno primo.

XXII.

1248. *Concordia per* Jacobum *Archidiaconum Leodienſem Legatum, Capellanum Papae, eiuſque in Polonia, Pruſſia & Pomerania Vices gerentem inter* Suentopelcum *Pomeraniae Ducem ex una, ac Magiſtrum Ordinemque Teutonicum parte ex altera conſtituta, qua Ordo Duci Pomeraniae Inſulam Nerie, Dux Caſtrum Pin cum villis ad Culmen ſitis Ordini reſtituit, inter poſſeſſiones utriuſque partis certi limites aſſignantur &c.* Actum in harena iuxta Inſulam Fabri, An. 1248. *Ex Originali.*

Univerſis praeſentes Litteras inſpecturis, Jacobus Archidiaconus Leodienſis, Domini Papae Capellanus, ac eiusdem in Polonia, Pruſſia, Pomerania Vices gerens, ſalutem in ſalutis Auctore. Noverit Univerſitas veſtra, quod, cum graves diſcordiae exortae eſſent inter Religioſos Viros Magiſtrum & Fratres Domus Teutonicae in Pruſſia ex parte una, & Nobilem Virum Suentopolcum Ducem Pomeraniae ex altera, ſuper terris, villis, ſylvis, aquis, piſcationibus, venationibus, teloneis, nec non & detentione Filii dicti Ducis, & ſuper damnis illatis propter hoc tunc inde, ac rebus aliis ortae fuiſſent, & per ea, quae pro utralibet partium fuere propoſita, coram Sanctiſſimo Patre nôſtro Innocentio Papa quarto, cum non fuiſſet facta ſuper his omnibus plena fides, idem Sanctiſſimus Pater & Dominus optans dictarum diſcordiarum fomitem extinguere, & diſcordes ipſos reducere ad concordiae unitatem, Nos ad partes illas transmiſit, datis Nobis Litteris in mandatis, ut praedictis Partibus ad noſtram praeſentiam vocatis, eas revocare ad concordiam ſollicite ac prudenter ſtuderemus. Nos igitur ad partes illas pro bono obedientiae perſonaliter accedentes, dictisque Partibus ad noſtram praeſentiam evocatis, poſt proceſſus multiplices & tractatus, tandem Deo & Nobis mediantibus, talis inter eos amica compoſitio intervenit. Videlicet quod praefati Vice-Magiſter & Fratres praedicto Duci Pomeraniae Suentopolco et Haeredibus ſuis inſulam, quae vocatur Nerie, et ſylvam in eadem inſula comprehenſam, nec non et harenas ſitas iuxta eandem ſylvam a flumine, quod Tuja vocatur, uſque ad locum, qui dicitur Camtzilkim, cum piſcationibus marinis, et venationibus in inſula ſupradicta libere in perpetuum conceſſerunt habere et pacifice poſſidere. Praefatus vero Dux locum, in quo fuit Caſtrum, quod vocabatur Pin, et omnes villas ſitas iuxta villam, quae vocabatur Culmen, quas dicti Fratres conceſſerunt dicto Duci, quamdiu viveret poſſidendas, eisdem Vice-Magiſtro et Fratribus coram Nobis libere reſignavit. Qui etiam Dux coram Nobis promiſit et conceſſit, quod nec ipſe Dux, nec Haeredes eius accipient de caetero aliquod teloneum ſuper flumine, quod Viſla appellatur, per totum ſuum Dominium et Diſtrictum a ponte et ſupra. In ponte vero recipient teloneum conſvetum, ita tamen, a rebus immediate ad ipſos Fratres pertinentibus nullo modo teloneum percipient, ſed libere abſque telonio pertranſibunt. Conceſſit etiam eisdem Dux et promiſit, quod ipſe vel Haeredes eius in praedicta inſula, quae Nerie vocatur, viam feris et beſtiis non praecludet, quin ad partem prædictorum Fratrum poſſint libere pertranſire. Conceſſit etiam res eorum in utroque littore Viſlae abſque impedimento aliquo applicare, et habere liberum tranſitum et transductum. Et tam dictus Dux, quam Fratres praedicti conceſſerunt et acceptarunt, quod profunditas Viſlae a Zantir ſupra ſit inter ipſos omnium inſularum terminus, et terrarum. Conceſſerunt etiam, et ad invicem ſibi promiſerunt, quod omnes captivos, quos ipſi tenent, libere abire permittent, et pro illis captivis, quos homines eorum in dominiis ſuis tenent, bona fide liberabunt, vel ut pro pretio redimant, et ubicunque fuerit alicuius ſervus inventus, ſecundum ius terrae, in qua invenitur, reſtituetur. De Caſtro vero Wiſſegrode, quod ad præſens tenet Dux Cuiaviæ & Lanciciæ Caſimirus, promiſit Dominus Dux Pomeraniæ Swentopolcus coram dicto Archidiacono, quod nihil petet, nihil requiret a Fratribus ſupra dictis, et ipſi Fratres Duci Pomeraniae promiſerunt, quod ſi illud Caſtrum a dicto Duce requiſierint, ipſi Fratres dicto Caſimiro

Anno 1248. Casimiro poſſeſſionis ſuae titulum non dabunt, hoc tamen ſalvo, quod ſi per ſuperiorem aliquem iurare ſuper hoc compellantur, liceat eis impune dicere veritatem, compromiſſione, ſeu promiſſione huiusmodi edicti non obſtante. Et ut omnis fomes diſcordiae inter Partes easdem eſſet ſublatus, penitus & exemptive, omnia damna hinc inde illata, occaſione dictarum diſcordiarum coram Nobis ſibi invicem remiſerunt, et firmiter promiſerunt, quod occaſione omnium diſcordiarum, quae in praeſentem uſque diem inter ipſos quomodolibet contigerunt, una pars malum alterius non procurabit de caetero publice, vel occulte, imo ſi ſciret una pars, quod malum alteri ab aliquo deberet provenire, illud pro poſſe impediet, vel ſignificabit fideliter, et prudenter, quod pars illa ſibi poſſit ſuper hoc praecavere. Praeter haec dictus Dux Pomeraniae promiſit fideliter, et expreſſe, quod neque cum Neophytis Prutenis, nec Paganis erit de caetero fœderatus contra praedictos Fratres Domus Teutonicae, vel quoscunque Chriſtianos, nec eosdem Neophytos ſubtrahet ab obediendo Fratrum dominio, auxilio vel amore. Sane de futuris diſcordiis inter praedictas partes ſic condictum eſt et conceſſum, ut qualiscunque inter ipſas, quod abſit, diſcordia in poſterum oriretur, nequaquam ultra igne vel gladio proſequantur ius ſuum, ſed una pars eliget unum bonum virum, alia alium, et illi duo tertium, et in illos tres, tanquam in arbitros compromittent ſub certa pœna in compromiſſo exprimenda, et ſi duo in electione tertii, vel tres in unam ſententiam non poſſunt conſentire, tam Dux Pomeraniae ſupradictus, quam dicti Fratres iura ſua cum caritate in Romana Curia perſequantur. Conceſſit praeterea dictus Dux Pomeraniae coram Nobis, ſi ipſe non vult facere cum Domino Samborio Fratre ſuo, et cum Domino Caſimiro Duce Lanciciae, et cum Dominis P.* et B.** Fratribus ſuis, Ducibus Poloniae, compoſitionem amicabilem, vel ſtare iuri coram iudice competenti ſuper diſcordiis, quas habent contra ipſum dicti Fratres, ſalva in omnibus iſta compoſitione, et .... nec eosdem Duces contra ipſum Ducem Pomeraniae de ſe et Caſtris, rebus et hominibus ſuis licite poterint adiuvare, et ipſe Dux Pomeraniae Terram ipſam Fratrum cum armis hoſtiliter propter hoc non intrabit. Et ipſe Vice-Magiſter et Fratres ſimiliter promiſerunt, ut quamdiu Dux Pomeraniae compoſitionem amicabilem, vel ſtare iuri, ut dictum eſt, voluerit cum praedictis, ipſe Vice-Magiſter et Fratres praefatis Ducibus contra ipſum auxilium non praeſtabunt. Praedictis ergo omnibus conceſſis ab ipſis partibus, ut dictum eſt, et promiſſis Frater Henricus Vice-Magiſter dictae Domus Teutonicorum in animam ſuam et Fratrum ſuorum, tactis S. Sanctis Reliquiis, et victorioſiſſimo Signo Crucis, et ipſe Dux, tactis eisdem Reliquiis et latere Crucifixi, in animam ſuam et Succeſſorum ſuorum, coram Nobis et multis aliis ex deliberatione animi ſolemniter iuraverunt, quod omnia ſupra dicta et ſingula, ſicut ſupra dictum eſt, in perpetuum inviolabiliter obſervabunt, concedentes, et per ſtipulationem ſibi ad invicem cum ſolemnitate debita promittentes, quod pars illa ex illis, quae contra praedicta, vel aliquid ex promiſſis venerit, vel fecerit in futurum, 2000. Marcarum parti alteri compoſitionem iſtam ſervanti reddere et perſolvere teneatur, et nihilominus teneant et valeant ſupra dicta virtute praeſtiti iuramenti. Et quoniam ſupra dictus Dux Pomeraniae litteras praefatorum Fratrum, quas ei dederunt ſuper Terram quae vocatur Lauſania, loco Caſtri Pin, quamdiu viveret poſſidendam, prae manibus non habebat; Idcirco eisdem renunciavit litteris coram Nobis, et promiſit ſe in poſterum illis non uſurum. Igitur ſupra dictis omnibus expeditis, praefati Fratres et Vice-Magiſter Meſtwinum Filium dicti Ducis, quem obſidem tenuerunt per 6. annos eidem Duci Pomeraniae Patri ſuo ſanum, et incolumem reddiderunt, qui penitus liberatus praedicta omnia conceſſit et approbavit, et rata habuit et iuravit, quod ea inviolabiliter ſub pœna praedicta in perpetuum obſervabit, nec per ſe, nec per alium veniet contra illa, vel aliquid ex praemiſſis. In quorum omnium teſtimonium, et munimen, praeſentes Litteras Sigillo noſtro, et Sigillis Venerabilium Patrum N. Cuiaviae, et H. Culmenſ. Epiſcoporum, qui praeſentes fuerunt omnibus ſupra dictis, necnon Sigillo dicti Ducis Pomeraniae, et Fratris H. Vice-Magiſtri praedicti, ad petitionem dictarum partium fecimus roborari. Et quoniam dictus Dux S. Pomeraniae aliud Sigillum rotundum, ut dicebat, quo in Curia Romana ſaepius erat uſus, et ad praeſens illud Sigillum apud ſe non habebat, idcirco idem Dux coram Nobis et praedictis Epiſcopis recognovit, quod Sigillum ſuum, quod cum noſtro et aliis Anno 1248.

ante

* Premiſlao.

** Boleſlao Maioris Poloniæ Ducibus, Filiis Vladiſlai dicti Sputatoris ex matre Helinga ſorore Sventopolconis. Vid. Dlugoſſ. lib. 6. ad Ann. 1232. & lib. 7. ad Ann. 1243. & ſeq.

Anno ante dictis praeſentibus Litteris eſt ſub-
1248. appenſum, ſuum verum et proprium eſt Sigillum, impreſſum in Sigillo aureo, quod in manibus ſuis in modum annuli portat. Et iuravit coram Nobis, et Epiſcopis ſupra dictis, quod contra iſtud ſuum Sigillum, quod cum noſtro praeſentibus Litteris eſt appenſum, nunquam excipiet, nec diffitebitur eſſe ſuum, imo conſtanter voluit et conſenſit, ut tantum robur, et maius etiam habeat hoc Sigillum ſolum cum noſtro et aliis ſupra dictis, quod ſi adiunctum eſſet illud Sigillum rotundum ſuperius memoratum, cum plus confideret, ut dicebat, de illo, quod ipſe, quam de eo, quod alius in ſua abſentia portat. Acta ſunt haec in Harena iuxta inſulam Fabri Feria tertia poſt Feſtum Clementis An. Domini 1248. Menſe Novembris, Pontificatus Domini Innocentii Papae IV. anno eius 6.

XXIII.

1249. *Privilegium ab Eodem* Jacobo *Archidiacono Leodienſi Legato Pontificio Neophytis Prutenis conceſſum, in quo etiam multa ſtatuuntur, quae extirpationem Idololatriae concernunt.* Datum An. 1249. VII. Id. Febr. *Ex Archivo Regni.*

Univerſis praeſentes literas inſpecturis Jacobus Leodienſis Arhidiaconus, Domini Papae Capellanus, ac eiusdem in Polonia, Pruſſia et Pomerania Vicem gerens, in Domino ſalutem. Noverit univerſitas veſtra, quod cum inter Neophytos Pruſſiae ex parte una, et Religioſos Viros Magiſtros et Fratres Domus Teutonicae in Pruſſia ex altera, graves diſcordiae ortae eſſent ſuper hoc, quod dicti Neophyti dicebant, quod licet a felicis recordationis Innocentio Papa III. Honorio et Gregorio Romanis Pontificibus Praedeceſſoribus Patris noſtri Innocentii IV. qui nunc divina clementia providente praeeſt Eccleſiae S. Dei, ipſis Neophytis eſſet conceſſum, ut cum vocati eſſent in libertatem filiorum Dei ex aqua et Spiritu S. renati, in libertate ſua manentes nulli alii eſſent, quam ſoli Chriſto, & obedientiæ Rom. Eccleſiæ ſubiecti; dicti tamen Magiſtri, & Fratres contra huiusmodi conceſſionem venientes . - . . . tollere ſupra ſe ſuave jugum Domini formidabant. Et cum ſuper hoc fuiſſet coram Ss. Patre per Procuratores partium prædictarum diutius altercatum, & per ea, quæ pro utralibet partium fuere propoſita coram ipſo, plene non potuerit ſcire veritatem, ipſe huiusmodi diſſenſionis extinguere fomitem, & diſcordes ipſos optans ad concordiæ reducere unitatem, Nos ad partes illas tranſmiſit, dans Nobis Literis Apoſtolicis in mandatis, ut partibus ad noſtram præſentiam convocatis ſollicite tractaremus de facienda concordia inter ipſos. Nos igitur ad partes Pruſſiæ de mandato Apoſtolico pro ſolo bono obedientiæ Papæ huc ſpecialiter accedentes, partibus ad noſtram præſentiam convocatis, de dicta concordia tractavimus diligenter, & easdem partes Domino favente ad concordiæ unitatem reduximus ſub hac forma. Inprimis ſiquidem dicti Magiſtri & Fratres ardenti deſiderio affectantes, ut negotium Fidei Chriſtianæ libere in partibus illis currat, & nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in gentibus dilatetur, & hoc præcipue quærant in illis partibus, ſicut dicunt neophytis ſupradictis iam ad fidem converſis & baptizatis, nec non & paganis omnibus in eisdem circumiacentibus partibus convertendis & baptizandis in noſtra, & Venerabilis Patris Herdueri Culmenſis Epiſcopi, ad hoc a Nobis ſpecialiter vocati, præſentia, præſentibus & pluribus aliis bonis viris talem libertatem conceſſerunt, ut videlicet licitum ſit iisdem Neophytis emere res quaſcunque, a quibuscunque voluerint, aliisque modis iuſtis acquirere, prout voluerint & valuerint, ſibique viderint expedire, & quod quid emerint vel acquiſiverint, ſibi ipſis acquirant & hæredibus ſuis legitimis. Ita videlicet, quod quando aliquis ab eis receſſerit ab hac vita habens filium vel filiam, quæ nunquam fuerit maritata, vel utraque, iſti ſuccedant iisdem. Et ſi filium vel filiam non habuerit, & adhuc parentem & matrem habeat, ſuccedent iſti ſuo filio morienti. Si vero nec filium, nec filiam, nec patrem, nec matrem, & adhuc filius ſui filii ſit ſuperſtes, ſuccedat avo ſuo. Porro ſi nullum habuerit ſuperſtitem de prædictis, & habuerit fratrem, ſuccedat & idem frater, & ſi ipſe frater morte præventus reliquerit filium, idem filius fratris ſuccedat patruo moriente. Quæ prædicti Neophyti gratanter acceptarunt, cum in paginis hæc non habuiſſent, ut dicebant, niſi ſolos filios ſucceſſores, & conceſſerunt iidem Neophyti coram Nobis & aliis antedictis libera voluntate, ut ſi quis ex eis vel ſucceſſoribus ſuis obierit, & nullum ſuperſtitem reliquerit, de omnibus hæredibus antedictis, omnia bona ipſorum immobilia ad Magiſtrum & Fratres prædictos, & Domum eorum, & alios dominos, ſub quibus iidem Neo-

Anno 1249.

91785

ANNO 1249. phyti manſerint, libere devolvantur. Et idem de mobilibus, niſi ipſi Neophyti in vita vel in morte de illis aliud duxerint ordinandum. Conceſſerunt etiam prædicti Magiſtri & Fratres Neophytis antedictis, ut libere poſſint expendere, dare, erogare, vendere, & alia quæcunque facere tam in vita, quam in morte de mobilibus bonis ſuis; & inſuper quod licitum ſit eisdem pro neceſſitate ſua, vel pro ſua etiam utilitate immobilia bona ſua vendere paribus ſuis, vel etiam Teutonicis ſeu Prutenis Chriſtianis vel Pomeranis, dum tamen perſonis præfatis Magiſtro & Fratribus ſufficientem faciant cautionem ad valorem immobilis rei vendendæ, quod poſtquam vendiderint ad Paganos non fugient, vel ad hoſtes, quos manifeſte ipſorum Fratrum conſtiterit eſſe hoſtes. Conceſſerunt præterea præfati Fratres Neophytis, ut licitum ſit eis condere teſtamentum de bonis ſuis mobilibus, & etiam immobilibus, ita tamen, quod ſi aliquis aliqua immobilium teſtamento legaverit alienæ Eccleſiæ vel perſonæ Eccleſiaſticæ, eadem Eccleſia vel perſona illa immobilia infra annum vendere teneatur hæredibus defuncti, vel aliis ſupradictis, & habeant ſibi illa Eccleſia vel perſona pecuniam, quam ex venditione receperant pro iisdem. Alioqui anno elapſo illa immobilia ſic legata, & per negligentiam non vendita per annum, ad dictos Magiſtros & Fratres libere devolvantur, cum idem Magiſter & Fratres unam faciant Eccleſiam, & terram, quam habent in Pruſſia, a Romana Eccleſia teneant: credunt & dicunt, quod licitum non ſit eis, ut terram eandem in dominium alterius Eccleſiæ, vel perſonæ Eccleſiaſticæ transferant abſque Summi Pontificis conſenſu & licentia ſpirituali. Quæ omnia Neophyti gratanter receperunt, & conſenſerunt coram Nobis & aliis ſupradictis. Si in prædictis omnibus faciendis præfati Magiſtri & Fratres de quacunque re vendenda tantum voluerint dare, quantum alius, ipſi Fratres omnibus aliis præferantur. Et iidem Fratres fideliter promiſerunt, quod ipſi non impedient, vel procurabunt publice vel occulte, ut ab alio de re illa minus, quam valeat, offeratur. Item conceſſerunt Fratres prædicti Neophytis ſupradictis, ut liceat eis libere contrahere matrimonium cum quibuscunque legitimis ad legitimum matrimonium contrahendum, & ut poſſint eſſe procuratores in omnibus cauſis, & adverſus quoſcunque agere, & iure repetere, ut tanquam perſonæ legitimæ ad omnes actus legitimos admittantur coram Judicibus quibuscunque, tam in foro Eccleſiaſtico, quam in Sæculari. Et ut ipſi & filii eorum legitimi poſſent eſſe Clerici, & religionem intrare, & quod filii ex ipſis Neophytis, qui ſunt, vel erunt ex nobili proſapia prognati, accingi poſſint cingulo militari, & ut omnia breviter comprehendantur, iidem Fratres ſæpe dictis Neophytis conceſſerunt libertatem omnimodam probabilem, quamdiu fidem Catholicam obſervabunt, & in ſubiectione & obedientia Romanæ Eccleſiæ permanebunt, & erga ipſum Magiſtrum & Fratres, & Domum ipſorum fideliter ſe habebunt. Et conceſſerunt iidem Neophyti requiſiti a Nobis, quam legem intendant, vel vellent eligere, vel quæ vellent ſæcularia iudicia obſervare, habito inter ſe conſilio petierunt & elegerunt legem mundanam, & ſæcularia iudicia Polonorum vicinorum ſuorum, & prædicti Fratres conceſſerunt eis benigne. Et ad petitionem ipſorum, & ad mandatum noſtrum ferri candentis iudicium, & omnia alia, ſi qua ſunt in eadem lege contra Deum vel Romanam Eccleſiam, ſive contra libertatem Eccleſiaſticam, ab eadem lege penitus removerunt, & conceſſerunt penitus non ſervari. Et promiſerunt iidem Fratres coram Nobis & aliis antedictis, quod bona dictorum Neophytorum indebite non accipient, nec eis auferent, niſi ſecundum rationabilia iudicia dictæ legis. Porro Neophyti ſæpe dicti, ſpecialiter autem illi de Pomezania, Warmia & Nattania a Nobis inſtructi, quod pares ſunt omnes homines, dum non peccant, & quod ſolum peccatum miſeros facit homines & ſubiectos, & etiam quod quilibet quantumcunque ſit liber, ſi facit peccatum, ſervum ſe facit peccati, nolentes perdere ſupradictam libertatem, nolle ſe de cætero ſubjicere homini pro peccato; coram Nobis & aliis ſupradictis Deo ac Rom. Eccleſiæ, ac Fratribus ſupradictis voluntate ſpontanea firmiter & fideliter promiſerunt, quod ipſi & hæredes eorum in mortuis comburendis & ſubterrandis cum equis ſive hominibus, vel cum armis ſeu veſtibus, vel quibuscunq; aliis rebus pretioſis, vel etiam in aliis quibuscunque ritus gentilium de cætero non ſervabunt; ſed mortuos ſuos iuxta morem Chriſtianorum in cæmeteriis ſepelient, & non extra: idolo, quod ſemel in anno collectis frugibus conſueverunt confringere, & pro Deo colere, cui nomen Curche impoſuerunt, vel aliis diis, qui non fecerunt cœlum & terram, quibuscunque nominibus appellarentur, de cætero non libabunt, ſed in fide Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ Catholicæ, & obedien-

ANNO 1249. dientia & ſubiectione Romanæ Eccleſiæ firmi & ſtabiles permanebunt. Promiſerunt etiam, quod inter ſe non habebunt de cætero Tiluſſones & Linguſchones, homines videlicet mendaciſſimos, hiſtriones, qui quaſi gentilium ſacerdotes in exequiis defunctorum, in tormentorum infernalium pœna promerentur, dicentes malum bonum, & laudantes mortuos de ſuis furtis & ſpoliis, immunditiis & rapinis, ac aliis vitiis & peccatis, quæ dum viverent perpetrarunt, ac erectis in cœlum luminibus clamantes mendaciter aſſerunt, ſe videre præſentem defunctum per medium cœli volantem in equo armis fulgentibus decoratum, uſum in manum ferentem, & cum comitatu magno in aliud ſæculum procedentem, talibus & aſſimilibus mendaciis populum ſeducentes, & ad ritus gentilium revocantes. Hos, inquam, promiſerunt ſe numquam de cætero habituros. Item promiſerunt, quod duas vel plures uxores ſimul de cætero non habebunt, ſed una ſola contenti cum ipſa contrahent unuſquisque ſub teſtimonio competenti, & matrimonium illud in Eccleſia ſtatutis temporibus ſolemnitate debita publicabitur. Promiſerunt etiam, quod nullus eorum de cætero filiam ſuam vendet alteri matrimonio copulandam, & quod nullus uxorem filio ſuo emet vel ſibi. Nam ex hoc inter illos talis conſvetudo, ſicut intelleximus, inolevit, qualis nec inter gentes, ut videlicet uxorem patris ſui aliquis habeat. Cum enim pater aliquam uxorem de pecunia communi ſibi & filio emerat, hactenus ſervaverunt, ut mortuo patre uxor eius ad filium devolveretur, ſicut alia hæreditas de bonis communibus comparata. Et ne quis hac de cauſa novercam ſuam poſſit ſibi vendicare ulterius in uxorem, uxores nec vendere nec emere promiſerunt. Si tamen a ſponſo patri, vel ſponſæ matri, vel e converſo, veſtes & alia clenodia data fuerint, vel promiſſa, vel ſi dos viro, vel donatio propter nuptias uxori data fuerit vel promiſſa, ſecundum quod iura permittunt, hoc nullatenus prohibemus. Inde promiſerunt dicti Neophyti, quod nullus ex eis quacunque de cauſa novercam ſuam de cætero ducet in uxorem, vel uxorem fratris ſui, vel etiam aliam ſibi in primo, ſecundo, tertio, quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu attinentem abſque Summi Pontificis diſpenſatione ac licentia ſpeciali, & quod nullum utriusque ſexus hæredem legitimum reputabunt, vel ad ſupradictam hæreditatis ſucceſſionem admittent, niſi illos ſolos, qui de legitimo matrimonio ſecundum Statuta Romanæ Eccleſiæ fuerint procreati. Et quod nullus filium ſuum vel filiam quacunque de cauſa per ſe, vel per alium abjiciet, vel occidet de cætero publice vel occulte, vel ab alio talia quocunque modo fieri conſentiet vel permittet. Promiſerunt etiam, quod quam cito puer alicuius natus fuerit, vel ad minus infra octo dies, ſi tamdiu poteſt abſque mortis periculo reſervari, ipſum baptizandum facient ad Eccleſiam deportari, & a Presbytero baptizari facient, immergendo puerum ter in aquam, & dicendo: Puer ego te baptizo in Nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Et quia longo tempore Presbyteris & Eccleſiis caruerunt, & idcirco multi non baptizati ad inferos deſcenderunt, & multi adhuc inter eos remanent baptizandi, facient intra menſem in forma Eccleſiæ baptizari, alioqui conſenſerunt, ut bona parentum, qui natos ſuos infra dictum tempus ex contemptu non fecerint baptizari, & etiam bona illorum, qui adulti baptiſmum pertinaciter recipere noluerint requiſiti, publicentur, ipſique extra Chriſtianorum fines nudi in tunica expellantur, ne boni aliorum mores ex eorum pravis colloquiis corrumpantur. Promiſerunt & illi de Pomezania, quod infra proximum Pentecoſten Eccleſias ædificabunt in locis inferius nominatis. Primam in villa, quæ vocatur Pogolowe alio nomine Puleus, ſecundam in villa, quæ vocatur Paſtellivan, tertiam in loco, qui vocatur Lingves, quartam in loco, qui dicitur Liopiez, quintam in Chomor S. Alberti, ſextam in Probis, ſeptimam & Octavam in Gezia, nonam in Proſile, decimam in Reſia, undecimam circa antiquum Chriſtburg, duodecimam in Rerdiz, tertiam decimam in novo Chriſtburg. Illi autem de Warmia promiſerunt, quod infra terminum ante dictum ædificabunt Eccleſias in locis inferius notatis. Primam in villa, in qua ſedet Jedu, vel prope locum illum, ſecundam in Sutimes, tertiam in Bandadis, quartam in Stivia, quintam in Wuntenone, ſextam in Bronsberg. Illi vero in Natania promiſerunt, quod infra eiusdem terminum ædificabunt Eccleſias in Labegano, aliam in vicinia Thumonis, tertiam in Sveviert, & quamlibet iſtam Eccleſiarum tenebuntur ædificare & ornare ornamentis, calicibus, & libris, & aliis neceſſariis, prout decet. Illi de villis, qui ſunt, vel erunt ad quamlibet Eccleſiam aſſignati, ut ad illam conveniant, & in ea vel ex ea Eccleſiaſtica ſuſcipiant Sacramenta. Et promiſerunt omnes prædicti, quod dictas Eccleſias ædi-

ANNO 1249. ædificabunt adeo honorabiles & decoras, quod plus videbuntur delectari in orationibus factis in Eccleſiis, quam in ſylvis. Si autem prædictas Eccleſias non ædificaverint infra terminum ſupradictum, conſenſerunt, ut præfati Magiſtri & Fratres accipiant, vel accipi faciant ab unoquoque ipſorum, ſecundum proprias facultates aliquam rationabilem portionem, & ex his ædificare facient Eccleſias antedictas. Et promiſerunt prædicti Fratres, quod dictis Eccleſiis ædificatis ipſi bona fide eaſdem Presbyteris conferent infra annum, eisque infradicta beneficia aſſignabunt. Et ipſi Neophyti promiſerunt, quod ædificatis dictis Eccleſiis ipſi ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis ad minus ſuas Parochiales Eccleſias frequentabunt. Præterea præfati Fratres cupientes, ut dicunt, ut in dictis Eccleſiis perpetuis temporibus digne Deo & laudabiliter ſerviatur, ſingulas Eccleſias ſupradictas ſic in rerum praeſentia dotaverunt ad praeſens; quod vero ad ſuſtentationem Presbyteri uniuscuiusque Eccleſiae, de praedictis promiſerunt & conceſſerunt octo manſos terrae, quatuor videlicet in campis, & quatuor in ſylvis, & decimam viginti uncorum, duos boves, unum equum, vaccam, & ſi decima Presbyteri, quando advenerit, parata non fuerit, dabit ei etiam annonam, bladum ad faciendum pro ſe tertio & pro equo praedicto, & etiam pro ſeminandis agris ſibi aſſignatis, quouſque tempus advenerit percipiendi decimam ſibi aſſignatam, & inſuper oblationes & legata, & alia, quae ei collocata fuerint intuitu pietatis. Promiſerunt inſuper dicti Fratres, quod quando ad maiorem pacem, & meliorem fortunam venerint, in duabus partibus terrae, poſtquam eis fuerint aſſignatae, & numero & beneficiis ampliabunt. Praeterea promiſerunt Neophyti ſaepe dicti, quod omnes utriuſque ſexus, tam iuvenes, quam adulti in quadrageſima a carnibus & lacticiniis abſtinebunt, & in ſexta feria ſimiliter abſtinebunt, et prout poterunt, ieiunabunt, et dies Dominicos et feſtivos ab omni ſervili opere ſervabunt. Et confeſſiones ſuas ad minus ſemel in anno facient proprio Sacerdoti, et in Paſcha recipient Sacroſanctum Corpus Chriſti, et alia facient et cavebunt, quae debent boni cavere et facere Chriſtiani, prout a Praelatis ſuis, et aliis viris bonis Catholicis fuerint eruditi. Cæterum ne Neophyti videantur ingrati libertatis et gratiae ſupradictae optaverunt, ut dicebant, conceſſerunt coram Nobis et aliis ſupradictis, et firmiter promiſerunt, quod quia difficile eſſet nimis Magiſtro et Fratribus ante dictis omnes villulas Pruſſiae circumire pro ſuis decimis triturandis et adducendis, ipſi Neophyti et ſucceſſores eorum decimam in horrea dictorum Fratrum annuatim conferent trituratam. Et inſuper promiſerunt, quod praedictorum Magiſtrorum et Fratrum omnium et ſingulorum vitam, membra, honorem et iura pro poſſe, et bona fide obſervabunt, nec conſentient vel promittent tacite vel expreſſe, publice vel occulte, quod aliqua fiat proditio contra ipſos, et quod ſi ipſam noverint factam vel faciendam, eam pro poſſe impedient, vel ita prudenter revelabunt, quod ipſi Magiſtri et Fratres ſibi poterunt praecavere, et quod cum Chriſtiano vel Pagano fœdera indebita, ſive colligationes et conſpirationes contra eoſdem Magiſtrum et Fratres de cætero non facient, vel habebunt, et quod ad omnes expeditiones ipſorum ibunt decenter parati, et armati iuxta proprias facultates, et dicti Fratres coram Nobis et aliis ante dictis firmiter promiſerunt, quod ſi qui ex ſupradictis Neophytis in expeditione ipſorum Fratrum a paganis vel hoſtibus captivati, ipſi Fratres ſine ſuo damno ad liberationem illorum fideliter laborabunt. Et ut praedicta omnia firmiter et inviolabiliter in perpetuum obſerventur, Frater Hermannus Vice-Magiſter dictae Domus in Pruſſia pro ſe et univerſis Fratribus dictae Domus fidem dedit. Et praedicti Neophyti coram Nobis corporaliter iuraverunt, quod omnia et ſingula ſupradicta, ſicut promiſſa ſunt et conceſſa, in perpetuum inviolabiliter obſervabunt. Et haec omnia facta ſunt de conſenſu partium, et conceſſa ſalvis in omnibus Apoſtolicae Sedis auctoritate, obedientia, dominio et iure, et ſalvo iure Praelatorum Patriae praeſentium et futurorum, et ſalva omni Eccleſiaſtica libertate, et ſalvis omnibus privilegiis et libertatibus dictorum Magiſtrorum et Fratrum. Denique in ſignum quod praefati diſcordes reducti ſunt ad verae pacis et concordiae unitatem, omnes offenſas praeteritas perpetratas hinc inde Magiſter et Fratres dictis Neophytis de Pomeſania penitus remiſerunt, et illi eis ſimiliter vice verſa, et ſe invicem coram Nobis ad pacis oſculum receperunt. In quorum omnium memoriam et teſtimonium praeſentes literas Sigillo noſtro et Epiſcopi ſupra dicti, qui Nobiſcum in omnibus praeſens fuit. Et quia Religioſus Frater Hermannus, Magiſter dictae Domus in Pruſſia, praeſens non erat, Sigillis praefati Hermanni Vice-Magiſtri et Conventus in Balga et Henrici Marſcalci di-

ANNO 1249. dictæ Domus in Pruſſia fecimus roborari. Actum Anno ut ſupra MCCXLIX. VII. Idus Februarii.

XXIV.

1251. *Renovatio & Confirmatio Privilegii ab* HERMANNO de SALTZA *Ordinis Teutonici Magiſtro, Culmenſis Toruuienſisque civitatis incolis conceſſi.* Datum in Culmen An. 1251. Kalend. Octobr. *Indidem.*

Frater Eberhardus dictus de Seyne, Præceptor Domus S. Mariæ Teutonicorum per Alemanniam, & Vices gerens Magiſtri Generalis per Livoniam & Pruſſiam univerſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpecturis, orationes in Domino Jeſu Chriſto. Noverit univerſitas veſtra, quod Nos, cum ad partes Pruſſiæ pro negotiis plurimis veniſſemus promovendis, inter alia, quæ Nobis diffinienda occurrerunt ibidem negotia, cives Culmenſes ac Thorunienſes turbatos invenimus pro eorum Privilegio, quondam eis a Magiſtro bonæ memoriæ Fratre Hermanno dicto de Saltza, & Fratre Hermanno Balkone, primo eiusdem Terræ Commendatore, donato, & poſtmodum per incendium civitatis Culmenſis amiſſo, cuius rei veritatem a Fratribus noſtris ac aliis Viris honeſtis Nos plenius cognoſcentes, de communi conſilio Fratrum noſtrorum ibidem exiſtentium, pariter & conſenſu, dictos cives lætificantes, Privilegium prædictum ipſis reſtaurandum duximus, in hunc modum.

Frater Hermannus Domus Hoſpitalis S. Mariæ Teutonicorum Hieroſol. Magiſter, & Frater Hermannus Balko eiusdem Ordinis in Pruſſia Proviſor, necnon totus eiusdem Domus Conventus, univerſis Chriſti fidelibus hanc paginam inſpecturis ſalutem in vero Salutari. Quanto plura, quantoque maiora Culmenſis Terræ, ac præcipue civitatum noſtrarum incolæ Culmenſis ſcilicet & Thorunenſis tum pro Chriſtianitatis defenſione, tum pro Domus noſtræ promotione diſcrimina ſuſtinebant, tanto ardentius atque efficacius in omnibus, quibus cum juſtitia poſſumus, eis adeſſe volumus, & debemus. Hinc eſt quod eisdem civitatibus hanc indulſimus perpetualiter libertatem, ut earum cives eligant ſibi in iisdem civitatibus ſingulos Judices annuatim, qui Domui noſtræ & communitati civitatum competant earundem.

II. Eisdemque Judicibus ceſſimus perpetualiter de parte tertia mulctarum judicialium pro culpis maioribus penſatarum; pœnam minorum exceſſuum, quæ quotidiana dicitur, videlicet XII. nummos & infra, eis totaliter concedendo. Ita ut quidquid de talibus Judex infra Tribunal indulſerit, de quatuor ſolidis videlicet & infra, id etiam ex parte Domus noſtræ ſit indultum. Verumtamen de maioribus culpis, ut ſunt homicidia, ſanguinis effuſio & his ſimilia, Judex abſque Fratrum noſtrorum aſſenſu nihil remittat. Nos etiam partes illas, quæ Nos contigerint, in eisdem judiciis vendere & infeudare cuiquam non debemus. ANNO 1251.

III. Igitur civitati Culmen dedimus ad prata, paſcua & alios uſus communes, a terminis cuiusdam villæ, quæ Uſt appellatur per deſcenſum Viſlæ, uſque ad terminos cuiusdam lacus, qui dicitur Renſehe, & de ipſo lacu aſcendendo uſque ad villam, quæ Rude vocatur, & juxta terminos eiusdem villæ uſque ad aliam villam Lunave dictam, & ſic directe ad viam, quæ ducit ad Inſulam S. Mariæ, per viam vero directe uſque ad terminos cuiusdam villæ, quæ Grobene dicitur, & ſic ulterius ad vallem, quæ Browina nuncupatur.

IV. Nec hoc tacendum eſt, quod liberum erit piſcari ſæpe dictis civibus in prædicto lacu, qui dicitur Renſehe, ſicut & Nobis. Præterea ſupradicta bona tam in ſylvis, quam in pratis & agris cum omni utilitate, quam Domus noſtra percipere poſſet exinde, dicti cives in perpetuum libere poſſidebunt. Flumen vero Wiſlam a villa quadam, quæ dicitur Topulna, per deſcenſum uſque ad lacum, qui Renſehe vocatur, cum omni utilitate, exceptis inſulis & caſtoribus, ad communes uſus piſcandi prædictis civibus & peregrinis duximus aſſignandum.

V. Civitati vero Thorun idem flumen in longitudine ac terminis Domini Cuiavienſis Epiſcopi ad unum milliare deſcendendo, & in terra in latitudine circa Wiſlam circumquaque per dimidium milliare cum omni utilitate, exceptis inſulis & caſtoribus, ad communes uſus civium & peregrinorum duximus aſſignandum.

VI. Statuimus autem in eisdem civitatibus Jura Megdeburgenſia in omnibus ſententiis in perpetuum obſervari, hoc indulto, ut cum reus aliquis Megdeburch in ſexaginta ſolidis puniri debeat, hic in triginta ſolidis Culmenſis monetæ mulctetur. Eodem modo in culpis aliis proportionaliter obſervando,

VII. Si vero aliquis dubietatis ſcrupulus de jure judiciario vel de juris judiciarii ſententiis civitatibus emerſerit, in eis-

Anno 1251. eiſdem idem articulus a Culmenſis civitatis Conſulibus requiratur.

VIII. Quia eandem civitatem capitalem eſſe volumus, ac digniorem inter alias jam conſtructas, & ſi quæ adhuc infra Wiſſam, Ozzam & Driwanzam conſtruentur.

IX. Dicti vero cives ac fædales earundem civitatum de communi conſenſu ceſſerunt de jure, quod in Wiſla ſuper navigio hactenus habuerunt, ipſum cum omni utilitate Domui noſtræ libere reſignando.

X. Hac tamen coditione præmiſſa, quod nos dictum navigium pro ſumma, quanta volumus & poſſumus locare ſeu vendere debeamus hominibus, quibus voluerimus, qui in civitatibus, Culmenſi videlicet & Thorunenſi, reſidentes juſtitiam exhibeant unicuique, & accipiant coram civitatum judicibus earundem & naulum uſque ad præſens conſuetum debeamus abſque augmento aliquo deinceps obſervare.

XI. Hiemali vero tempore, cum fuerit glacies, Fratres de conſilio Judicum & Conſulum earundem civitatum naulum ſtatuant, ut eorum diſcretioni videbitur expedire.

XII. Statuimus etiam, ut omnes Clerici & Viri religioſi, de quacunque Religione exſtiterint, abſque omni naulo perpetualiter cum rebus eorum, quas ſecum habuerint, traducantur.

XIII. Quod ſi quis ex ductoribus navium ex prædictis aliquem traducere auſu temerario contradixerit, leviori culpæ ſubiaceat, quali ſcilicet quatuor ſolidorum pœna conſvevit aſſcribi.

XIV. Promiſimus etiam, ut in eisdem civitatibus nullas domos emere debeamus.

XV. Si vero aliquis domum aut aream ſuam Domui noſtræ contulerit intuitu pietatis, eam ad alios uſus conſtruere non debeamus, niſi ad quos aliquis ex civibus conſtruet domum ſuam, & eadem exinde jura & conſvetudines obſervare, quæ & quas alii de ſuis domibus obſervabunt.

XVI. In his tamen conditionibus munitiones noſtras, quas in eisdem civitatibus jam habemus, volumus non includi.

XVII. Parochiam in Culmine dotavimus quatuor manſis juxta civitatem, & aliis quadraginta, ubi eisdem fuerint demonſtrati.

XVIII. Parochiam vero Thorunenſem dotavimus quatuor manſis juxta civitatem, & aliis quadraginta, ubi ei fuerint aſſignati. Et in eisdem Eccleſiis Jus Patronatus noſtræ Domui retinemus, eis in Plebanis idoneis proviſuri. Anno 1251.

XIX. Cæterum ſi aliquæ Parochiæ in villis ſupradictorum civium fabricatæ fuerint, ſi tum villarum ſingulæ earundem octuaginta manſos vel amplius habuerint, promiſimus Parochiarum quamlibet prædictarum quatuor manſis de noſtra ſpeciali parte dotare, & Jus Patronatus habebimus perpetuo in dotatis, eis etiam in idoneis Sacerdotibus proviſuri.

XX. Ad hæc ſtatuimus, ut ſi qua forte quæſtio contra aliquem de bonis ſuis orta fuerit, ſi poſſeſſor vicinos ac alios conterraneos ſuos, quibus notum fuerit rem taliter ſe habere, & teſtimonium juſtæ poſſeſſionis habuerit, potius debeat obtinere bona illa, quam is, qui eum impetit, ab ipſo eadem bona alienet.

XXI. Abſolvimus autem prædictos cives ab omnibus Collectis iniuſtis, & hoſpitationibus coactivis aliiſque exactionibus indebitis, ad omnia bona eis attinentia hanc gratiam extendentes.

XXII. Porro eisdem civibus noſtris vendidimus bona ſua, quæ a Domo noſtra habere noſcuntur ad hæreditatem Flammingicalem, ipſis & eorum hæredibus utriuſque ſexus ea cum omnibus proventibus in perpetuum libere poſſidenda, ſalvis tamen his, quæ Domui noſtræ per totam terram duximus retinenda.

XXIII. Retinemus enim Domui noſtræ in bonis eorum omnes lacus, caſtores, venas ſalis, auri argentique fodinas, & omne genus metalli præter ferrum, ita, ut tamen inventor auri, ſive is, in cuius bonis inventum fuerit, idem jus habeat, quod in terra Ducis Sleſiæ in huiusmodi talibus eſt conceſſum.

XXIV. Inventor autem argenti, ſive is, in cuius agris inventum fuerit, Jus Friburgenſe in huiusmodi inventione perpetualiter obtinebit.

XXV. Quod ſi lacus aliquis ad tres tractus ſufficiens agris alicuius prædictorum civium adiunctus fuerit, ſi is, cuius agri ſunt, eundem lacum loco agrorum acceptare voluerit, in ſua ponimus optione. Si vero maior fuerit, quocunque inſtrumento in eo piſcari voluerit, ad commodum duntaxat menſæ ſuæ, præter rete, quod Newod dicitur, habeat liberam facultatem.

XXVI. Item ſi rivus aliquis agros alicuius civis attigerit, ei, cuius agri fuerint, ſolummodo molendinum ædificare liceat in eodem: ſi vero idem fluvius aptus fuerit pluribus molendinis, Domus noſtra in conſtruendis eisdem aliis tertiam partem priorem ſumptuum faciat, & perci-

Anno 1251. cipiat perpetualiter tertiam partem uſuum de conſtructis.

XXVII. Volumus etiam, ut de qualibet fera, quam ipſi vel eorum homines ceperint, exceptis urſis, porcis & capreolis, armum dextrum Domui noſtræ reddere teneatur. Sane quod de lacubus, molendinis, ſeu feris poſuimus, ad illos duntaxat cives extendimus, qui a Domo noſtra, ſicut ſupra dictum eſt, hæreditati eſſe noſcuntur.

XXVIII. Ipſis etiam hanc contulimus libertatem, ut bona ſua, quæ a Domo noſtra poſſident, vendendi talibus ſane, qui Terræ ac Domui noſtræ bene competant, habeant facultatem, ita, ut hi, qui ea emerint, de manu Fratrum ſuſcipiant, & Domui noſtræ ad idem jus, idemque ſervitium teneantur, quod illi Nobis exinde facere debuerunt, & Nos ea ipſis porrigere ſine ulla difficultate debemus.

XXIX. Licentiamus etiam, ſi forte aliquis antedictorum civium neceſſitatis cauſa allodium ſuum, vel X. manſos ad majus, ab aliis bonis ſuis ſeparare voluerit, & vendere ſeparatim, is idem jus, idemque ſervitium Domui noſtræ debebit facere de reliquo, quod prius de toto noſcitur debuiſſe. Is vero, qui idem allodium vel X. manſos emerit, debet ratione eiusdem allodii cum armatura, quæ Plata vulgariter dicitur, & aliis levibus armis, & uno equo ad arma talia competente Domui noſtræ ad tale obſequium eſſe adſtrictus, quale inferius plenius deſcribetur.

XXX. Addentes, ut nullus eorum, qui nunc a Domo noſtra hæreditati eſſe noſcuntur, hæreditatem aliquam poſſit emere, præter unam.

XXXI. Statuimus ſiquidem, ut quicunque XL. manſos vel amplius a Domo noſtra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto, & armis talibus competente & aliis duobus ad minus equitet.

XXXII. Qui vero pauciores manſos habuerit, cum Plata & aliis levioribus armis, & uno equo ad arma talia competente debet cum Fratribus noſtris in expeditionem, quoties ab eis requiſitus fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes Terræ Culmenſis turbatores.

XXXIII. Cum vero præfati Pomezani in Terra Culmenſi, præſtante Domino, fuerint ulterius merito non timendi, omnes cives prædicti ab omnibus expeditionibus ſunt exempti, ad defenſionem tamen Terræ, videlicet uſque ad Wiſlam, Oſſam & Driwanzam cum Fratribus procedere tenebuntur, ut prædictum eſt, contra Terræ quoslibet invaſores. Anno 1251.

XXXIV. Item ſtatuimus, ut quilibet homo, hæreditatem a Domo noſtra habens, Fratribus noſtris ſolvat exinde unum nummum Colonienſem, vel pro eo quinque Culmenſes, & pondus duarum marcarum ceræ in recognitionem dominii, & in ſignum, quod eadem ſua bona habet a Domo noſtra, & noſtræ debeat jurisdictioni ſubeſſe, & Nos eum favorabiliter confovendo contra eos, qui ſibi injuriam intulerint, debemus, in quantum poſſumus, noſtrum præſidium impertiri. Prædictum autem cenſum ſingulis annis in die Beati Martini vel ab ipſo ad XV. dies dare debent.

XXXV. Quicunque autem in prædicto termino non dederit cenſum ſuum, taliter puniatur: Poſt primos XV. dies in X. ſolidis; elapſis vero aliis XV. niſi perſolverit, X. ſolidorum debito ſit adſtrictus; item evolutis aliis XV. diebus tertio in aliis X. ſolidis, ſi non ſolverit cenſum ſuum, puniatur, & nunc pro his XXX. ſolidis, & pro cenſu ſuo tempore non ſoluto, eius pignora ſine omni contradictione accipi faciet, & habebit accepta, donec ei ſatisfaciat Domus noſtra.

XXXVI. Item ſi forte aliquis debitum obſequium ſuum, quod Domui noſtræ debere dignoſcitur in expeditionibus peragendis, non impenderit, & abſens fuerit, Proviſor Terræ de bonis abſentis alium ſtatuat loco ſui, ſic ut Domus noſtra ſui juris in hac parte ſentiat nullatenus detrimentum.

XXXVII. Item ſtatuimus, ut ſi forte aliquis ex ſupradictis civibus recedens a Terra pactiones ſuas Domui noſtræ non fuerit proſecutus, eidem infra XVIII. ſeptimanas tres termini cum ſententia præfigantur.

XXXVIII. Quod ſi infra easdem 18. ſeptimanas non ſatisfecerit, pœnae XXX. ſolidorum noſtræ Domui reddendorum ſubiacebit; & ſi nec tunc emendaverit, ſingulis ſex ſeptimanis ad ſatisfactionem in totidem Culmenſis monetæ ſolidis compellatur. Si vero infra annum neglexerit emendare, Domus noſtra ſe de omnibus bonis ſuis, donec ſatisfaciat ei de omnibus, intromittat.

XXXIX. Volumus autem, ut de bonis prædictorum civium de quolibet aratro Teutonicali unus modius tritici, & unus ſiliginis in menſura Vladiſlavienſi, quæ vulgari nomine Scheffel dicitur, cui menſura Culmenſis eſt adæquata, & de Polonicali aratro, quod Hacke dicitur, unus modius tritici, in eadem menſura annuatim Diæceſis Epiſcopo pro Decimis per-

ANNO 1251. perſolvatur. Si vero idem Epiſcopus prædictos homines pro aliis decimis angariaverit, pro his Domus noſtra tenebitur reſpondere.

XL. Item ſtatuimus, ut una moneta, Culmenſis videlicet, ſit per totam Terram, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur, ipſi quoque denarii in tanto valore perpetualiter perſeverent, ut eorum LX. ſolidi ponderent unam marcam: & dicta moneta non niſi ſemel in ſingulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit, XII. novi nummi pro XIV. veteribus cambiantur, ut unusquiſque libere emat quamcunque rem, quæ venalis in foro portari conſvevit.

XLI. Item quantitatem manſorum juxta morem Flammingicalem ſtatuimus obſervari.

XLII. Abſolvimus etiam totam Terram prædictam ab omni penitus telonei exactione.

Et ne præmiſſæ conſtitutiones, promiſſiones ac pactiones ab aliquo Succeſſorum noſtrorum infringi valeant aut mutari, præſentem paginam conſcribi fecimus, eam bullarum noſtrarum appenſionibus roborando. Huius rei teſtes ſunt Fratres noſtri, Poppo de Oſterna, Albertus de Langenberch, Theodoricus Marſchalcus, Berlewinus in Culmine, Ludowicus in Quidzin Proviſores; Seculares vero Burchardus Burggrafius Megdeburgenſis, Joannes de Pach, Fridericus de Scherweſt, Bernardus de Kamentz, & alii quam plures, tam religioſi quam ſeculares. Acta ſunt hæc in Thorun Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, quinto Kalendas Januarii. Quoniam igitur hoc Privilegium per Nos Fratrem Eberhardum de Seyne eſt renovatum, de conſilio Fratrum noſtrorum, civiumque ſæpe dictorum conſenſu quædam in eo ſunt mutata, articulis ſcilicet quibusdam exceptis & quibusdam interpoſitis, qui in Privilegio non continebantur antiquo. Ut autem hæc noſtra felix donatio firma & inconcuſſa permaneat, ne in poſterum ab aliquo poſſit infringi, cives quoque dicti ſuper hac ſui mutatione Privilegii nullum penitus gravamen ſuſtineant, præſentem paginam Sigilli noſtri munimine roboramus. Huius rei teſtes ſunt Fratres noſtri Ludovicus Proviſor Pruſſiæ, Henricus Commendator Terræ Culmenſis, Henricus Marſchalcus, Henricus Stango in Chriſteburg, Harthmundus in Elbingo, Mengotus in Balga, Zuhalo in Zantir, Joannes in Culmine, Ravino in Thorun, Hertwicus in Redino Commendatores, Fratreſque Domus ſeniores, Theodoricus de Sulinge, Conradus de Norenberch, Volpettus de Marpurg, Henricus de Moguntia: Seculares vero Joannes Scultetus, Reinico, Razo, Radolphus, Ludeko, Eckhardus, Waſmundus, cives Culmenſes: Fædales vero Hildebrandus Senior, Gotfridus, Fridericus de Neu, Wilhelmus, Hermannus Schultetus in Thorun, Dithardus, Conradus, Lampertus, Lutdechus, & alii quam plures tam Religioſi quam Seculares. Datum in Culmine Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, Kalendis Octobris. ANNO 1251.

XXV.

SUENTOPELCI *Ducis Pomeraniæ Literæ, quibus pacem & concordiam cum Ordine Teutonico opera* JACOBI *Archidiaconi Leodienſis initam ſe ſervaturum promittit.* Actum in Harena juxta Inſulam Fabri Anno 1253. III. Kal. Aug. *Indidem.* 1253.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpecturis S. Dei Gratia Dux Pomeraniæ ſalutem in Domino. Noverit Univerſitas veſtra, quod Nos pro reconciliationis fide jam dudum inter Nos ex parte una, & Religioſos Viros Magiſtrum & Fratres Domus Teutonicorum in Pruſſia ex altera, mediante Honorabili Viro, Magiſtro JACOBO Archidiacono Leodienſ. nunc Lundun. Domini Papæ in Polonia & Pruſſia Legato unita, obſervanda promittimus, quod Nos de cætero univerſa & ſingula, quæ in ipſius Magiſtri JACOBI Litteris ſuper habitis diſcordiis confectis continentur, ſervabimus illibata, ſuperaddentes illi pœnæ in Litteris prælibatis contentæ, quod ſi Nos Terram prædictorum Magiſtri & Fratrum cum centum viris equitibus vel pluribus hoſtiliter invaſerimus, vel fœdus ſocietatis occulte vel manifeſte cum aliquibus Paganis vel Chriſtianis inierimus contra ipſos, Caſtrum Dantzig, & Terra cum pertinentibus omnibus ad prædictorum Fratrum dominium devolvatur, cedentes omni juri, quod in ipſis habere dignoſcimur vel habemus. Soluturi nihilominus 2000. Marcarum, quæ jam nomine pœnæ pro eo, quod compoſitionem inter Nos initam non obſervaverimus, ſupradictis Fratribus ſolvere debebamus, quam pœnam pro bono pacis relaxarunt, ſi, ut prædiximus, compoſitionem inter Nos initam, & ſub Sigillis authenticis conſignatam, ſtuduerimus obſer-

ANNO 1253. ſervare. Præterea omnes quæſtiones, quæ in ipſis moveri poſſunt ſuper damnis & iniuriis, a quibuscunque perſonis de noſtro diſtrictu, abſolvimus, & promittimus Nos pro ipſis Fratribus, ſi contra eos in judicio contendere quis voluerit, judicium ſubituros, ac ſoluturos quidquid ſententiatum fuerit contra eos, excepto eo, quod ſi Dominus Epiſcopus Cuiavienſis ſuper aliquibus articulis voluerit contendere, ipſi Fratres pro ſe reſpondebunt, & faciant, quod de jure ſit faciendum. Fratres vero ſupradicti ſimiliter ab omnibus impetitionibus eorum deſtructivis abſolvere Nos promiſerunt. Acta ſunt hæc coram Filio meo Meſtwino, eo conſentiente & Nobiſcum jurante, ſe ſervaturum ſingula ſupradicta. Primiſlao Palatino, Swetzo Pantino Pincerna, item Dapifero, Caſtrone, Paulo Militibus, & pluribus aliis præſentibus. In Harena juxta Inſulam Fabri Anno Domini 1253. 3. Kal. Aug. in die Sanctorum Abdon. &c.

XXVI.

1255. *Conventio inter* CASIMIRUM *Ducem Cuiaviæ & Magiſtrum Ordinis Teutonici, qua medietatem terræ Lubaviæ idem Magiſter præfato Duci cedit, & certus iniuriarum judicandarum modus præſcribitur.* Actum in Juvene Vladiſlavia Anno 1255. *Ex Originali Sigill.* 5.

In Nomine Domini Amen.

Nos Frater POPPO, Hoſpitalis S. Mariæ Jeroſolimit. Magiſter, notum facimus omnibus præſentem noſtram paginam inſpecturis, quod cum inter Illuſtrem Principem KASIMIRUM Ducem Kuiaviæ & Lanciciæ ex una parte, & Nos ex alia, ſuper diverſis Articulis quæſtio verteretur, tandem prudentium virorum conſilio mediante, de conſenſu & voluntate Partis utriuſque, nec non & Fratrum noſtrorum conſilio, talis inter Nos amicabilis ordinatio intervenit, quod Nos mediam partem Terræ Lubaviæ, ſecundum tenorem Privilegiorum olim inter Dominum Boleſlaum Fratrem dicti Principis quondam Ducem Maſoviæ, & inter Nos conceptorum, dimittimus pleno jure, dominio & poteſtate præfato D. CASIMIRO, quam etiam medietatem Terræ Domini Ducis KASIMIRI magis vicinam, & melius adjacentem juſta facta diviſione eidem curavimus aſſignare. Nobis etiam vice verſa dictus Dominus promiſit omnia adimplere, ad quæ per Privilegia Patris ſui bonæ memoriæ, vel ipſius eſt Nobis & Fratribus obligatus. ANNO 1255. De iniuriis vero & damnis inter Nos factis per Nos vel noſtros eſt taliter ordinatum, quod ad ea, quæ non ſunt in forma judicii, vel per alium modum deciſa, eligantur quatuor viri, duo videlicet Frater Henricus Commendator Terræ Culmenſis, & Reinco civis oppidi Culmenſis ex parte præfati Ducis in noſtra Terra. Nos vero & Fratres, duos Bugoſſa Comitem Palatinum Cuiaviæ, & Vitrannum Sculletum de Gnewkaw duximus eligendos, coram quibus decidantur omnia juſtitia mediante. Quæcunque vero poſtmodum emerſerint, inter homines ſæpius nominati Ducis & noſtros, actor forum rei ſequatur, ubi ſi juſtitiam non invenerit, recurſus habeatur ad ſuperiorem. Piſcatura etiam in Wiſla, ubi communiter aquam habemus cum præfato Duce, libera erit per totum dicto Domino CASIMIRO & Nobis. Ordinatum eſt etiam inter dictum Ducem & Nos, quod quicunque ſervorum præfati Ducis in terram noſtram confugerit, & ipſe per literas ſuas Nobis ſignificaverit, dicens bona fide ipſum ſibi eſſe ſervitutis vinculo obligatum, ipſe ſervus ei ſine omni contradictione reſtituatur. Si vero ſervus ſuus eidem incognitus eſt, per ſex teſtes, quos dicet fide dignos, ipſius conditio probabitur ſervitutis, ac nunc dicto Duci cum uxore & pueris & bonis ſuis omnibus ſalvo jure matrimonii in omnibus dimittetur. Quæ omnia dictus Dux Nobis promiſit vice verſa obſervare. In Wiſla vero, quæ ipſi & Nobis eſt communis, nec per eum, nec per Nos clauſura aliqua conſtruetur. Inſuper promittimus, quod nulli volenti impugnare dictum Ducem, vel terram ipſius impedire, nec per Nos, nec per noſtros impendemus auxilium, conſilium & favorem, quæ etiam dictus Dux Nobis bona fide promiſit. Præterea dictus Dux omni juri, actioni, vel commodo, quod ſibi ex donatione Domini Papæ ſuper terris Polexia & Galenz competebat, renunciavit, & Nos noſtræ appellationi ſimiliter renunciavimus, in cuius rei memoriam perpetuam, præſentem noſtram paginam noſtro, & Venerabilium Patrum Cuiavienſium & Lubicenſium Epiſcoporum, qui huic negotio interfuerunt, & Fratris Erhardi Cuſtodis Poloniæ, Ordinis Fratrum Minorum Sigillis duximus confirmandam. Acta ſunt hæc in Juvene Wladiſlavia, Anno ab Incarnatione Domini MCCLV. præſentibus Godofredo Sacerdote dicto è Muliſin, Borcardo Vice-Magiſtro Pruſſiæ,

BIBLJOTEKA w Wilnie im. Wróblewskich

Anno 1255. ſiæ, Henrico Commendatore Terræ Culmenſis, Burchardo dicto de Parcha, Fratre Birſlawo, Conrado dicto de Nurberg, Rabnone Commendatore de Thorn, & aliis pluribus Fratribus de Domo Teutonica.

XXVII.

Alexandri *Papæ* IV. *Epiſtola, qua Regem* Ottogarum *ad ferendam Fratribus Ordinis Teutonici contra Pruſſos opem hortatur. Indidem.*

Illuſtri Regi Bohemiæ.

Regis aeterni benignitas magnitudinem ſuae gratiae circa Te multipliciter noſcitur effudiſſe, ſed in eo potiſſimum, quod Te in piis operibus reddidit ſtudioſum: ex quibus datur plenitudo fiduciae, quod Tu in praeſenti vita, Regia dignitate praefulgens, & copioſus in proſperis, tandem cœleſtis coronae gloriam apud ipſius Regis clementiam conſequeris, tuo claro nomine, ob illam tamen in multis partibus interim relucente, quod Tu olim pro fide Catholica in Pruſſiae partibus ad honorem Divini Nominis, magnifice promovenda, Crucis aſſumpto ſignaculo, illuc perſonaliter cum magna & famoſa bellatorum multitudine proceſſiſti, Paganos in Terra Sambiae conſtitutos conterendo taliter virtute tui brachii, quod ipſam per Dei gratiam Chriſtiano Dominio ſubiugaſti. Proceſſu vero temporis Tu pie conſiderans, quod ex multiplicato ſtudio beatorum operum maior proveniat cumulus praemiorum perennium, denuo Crucis characterem tuis humeris affixiſti, ut Divinae Tibi ſuffragante potentia Maieſtatis Fideles Chriſti defendas a diſcrimine, quod eis poſſet per ſaevitiam Paganorum, aut aliorum infidelium imminere. De tanta ſiquidem tuorum excellentia meritorum Nos in Domino multa jucunditate perfuſi Serenitatem tuam affectuoſe rogandam duximus & monendam, in remiſſionem Tibi peccatorum iniungentes, quatenus delicioſum Tibi conſtituens, quod ſemper fervens & ſtabilis in iis, quae Deo ſunt placita & opportuna ſalute Fidelium, habearis, dilectis Filiis Fratribus Hoſpitalis S. Mariae Teutonicorum, quorum plurimi pro defenſione fidei Catholicae per manus infidelium in eiusdem Pruſſiae partibus denuo crudeliſſime ſunt occiſi, reliqua parte ipſorum mortis periculum habente prae oculis propter obſidionem duriſſimam, quam ſuſtinent a Paganis, dextra triumphali ſine dilatione ſubvenias, & tui laboris priſtini fructum amœniſſimum de Paganorum ipſorum ſpurcida poteſtate reſumas, ita, quod & Nos, qui Te Filium benedictionis & gratiae paterna in Domino ſinceritate diligimus, ad ea, per quae Tibi ſecundum Deum, honoris & proſperitatis augmentum provenire valeat, eſſe promptiſſimi gaudeamus, & pietas regnantis in ſaecula Domini Jeſu Chriſti, qui effectum placendi ac ſerviendi ſibi diligenter Tibi contulit, poſt decurſum feliciter praeſentis vitae ſpatium, Te clementer aggreget Collegio Principum ſupernorum. Anno 1255.

XXVIII.

Alexander *PP. IV. mandat Epiſcopo Culmenſi, ut Conventionem inter* Casimirum *Cujaviæ Ducem & Magiſtrum ac Ordinem Cruciferorum de terra Lubaviæ factam curet inviolabiliter obſervari.* Datum Neapoli VII. Id. Maii, Pontificatus Anno primo. *Ex Originali.*

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Culmenſi Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Exhibita Nobis dilectorum Filiorum Magiſtri & Fratrum Hoſpitalis S. Mariae Teuton. in Pruſſia petitio continebat, quod cum inter ipſos ex parte una, & Nobilem Virum K. Ducem Cuiaviae & Lanthitiae ſuper poſſeſſionibus Lubaviae, ac diverſis aliis articulis ex altera, materia qæſtionis fuiſſet exorta, demum bonis viris mediantibus amicabilis inter Partes compoſitio intervenit, prout in patentibus Literis confectis exinde, ac dicti Ducis, & Venerabilium Fratrum noſtrorum Cuiavienſis & Lubicenſis Epiſcoporum Sigillis munitis plenius continetur. Quare humiliter petebant a Nobis, ut eandem compoſitionem Apoſtolico curaremus munimine roborare. Nos itaque ipſorum ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus compoſitionem ipſam ſicut rite ſine pravitate, provide facta eſt, & ab utraque parte ſponte recepta, & hactenus pacifice obſervata, facias per Cenſuram Eccleſiaſticam Appellatione remota inviolabiliter obſervari. Datum Neapoli ſeptimo Idus Maji, Pontificatus noſtri Anno primo.

XXIX.

Privilegium Samborii *Ducis Pomeraniæ, quo telonii libertatem in*

ANNO 1255 *in terris ſuis Elbingenſibus concedit.* Datum in Dirſove Anno 1255. XVII. Kal. Jun. *Ex Tabulario Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi Comitis Zaluſcii Epiſcopi Kiiovienſis.*

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Amen.

SAMBORIUS Dei gratia Dux Pomeraniæ univerſis Chriſti fidelibus, præſentem paginam inſpecturis, ſalutem in Domino. Notum eſſe cupimus, tam præſentibus, quam futuris, quod Nos Civitati Elbingenſi propter ſervitia ſpecialia, quibus Nobis ſæpius parata fuit, contulimus in perpetuum talem telonei libertatem, quod unusquiſque civium prædictæ civitatis per totum Dominium noſtrum tranſeat, tam in terra, quam in aqua, abſque omni telonei exactione. Ut autem hoc factum a poſteris ratum maneat & inconcuſſum, præſens ſcriptum noſtri Sigilli munimine roboravimus ad cautelam. Datum in Dirſſove Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, decimo ſeptimo Kalendas Junii.

XXX.

1257. *Conventio* CASIMIRI *Cuiaviæ & Lenciciæ Ducis cum Fratribus Ordinis Teutonici in Pruſſia de non impetendis eorum poſſeſſionibus, præcipue vero Terra Sauſin nuncupata, item de villa Rogow, pro qua ſexaginta marcas argenti dictis Fratribus perſolvit.* Actum in Antiqua Vladiſlavia Anno 1257. pridie Non. Aug. *Ex Originali Sigill. 1.*

In Nomine Sanctæ Trinitatis Amen.

NOverint omnes CHRISTI fideles tam præſentes quam futuri, quod Nos KAZIMIRUS Dei Gratia Dux Cuiaviæ & Lanthiciæ cum Fratre Gerhardo Præceptore Fratrum Domus Theutonicæ in Pruſſia & Fratre H. Commendatore Terræ Colmenſis, & Fratre H. Commendatore de Crienburg, & Fratre H. Commendatore de Thorun, & quibusdam Fratribus eiusdem Ordinis in Antiquam Vladiſlaviam ex mutuo condicto convenientes omnem controverſiam, quæ ſuper diverſis quæſtionibus, quæ inter Nos & ipſos dudum verſata eſt, per amicabilem compoſitionem amputavimus, pace & concordia perpetua inter Nos & dictos Fratres ſtabilita. Sed quia acta mortalium delet oblivio, niſi ſcripturarum perennentur teſtimonio, quædam quæ ibidem ordinata ſunt, ut concordia perhennius obſervetur, de mutuo conſenſu utrarumque Partium conſcripta ſunt in hæc verba. Nos KAZIMIRUS prædictus Dux ſufficienti cautione præſtita ſpopondimus pro Nobis & Hæredibus noſtris, quod omnes terras ſive hæreditates, quæ ſæpe dicti Fratres in præſenti poſſident, & terras, quas labore bellico expugnabunt, ſive quocunque alio juſto titulo in futurum poſſidebunt, nullatenus deinceps impetemus, ſed ipſos Fratres in omnibus, quæ conſervandæ concordiæ opportuna fuerint, ſtudebimus efficaciter promovere. Præterea ſæpe nominati Fratres de Lubovia Nobiſcum concordaverunt, ſicut in Litteris ex utraque Parte confectis plenius continetur, & Nos ceſſimus de impetitione Terræ, quæ Sauſin vulgariter nuncupatur. Item pro villa Rogov ſita prope Juvenem Vladiſlaviam ſolvimus ſexaginta marcas antefatis Fratribus uſualis argenti, renuntiantibus eisdem omni quæſtioni, quæ ſuper eiusdem villæ proprietate ipſis competebat. Acta ſunt hæc mediantibus Religioſis Viris Gardianis Vladiſlavienſibus & Thorunenſibus, præſentibus multis Nobilibus Viris & honeſtis. Ut autem omnia ſupra ſcripta inviolabiliter obſerventur, præſentem paginam Sigillo noſtro duximus roborandam. Datum in Antiqua Vladiſlavia Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquaſimo ſeptimo pridie Nonas Aug. ANNO 1257.

XXXI.

ALEXANDER *Papa IV. donationem Terræ Culmenſis Ordini Teutonico a* CONRADO *Duce Mazoviæ factam confirmat, omniaque tam acquiſita, quam in poſterum ab eodem Ordine acquirenda in jus ac proprietatem Sedis Apoſtolicæ ſuſcipit.* Datum Viterbii VII. Kal. Aug. Pontificatus Anno tertio. *Ex Orig.*

ALEXANDER Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Magiſtro & Fratribus Hoſpitalis S. Mariæ Teutonicorum Jeroſolymitanorum Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Pietati proximum & rationi conſonum arbitrantes, ut vobis, qui voluptatibus ſæculi derelictis tollentes Crucem, ſecuti eſtis Dominum Crucifixum, omnem quam cum Deo poſſumus favoris gratiam liberaliter impendamus, præſertim cum Nos licet immeriti vices eiusdem Domini geramus in terris,

Anno 1257. terris, qui ſua veſtigia ſequentibus perennis vitæ præmia largietur in cœlis. Hinc eſt, quod ſicut veſtro relatu didicimus, cum vos ad Pruſſiæ partes Salvatoris virtute præambula procedentes in Terra nomine Colmen, quam a Chriſtianis longis retro temporibus habitatam, Prædeceſſoribus claræ memoriæ Conradi Ducis Poloniæ dominantibus in eadem, idem Dux vobis pro ſalute ſua & fidelium in confinio dictarum partium poſitorum, pia liberalitate donavit, prout in eiusdem Privilegio ſuper hoc confecto plene perſpeximus contineri, conſtructis per vos Caſtris & Villis non abſque multis laboribus & expenſis, & Prutenorum impetu Divina propitiante gratia refrænato, ac dictorum ſalute procurata fidelium, quos a multis temporibus afflixerat eorundem inſania Prutenorum, Pruſſiae partem Chriſtiano nomini reddideritis ſubiugatam. Nos ad inſtar felicis recordationis J. Papae Praedeceſſoris noſtri volentes, ut pro eiusdem acquiſitione terrae eo plenius veſter animus invaleſcat, quo vos & exiſtentes ibidem fidei Catholicae profeſſores a Nobis obtinebitis gtatiam ſpecialem, quod a vobis ſuffragante exercitu Chriſtiano jam de ipſa terra Auctore Domino noſcitur acquiſitum, in jus & proprietatem Beati Petri ſuſcipimus, & eam ſub ſpeciali Apoſtolicae Sedis protectione ac defenſione perpetuis temporibus permanere ſancimus, ipſamque vobis & Domui veſtro cum omni jure & proventibus ſuis concedimus in perpetuum libere poſſidendam, ita, ut per vos aut alios dicta terra nullius unquam ſubjiciatur dominio poteſtatis. Quae vero in futurum largiente Domino, inſiſtendo defenſioni Chriſtianitatis, de terra Paganorum in eadem Provincia vôs contigerit adipiſci, firma & illibata vobis veſtrisque ſucceſſoribus ſub jure ac proprietate Sedis Apoſtolicae eodem modo ſtatuimus permanſura. Caeterum in eadem terra diſpoſitioni Sedis Apoſtolicae reſervamus, ut per ipſam, cum vos propitiationis Divinae munere optata eiusdem terrae ſpatia contigerit obtinere, ac de ſtatu ipſius per vos plenius fuerimus informati, ordinetur de conſtituendis in ipſa Eccleſiis & inſtituendis ibidem Clericis, Epiſcopis & Praelatis aliis, nec non de providendo, quod iidem de praefata terra congruam habeant portionem, & quod promiſſiones ac pactiones, quas praeſentibus habitatoribus eiusdem terrae fecifſe noſcimini, aut futuris facietis, in poſterum a vobis valeant obſervari, & quod in recognitionem dominii, & perceptae a Sede Apoſtolica libertatis Eccleſiæ Romanæ cenſus annuus perſolvatur, ſicut in Domino ad honorem Eccleſiæ, ac utilitatem veſtram viſum fuerit expedire. Tenorem autem prædicti Privilegii vobis a præfato Duce conceſſi de verbo ad verbum præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt: Anno 1257.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Quoniam juxta Verbum &c. Vide ad An. 1230.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis, conceſſionis & conſtitutionis infringere. vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Eius ſe noverit incurſurum. Datum Viterbii ſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno tertio.

XXXII.

Casimirus *Dux Cuiaviæ Eccleſiæ S. Trinitatis in Culmenſehe donat mediam partem Terræ Lubaviæ.* Actum An. 1257. XVI. Kal. Sept. *Ex Originali.*

In Nomine S. & Individuæ Trinitatis, Amen.

Noverint univerſi tam præſentes quam futuri, quod Nos Kazimirus D. G. Dux Cuiaviæ & Lanciciæ de conſenſu & voluntate dilectorum Filiorum noſtrorum Leſticonis & Semomiſlonis, nulla cogente neceſſitate, imo ſpontanea voluntate, Deo theſaurizare cupientes, pro ſalute animæ noſtræ, nec non liberorum noſtrorum, & pro redemptione animæ Patris noſtri & Uxoris noſtræ Constantiæ mediam partem Terræ Lubaviæ, quæ noſtra fuit, Eccleſiæ S. Trinitatis in Culmenſehe contulimus perpetuo poſſidendam. Fratres autem dictæ Eccleſiæ de liberalitate ſua unam Miſſam ſingulis diebus pro anima Uxoris noſtræ defunctæ dicere non omittent. Ad maius ergo robur ſuper præmiſſis confectum præſens Inſtrumentum noſtri Sigilli charactere duximus roborandum. Acta ſunt hæc ſuper fluvium Wel, Anno gratiæ 1257. die B. Eufemiæ Virginis 16. Kalendas Septembris. Teſtes autem huius rei ſunt Senior Boguſa Palatinus Cuiavienſis, Johannes Caſtellanus Lancicienſis, Albertus Caſtellanus Wladiſlavienſis, Noworid Caſtellanus Dobrinenſis, Jacobus Plenus Plonicenſis, Euſtachius Eberhardus, Conradus Cives Culmenſes, Laurentius Miles, & Joannes Marcerarius.

XXXIII.

ANNO 1260.

XXXIII.

Idem ſub ſpecialem Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcipit omnes Terras & Regiones, quas Ordo Teutonicus de manibus Paganorum eripuerit, dummodo conſtet dictas Terras ad Chriſtianos nunquam pertinuiſſe, eaſque Fratribus eiusdem Ordinis in perpetuum poſſidendas concedit. Datum Anagniæ VIII. Kalen. Feb. Pontificatus Anno ſexto. *Ex Originali.*

ALEXANDER Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Magiſtro & Fratribus Hoſpitalis S. Mariæ Teutonicorum Iroſolimitani Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Operis evidentia declarante, quod vos ad hæc ferventer inſiſtitis, ut cultum Catholicæ fidei tam in Orientis, quam Pruſſiæ ac Livoniæ & in conterminis eis partibus ad Dei gloriam amplietis, Sedi Apoſtolicæ delectabile redditur, ut vos gratioſi favoris affluentia proſequatur. Hinc eſt, quod Nos veſtris ſupplicationibus inclinati omnes terras, regiones, caſtra, villas ſeu oppida, & quæcunque loca, quæ vos adiuti ſubſidio exercitus Chriſtiani eripere poteritis de manibus Paganorum, dummodo non pertineant ad aliquos Chriſtianos, vel Chriſtiani ea non poſſederint a tempore, cuius memoria non exiſtit, ex nunc in jus & proprietatem B. Petri ſuſcipimus, & illa ſub ſpeciali protectione ac defenſione Apoſtolicæ Sedis, poſtquam ad Chriſtianum cultum reducta fuerint, perpetuis temporibus permanere ſancimus, ipſaque vobis & Domui veſtræ cum omni jure & proventibus ac decimis exinde proventuris concedimus in perpetuum libere poſſidenda, ita, quod terræ, regiones, caſtra, villæ aut oppida & loca huiusmodi per vos, aut quoſcunque alios nullius unquam ſubjiciantur dominio poteſtatis: volumus tamen, quod poſtquam illa Deo propitio a vobis fuerint acquiſita & poſſeſſa pacifice, vos ipſorum omnium & praedictarum etiam decimarum certam partem Eccleſiis, earumque Praelatis conſtituendis ibidem, juxta providentiam Sedis Apoſtolicae, teneamini aſſignare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae protectionis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Anagniae, octavo Kalendas Febr. Pontificatus noſtri Anno ſexto. ANNO 1260.

XXXIV.

CASIMIRI *Lanciciæ & Cuiaviæ Ducis Compromiſſum cum Magiſtro Ordinis Teutonici Hanno de Sangerhauſen in Arbitros mutuarum controverſiarum.* Actum in June Vladiſlaw An. 1263. *Ex Originali. Sigil. 2.* 1263.

NOS KASIMIRUS Dei Gratia Lanchiciae & Cuiaviae Dux notum volumus eſſe univerſis praeſentem paginam inſpecturis, quod cum inter Nos ex una parte, & Magiſtrum ſummum nomine ANNO, & Fratres Domus S. Mariae Teutonicorum in Prutia ex altera, multae diſcordiae fuiſſent exortae ſuper dampnis & iniuriis hinc inde illatis ad perpetuam pacem inter Nos & Fratres praedictos firmandam, ad inſtantiam proborum virorum Nos KASIMIRUS Dux praedictus pro Nobis & noſtris Haeredibus in Nobilem Virum Ducem SAMBORIUM, & in Venerabilem Patrem Dominum VELIMIRUM Vladiſlavienſem Epiſcopum ex una parte, & Magiſter ANNO praedictus pro ſe & Fratribus ſuis tam praeſentibus quam futuris, in Fratrem Fredericum de Huſen, & Fratrem Johannem de Wegeleyben ex altera, nec non & in Venerabilem Patrem Henricum Culmenſem Epiſcopum de communi conſenſu Partium tanquam in veros Arbitros compromiſimus ſub pœna mille marcarum argenti, ratum habituri & firmum, quidquid dicti Arbitri ſuper praemiſſis duxerint arbitrandum, ita tamen, quod ad quamcunque Partem dictus Culmenſis Epiſcopus cum duobus ex iſtis Arbitris ſe inclinaverit, illorum praevaleat ſententia, ſi omnes in unam non poterunt ſententiam concordare; damus eis auctoritatem continuandi diem dici uſque in diem Dominicam, niſi de conſenſu Partium in ulteriorem terminum prorogetur. Et quia judicia Fratrum Terrae Prutiae diſcordant a juribus Terrae noſtrae, damus eiſdem poteſtatem jus aliquod commune noſtris & eorum hominibus ſtatuendi, quod juri ſit conſonum & aequitati. Inſuper pœna appoſita arbitrium non tenenti & non ſervanti applicetur. In cuius rei teſtimonium praeſens ſcriptum noſtrorum Sigillorum appenſione duximus roborandum. Actum in June Vladiſlaw Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio.

XXXV.

Anno 1264.

XXXV.

Tranſumptum donationis partis Territorii Culmenſis cum Caſtro Grudenz, aliiſque centum villis in eodem Territorio per Conradum *Ducem Maſoviæ* Christiano I. *Epiſcopo Pruſſiæ factæ.* Datum Thorun. Anno 1264. *Ex Originali Sigilla 5.*

Anselmus Dei Gratia Epiſcopus Warmienſis, Apoſtolicae Sedis Legatus univerſis, ad quos praeſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Domino ſempiternam. Litteras ſubnotatas veris ſigillis ſubſcriptorum munitas vidimus & perlegimns in haec verba: *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Ego* Conradus *Dei Gratia Dux Mazoviæ & Cuiaviæ notum facio omnibus fidelibus tam futuris quam præſentibus, quod Venerabili Domino* Christiano *Epiſcopo Pruſſiæ primo &c.* Vid. ad An. 1222. pagina 2.

In huius rei teſtimonium praeſens ſcriptum noſtri ac Honorabilium Virorum Fratris Annonis Hoſpitalis Sanctae Mariae Teutonicorum Jeroſolimitani Magiſtri, Fratris Conradi de Nüremberg Praeceptoris Allamanniae, & Fratris Lodewici de Battenſcheim Magiſtri Pruſſiae & Commendatoris Bohemiae, qui etiam ſupraſcriptas Litteras viderunt & perlegi fecerunt Sigillorum munimine roboramus. Datum Thorun Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto, Menſe Februarii

XXXVI.

1271. *Inſtrumentum Concordiæ inter* Boleslaum *Ducem Poloniæ &* Theodoricum *de Gadersleben Magiſtrum ac Fratres Ordinis Teutonicorum in Pruſſia opera Epiſcopi Vladiſlavienſis ſancitæ; quo* Boleslaus *pro illatis damnis dictis Fratribus centum ſexaginta marcas argenti ſe ſoluturum promittit.* Actum in Juvene Vladiſlavia An. 1271. d. 31. Octobr. *Ex Orig.*

Nos Boleslaus Dei Gratia Dux Poloniae. Ad notitiam univerſorum harum teſtimonio reducimus profitentes, quod inter Nos & dilectum Amicum noſtrum Fratrem Th. de Gadersleben Magiſtrum Ordinis Teutonicorum & Fratres ſuos ſuper dampna ſibi per noſtros homines Polonos illata ſuper bonis ſuis in Orlow, Murin & Sleſow, ac in villis ſuis adiacentibus tempore guerrae & obſidionis per Nos Terrae Cuiaviae & civitatis Juvene-Vladiſlavienſis compoſitionem fecimus infra ſcriptam. Praeſente Venerabili Patre noſtro Domino Velymiro Eccleſiae Vladiſlavienſis Epiſcopo mediatore ac interlocutore ſalubriter exiſtente, caeteriſque noſtrae Curiae fidelibus ad hanc concordiam dantibus operam efficacem videlicet in hunc modum: Nos dabimus dictis Fratribus pro dampno eorum in ſupradictis locis per noſtros homines ipſis illato centum & ſexaginta marcas argenti uſualis in tribus terminis deputatis, ſcilicet in Purificatione S. Mariae Virginis ſexaginta marcas, item infra Octavas Paſchae quinquaginta marcas, item in Octava Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum quinquaginta marcas, ad huius pecuniae perſolvendae plenam ſecuritatem ipſis obligavimus una Nobiſcum perſonas inferius annotatas pro fideiuſſoria cautione, Petrum noſtrum Cancellarium, Tomiſlaum Pincernam Poznanienſem, Venceſlaum de Starigrod, Zementam de Duſſin, Nicolaum de Zarnkow, Sbilutum de Razim, Slaſanum de Brod Caſtellanos, Roſconem Subcamerarium Gneznenſem, Sandivogium Marſchalcum, Nicolaum Subdapiferum, Mathiam Palatinum, Rozzalium de Juvene Vladiſlavia, Bezzadonem de Zagople, Petrum de Razegow, Albertum Theſaurarium, & Nicolaum Subjudicem Caſtellanos Cuiavienſes. Caeterum aliquos homines & Prutenos de Terra Domini M. Ducis Pomeraniae ibidem fuiſſe ſuper dampnis ſaepedictorum Fratrum praeſentibus conteſtamur, de quibus juſtitiam conſequendi ipſis conſilium promittimus & juvamen. Fratres vero ſinguli fidelitatem Nobis & amicitiam promiſerunt. Et quia Sigillo proprio caruimus, Sigillo Venerabilis Patris noſtri Epiſcopi Vladiſlavienſis uſi ſumus. Actum in Juvene Vladiſlavia Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, in Vigilia omnium Sanctorum.

XXXVII.

Samborii *Ducis Pomeraniæ donatio Terræ Wenzeke, aliarumque illi adiacentium cum pleno jure ac dominio Ordini Teutonico.* Datum in Elbingen An. 1276. IV. Kal. Apr. *Ex Origin.* 1276.

Vniverſis Chriſti fidelibus tam praeſentibus, quam futuris praeſentem paginam

Anno 1276.

nam inſpecturis, Samborius D. G. Dux Pomeraniae ſalutem in omnium Salvatore. Quoniam univerſorum Creatori non poſſumus ſollicitudine debita deſervire, nec ipſius benignitate quotidianis nos ſupplicationibus commendare, ſaluberrimum arbitramur illis Eleemoſinarum praebere ſubſidia, qui in Dei ſervitio, devotis orationibus, caeterisque ſpiritualibus exercitiis ſuccincti baltheo Militiae Jeſu Chriſti ſtrenue occupantur. Ad notitiam igitur univerſorum cupimus devenire, quod Nos Terram noſtram Wenzeke alio nomine vocatam Meweict, & Terras adiacentes diſtinctas ſub terminis infra ſcriptis, ob honorem & reverentiam Jeſu Chriſti, ac ipſius Matris Virginis Glorioſae, pro animae noſtrae remedio & ſalute, Hoſpitali, Domui ac Ordini Domus Teut. damus, conferimus ac tradimus in manus Fratris Conradi de Thierberch Magiſtri Pruſſiae in veram ac puram Eleemoſynam perpetuo poſſidendas, quarum terminos ſic duximus diſtinguendos: Primus terminus eſt a Weriſſa, ubi Wiſlam influit, deſcendendo inferius circa Wiſlam ad villam Roſſizina, & villam eandem cum Terra adiacente uſque ad vallem Garzeke, & ab illa directe uſque ad villam Monachorum Raychowe, & ab eadem directe uſque ad Veriſſam, & ab illa directe aſcendendo uſque ad Caſtrum Staregarde, & a ponte ibidem tranſeunte Veriſſam & publicam ſtratam, quae tendit verſus Sweze uſque ad Granizam Timow, & ab illa uſque Wangremiza, & eandem aquam & Terram inferius deſcendendo uſque Veriſſam, ubi Wiſlam influit, in primo termino ſupraſcripto, omnia haec praedicta bona libere & ſine omni onere cum omnibus ſuis pertinentiis, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſylvis, nemoribus, ſaltibus, paludibus, ſtagnis, piſcariis, caſtoribus, ac omnibus venationibus quarumcunque ferarum, cum fluvio Wiſla & aliis fluviis, aquis, aquarumque decurſibus, navigiis, paſſagiis, pontibus, molendinis, inſulis, foris, monetis, teloneis terrarum & aquarum, montibus, vallibus, argentique fodinis, & omne genus aeris ſive metalli ac gemmarum, fontes vel venas ſalis, & quidquid omnino in terra, vel ſupra terram ſeu in aquis inventum fuerit, cum omni utilitate, quae nunc eſt, vel in poſterum apparebit, ſub praedictis terminis in longum, latum & profundum, cum omni jurisdictione, judicio & diſtrictu, quo Nos eadem poſſedimus, nec Advocatia, vel ullo prorſus jure vel obſequio quocunque nomine cenſeatur, Nobis, vel noſtris Haeredibus in eisdem reſervatis, omne plenum & integrum jus proprietatis & poſſeſſionis praefatorum bonorum, in Hoſpitale, Domum & Ordinem antedictorum Fratrum, cum omni vero rerum dominio transferentes. Praeterea de decimis Wladiſl. Eccleſiae praedictos Fratres de bonis ſupradictis, ſicut & totam Terram noſtram exſolvimus, perſolvendis, pleno jure, quo Nos gaudemus in iisdem liberos eſſe volumus, & exemptos: caeterum ſi eosdem Fratres ſuper praedictis bonis quiſpiam impetierit, vel aliquod jus ſibi uſurpare praeſumpſerit, ac etiam evincere acceptaverit, de evictione cautionem eis firmiter praeſentibus pollicemur. In huius rei teſtimonium & perpetuam firmitatem Sigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum. Huius rei teſtes ſunt Dominus Wernherus Epiſcopus Culmenſis, Frater Ludolphus Ordinis Ciſtercienſis Abbas in novo Dobran, Frater Staniſlaus Ordinis Praedicatorum Prior in Elbingen, Frater Conradus de Tierbergk Marſchalcus Pruſſiae, Frater Bertholdus Commendator Provincialis Terrae Culmenſis, Frater Helboldus Commendator in Elbingen, Frater Hermannus de Schonenberg Commendator in Chriſtburg, Frater Manegoldus Commendator in Königsberg, Frater Fridericus de Holdenſteten Commendator Nathangiae, Frater Diedericus Commendator in Balga, Frater Diedericus Commendator in Santiro, Frater Albertus de Ipillensdorff Commendator in Thorun, Frater Arnoldus Crop Commendator in Birgelow, Frater Henricus de Wilnowe, Frater Engelhardus, Frater Synndoldus, Dominus Gerhardus Plebanus in Culmine, Dominus Ludolphus Plebanus in Thorun, Dominus Gottfridus Plebanus in Elbingen, Marckt Heintze de Eſſede, Joannes de Hadersleve Conſules in Elbingen, Ludeke de Brunſchweig, Kuntz in Hohenburg, Henricus de Neuenburg Civis in Lübecke. Datum in Elbingen Anno Domini 1276. IV. Kal. April.

Anno 1276.

XXXVIII.

Rudolphi *Imperatoris confirmatio Privilegiorum & donationum a Ducibus Pomeraniæ Ordini Teutonico factarum.* Datum Bopardiæ IV. Kal. Aprilis Anno 1276. *Ex Originali.*

Rudolphus D. G. Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, univerſis Sancti Romani Imperii fidelibus Gratiam ſuam &

Anno 1276. & omne bonum. Cum Perſonis Eccleſiaſticis, locisque Deo dicatis quid honoris & gratiæ impenditur, & præſentis vitæ ſolatia, & futuræ beatitudinis præmia impendenti apud largitorem ſupremum, bonorum omnium datorem optimum ex impenſo largitatis munere reſpectum gratiæ gratioſæ, multiplicis boni fructum, tam in præſenti ſæculo quam futuro credimus, imo certum gerimus provenire. Id attendens noſtra Serenitas, preces Religioſorum Virorum, Fratrum Domus Teutonicæ ſuper confirmatione Privilegiorum eorundem & donatione bonorum quorundam in partibus Terræ Pomeraniæ liberaliter duximus admittendas; habentes igitur gratam & ratam donationem ſive collationem Caſtrorum, Terrarum, Poſſeſſionum & Jurium, dictis Fratribus ab Illuſtribus Principibus Mestwino Duce Pomeraniæ, & Ratiboro ipſius Ducis Conſanguineo, pro ſuarum ac Parentum ſuorum animarum remedio traditorum, donationem ipſam cum omnibus ſupradictis Poſſeſſionibus, Caſtris, Terris & Juribus auctoritatis noſtræ munimine confirmamus. Privilegia quoque dictis Fratribus ſuper his tradita, robur obtinere volumus firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtram conceſſionis gratiam infringere, aut ei auſu temerario contraire. Quod qui facere præſumpſerit, gravem noſtræ Maieſtatis offenſam ſe noverit incurriſſe. Datum Bopardiæ 4. Kal. Aprilis, Indictione quarta, Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Regni vero noſtri Anno tertio.

XXXIX.

1282. *Concordia inter* Mestwinum *Ducem Pomeraniæ, & Magiſtrum ac Fratres Ordinis Teutonicorum in Pruſſia, auctoritate Legati Apoſtolici facta, ope cuius Terram Meve, nec non Ducatum Svecenſem, aliaque bona idem Dux præfato Magiſtro & Fratribus cedit.* Datum apud Caſtrum Miltz An. 1282. d. 18. Maji. Pontificatus Martini Papæ IV. Anno ſecundo. *Ex Originali.*

Vniverſis præſentes Litteras inſpecturis, Philippus miſeratione Divina Firmianenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Salutem in omnium Salvatore. Noverit univerſitas veſtra, quod cum inter Nobilem Virum Mestwinum, D. G. Ducem Pomeraniæ ex una parte, & Religioſos Viros, Magiſtrum & Fratres Domus S. Mariæ Teutonicorum Jeroſol. Pruſſiæ ex altera, jam dudum ſuper quibusdam poſſeſſionibus, prædiis, honoribus, jurisdictionibus, ac aliis bonis & juribus, quæ Magiſter & Fratres jam dicti in Terra ſive Ducatu ejusdem Ducis ad ſe de jure ſpectare dicebant, multarum quæſtionum & litium fuiſſet exorta materia, per quam non ſolum Magiſtro & Fratribus ac Duci prædictis, verum etiam Fidei Chriſtianæ & habitatoribus partium prædictarum multa damna, graviaque pericula & ſcandala poterant veriſimiliter evenire, poſt plures monitiones & citationes, ad petitionem & inſtantiam dictorum Fratrum, ſuper poſſeſſionibus, prædiis, juribus & honoribus ante dictis auctoritate noſtra emiſſas & factas, Magiſter & Fratres ac Dux præfati inter ſe de compoſitione habuere Tractatum. Qui tandem Nobis mediantibus, ad infra ſcriptam compoſitionem, tranſactionem & concordiam pervenerunt, videlicet, quod idem Dux eisdem Magiſtro, Fratribus ac Domui S. Mariæ Teut. de Pruſſia, in manus Religioſi Viri Fratris Manegoldi Magiſtri Pruſſiæ & Livoniæ ſupra dicti, recipientis nomine ſuo ac nomine prædictorum Fratrum & Domus in veram proprietatem, jus atque dominium, tranſactionis nomine, contulit, reſignavit, reliquit, dedit & ceſſit totam Terram Venzeke vulgariter dictam, quæ Meve alio nomine nuncupatur, prout extenditur & diſtinguitur terminis & limitibus infra ſcriptis, exceptis & reſervatis poſſeſſionibus & juribus, quas Monaſterium de Oliva Ordinis Ciſtercienſis habet, tenet & poſſidet, intra confines prædictos, quas poſſeſſiones & jura idem Dux voluit eidem Monaſterio, prout ad ipſum pertinent, remanere. Primus quidem terminus eſt a Veriſſa, ubi Viſlam influit, inferius deſcendendo Viſlam ad villam Roſizina, ac villam eandem cum terra ſibi adjacente, uſque ad vallum ſeu locum Caſtri Garzeke nominati, & a loco illo directe uſque ad villam Monachorum Raichove, & ab illa villa directe uſque ad præfatam Veriſſam, & ab illa directe aſcendendo uſq; ad Caſtrum, quod dicitur Staregarde, & a ponte ibidem tranſeunte, Veriſſam & publicam ſtratam, quæ tendit verſus Sweze, uſque ad Graniciam ſive metam Timowe, & ab illo loco uſque Wangromadize, & eandem aquam & terram inferius deſcendendo uſque Veriſſam, ubi Viſlam influit, in primo termino ſupra dicto. Et quoniam, Anno 1282.

Anno 1282. niam, ut dicebatur, eiſdem Magiſtro & Fratribus in Ducatum Swecenſem, & Neuenburg & Timove, occaſione cuiusdam donationis eis factæ per Ducem eundem, de prædictis bonis, ac etiam de quadam parte Pomeraniæ, quæ ad eosdem Fratres devoluta fuerat, ut dicebant ex collatione quadam Ratiborii Patrui dicti Ducis, qui per ingreſſum Religionis eorundem Fratrum ſe & ſua Deo, & ipſi Domui S. Mariæ dedicaverant, actio competebat, præfatus Dux tranſactionis nomine Magiſtro, Fratribus & Domui ſupra dictis in jus & veram proprietatem contulit, tradidit & dedit, atque ad terram & conceſſiones ac reſignationes prædictas addidit quandam villam, Medilanze vulgariter dictam, cum Granitiis ſive terminis ſubnotatis. Primus terminus eſt a villa Roſizina Wiſlam deſcendendo uſque Slantzam, & ab eo loco ad locum Caſtri Garzeke, item eodem modo contulit, tradidit & donavit ipſis Magiſtro, Fratribus & Domui ſupra dictis, aquas videlicet, maiorem & minorem Kabell cum inſula interclusa. Item ſimili modo contulit, tradidit & donavit, iisdem omnia bona ſita inter villam Lichtenove & Miloradesdorp. Item ut ſupra contulit, donavit & tradidit Magiſtro, Fratribus, Domui ſupra dictis, duas aquas, videlicet Olſchiza & Barſitza cum fluentibus & omnibus utilitatibus eorundem, contulit etiam & donavit Dux præfatus eisdem in Neria a Granitia ſive termino eorum aſcendendo juxta mare ſalſum verſus Gdanſk in longitudine duo milliaria, & triginta funes in latitudine Neriæ per transverſum, prædicta namque omnia bona libere & ſine omni onere, cum omnibus ſuis pertinentiis, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſylvis, nemoribus, ſaltibus, ſalicetis, paludibus, ſtagnis, piſcariis, caſtoribus, atque omnibus venationibus, quarumcunque ferarum in fluvio Wiſla & aliis fluviis, aquis, aquarumque decurſibus, navigiis, paſſagiis, pontibus, molendinis, inſulis, foris, monetis, teloneis terrarum & aquarum, montibus, vallibus viis & inviis, auri argentique fodinis, & omne genus æris ſive metalli, aut gemmarum, fontes vel venas ſalis, & quidquid omnino in terra vel ſupra terram, in aquis inventum fuerit, cum omni utilitate, quæ nunc eſt, vel in poſterum erit, quæ nunc apparet, vel in poſterum apparebit, ſub eisdem terminis in longum, latum atque profundum, cum omni jure, jurisdictione, honore, ſeu judicio atque diſtrictu, idem Dux contulit, tradidit, dedit & ceſſit Magiſtro, Fratribus & Domui ſupra dictis in perpetuam proprietatem atque generale dominium, nullis juribus, honoribus, jurisdictione ſeu obſequiis, aut ſervitutibus, quibuſcunque nominibus cenſeantur, ſibi vel Hæredibus aut Succeſſoribus ſuis in prædictis, vel eorum aliquo reſervatis. Promiſit & aſſumpſit etiam Dux præfatus abſolvere & expedire omnia bona prædicta a ſolutione & præſtatione decimæ cujuscunque, & ab omni impetitione & exactione Hæredum ſuorum, ac aliarum perſonarum et Clericorum ſæcularium, ſeu Religioſorum, ipſos Fratres et Terram facere liberos et immunes. Praedicti quoque Magiſter et Fratres verſa vice conceſſerunt, et pariter conſenſerunt Duci praefato, quod homines ſui piſcari poſſint in eorum recenti mari cum retibus, quae Nywoch et Storknetze vulgariter appellantur, a Campenkne ſub Neria deſcendendo verſus Lypam, unum milliare in longitudine, et a Neria uſque ad medium recentis maris. Veruntamen magna retia, quæ Lancken vulgariter dicuntur, nullatenus ibi ponent, nec aquas ſupra dictas, quas memoratus Dux Fratribus contulit, ut ſupra, et tradidit, ſaepedictis huiusmodi retibus aliquatenus præoccupabunt. Promiſerunt etiam dicti Magiſter et Fratres omnia Privilegia, quæ ab ipſo Duce M. vel Patruis eius, ſeu quibuscunque aliis habent et obtinent ſuper terris, poſſeſſionibus, prædiis et juribus, quæ dictus Dux detinet, ſeu habet, vel quæ ipſius nomine detinentur, aut habentur, Privilegio Ducis quondam Sambori[1] de terra vel ſupra terram, quoniam dictis Magiſtro, Fratribus et Domui contulit, tradidit, reſignavit et dedit idem Samborius, duntaxat excepto, quod Privilegium penes Fratres eosdem pro ſua debet remanere cautela, in noſtris manibus libere reſignare, hac expreſſe conditione adiecta, quod poſtquam præfatus Dux M. liberam et expeditam poſſeſſionem omnium prædictorum Magiſtro, Fratribus et Domui tradiderit ſupra dictis, quorum poſſeſſionem infra ſcripto modo tradere aſſumpſit, atque promiſit, deſertorum ſcilicet et eorum, quæ in eiusdem Ducis libera poteſtate, proprietate et poſſeſſione conſiſtunt, uſque ad 14. dies a praeſentium data, et aliorum omnium uſque ad Calendas Auguſti, ſive feſtum B. Petri ad vincula proxime venturum, ex tunc Nos eadem Privilegia praefato Duci, vel ſuo certo Procuratori ſeu Nuntio, aut cui mandaverit, aſſignare ſeu reſignare, aut dare et reſtituere debeamus. Praefati quoque Dux, pro ſe, et nomine ſuo, ac Haeredibus et Succeſſoribus ſuis, et Magiſter

Anno 1282. giſter praefatus, ac Frater Conradus de Thierenberg Marſchalcus Pruſſiae pro ſe ac Fratribus et Domo praedictis, et Succeſſoribus eorundem ſe et omnia bona ſua, ſub pœna mille marcarum auri puri expreſſius obligarunt, ad omnia et ſingula ſupra dicta facienda, implenda, ac inviolabiliter obſervanda, quae pœna mille marcarum auri totiens comitari, peti ac exigi poſſit cum effectu, quotiens per alterutram partium contra factum fuerit, in praedictis, vel aliquo praedictorum, ſeu ea impleta non fuerint, et ſervata, ut ſuperius continetur. Et eius quidem pœnae medietas Eccleſiae Romanae, reliqua vero medietas cedat parti ſervanti praedicta, ipſaque pœna a parte non ſervante, ſeu violante praemiſſa ſolvatur. Qua pœna ſoluta, vel non ſoluta, contractus compoſitionis et tranſactionis huiusmodi in ſuo ſtatu & robore perſeveret. Et nihilominus praefati Dux, Magiſter et Marſchalcus ſe ad praemiſſorum impletionem et obſervantiam ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto ipſe Dux, Haeredes ac Succeſſores eiusdem, nec non Magiſter et Marſchalcus, ac Praeceptores dictæ Domus in Pruſſia, qui nunc ſunt, vel pro tempore fuerint, incurrant, ſi contra fecerint, vel non ſervarint ſupra dicta, ſpecialiter et expreſſius adſtrinxerunt. Ad maiorem autem praedictorum omnium firmitatem, praefatus Dux pro ſe, Haeredibus et Succeſſoribus ſuis, cum Andrea Caſtellano ſuo in Gdanſk, et Magiſter et Marſchalcus praedicti pro ſe, et in animabus ſuis, ac Fratrum praedictorum, tactis corporaliter ſacroſanctis Evangeliis juraverunt, et inter ſe mutuo ſolenni ſtipulatione interpoſita, promiſerunt praedicta omnia et ſingula, ut ſuperius annotantur, implere, et perpetuo inviolabiliter obſervare, nec ullo unquam tempore contra ea facere, vel modo aliquo, ſeu cauſa venire. In quorum omnium teſtimonium et perpetui roboris firmitatem, Nos praedictus Legatus ſupra ſcriptas Litteras infra ſcriptum Philippum Notarium noſtrum, noſtro, et praefati Dux et Magiſter ac Marſchalcus ſuis Sigillis fecimus communiri. Datum et actum apud Caſtrum Militz, Wrat. Diœceſis, Anno Domini 1282. Indictione decima, die decimo octavo menſis Maji, Pontificatus Domini Martini Papæ quarti anno ſecundo. Praeſentibus Patre Domino Thoma Epiſcopo Wrat. et diſcretis Viris, Magiſtro Simone Praepoſito Opolien. Fratre Joanne Abbate Monaſterii de Oliva, Ordinis Ciſterc. Wladiſlav. Diœceſis, Fratre Lipoldo Priore Domus S. Spiritus de Vienna, Magiſtro Antonio Archipresbytero Firman. et Canonico Wrat. Fratre Goſlao quondam Provinciali Priori, et Fratre Petro Lectore Ordinis Fratrum Praedicatorum de Wrat. Nicolao de Regio Rectore Eccleſiæ de Winn, Wrat. Diœceſis, Luca Jaurem. et Alben. Can. de Hungaria, Paulo Caſtellano in Sweze Wlad. Diœceſis, et Antonio de Laude Notario, ac pluribus aliis teſtibus ad hoc vocatis, et rogatis. Et ego Philippus de Flechis, de Cramonia, publicus tam ſacroſanctae Romanae Sedis, quam Imperiali auctoritate Notarius, praedictis interfui, et de mandato praefati Reverendi Patris Domini Legati ſupra ſcriptas Litteras ſcripſi, publicavi, me ſubſcripſi, meoque conſueto ſigno ſignavi rogatus. Anno 1282.

XL.

Martini *Papæ IV. confirmatio concordiæ inter Ducem Pomeraniæ* Mestwinum *& Ordinem Teutonicum opera Legati Apoſtolici factæ.* Datum apud Montem Fiaſconem VIII. Idus Novemb. Pontificatus an. ſecundo. *Ex Originali.*

Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis Magiſtro & Fratribus Domus S. Mariae Teutonicorum Jeroſolymitan. in Pruſſia Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum a Nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Exhibita ſiquidem Nobis veſtra petitio continebat, quod, cum olim inter vos ex parte una, & Nobilem Virum Mestwinum Ducem Pomeraniae ſuper quibusdam poſſeſſionibus, honoribus, jurisdictionibus, juribus & rebus aliis ad vos ſpectantibus ex altera, orta eſſet materia quæſtionis, tandem ſuper iis, mediante Venerabili Fratre noſtro Philippo Firmiano Epiſcopo, tunc in illis partibus Apoſtolicæ Sedis Legato, amicabilis inter Partes compoſitio intervenit: prout in patentibus Litteris inde confectis, veſtro ac Epiſcopi & Ducis praedictorum ſigillis ſignatis, plenius dicitur contineri. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, compoſitionem huiusmodi, ſicut rite, ſine pravitate, provide facta eſt, & ab utraque parte ſponte recepta, & hactenus pacifice obſervata, ratam & gratam habentes, eam auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus.

ANNO 1282. mus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum apud Montem Fiaſconem VIII. Idus Novemb. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

XLI.

1293. VESIMIRI *Ducis Pomeraniæ Privilegium, quo Elbingenſes in ſuis ditionibus negotiantes ab omni exactione telonii immunes facit, paſſosque naufragium gravari in corpore, ſeu aliis rebus quibuscunque, prohibet.* Actum & datum in Gdanſk An. 1293. *Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

Memoriae oblivio novercatur, & longinquitate temporis geſtorum ſeries obſcuratur, niſi vivacibus literarum indiciis propaletur. Quare praeſentium & futurorum indagine declaramus, quod Nos VESIMIRUS Dei Gratia Dux Pomeraniae, reſpectis fidelibus ſervitiis civium de Elbingo, quae Patri noſtro ſimul & Nobis ſaepiſſime impenderunt, contulimus eisdem pro quadam pecuniae ſumma omnimodam libertatem tam in aquis, quam in aliis partibus noſtris, quae ad noſtrum ſpectant dominium, videlicet terram noſtram intrandi, tranſeundi, merces ſuas vendendi & emendi quaſcunque voluerint, & nihilominus ad ſuas Provincias, unde veniunt, redeundi, ſine omni exactione telonii & ſolutione. Adjicientes autem ipſis Burgenſibus de noſtra liberalitate, ne aliquis hominum noſtrorum ipſos Burgenſes, ſi aliquis ipſorum a latere noſtri dominii, tempeſtate agitante, (quod abſit) naufragium pertulerit, gravare praeſumat in corpore, ſive in rebus aliis quibuſcunque, nec etiam aliquam ſummam pecuniae extorquere audeat, in tali periculo a Burgenſibus praedictis. Volumus inſuper & inhibemus, ut nullus omnino noſtrorum Succeſſorum, ſeu Officialium noſtrorum, hanc noſtram rationabilem donationem & factum infringere audeat, vel ei auſu temerario contraire. Teſtes autem donationis ſunt: Dominus Henricus Abbas de Polpelin, Dominus Viſlaus Eccleſiae Caminenſis Cuſtos, Dominus Swencza Palatinus Danenſis, Dominus Paulus Palatinus Sweczenſis, Dominus Andreas Caſtellanus Danenſis, Dominus Staniſlaus Caſtellau. Sweczenſ. Dom. Meſlaus Succamerarius Danenſis, & alii quam plures Viri fide digni. Ut autem haec noſtra donatio omni aevo inviolabilis perſeveret, hanc paginam noſtri Sigilli munimine contulimus roboratam. Actum & datum in Gdanſk per manus Domini Theodorici, Capellani Curiae & Notarii. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio. ANNO 1293.

XLII.

PREMISLAUS *Dux Maioris Poloniæ libertatem telonii in terris Pomeraniæ, a* VESIMIRO *Elbingenſibus conceſſam, confirmat.* Actum & datum in Dantzich in die Beati Callixti Papæ & Martyris, An. Domini 1294. *Ex Originali.* 1294.

In Nomine Domini Amen.

Dum vivunt literae, vivit & actio literis commiſſa, cuius aſſertio nutrit memoriam, & roborata ſuſcipit incrementa. Nos igitur Secundus PRZEMISLAUS, Dei Gratia Dux Maioris Poloniæ notum eſſe volumus univerſis tam præſentibus, quam futuris, praeſentem paginam inſpecturis, quod dilectus Patruus noſter, magnificus Dominus Princeps VESIMIRUS, Dei Gratia Dux Pomeraniæ inſpectis fidelibus ſervitiis Civium de Elbingo, quae ſibi ſaepiſſime fideliter impenderunt, & adhuc impendere non omittunt, contulit eisdem Civibus omnimodam libertatem, tam in aquis, quam in aliis partibus ſuis, quae ſpectant ad dominium ipſius, videlicet terram ſuam intrandi, tranſeundi, merceſque ſuas vendendi & emendi ibidem, quaſcunque voluerint, & nihilominus ad Provincias ſuas, unde veniunt, redeundi, ſine omni exactione telonii & ſolutione. Adjiciens ipſis Burgenſibus de ipſius Patrui mera liberalitate, ne aliquis hominum ipſius ipſos Burgenſes, ſi aliquis ipſorum a latere ſui dominii, tempeſtate agitante (quod abſit) naufragium pateretur, gravare praeſumat in corpore, ſive in rebus aliis quibuſcunque, nec etiam aliquam ſummam pecuniae audeat extorquere in tali periculo a Burgenſibus ſupra dictis. Inſuper voluntatis ipſius eſt, & inhibet, ut nullus omnino ſuorum Succeſſorum, ſeu Officialium ſuorum rationabilem donationem per ipſum factam infringere audeat, vel ei auſu temerario contraire. Praeterea Nos memoratos ſupra Cives El-

Anno bingenſes cupientes omni noſtra proſequi
1294 gratia, qua poſſumus, & favore, jam annotatam libertatis donationem, quam ipſis Inclytus Princeps, Dominus Vesimirus, Patruus noſter, Dux Pomeranorum, ut ſupra habetur, contulit, habito maturo Baronum conſilio, præſentibus confirmamus. Volentes inviolabiliter, tempore procedenti, per Nos & noſtros Succeſſores dictam libertatis plenitudinem obſervari. In cuius rei teſtimonium præſens ſcriptum noſtri Sigilli munimine fecimus roborari. Præſentibus his teſtibus, videlicet Domino Ruthigero Abbate de Oliva, Domino Henrico Abbate de Polpelin, Fratre Gerhardo de Cholbach, Fratre Conrado Roze dicto, Fratribus Ordinis Domus Teutonicæ, Domino Paulo Palatino Sweczenſi, Domino Swencza Palatino Danenſi, Domino Andrea Caſtellano Danenſi, Domino Staniſlao Caſtellano Sweczenſi, Domino Alberto Caſtellano de Buthin, Domino Boguſlao Caſtellano de Uſthe & Succamerario Poſnanienſi, Domino Kelkone Caſtellano de Santhok, & Domino Swenthemiro Caſtellano de Bechav, & aliis quam plurimis fide dignis. Actum & datum in Dantzich, in die Beati Calixti Papæ & Martyris. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto, per manus Domini Henrici Capellani Curiæ.

XLIII.

1298. Vladislai *Loctici Regis Poloniæ approbatio Privilegiorum Elbingenſibus a* Vesimiro *Pomeraniæ &* Premislao *Poloniæ Ducibus indultorum.* Actum & datum in Dantzg, in Octav. Epiphan. D. Anno 1298. *Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

Quoniam facta mortalium oblivionem inducunt, vel morte intercepta (ſicut experientia docuit) ſolent annullari, ſi non fuerint legitimo virorum proborum teſtimonio roborata. Ea propter Nos Vladislaus Dei Gratia Dominus Regni Poloniæ, Dux Pomeraniæ, Lanciciæ, Cuiaviæ & Siradiæ, notum eſſe volumus univerſis, tam præſentibus, quam futuris præſentem paginam inſpecturis, quod Magnifici Principes, ſcilicet Vesimirus, Dei Gratia Dux Pomeraniæ, & eadem Dei Gratia Dux Maioris Poloniæ Przemislaus & Dominus eiusdem Pomeraniæ, inſpectis fidelibus ſervitiis Civium de Elbingo, quæ eis ſæpiſſime fideliter impenderant, contulerunt eisdem Civi- Anno
bus de Elbingo omnimodam libertatem 1298.
tam in aquis, quam in aliis partibus, quæ ſpectant ad eorum dominium, videlicet terras eorum intrandi, tranſeundi, merces vendendi & emendi ibidem, quaſcunque voluerint, & nihilominus in partes quas velint, ſine omni exactione telonei, & ſolutione redeundi. Inſuper adiicientes de ipſorum mera liberalitate, ſi prædicti cives ad latus ipſorum dictorum dominiorum, hoc eſt ad litus Pomeraniæ, tempeſtate agitante (quod abſit) naufragando, pervenire contigerit, nullus omnino ſubditus fidelis memoratos cives gravare præſumat in corpore, ſive in rebus aliis quibuſcunque, nec etiam aliquam ſummam pecuniæ audeat extorquere in tali periculo. Deinde etiam voluntatis ipſorum eſt, ut nullus omnino Succeſſorum eorum, aut Officialium ipſorum rationabilem donationem per ipſos factam infringere audeat, vel ei auſu temerario contraire. Prætera Nos Vladislaus, Dei Gratia nunc Dominus Regni Poloniæ &c. memoratos Cives de Elbingo cupientes omni noſtra proſequi gratia qua poſſumus & favore, jam annotatam libertatis donationem, quam Inclyti Principes felicis memoriæ, Anteceſſores noſtri, ſuperius nominatis Civibus contulerunt, habito Baronum noſtrorum maturo conſilio, præſentibus confirmamus, volentes, ut per Nos & noſtros poſteros inviolabiliter obſervetur, eam Sigillorum noſtrorum munimine roborando. Actum & datum in Danczk, in Octava Epiphaniæ Domini. Præſentibus his teſtibus: Fratre Rudigero dicto, Abbate de Oliwa, Fratre Henrico dicto, Abbate de Polpelin, & Domino Swencz Caſtellano de Stholpen, Domino Adamo Caſtellano de Swanttz, Comite Mathia Judice, Comite Kelchone Caſtellano Gneſnenſi, Comite Alberto dicto Gaſka Densthwalna, Domino Rudigero Vicecancellario Cuiavieſi, qui tenet Sigillum Dei, Domino Theſlao Succamerario Pomeraniae, ſub Anno Incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo octavo.

XLIV.

Oppignoratio Territorii Michalovienſis a Lescone *Duce Cuiaviæ Ordini Teutonico facta pro trecentis Marcis Denariorum Thorunenſium, quæ ſumma, ſi intra biennium non fuerit exſoluta a Duce & Fratribus eius, dictum Territorium ad præfa-* 1304.

tum

Anno 1304.

tum Ordinem hæreditarie devolvetur; interea Magiſter & Fratres nullam munitionem in eodem Territorio contra voluntatem Ducis conſtruent. Datum Thorunii An. 1304. *Ex Originali Sigill. 1.*

Lesko D. G. Dux Cuiaviæ, & Dominus Juvenis Wladiſlaviæ, univerſis Chriſti fidelibus, ad quorum audientiam præſentes pervenerint, S. in omnium Salvatore. Ad notitiam univerſorum cupimus devenire, quod cum Nobis in neceſſitatis articulo Religioſi Viri Frater Conradus Saccus Magiſter Pruſſiæ, cæterique Fratres ſui ad inſtantiam noſtram centum & octoginta marcas denariorum Thorunenſium Nobis fideliter conceſſiſſent, ac demum idem Magiſter & Fratres ad requiſitionem noſtram centum & viginti marcas Denariorum Thorunenſium ſimiliter mutuaſſent, Nos eorundem bonam voluntatem viciſſitudinaliter proſequi cupientes, ipſis obligavimus nomine pignoris, pro ſupra dicta pecunia in ſolidum Territorium noſtrum *Michelau* cum omnibus terminis & gadibus ſuis, prout ad Nos pertinet, & in partem noſtram ex diviſione Terræ Cuiaviæ facta cum Fratribus noſtris Inclytis Principibus & Ducibus Cuiaviæ Primislao & Casimiro eſt hæreditarie devolutum, & cum omnibus fructibus & uſibus, qui interim percipi poterunt, quos eidem Magiſtro & Fratribus in veram Eleemoſynam donavimus, ipſis in ſortem minime computatis, ab eis tenendum & habendum a Feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti proxime venturo, per duos annos continue, donec prædicta pecunia reſtituta, idem Territorium a dicto Magiſtro & Fratribus per Nos, ſeu Fratres noſtros ſupra dictos, & penitus per nullum alium, infra duos annos ſupra dictos, quocunque tempore fuerit, redimatur. Promiſimus etiam, & promittimus prædicto Magiſtro & Fratribus, quod bona in Oſiek, quæ ad prædictum Territorium pertinent, a Patruo noſtro Domino S. * Duce Dobrinenſi, qui ipſa ſibi uſurpavit, expedire & repetere volumus toto poſſe, & ſi ipſa intra biennium præfatum rehabebimus, prædicto Territorio apponemus, ut ſimul loco pignoris, vel perpetuo habeantur, promittentes nihilominus omnia bona in prædicto Territorio ſic expedita & libera facere, ut nullus ibidem teneat aliqua bona in feudum, excepto Bartuſcho Milite, qui magnum Zelet cum ſuis terminis obtinebit, & Magiſtro, Fratribusque ſupradictis jura & ſervitia Nobis debita exhibebit. Promiſerunt Nobis etiam prædicti Magiſter & Fratres, quod infra prædictum biennium contra noſtram voluntatem nullam munitionem conſtruant, & nullos ſumptus in eodem faciant Territorio, ad quorum ſolutionem faciendam compelli poſtmodum deberemus. Porro ſi, quod abſit, intra praedictum biennium, ſupradictum Territorium a Magiſtro & Fratribus prænotatis, per Nos, ſeu Fratres noſtros ſupra dictos non fuerit exſolutum, cum nullus alius exſolvere debeat, ex tunc præfatum Territorium prædicto Magiſtro & Fratribus proſtabit, & ad ipſos, Ordinemque ipſorum eſt hæreditarie devolutum, idemque Territorium Michelow cum omnibus ſuis terminis & gadibus, juribus, proprietatibus, utilitatibus ac dominio, quibus ad Nos pertinebat, conferimus, & conferemus prædicto Magiſtro & Fratribus ac Ordini ipſorum, ad honorem Dei & Beatæ Virginis Mariæ, ac ratione ſupra dictæ pecuniæ, in remiſſionem noſtrorum ac Progenitorum noſtrorum peccaminum, ac in veram Eleemoſynam, perpetuo poſſidendum ex tunc, prout ex nunc a noſtra proprietate & dominio abdicantes, & in dictorum Magiſtri & Fratrum, ac Ordinis dominium & proprietatem perpetuo transferentes, renuntiantes omni actioni, impetitioni, repetitioni, dolo, juris Civilis ac Canonici, & quibuslibet aliis adminiculis, quæ contra prædictam collationem, ſeu contra præſens Inſtrumentum poſſent objici, vel opponi; In quorum omnium memoriam & firmitatem Sigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Teſtes ſunt Dominus Jeſcho de Plumkow, Caſtellanus noſter in Wiſſegrod, Dominus Siffridus Plebanus in Gniwko & Michael. item Thorunenſ. Johannes Rubitz, Hermannus de Neſſe, Tidemannus de Palſode in Colmenſ. Johannes Albus in Elbingo, & plures alii fide digni. Actum & datum Thorun, milleſimo trecenteſimo quarto, Kalixti Papæ & Martyris.

* Semovito Casimiri Ducis Cuiaviæ & Lanciciæ Filio.

XLV.

Conradi Sacci *Magiſtri Ordinis Teutonici in Pruſſia recognitio, quod Terram Michalovienſem a* Lescone *Duce pro ſumma trecentorum Marcarum denariorum Thorunenſium oppi-*

Anno 1304. *gnoratam acceperit conditionibus ſupra expreſſis.* Datum An. MCCCIV. *Ex Originali.*

Vniverſis præſentium inſpectoribus Nos Frater Conradus Saccus, Magiſter Fratrum Domus Teutonicæ per Pruſſiam, notum eſſe volumus, quod cum de conſenſu Fratrum noſtrorum Illuſtri Principi Domino Lestkoni Duci Cujaviæ, & Dom. Juvenis Vladiſlaviæ, ad inſtantiam ipſius centum & octoginta marcas Torunenſium denariorum, ac demum centum & viginti marcas denariorum eorundem fideliter mutuaſſemus, ipſe Nobis & noſtris Fratribus pro eadem pecunia Territorium ſuum Michelow cum omnibus terminis ſuis nomine pignoris obligavit, ita videlicet, quod ſi idem Territorium a proximo Feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti infra biennium per ipſum, aut Fratres ſuos Premislaum & Casimirum, Inclytos Duces & Dominos Cuiaviæ, a Nobis & noſtris Fratribus per ſolutionem ſupra dictae pecuniae non fuerit exſolutum, cum nullus alius exſolvere debeat, extunc Nobis & Ordini noſtro non præſtiterit, & ſit ad Nos & Ordinem noſtrum devolutum perpetuo poſſidendum. Si autem intra præfatum biennium, quocunque tempore fuerit, Nobis prædictus Dominus Lestko aut Fratres eius Principes prædicti pecuniam ſolverint ſupra dictam, extunc ipſis prædictum Territorium, prout ad ipſos pertinet, reddemus, & tenebimur reddere bona fide. Promiſimus etiam & promittimus prædicto Domino Lestkoni, quod interim, quod tenemus & habemus nomine pignoris prædictum Territorium, in eo contra voluntatem eius nullam faciemus munitionem, nec ſumptus aliquos, ad quorum ſolutionem faciendam ipſum poſtmodum compellere deberemus. In quorum omnium memoriam & tutelam Sigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Teſtes ſunt Frater Guntherus de Schwarzburg Provincialis Terræ Colmenſis, Frater Henricus de Dubin Commendator in Thorun, Frater Otto Commendator in Scheven, Frater Henricus Dewedert Commendator in Neſſow, Frater Gozwinus Vice-Commendator, Frater Petrus Commendator in Redino, & plures alii Ordinis noſtri Fratres. Datum Thorun An. Domini MCCCIV. Kalixti Papæ Martyris.

1309. Clementis *Papæ V. Bulla Commiſſionis ad inquirendum in maleficia Fratrum Ordinis Teutonici.* Datum Avinione die 19. Junii An. 1309. *Ex Originali. Vide Tom. V. ad hunc ann.* Anno 1309.

XLVI.

Diploma Henrici VII. *Romanorum Regis, quo bona & poſſeſſiones tam acquiſitas, quam in poſterum a Fratribus Ordinis Teutonici in Pomerania acquirendas eidem Ordini Teutonico confirmat.* Datum in Caſtris ante Brixiam IV. Id. Julii Ann. 1311. *Ex Originali.* 1311.

Henricus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus, præſentes Literas inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum. Regalis providentia illos conſuevit donis prævenire potioribus, & ſpiritualibus honorare beneficiis, quibus inſtitutionis ſuæ primordium, Divorum Anteceſſorum noſtrorum Imperatorum Romanorum & Regum infallibiliter auctoritas condidit & donavit. Tunc enim virtutis & rectitudinis cultum exequimur, cum bonorum actuum eorundem Anteceſſorum noſtrorum formam & calcaneum obſervamus. Sacrum igitur & Deo dicatum Ordinem S. Mariæ Teutonicorum, plantulam Imperii, puriſſimis affectibus amplectentes, in operibus virtuoſis Religioſorum Virorum, quos idem Ordo producit, multipliciter delectati, ſpe retributionis æternæ, ac obtentu devotorum & fidelium ſervitiorum, quæ per Religioſos Viros, Fratrem Conradum de Gundelfingen Commendatorem Provincialem per Franconiam, & quosdam alios Confratres ſuos ex parte Ordinis Nobis exhibentur, ad præſens in partibus Italiæ, laudamus confirmamus in perpetuum eisdem Fratribus, & Ordini ſuo omnia bona, jura, omnesque poſſeſſiones, quocunque vocentur nomine, cum omni utilitate & honore ipſorum in Terra Pomeraniæ, quas aut quæ legitimo emptionis, aut alio juſtæ acquiſitionis titulo jam poſſident, aut in poſterum poterunt adipiſci. Concedentes iisdem Fratribus, qui pro tempore fuerint, jurisdictionem ac merum & mixtum Imperium exercendi, monetas cudendi, prout hactenus conſuetum eſt obſervari, ac conſtituendi & deſtituendi plenam & liberam poteſtatem; & ut amplioris dona gratiæ de legali largitione ſe percepiſſe gaudeant, mineras ſalis, & omnium metallorum locis Terræ prædictæ ad ipſos Fra-

ANNO 1311. Fratres pertinentibus ad præſens, vel quæ in poſterum pertinebunt, ut præmittitur, inventas aut inveniendas donamus liberaliter Fratribus & Ordini prænotatis, ſalvo tamen jure & honore Imperii in omnibus ſupra dictis. Cuius tamen rei teſtes ſunt Venerabiles Balduinus Treverenſis Archiepiſcopus Germanus noſter, Theobaldus Leodenſis, Philippus Aiſtetenſis, & Gerardus Conſtantienſis Eccleſiarum Epiſcopi, ac Illuſtres Lupoldus Auſtriæ & Stiriæ, & Amedeius Comes Sabaudjæ Principes noſtri dilecti. Nec non Spectabiles & Nobiles Viri Waltherus de Lutzenburg, Frater noſter, Wernherus de Herenberg, Rudolphus de Werdich, & N. de Katzenellenbogen Comites; Anshelmus & Henricus de Rapoltſtein, Hugo de Geraltſecken & quam plures alii fide digni. Et ut omnia præmiſſa rata & inconvulſa permaneant, præſens ſcriptum exinde conſcribi, & noſtro Majeſtatis Sigillo juſſimus roborari. Datum in caſtris ante Brixiam quarto Idus Julii, Indictione nona, Anno Domini milleſimo trecenteſimo undecimo, Regni vero noſtri anno tertio. Ego Frater Henricus Tridentinus Epiſcopus, Sacræ Imperialis Aulæ Cancellerius vice Domini Henrici Colonienſis Archiepiſcopi, Sacri Imperii per Italiam Archicancellarii, recognovi.

XLVII.

VALDEMARUS *Marchio Brandeburgenſis pro decem millibus Marcarum Brandeburgenſium vendit Ordini Teutonico Caſtra Gedanenſe, Dirſchovienſe atque Suecenſe cum ſuis Territoriis.* Actum in Curia Bredenſi in Vigilia B. Jacobi Apoſt. An. 1311. *Ex Archivo Regni.*

In Nomine Domini Amen.

Quoniam juxta verbum Viri ſapientis, generatio praeterit, & generatio advenit: nihil ſtabile, nihilque permanens eſt ſub ſole, ſed vanitati, atq; mutabilitati ſubjacent univerſa: Et ne cum labentibus annis, rerum magnifice geſtarum & perutiliter, pariter labatur & aboleatur memoria, munificentias & libertates, præſertim in pias cauſas & loca religioſa collatas, ſcriptura convenit perpetuari. Nos igitur WALDEMARUS D: G. Brandeburgenſis, Luſatienſis Marchio, Tutorque Illuſtris JOANNIS Marchionis Brandeburgenſis, ad univerſorum notitiam præſentium & futurorum cupimus devenire. Attendentes, quæ, quanta & qualia virtutum Religionis ac Devotionis beneficia, per Religioſos Viros Chriſti Milites, Magiſtrum & Fratres Ordinis Hoſpitalis S. Mariæ Teutonicorum Hieroſolymitanenſium Eccleſiæ Chriſti in ſuis membris in Pruſſiæ partibus, maxime in plantanda extenſione Fidei Chriſtianæ, ac ejusdem plantatæ defenſione, continue impendantur: quemadmodum tam eorum ſanguis, qui pro Chriſti Nomine ſigna ſuæ Militiæ, proprio ſanguine rubricantes, ad Dominum emigrarunt, quam eorum vita, qui in negotio fidei adhuc fruentes ſpiritu, ſub continua expectatione Martyrii, pro æterno gaudio gladios & tormenta infidelium ſubire non metuunt, quotidiana facti evidentia ſatis perlucide manifeſtat. Proinde ad brachium fortitudinis Paganorum conterendum, & ob ſalutem et proſperum atque pacificum ſtatum Chriſti fidelium, Terræ Pomeraniæ incolarum, de noſtrorum Conſiliariorum ſano conſilio et conſenſu, ad laudem et honorem Dei, et Glorioſæ Matris ejus Virginis Mariæ, et in remiſſionem noſtrorum, et Progenitorum noſtrorum peccaminum, ac etiam ut præfatorum Fratrum bonorum operum nonnihil participetur, eisdem Chriſti Militibus, quorum ſpes verus Deus eſt, videlicet Magiſtro et Fratribus, ac eorum Ordini partem prædictæ Terræ noſtræ Pomeraniæ, videlicet Caſtra et Civitates Danczik, Derſchoviam atque Szweycam, nec non omnem terram circumjacentem, quæ ad dicta Caſtra ab antiquo pertinebat, pro decem millibus Marcarum Brandeburgenſium argenti et ponderis, pure, rite, ac rationabiliter vendidimus ac vendimus cum Caſtris, Caſtellis, Villis, monetis, teloneis, vectigalibus, foris, cum agris cultis et incultis, viis et inviis, paſcuis, ſylvis, nemoribus, lacubus, paludibus, venationibus, piſcationibus, borris mellificiis, cum omni utilitate et fructibus, quæ de dicta Terra in præſenti percipi poterint in his, quæ ſuper terram humano ſe repræſentant conſpectui, aut qui percipiendi ſub terra futuro tempore apparebunt, videlicet in ſale, plumbo, ferro, cupro, argento, auro, aut in cujuslibet generis metallo, quocumq; nomine cenſeatur, et ſi in ea quomodolibet poterint reperiri, cum omni jure, dominio, judicio ac proprietate in perpetuum libere poſſidendam. Quam nominatam pecuniam Nobis recognoſcimus eſſe ſolutam, integraliter ex toto, et ad uſus noſtros, et Inclyti JOANNIS Marchionis Brandeburgenſis, cuius tutelam gerimus, eſſe converſam. Sæpe dictam vero terram præfatis Magiſtro et Fratribus, ac ipſorum Or-

ANNO 1311. Ordini voluntarie reſignamus, ipſosque ac ipſorum Ordinem in poſſeſſionem ejusdem quietam et pacificam inducimus, cum omni pleno dominio, et integrali libertate et proprietate: renuntiantes nihilominus pro Nobis, ac pro Illuſtri JOANNE Marchione Brandenburgenſi ſuperius nominato, ac pro noſtris ſuiſque Succeſſoribus et Hæredibus legitimis in perpetuum omni actioni, impetitioni, defenſioni, exceptioni, omnibuſque Privilegiis ac Litteris gratiam et juſtitiam continentibus, jam impetratis, ſeu impetrandis, ſeu jam habitis, vel habendis, ac omnibus, quæ in poſterum quocunque Jure Canonico vel Civili cautelis, contra præſens Inſtrumentum de facto, vel de jure poſſent objici vel opponi; nihil prorſus juris, dominii, utilitatis, Advocatiæ, Patronatus, vel cujuslibet alterius jurisdictionis vel poteſtatis, quocunque nomine poſſit appellari, Nobis, ſeu Inclyto JOANNI Marchioni Brandeburgenſi, et Hæredibus ſeu Succeſſoribus noſtris, in omnibus contentis in parte prædictæ Terræ noſtræ ſic venditæ, retinentes: ſed omnia et ſingula cum libertatibus, ac pleno jure, proprietate, poſſeſſione et dominio, in prædictos Magiſtrum et Fratres, ac ipſorum Ordinem in perpetuum transferentes. Inſuper profitemur et recognoſcimus, Nos ſæpe dictis Magiſtro et Fratribus, a Sereniſſimo noſtro Domino HENRICO D. G. Romanorum Rege ſemper Auguſto ſuper hujuſcemodi noſtro Contractu confirmationis Litteras impetraſſe. Ut autem hæc omnia piæ donationis noſtræ facta rata permaneant, et inviolabilia perpetuo tempore perſeverent, præſens Scriptum ſuper his confectum noſtri Sigilli appenſione duximus roborandum. Quod etiam dictus Marchio JOANNES ſui etiam Sigilli patrocinio, cum ad annos ætati legitimæ deputatos pervenerit, confirmabit. Teſtes autem hujuſmodi Contractus ſunt noſtri Fideles, Domini Henricus de Regeſtein, et Ulricus de Lindow Comites, Ludolphus et Haſzo de Vedele, Bernardus de Płoſzek, Henricus et Fredericus de Helvenſleve, Droyſeco de Chrache, Henricus Heningus, et Henricus de Slegeli, Bernardus de Bruk, et Henricus de Verbin Milites. Henricus de Gradzon Præpoſitus, Slateto noſtræ Curiæ Prothonotarius, et quam plurimi alii, nihilominus fidei teſtimonio decorati. Actum et datum in Curia Bredenſi in Vigilia B. Jacobi Apoſtoli, Anno Domini 1311.

XLVIII.

ANNO 1312.

Pactum JOANNIS *Epiſcopi Plocenſis cum* CAROLO *de Treviris Magiſtro Ordinis Teutonici de ducentis manſis ad Caſtrum Xenite pertinentibus, ratione quorum, elapſa ſeptem annorum libertate, prædictus Ordo ſingulis annis nonaginta Marcas monetæ Culmenſis Epiſcopo & ſuis Succeſſoribus, nomine fructuum decimalium, pendere tenebitur. Epiſcopus & ſui Succeſſores in Territorio Michalovienſi pleno jure in ſpiritualibus fruetur, & bona Eccleſiæ Plocenſis ibidem ſita juſtis limitibus circumſcribentur.* Actum & Datum apud Plozek Anno 1312. XV. Kalend. Julii. *Ex Originali. Sigil. 2.*

In Nomine Domini Amen.

Officii noſtri debitum Nos ammonet et invitat pro ſtatu Eccleſiæ Nobis commiſſæ ſatagere, et ejus quieti ac tranquillitati ſalubriter, auxiliante Domino, providere. Dignum namque et honeſtati conveniens eſſe dinoſcitur, ut qui ad regimen ipſius aſſumpti ſumus, redditus ejus jugi ſolicitudinis ſtudio, quantum Nobis ex alto conceſſum fuerit, dilatemus, proinde noverint univerſi præſentes ac poſteri, quorum notitiae praeſens Scriptum fuerit demonſtratum. Quod Nos JOANNES Dei Gratia Plocenſis Eccleſiae Epiſcopus, habito maturo ac ſalubri Fratrum noſtrorum conſilio et aſſenſu, cum Reverendo ac Religioſo Viro Domino CAROLO de Treviris, Magiſtro Generali Hoſpitalis S. Mariae Domus Teutonicae Jeroſolimitanae, et cum ejusdem Domus et Ordinis Fratribus ſuper Territorio Michalovienſi, et ſuper ducentis manſis, ad Caſtrum Xenite pertinentibus, locandis, ad talem devenimus unionem et infra ſcriptam ordinationem: videlicet quod elapſa ſeptem annorum libertate praefatus Magiſter, Fratres et Succeſſores eorum, ratione fructuum decimalium, nonaginta marcarum monetae Culmenſis ſingulis annis in perpetuum ſolvere tenebuntur. Quas quidem nonaginta marcas in villis tribus vel duabus, villis Eccleſiae noſtrae contiguis, Nobis et Succeſſoribus noſtris in cenſu dicto tenebuntur aſſignare. In praefata vero Ordinatione villas Eccleſiae noſtrae dudum habitas includi nolumus, imo penitus

ANNO 1312. nitus amovemus. Illae vero villae, in quibus nomine fructus decimalium Nobis cenſus aſſignabitur, liberae erunt ab omni Fratrum exactione quomodolibet nominata, praedictas ſiquidem villas, et omnes alias villas Eccleſiae noſtræ, in ſaepe dicto Territorio ſitas, ita libere poſſidebimus in iudicio et in cenſu et in omnibus aliis utilitatibus et proventibus, ſicut poſſidemus villam Ozechowo, ſitam in Terra, quae Culmenſis nuncupatur, ſi vero, quod abſit, timor ſive clamor ad terram pervenerit, quod pagani inimici fidei Chriſtianae Terram noſtram invadere vellent, et eam devaſtare, inhabitatores villarum noſtrarum cum caeteris praefati Territorii incolis ad defenſionem Terrae venire, et eis occurrere tenebuntur. Inſuper ad Munitiones et Caſtra reformanda ſive conſtruenda, ad quae concurrere voluerint, neceſſitate ſuadente, tenebuntur ſuum dare ſubſidium, prout alii inhabitatores territoriorum praenotati. Quodſi inhabitatores villarum noſtrarum praedictarum ſecus egerint in praemiſſis, Nobis et Succeſſoribus noſtris juxta Terrae conſuetudinem in utroque caſu pœna cedet in eiſdem. Inſuper omne et plenum dominium villarum Nobis aſſignandarum tam ſpirituale, quam temporale in judicando, corrigendo, mandando, ſignando habebimus Nos et noſtri Succeſſores. In præfato vero Territorio ſcilicet Michałovienſi Nos et Succeſſores noſtri Jus ſpirituale, cum ſit Diœceſis noſtra, pacifice gubernabimus, et quiete: promiſerunt etiam praefati Domini Magiſter videlicet et Fratres bona Eccleſiæ noſtræ, in dicto Territorio ſita, abſque damno noſtro limitare. Inſuper in ordinationem deduximus & in pactum cum eiſdem, ſi prædicti inhabitatores villarum noſtrarum in civitatibus, caſtris, ſeu villis prædictorum Dominorum ſeu Fratrum delinquerint, per eorum judicabuntur Advocatos, homines vero præfati Domini Magiſtri videlicet & Fratrum ſuorum, ac etiam noſtri in villis cum terminis villarum noſtrarum delinquentes, per noſtros judicabuntur quantum ad omnem pœnam Advocatos. Cæterum promiſerunt Domini prænotati Magiſter videlicet & Fratres, bona noſtra, in præfato territorio ſita, contra omnem hominem, tanquam propria, defenſare. Litus vero Drywanhe, quod eſt Eccleſiæ noſtræ quoad piſcaturam, & alias utilitates, quæ in nemoribus & ſylvis fieri poſſunt, Nobis & Succeſſoribus noſtris non aufferre, nec in aliquo turbare promiſerunt. Cæterum ſi prædicti Domini ſeu Fratres decreverint unum ædificare molendinum apud dictum Caſtrum Xenite in litore noſtro, promiſerunt Nobis tantum de terra propria bonis noſtris contigua, ſicut occupaverit domus jam dicti molendini, in loco congruo aſſignare, ut autem prædicta omnia robur experiantur perpetuo valiturum, præſentes Literas noſtri & Capituli noſtri Sigillis duximus roborandas. Actum & Datum apud Płoczek Anno Domini milleſimo trecenteſimo duodecimo, decimo quinto Kalendas Julii. Indictione IX. Præſentibus Domino Floridno Præpoſito, Domino Clemente Decano, Domino Alberto Scholaſtico, Domino Noe Archidiacono, Domino Petro Cantore, Domino Martino Cuſtode, Domino Volcmaro, Domino Nemya, Domino Preczlao, & aliis quam plurimis Canonicis noſtris, & certis teſtibus fide dignis, ad prædicta vocatis ſpecialiter & rogatis. ANNO 1312.

XLIX.

1317. *Venditio & Reſignatio Terræ Michalovienſis pro quingentis ſexaginta duabus marcis a* LESKONE *Duce Cujaviæ Ordini Teutonico facta.* Actum & Datum Neſſau An. 1317. XVI. Kal. Auguſt. *Ex Originali.*

LESKO D. G. Dux Cujaviæ, & Dominus Juvenis-Wladiſlaviæ, univerſis Chriſti fidelibus, ad quorum audientiam præſentes pervenerint, ſalutem in omnium Salvatore. Ad notitiam univerſorum cupimus devenire, quod cum Anno Domini 1303. intra Octavas B. Martini Epiſcopi ad noſtram inſtantiam Religioſi Viri Frater Conradus Saccus Magiſter Pruſſiæ, cæterique Fratres ſui Nobis centum & octoginta marcas denariorum Thorunenſium fideliter conceſſerint, & Nos econtra ipſorum bonam voluntatem viciſſitudine proſequentes, pro eiſdem denariis obligaſſemus nomine pignoris Territorium noſtrum Michelow, quod Nobis ceſſit ex diviſione Terræ Cujaviæ, facta cum Fratribus noſtris Inclytis Ducibus PREMISLIO & CASIMIRO, ita, quod ſi poſt præfatum tempus B. Martini, & proximo Feſto Nativitatis Domini infra triennium præfata pecunia a Nobis, vel a noſtris Fratribus non ſolveretur, extunc ratione illius pecuniæ, & in veram Eleemoſynam idem Territorium ad Magiſtrum & Fratres ſuos hæreditarie devolveretur; & cum demum Anno Domini milleſimo trecenteſimo quarto Kalixti Papæ idem Magiſter & Fratres ad requiſitionem noſtram Nobis centum & viginti

ANNO 1317. ginti marcas denariorum Thorunenſium ſimiliter mutuaſſent. Nos ipſorum occurrentes bonæ voluntati ſupra dicta bona in Michelow, quæ ad Nos pertinebant, ut dictum eſt, obligavimus cum omnibus terminis & gadibus ſuis, ſic', quod ſi a Nobis & noſtris prædictis Fratribus a Feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti proxime venturo, per duos annos continuos, eadem pecunia non redderetur, extunc memorata bona cum omnibus utilitatibus Magiſter & Fratres prædicti perpetuo poſſiderent. Attamen deinceps Anno Domini 1304. Mariæ Virginis, Religioſo Viro Fratri Gunthero de Schwartzburg, Provinciali Terræ Culmenſis, ejusdem Territorii quadraginta manſos, ſitum ſuum habentes ſuper fluvio Drwanza, contra Civitatem Strasburg, in longitudine, & per transverſum, pro 62. marcis prædictorum denariorum impignoraſſemus, tali conditione, quod ſi a proximo Feſto Paſchæ ad duas ſeptimanas immediate ſequentes eosdem manſos non exſolveremus, deberent ad ipſum Provincialem, & ſuum Ordinem pleno jure perpetuo pertinere, prout de promiſſis mutuationibus & impignorationibus, ac diverſis aliis in Literis deſuper prædictis temporibus confectis plenius continetur. Tandem cum poſt elapſos terminos ſolutionis faciendæ prænominatæ pecuniæ, Reverendo Viro, Fratri Magiſtro Ordinis Domus Teutonicæ, ac aliis Fratribus ſuis aliquoties inſtaremus, ut ſæpe dictum Territorium Michelow Nobis redimendum concederetur, nec obtinere poſſemus, eo, quod ad ipſos Fratres, & ſuum Ordinem jam devolutum perpetualiter extitiſſet, convenientes cum Religioſo Viro Fratre Henrico de Gera, Provinciali Terræ Culmenſis, ac aliis ſuis Fratribus, quibus inincumbebat nomine Ordinis, primo Thorun deinde Neſſau, præmiſſis diverſis Tractatibus, in hoc concordavimus, quod ipſi, tanquam utique Religioſi, & conſcientoſi, Nobis ad ſupra dictas ſummas pecuniæ integrales addiderunt ducentas marcas denariorum Thorun. ut ita eſſent ſimul quingentæ & ſexaginta duæ marcæ & ſic ſæpe dictum Territorium emptionis titulo perpetuo poſſiderent, æſtimantes, quod eadem bona, quando ipſis ea primitus obligavimus, vix valerent pecuniam jam prædictam. Nos itaque præfatam pecuniam placide acceptantes, ac ipſam jam Nobis ſolutam integraliter præſentibus proteſtantes, eisdem Fratribus Domus Teuton. ac Ordini ipſorum, prædictum Territorium Michelow damus & conferimus pro antedicta pecunia plenum & integrum, cum omnibus ſuis terminis, gadibus, juribus, proprietatibus, utilitatibus ac dominiis, cum agris, pratis, paſcuis, ſylvis, nemoribus, arbuſtis, virgultis, mellificiis, fluviis, rivis, aquis, aquarumque decurſibus, lacubus, piſcationibus, venationibus, judiciis, jurisdictionibus, auri argentique fodinis, ac metallis æris, cupri, ferri, & venis ſalis, ac omnibus utilitatibus aliis, quocunque nomine cenſeantur, quæ ſunt in terra, & ſupra terram, aut quæ fuerunt & nunc ſunt, vel in futurum dici poterunt, quibus ad Nos pertinuerunt, jure hæreditario poſſidendum, ex nunc idem Territorium, ſeu bona in Michelow, a noſtra proprietate & dominio excludentes, & in prædictorum Fratrum & Ordinis ipſorum veram proprietatem & dominium perpetuum transferentes, renuntiantes omni actioni, impetitioni, exceptioni, repetitioni, dolo, ac omni adminiculo utriuſq; Juris, tam Canonici, quam Civilis, ſeu quibuslibet aliis adminiculis, quæ contra prædictam emtionem, ſeu præſens Inſtrumentum poſſent objici vel opponi. Porro de ſupra dictis bonis Michelow excipimus magnum Zeleth, quæ bona Bartuſcho cum ſuis terminis obtinebit, & prædictis Fratribus & Ordini jura & ſervitia Nobis debita exhibebit. Poſtremo proteſtamur, Nos prædictis Fratribus ac ipſorum Ordini ſæpe dicta bona, & veram noſtram hæreditatem in Michelow rite & rationabiliter vendidiſſe, quod coram noſtris Fratribus, Dominis ac Ducibus ſupradictis fateri promittimus, & ubique. In cujus emptionis, & omnium prædictorum memoriam & robur perpetuum, Sigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum. Teſtes ſunt Dominus Bogitz Sub-Camerarius noſter, Proſriboſant Subjudex, Gerwinus Advocatus noſter, Theodoricus Proconſul, & Martinus Feodarius noſter, ac plures alii fide digni. Actum & datum Neſſau Anno D. 1317. XVI. Kalend. Aug.

L.

1322. *Sententia Judicum Apoſtolicorum, qua Ordo Teutonicus ad reſtituendam Regno Poloniæ Pomeraniam damnaque refundenda condemnatur.* Lata hæc Sententia in Eccleſia S. Nicolai Juveni-Vladiſlaviæ IV. Id. Febr. An. 1322. *Ex Archivo Regni Lib. Inſcr. Lit. C. fol. 136.*

In

ANNO 1322.

In Nomine Domini Amen.

Exorta coram Nobis JANISLAO Divina & Apoſtolicæ Sedis providentia Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis Archi-Epiſcopo, DOMARATO D. G. Poſnanienſi Epiſcopo, & Fratre NICOLAO Abbate de Mogilno Diœceſis Gneſnenſis, Ordinis S. Benedicti, Judicibus a Sede Apoſtolica deputatis & delegatis, inter Inclytum Principem D. WLADISLAUM Poloniæ Regem Illuſtrem ex parte una: Religioſos Viros Magiſtrum & Fratres Domus S. Mariæ Teutonicorum parte ex altera, ſuper Terra Pomeraniæ, materia quæſtionis: Sanctiſſimus Pater D. JOANNES Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summus Pontifex ſuas Nobis direxit Litteras in hæc verba:

„ JOANNES Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Epiſcopo Poſnanienſi, ac Dilecto Filio Abbati Monaſterii S. Benedicti de Mogilno Gneſnenſis Diœceſis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Gravem Illuſtris Dilecti Filii Nobilis Viri WLADISLAI Ducis Poloniæ quærelam accepimus, continentem, quod Magiſter & Fratres Domus S. Mariæ Teutonicorum, non attendentes, quod quondam CONRADUS Dux Poloniæ, Avus ejusdem Ducis, eosdem Magiſtrum & Fratres, quos veros credebat Catholicæ Fidei defenſores, & ad partes illas pro defenſione ipſius Fidei primitus advocavit, & nonnulla mobilia, & immobilia bona liberaliter conceſſit iisdem, alias eos dictus CONRADUS, & Succeſſores ſui benigne & favorabiliter proſequendo. Sed ipſi dicto Duci ſe reddentes ingratos, & ad bona ipſius rapacitatis manus extendentes, illicite Ducem ipſum Terra ſua Pomeraniæ Wladiſlavienſis Diœceſis, quæ de Regno Poloniæ fore dinoſcitur, temeritate propria ſpoliantes, illam cum hominibus, vaſallis, caſtris, villis, poſſeſſionibus & bonis exiſtentibus in eadem, contra juſtitiam occuparunt, & detinuerunt jam per octo annos, & amplius, ſicut adhuc detinent violenter, fructus, proventus ac reditus provenientes ex illa percipientes indebite & injuſte, illam ſibi reddere contradicunt, in ipſius Ducis grave diſpendium, & Regni prædicti diminutionem enormem, & ſcandalum manifeſtum. Quare Nobis Dux præfatus humiliter ſupplicavit, ut providere ſibi de opportuno ſuper hoc remedio dignaremur. Nos igitur nolentes eidem Duci in ſuo jure deeſſe, in quo ſumus omnibus debitores, diſcretioni Veſtræ per Apoſtolica Scripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum per vos, vel per alios ſuper præmiſſis, auctoritate noſtra, ſummarie de plano, ſine ſtrepitu & figura Judicii procedentes, ſi rem inveneritis ita eſſe, Magiſtrum & Fratres prædictos, ad reſtituendum dicto Duci Terram, homines, vaſallos, caſtra, villas, poſſeſſiones, & bona prædicta cum fructibus, redditibus, proventibus medio tempore perceptis, per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellatis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus de duabus dietis editis in Concilio Generali, & felicis recordationis BONIFACII Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, per quas Judices a Sede deputati prædicta, extra Civitatem & Diœceſim, in quibus deputati fuerunt, & alibi quam in Civitatibus & locis inſignibus, procedere, aut vices ſuas committere, vel aliquos ultra unam dietam a finibus ſuæ Diœceſis trahere prohibentur, & aliis contrariis Conſtitutionibus quibuſcumque, dummodo ultra tertiam vel quartam quis extra ſuam Diœceſim ad judicium non trahatur: ſeu ſi dictis Magiſtro & Fratribus, ſeu quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca trahi, vel ad judicium evocari non poſſint per Litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem: Et quibuslibet Privilegiis, Indultis, & Litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, eiſdem Magiſtro & Fratribus ac Ordini conceſſis communiter, vel diviſim, quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ veſtræ Jurisdictionis explicatio poſſit hac in parte quomodolibet impediri, & de quibus quoque, eorumque tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis. Datum in Avinione tertio Idus Septembr. Pontificatus noſtri Anno quarto. "

Nos igitur juxta formam Mandati Nobis directi, præfatos Magiſtrum & Fratres ad noſtram fecimus præſentiam evocari. In termino itaque peremptorio, ipſis Partibus per nos aſſignato, Diſcreti Viri, Dominus Philippus Cancellarius Regni Poloniæ, & Sbiſco Cancellarius Siradienſis, tunc Subcancellarius, et Magiſter Joannes Canonicus Rudenſis, Procuratores ejusdem Domini Regis, nomine procuratorio ipſius comparuerunt coram Nobis, ſuum Procuratorium exhibentes, ejus tenor eſt talis:

L 2 „ Vni-

ANNO 1322. „ Vniverſis præſentes Literas inſpe-ᴄturis VLADISLAUS, Dei-Gratia Rex Poloniæ, ſalutem in omnium Salvatore. Noverit Diſcretio Veſtra, quod Nos in cauſa ſeu cauſis, quam, vel quas habemus, ſeu Nos habere ſperamus cum Religioſis Viris, Magiſtro et Fratribus Domus Ordinis S. Mariæ Teutonicorum per Pruſſiam ſuper Terra Pomeraniæ, et fructibus inde perceptis, ac quibuscunque aliis rebus coram Venerabilibus Patribus Dominis JANISLAO Archiepiſcopo Gneſnenſi, DOMARAT o Epiſcopo Poſnanienſi, ac Religioſo Viro Fratre NICOLAO Abbate de Mogilno, Ordinis S. Benedicti, Judicibus a Sede Apoſtolica delegatis, et coram quocunque alio Judice, vel Judicibus ab ipſis ſubdelegatis, vel ſubdelegandis, Diſcretos Viros: Philippum Cancellarium noſtrum in Regno Poloniæ, et Sbiſconem Subcancellarium, ac Johannem Canonicum Rudenſem, Capellanum noſtrum, fecimus, conſtituimus et ordinavimus veros et legitimos Procuratores et Nuntios ſpeciales, et quemlibet eorum in ſolidum, ita, quod non ſit melior conditio occupatorum, ſed quod unus inceperit, alii vel alius valeat reſumere, proſequi et finire. Dantes eisdem et cuilibet eorum plenam et omnimodam poteſtatem ad agendum et defendendum, petitionem ſeu libellum dandi et recipiendi, exceptiones dilatorias et peremptorias proponendi, litem conſtituendi, juramentum de calumnia ſeu malitia, ac de veritate dicenda, et cujuslibet alterius generis in animam noſtram proteſtandi, articulos et poſſeſſiones faciendi, et ad eas reſpondendi, teſtes, Inſtrumenta, et quaslibet alias probationes producendi, allegandi, ſententiam ſeu ſententias interlocutoriam ſeu diffinitivam audiendi, et ab eis vel ea, ſi opus fuerit, appellandi, Apoſtolos petendi, et appellationem proſequendi, beneficium reſtitutionis in integrum poſtulandi, alium Procuratorem ſeu Procuratores loco ſui ſubſtituendi, ad omnem et quemlibet prædictorum ſubſtitutum vel ſubſtitutos revocandi, et in ſe procurationem reſumendi, quando, et quotiens eis, vel cuilibet ipſorum videbitur expedire, nec non et ad omnia alia et ſingula faciendum, quæ circa præmiſſa, et quodlibet præmiſſorum opportunum fuerit, etiamſi mandatum exigant ſpeciale. Promittentes ratum et firmum habere et tenere, quicquid per eosdem Procuratores noſtros, et quemlibet ipſorum ſubſtitutum ſeu ſubſtitutos ab eis in præmiſſis, et quolibet praemiſſorum fuerit procuratum. Inſuper volentes eosdem Procuratores noſtros, ſubſtitutos ſeu ſubſtitutum ab eis et quolibet ipſorum relevare ab omni onere ſatisdandi, promittimus eis judicato ſiſti, et judicatum ſolvi, pro omnibus ſuis clauſulis, ſub rerum noſtrarum omnium Ipoteca. In cujus rei teſtimonium et evidentiam pleniorem praeſentes Literas ſcribi, ſeu fieri mandavimus, et Sigilli noſtri, quo hactenus uſi ſumus, et in praeſenti utimur, appenſione communiri. Actum, et Datum in Sandomiria decimo Kalendas April. Anno Domini milleſimo tricenteſimo vigeſimo. Praeſentibus Domino Nankero electo in Epiſcopum Cracovienſem, Ivano Cantore Gneſnenſi, Prandotha Archidiacono Buſvizienſi, Gunthero Decano Sandomirienſi, - - - - - - - - - Cracovienſi Caſtellano, ac Thomiſlao Palatino Sandomirienſi, ac aliis pluribus fide dignis. “ ANNO 1322.

Ex parte vero dictorum Magiſtri et Fratrum, Frater Siffridus de Papow, ejusdem Ordinis Procurator eorum ſimiliter comparuit, et Procuratorium exhibuit in hæc verba:

„ *In Nomine Domini Amen.*

Noverint univerſi præſentem Literam inſpecturi, quod Nos Frater FRIDERICUS Praeceptor & Magiſter Fratrum Teutonicorum Domus S. Mariae per Pruſſiam & Pomeraniam, in cauſa vel cauſis, quae Nobis & Fratribus Ordinis noſtri moventur, & ſpecialiter in cauſis, quae moventur, vel moveri ſperantur Fratribus noſtris Commendatoribus Domorum in Gdanſk, in Gurewa, & in Swiecze, coram Venerabilibus Patribus Dominis: JANISLAO Archiepiſcopo Sanctae Gneſnenſis Eccleſiae, DOMARATHO Poſnanienſis Eccleſiae Epiſcopo, & Fratre NICOLAO Abbate de Mogilno Ordinis S. Benedicti, ſpecialiter evocatis, qui ſe aſſerunt Judices a Sede Apoſtolica delegatos, aut quibuſcumque ſubdelegatis ab eis, de conſenſu Fratrum noſtrorum facimus & conſtituimus Dominum Siffridum de Papow, Fratrem Ordinis noſtri Sacerdotem praeſentem, & mandatum in ſe ſponte ſuſcipientem noſtrum, & dictorum de Gdanſk, Gurewa & de Swecza Commendatorum Procuratorem, concedentes eidem liberam poteſtatem agendi, defendendi, Literarum Apoſtolicarum copiam cum debita ad deliberandum dilatione petendi, excipiendi, & contradicendi, litem conteſtandi, in animam noſtram & eorum jurandi, teſtes & inſtrumenta & alias probationes producendi, concludendi, interlocutoriam & diffinitivam ſententias audiendi, & ab eis & earum qualibet, quum ſibi videbitur, appellandi, Apoſtolos petendi, ab appella-

Anno 1322. pellatione recedendi, cum ſibi videbitur expedire, appellationem proſequendi, alium vel alios Procuratorem vel Procuratores ſubſtituendi, in ſolidum vel diviſim ad omnia ſupra dicta, vel quodlibet praemiſſorum ſubſtitutum vel ſubſtitutos revocandi, quum, & quando ſibi videbitur etiamſi mandatum exigatur ſpeciale. Ratum habituri, quicquid per ipſum Procuratorem noſtrum, vel quemlibet ſubſtitutum ab eo factum fuerit in praemiſſis & quolibet præmiſſorum. Renuntiantes omni ſolennitati juris vel facti, qua omiſſa præſens procuratorium impugnari poſſet, vel quomodolibet ſugillari, promittentes ſub hypoteca bonorum noſtrorum pro ipſo Procuratore noſtro, vel quolibet ſubſtituto ab eo judicato ſiſti, & judicatum ſolvi, ſi litem ſubierit coram Dominis ſupra dictis agendo, vel etiam defendendo, & hoc tam eisdem Dominis, qui ſe dicunt Judices delegatos, quam Parti, cujus intererit, oſtenſione praeſentium volumus eſſe notum. In cujus facti evidentiam pleniorem praeſentem literam inde conſcriptam noſtro Sigillo duximus conſignandam. Dat. Anno Domini M. tricenteſimo viceſimo, IV. Idus Aprilis.

Praeſentibus Viris honeſtis, & diſcretis Dominis: Jordano Praepoſito Varmienſis Eccleſiae, Magiſtro Fredrico Doctore Decretorum Canonico Glogoviens. & Joanne Rectore Eccleſiae Culmenſis, & aliis pluribus fide dignis ad haec vocatis & rogatis.“

Quibus procuratoriis exhibitis, memoratus Procurator Magiſtri & Fratrum ex cauſa minus rationabili, & frivola a Nobis ad Sanctam Sedem Apoſtolicam appellans, a praeſentia noſtra receſſit. Nos itaque attendentes, quod in eadem cauſa, non obſtante ejusdem Procuratoris abſentia, procedere poteramus, praefatis Procuratoribus Domini Regis inſtanter petentibus, petitionem ipſorum recepimus in haec verba:

„Coram Nobis Venerabilibus Patribus Dominis: Janislao Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Demarato Epiſcopo Poſnanienſi, & Fratre Nicolao Abbate de Mogilno, Judicibus a Sede Apoſtolica deputatis: Nos Philippus Cancellarius Regni Poloniae, & Sbiſco Subcancellarius, ac Johannes Canonicus Rudenſis, Procuratores Illuſtris Principis Domini Vladislai Regis Poloniae, procuratorio ipſius nomine proponimus, conquerendo, quod idem Rex, tunc tamen adhuc Dux exiſtens, cum eſſet in poſſeſſione Terrae Pomeraniae, quae Principes Regni Poloniae, & Illuſtres Principes Primislius & Casimirus eam ipſius nomine poſſederint, Religioque vel Magiſter & Fratres Ordinis S. Mariæ Teutonicorum Domus, ipſos Principes de poſſeſſione ejusdem terræ, caſtrorum, civitatum, oppidorum & villarum ipſius per potentiam & violentiam ejecerunt, memoratum Dominum Regem ipſa terra ſic injurioſe & indebite ſpoliantes, quam adhuc occupatam detinent, in ipſius Domini Regis grave dampnum, & magnum præjudicium & diminutionem dicti Regni. Quare petimus nomine, quo ſupra, conditione ex canone reintegranda, eundem Magiſtrum & Commendatores de Gdańſk, de Gniew, & de Swecze, qui ipſam poſſident, quod eam, & fructus inde perceptos, & qui percipi potuerunt a tempore dejectionis, quos æſtimamus ad triginta millia marcarum monetæ & ponderis Regni Poloniæ, per Vos procedendo ſummarie & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii dicto Domino noſtro Regi reſtituant, æternaliter condemnari. Petimus etiam expenſas in lite factas, & proteſtamur de faciendis.“ Anno 1322.

Qua recepta, & diligenter diſcuſſa, conſiderantes juxta tenorem Litterarum Apoſtolicarum, quod in cauſa eadem poſſet, lite non conteſtata, procedi, receptis teſtibus pluribus idoneis pro parte dicti Regis, & eis ſecreto & ſigillatim examinatis, atteſtationibuſque ipſorum apertis & publicatis, ac ipſius cauſæ meritis plene diſcuſſis, parte dictorum Magiſtri & Fratrum citata, ad audiendum ſententiam diffinitivam, & præſente ipſorum Procuratore prædicto, coram Nobis in termino ad hoc præfixo conſtituto, & præhabita Nobiſcum deliberatione ſufficienti, & communicato ſapientum conſilio, Procuratoribuſque præfati D. Regis præſentibus, & ſententiam proferri cum inſtantia poſtulantibus; DEI nomine invocato; quia iidem Procuratores Domini Regis intentionem ſuam clariſſime comprobaverunt, prædictos Magiſtrum & Fratres Domus S. Mariæ Teutonicorum, ac dictum Ziffridum Procuratorem ipſorum præſentem, eorum nomine, & Commendatorum de Gdanſk, de Gniewa & Swecze, qui dictam Terram Pomeraniæ poſſident, ad reſtitutionem ejusdem Terræ cum ſuis pertinentiis, & ad ſolutionem triginta millium marcarum monetæ & ponderis Regni Poloniæ, ratione fructuum perceptorum, & qui percipi potuerunt ex illa, prout Procuratores de violentia illata, probata per teſtes, quantitatem prædictam fructuum per ſuum juramentum legitime comprobaverunt, & ad ſatisfactionem expenſarum in cauſa factarum, præfato D. Regi

Anno 1322. gi Poloniæ, ſeu Procuratoribus ipſius prædictis faciendam, in his ſcriptis ſententialiter condemnamus. Quas quidem expenſas ad centum quinquaginta marcas Groſſorum Pragenſium taxamus, eo quod Procuratores præfati D. Regis ſe eas dixerunt in hac cauſa expendiſſe, prout ſuis declaraverunt juramentis. Lata eſt hæc ſententia in Eccleſia S. Nicolai Juveni Vladiſlaviæ Wladiſlavienſis Diœceſis, poſt Miſſam, quarto Idus Februarii, Anno Domini 1322. Præſentibus Fratribus noſtris Nicolao Decano, Gerlibo Scholaſtico Gneſnenſibus, Joanne Archidiacono Poſnanienſi, Petro Cantore Wladiſlavienſi, Michaele Præpoſito Kruſzwicenſi, Venceſlao Caliſſienſis, Potentiano Unieiovienſis Eccleſiarum Archidiaconis, Vincentio Alberto Gneſnenſis, Voiſlao Poſnanienſis, Joanne Plocenſis Eccleſiarum Canonicis. Et Religioſis Viris Franciſco Priore Poſnanienſi Ordinis Fratrum Prædicatorum, Wirhoſlao Cuſtode Provinciali, Michaele Guardiano Wladiſlavienſi Ordinis Fratrum Minorum, & aliis quam plurimis Sæcularibus & Religioſis. In quorum omnium teſtimonium & evidentiam certiorem, prædictam ſententiam per ſubſcriptum publicum Notarium ſcribi, & in publicam formam redigi fecimus, & ad majorem cautelam noſtrorum Sigillorum appenſione muniri.

Ego Boguslaus de Sandomiria Cracovienſ. Diœceſis, Canonicus Gneſnenſis, Imperiali Auctoritate publicus Notarius, una cum prædictis teſtibus, tempore, quo præfata ferebatur & legebatur ſententia, præſens fui, ſubſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, & de mandato dictorum Dominorum Judicum, ad petitionem prædictorum Domini Regis Poloniæ Procuratorum, meis conſueto nomine & ſigno conſignavi in teſtimonium veritatis.

Ego Nicolaus, Filius quondam Ludovici dicti de Strigonio, Clericus Poſnanienſis, publicus Imperiali Auctoritate Notarius, tempore, quo dicta ſeu præſcripta ferebatur & legebatur ſententia, una cum prædictis teſtibus interfui, ideo me hic ſubſcripſi, meoque ſigno conſueto & nomine ſignavi, rogatus in teſtimonium veritatis.

LI.

Anno 1326.

Frater Wernherus *Ordinis S. Mariæ Domus Teutonicæ Magiſter promittit ſe* Henrico *Duci Wratiſlavienſi opem eſſe laturum contra* Wladislaum *Regem Cracoviæ.* Actum & datum Thoren Anno 1326. Feria 2da infra Octavas Aſſumptionis Domini Noſtri *Ex Origin.*

Noverint univerſi præſentium notitiam habituri, quod Nos Frater Wernherus, Fratrum Ordinis S. Mariæ Domus Teuton. Hoſpitalis Jeroſolymitani Generalis Magiſter, cum Wladislao Rege Kracoviæ olim gratiam boni communis, & auxilium Terrarum omnium ubicunque confirmatum in ſalutem & augmentum conſervationis omnium Chriſti fidelium, fœdera pacis & concordiæ modo inviolabili firmaveramus, cenſentes, ut exinde tranquillitatis quietudo, nec non vigor cunctis temporibus utrobique continue perduraret; qui quidem Rex, pacis pactatæ curſu durante, diffidatione nulla prorſus præcedente, quam tamen tenor juris & juſtitiæ exigebat, ejusdem pacis ſic compromiſſæ fœdera pluries per ſuos temerarie & perfide violavit, requiſitione quoque noſtra rationabili interveniente, ſuper eodem Nobis obſervationes juſtorum placitorum frequentius denegavit, promiſſiones ſuas ſuggeſtione malefica ſemper velut auctor dolum ſub dolo infringendo, quod efficaciter ex re geſta oſtenditur & patet, nam idem Rex, prælibatæ pacis tempore profiſtente, manum in Fratres noſtros & eorum familiam in finibns propriis miſit, enſi crudeli ipſos hoſtiliter occidendo, veris abjectis armis juſtitiæ Chriſtianæ in fideles Chriſti rabie gentilium deſæviens furenti, cum Paganis fœdera mortis compangendo, homines Chriſtianos nuperrime abominabiliter devaſtavit, quosdam eorum nece ferociſſima perimi permittendo, alios vero in captivitatem lugubrem ſinendo duci, doloſe dominii exterminium noſtri & Ordinis toto conamine machinando, præterea cum Dominus Henricus, Honoris Vir & fidelis, Dux Zleziæ, & Dominus Wratiſlaviæ, pluribus viribus juſta placita ſupra dicto Regi exhibuerit, illa ab eo & ſuis ſatis protervi ter recipere .... propter quendam latronem inſignem in latrocinio publice deprehenſum, ob ejus demerita juſto judicio ſuſpenſum, ipſum aſſidue ac ſuos deſtruere irrecuperabiliter machinatur,

tyran-

Anno 1326. tyrannidem propriam inhumaniter exercendo: ſane cujus inſultui periculoſo, ac in tempore mihi & vobis adhærere volentium impetuoſius concedenti reſiſtere cupientes, de maturo Fratrum conſilio, deliberatione habita diligenti, bona fide, cuiuſvis doli ſcrupulo circumſcripto, promittimus firmiter per præſentes Inclyto Principi D. Henrico, Duci Wratiſlaviæ prius nominato, certum & inviolabile præſtare auxilium cum tota noſtra potentia contra Wladislaum Regem ſupra dictum, & hoc tempore Treugarum per modum pacis inter ipſum & Nos firmatarum, quæ uſque ad Nativitatem Domini proxime affuturam ſe extendunt finaliter exſpirante, quodcunque ex tunc idem Rex eundem Dominum Henricum & ſuos invadere hoſtiliter attemptaverit, aut quovis alio modo voluerit aggravare, ſi quod ipſum guerrarum diſcordias cum eo neceſſitate compulſum habere contigerit, quia formam juris, & juſtorum contemnit ab eodem recipere placitorum, ut prædiximus, conſilio, auxilio, ac toto poſſe noſtro, nullatenus ad alicujus inſtantiam deſiſtemus ad culmen honoris, & juſtitiæ ſæpe dicti Domini Henrici fideliter pro viribus anhelando terminum, guerra dicti Domini Henrici Ducis cum eodem Rege durante nullas treugas duntaxat præſentibus excluſis, nec Tractatus amicabiles, neque aliquam habere debebimus compoſitionem, nec concordiam cum ſupra dicto Rege, Domino eodem Henrico, & ſuis expreſſius non incluſis, conditione cum hujusmodi advecta, quod tempore guerrarum ſtante, Nobis tempore aggreſſus & invaſionis per ipſum D. Henricum declaretur, quo hoſtiliter inſultemus vaſtatum fines Regios Nobis propius adjacentes: In cujus Compromiſſi valetudinem firmiorem præſentes ſubſcribi fecimus, atque dari noſtri robore Sigilli publice conſignatas. Actum & datum Thoren. Anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto, Feria ſecunda infra Octavas Aſſumptionis Domini noſtri.

LII.

1329. Joannes *Bohemiæ Rex donat Pomeraniam Magiſtro & Fratribus Ordinis Teutonici.* Actum & datum in Thorun Dominica Invocavit An. 1329. *Ex Originali.*

Nos Joannes D. G. Bohemiæ & Poloniæ Rex, ac Lucemburgenſis Comes, ac Elisabeth per eandem Gratiam eorundem Regnorum Regina, ac Comitiſſa Lucemburgenſis Contoralis ſua, ad univerſorum notitiam, tam præſentium, quam futurorum, tenore præſentium in perpetuum volumus pervenire. Quod cum inter ſingula pietatis opera, quibus ad æterni Regis pervenitur ſolium, illud maxime animarum ſaluti prodeſſe credamus, cum Religioſis locis aut Deo dicatis hominibus, qui Domino quotidie famulantur, aliquid, de quo proficientes in melius, augmentum accipiant, datur liberaliter & confertur. Sane quia Religioſi Viri, Frater videlicet Vernherus de Orſzela, Fratrum Ordinis Hoſpitalis S. Mariæ Domus Teutonicorum Hieroſolymitanæ Magiſter Generalis, ipſi quoque Fratres Pruſſiæ, quorum conditio laudabilis, vitæque & Religionis ſacræ geſtant exercitium memorabile, Nos allicit, graves & intolerabiles pro dilatatione Fidei Orthodoxæ, ob cujus defenſionem contra Litvanos, & ipſorum ſecutores quoslibet hoſtes Chriſti peſtiferos, prout ipſi vidimus, murum inexpugnabilem ſe exponunt, anguſtiati, ſecti, cæſi, & irremediabiliter ſæpius ſunt afflicti, Nos, ut Magiſter & Fratres prædicti labores & expenſas, ac curas hujusmodi in ſe, ac ſuis adjutoribus & ſubditis ferre, ipſisque intendere ut antea, & reſiſtere Fidei Chriſtianæ oppreſſoribus poſſint uberius, participationem bonorum, quæ per eos fiunt ubilibet, operum affectantes, ut de bonis hujus mundi cœleſtia nanciſci, & Regum Domino congregare æternaliter mereamur, pro Prædeceſſorum, Primogenitorum ac Hæredum noſtrorum, noſtræque animarum ſalute, nec non peccaminum noſtrorum remedio, ipſis Magiſtro & Fratribus, ac toti Ordini, communicata manu, pari conſenſu, ac unanimi voluntate, nulla fraude inducti, ſeu dolo aliquo circumventi, pure, libere, & irrevocabiliter inter vivos, nomine ſimplicis puræque Eleemoſynæ propter Deum, & venerationem glorioſæ Virginis Mariae, de liberalitate & munificentia Regia, conſenſu noſtrorum fidelium accedente, damus, donamus & conferimus Terram Pomeraniae, & quicquid ad eam, vel in ea, in toto, vel in ejus parte Nobis, Haeredibus & Succeſſoribus noſtris Bohemiae & Poloniae Regibus aut Reginis, juris, proprietatis, dominii, aut actionis competiit hactenus, aut competere poterit quomodolibet in futurum, ad habendam, tenendam & regendam, uti fruendam & poſſidendam per eosdem Magiſtrum & Fratres, Succeſſoresque eorum, ac totum Ordinem, jure proprietatis perpetuo, pacifice & quie- Anno 1329.

 te,

ANNO 1329. te, quicquid eis, aut ſuis Succeſſoribus deinceps placuerit, in perpetuo faciendum, cum omnibus & ſingulis, quae infra praedictam terram, ſeu intra, aut ſupra, vel etiam ſubtus terram eandem, cum acceſſibus & regreſſibus ſuis continentur, cum omnibus videlicet ſuis juribus, appendiis, pertinentiis, civitatibus, oppidis, caſtris, villis, allodiis, campis, agris cultis & incultis, pratis, hortis, montibus, vallibus, planis, rubetis, deſertis viis & inviis, fluminibus, ripis, rivis, ſtagnis, aquis, aquarum decurſibus, molendinis in aqua, vel ad ventum expoſitis, venationibus, aucupationibus, piſcationibus, piſcinis, jurisdictionibus, monetis, ſeu teloneis, juris patronatibus Eccleſiarum, feudis, vaſallatibus, militiis, clientibus cenſitis, agricolis, ſervitoribus, omagio quocumque, ſeu alio quovis titulo, cenſibus, redditibus, proventibus & fructibus, & univerſaliter cum omnibus & ſingulis utilitatibus, quae habentur ſupra, infra, vel intra terram praedictam, vel etiam ſub terra eadem mineris, vel metallis, auri, argenti, cupri, ſtanni, plumbi, ferri, vel generis alterius cuiuscunque, ut puta, lapidibus, ſale, vel aliis obventionibus quibuscunque, & in quibuscunque rebus conſiſtant, in integrum cum omni uſu ſeu requiſitione Nobis, aut alteri noſtrum, Succeſſoribus, aut Haeredibus noſtris ex eis, vel pro eis rebus, aut aliqua earum modo quolibet pertinente. Nihil in eadem terra, aut ſuis pertinentiis Nobis, Haeredibus, vel Succeſſoribus noſtris, proprietatis, juris, actionis vel dominii penitus reſervantes. Ut autem haec praeſens donatio noſtra pure & ſimpliciter propter Deum, ſicut provide & rationabiliter, ac juſtae donationis titulo celebrata & conſummata, robur perpetuae obtineat firmitatis, promittimus noſtro, Haeredum ac Succeſſorum noſtrorum nomine, contra eam nullo unquam tempore facto aut jure facere, vel venire per Nos, vel alios, publice aut occulte, in toto vel in parte, nec eam revocare in vita vel in morte, occaſione ingratitudinis cujuscunque, ſeu tam praeſentium, quam ſupervenientium liberorum. Volentes ad majorem certitudinem, ſeu etiam cautelam, ut ex nunc Inclytus CAROLUS Primogenitus noſter, fide praeſtita, corporalis loco juramenti, ſpondeat & promittat dictis Magiſtro & Fratribus, pro ſe ſuisque Succeſſoribus ſtipulans, quod dictam terram, ſeu aliquam ejus partem, per ſe, vel alios, nullo unquam tempore impetet, de jure vel de facto, modo aliquo, ſeu inquirat: ſed ipſe cum omnibus ſuis conterminiis, donationem hujusmodi ratam, gratam habeat firmiter in futurum. Renunciantes ſponte & expreſſe pro Nobis, noſtrisque Succeſſoribus & Haeredibus univerſis exceptioni doli mali, ac in factum actioni, beneficio reſtitutionis in integrum, conſtitutionis & conſuetudinis cujuslibet contrariae, Litteris & Indulgentiis Apoſtolicis, Imperialibus, ſeu a Romanis Regibus impetratis, vel etiam impetrandis, omnique Juris Canonici vel Civilis auxilio, per quod Nobis, Haeredibus, aut Succeſſoribus noſtris ſaepe fatis poſſet aliquo modo ſuffragium, Magiſtro vero ac Fratribus, ſeu ipſi etiam Ordini praejudicium quomodolibet generari: Imo etſi ipſa terra, ſeu aliqua ejus pars Pomeraniae, per Inclytam Dominam ELISABETH Bohemiae & Poloniae quondam Reginam, relictam quondam recolendae memoriae VENCESLAI, olim Bohemiae & Poloniae Regis, Soceris & Praedeceſſoris noſtri Filiam, vel Haeredes ejus, fuerit impetita, ipſam terram, & quamlibet ejus partem ab impetentibus, & quolibet impetente, disbigare & liberare noſtris promittimus laboribus & expenſis. In quorum omnium teſtimonium & cautelam præſentia ſcripta fieri, & Sigillis noſtris juſſimus communiri Actum & datum in Thorun Dominica *Invocavit.* Anno Domini 1329. Praeſentibus Spectabilibus et Nobilibus Viris, Fidelibus noſtris, Jofrido Comite de Liningen, Henrico Comite de Wilnow, Ulrico Domino de Hanow, Petro de Hezeburg, Henrico de Lippa Juveni, Vilhelmo de Landenſteyn, Thunone de Colduz, Othone de Bergaw, Bernardo de Sumeburg, et aliis plurimis fide dignis, quos in omnium ſupradictorum, teſtes duximus requirendos. ANNO 1329.

LIII.

Idem dat poteſtatem Magiſtro Ordinis Teutonici novas villas in terra Dobrzynenſi ædificandi ac deſerta extirpandi, exceptis his, quæ ad Caſtrum Dobrzyn. pertinent. Datum Thoruni Anno 1329. ſecunda feria poſt Domicam LÆTARE. *Ex Originali.*

NOS JOHANNES Dei Gratia Boemiae et Poloniae Rex ac Lucemburgi Comes praeſentibus publice profitemur. Quod Nos Viro Conſpicuo Fratri WERNHERO de Orſzela, Fratrum Domus Teutonicae Magiſtro Generali, Amico noſtro dilecto, per Terram Dobrzynenſem villas novas plantandi, deſerta extirpandi, et in

Anno 1329. & in eisdem hominibus libertandi, ac eadem in ipſis novis & veteribus villis aut ipſorum pertinentiis, eis, quæ ad Caſtrum Dobrin pertinent, duntaxat exceptis, ſi qua bona ſeu villæ modo quocunque vacant, vel fortaſſe vacare contigerit uſque ad noſtrum beneplacitum infeudandi plenam damus & liberam poteſtatem.. Ratum & gratum habituri, quidquid per ipſum Magiſtrum actum fuerit in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum, harum teſtimonio Literarum. Datum Thoruni Anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo nono, ſecunda Feria poſt Dominicam *Lætare*.

LIV.

1330. *Idem Terram Dobrzynenſem pro quatuor millibus & octingentis ſexagenis denariorum Pragenſium Magiſtro & Ordini Cruciferorum vendit, utque idem Ordo a præſtatione decimarum ex præfata Terra ſit immunis, curaturum ſe promittit. Cum* Vladislao *Rege Cracoviæ non prius pacem faciet, niſi ipſe, &* Zemoviti *Fratris illius Filius, juri ſuo ad Terram Dobrzynenſem renuntiaverint.* Datum & Actum Metis Anno 1330. decima ſexta Martii. *Ex Originali.*

Nos Joannes Dei Gratia Bohemiæ & Poloniæ Rex, ac Lucemburgenſis Comes, ad univerſorum notitiam tenore præſentium volumus pervenire, quod Nos de maturo fidelium noſtrorum conſilio, ac diligenti & bona deliberatione præhabitis, dedimus, vendidimus, & tradidimus, jure proprio & in perpetuum Religioſis Viris Fratri Wernhero de Orzela Magiſtro Generali Hoſpitalis S. Mariæ Domus Teutonicorum Ierozolimitani, nec non Fratribus Domus ejuſdem pro ſe, ſuiſque poſteris & Succeſſoribus recipientibus, & juſto emptionis titulo ementibus Terram dictam Dobrim ad habendam, poſſidendam, tenendam, et quidquid eis ſuiſque Succeſſoribus deinceps placuerit, perpetuo faciendum cum omnibus et ſingulis, quæ infra prædictam Terram ab antiquo ex utraque parte fluvii dicti Viſlæ continebantur, et nunc continentur, et cum omnibus appendiis et pertinentiis, civitatibus videlicet, caſtris, villis, allodiis, campis, agris cultis et incultis, pratis, ortis, montibus, vallibus, planis, paſcuis, ſilvis, rubetis, deſerto, viis, inviis, fluviis, rippis, rivis, ſtagnis, aquis, aquarum decurſibus, molendinis in aqua, vel ad ventum expoſitis, venationibus, aucupationibus, piſcationibus, piſcinis, jurisdictionibus, monetis, theloneis, juris patronatus Eccleſiarum, feudis, vaſallatibus, militibus, clientibus, cenſitis, agricolis, ſervitoribus, homagio quocunque, ſeu alio quovis titulo, cenſibus, redditibus, proventibus et fructibus, ac univerſaliter omnibus et ſingulis utilitatibus, quae habentur ſupra, vel infra, vel intra terram prædictam, vel etiam ſub terra eadem in mineris et metallis auri, argenti, cupri, ſtanni, plumbi, ferri, vel generis alterius cujuſcunque, ut puta lapidibus, ſale, vel aliis obventionibus quibuſcunque, in quibuſcunque rebus conſiſtant in integrum, omnique jure et actione, uſu ſeu requiſitione, ſive ex eis, vel pro eis rebus, aut ex qualibet earum rerum modo aliquo pertinente. Pro quatuor millibus ſexagenarum et octingentis ſexagenis groſſorum denariorum Pragenſium. Quam pecuniam confitemur praeſentibus Nos ab ipſo Magiſtro et Fratribus habuiſſe et recepiſſe, ac Nobis integre datam, ſolutam et numeratam fuiſſe. Exceptioni Nobis non ſoluti et non numerati pretii omnino renuntiantes, renuntiamus etiam auxilio competenti circumventis ultra dimidium juſti pretii: donantes dictis Magiſtro et Fratribus, ex certa ſcientia irrevocabiliter inter vivos, quod res nunc valet plus pretii, aut in futurum valebit. Et promittentes dictam rem venditam habere licere, dolum malum abeſſe, abfuturumque eſſe. Promittentes fide bona, dolo & fraude quibuslibet excluſis, pro Nobis, Hæredibus & Succeſſoribus noſtris Bohemiæ & Poloniæ Regibus, ac Comitibus Lucemburgenſibus, & ſpecialiter pro Clariſſima Domina Elizabeth Conthorali noſtra legitima, licet nullum eis jus hypotecarium ſcilicet conthorali & liberis noſtris procreatis, aut procreandis, in terra & pertinentiis ſuis ſupra dictis competat, ex eo, quod prædictam terram cum ſuis appendiis armata & potenti manu poteſtati & ditioni noſtræ ſubegimus, quod præfatis Magiſtro & Fratribus nullo unquam tempore per Nos, vel per alios movebimus, ſeu moveri faciemus de jure vel de facto litem, controverſiam, ſeu quamvis aliam quæſtionem. Inſuper promittimus, & ad hoc Nos, Hæredes & Succeſſores noſtros prædictos firmiter obligamus, Nos apud Sedem Apoſtolicam partes noſtras interpoſituros fideliter cum effectu, ut terra prædicta cum ſuis pertinentiis a præſta-

ſtatione decimarum ſicut aliæ terræ dicto-
Anno 1330. rum Magiſtri & Fratrum fiat libera & immunis, & per eiusdem Sedis Apoſtolicæ Privilegium eximatur. Promittimus etiam per præſentes, ut, ſi contingat Nos in poſterum cum Illuſtri Principe Domino Vladislao, qui ſe aſſerit Regem Cracoviæ, ſuper diſſenſionibus, controverſiis, ſeu quæſtionibus inter Nos verſantibus, inire amicabilem compoſitionem, quod eam prius non inibimus, niſi præfatus Princeps & ..... Filius Semovitæ Fratris ſui, quondam Dux Terræ Dobrinen. pro ſe, ſuisque Hæredibus & Succeſſoribus univerſis, ante omnia renuntient omni juri & actioni, ſeu impetitioni & rancori, quas ſe forte ad præfatam Terram, & quamlibet ejus partem, ac contra præfatos Magiſtrum & Fratres habere proponunt, ſeu propoſuerunt, pure, ſimpliciter & in totum. Ita quod prælibati Magiſter & Fratres a perturbatione dicti Principis, Hæredum et Succeſſorum ſuorum, occaſione dictæ Terræ, et cujuslibet ejus partis, ſint et permaneant tuti citra inquietudinem quamlibet et ſecuri. Hanc ſiquidem venditionem provide et rationabiliter factam, ac omnia et ſingula ſupra ſcripta promittimus, et ad hoc Hæredes et Succeſſores noſtros præfatos firmiter obligamus, ante dictis Magiſtro et Fratribus pro ſe, ſuisque Succeſſoribus ſtipulantibus perpetuo, firma, rata, grata habere, tenere, obſervare et adimplere, nec contra facere vel venire per Nos, vel per alios aliqua ratione, ſeu cauſa, aut ingenio, de jure vel de facto. Quæ eſſe volumus omnia circumſcripta. Renuntiantes in his omnibus et ſingulis fori privilegio, beneficio novarum conſtitutionum, nec non exceptioni doli mali, ac in factum actioni, Literis quoque et Indulgentiis Apoſtolicis et Imperialibus, ac a Romanis Regibus impetrandis, conſuetudinibus quibuſcunque præſcriptis, vel non præſcriptis, omnique juris Canonici vel Civilis auxilio, per quod Nobis, Hæredibus, noſtrisque Succeſſoribus ſæpe dictis ſuffragium, ipſisque Magiſtro et Fratribus jam dictis præjudicium poſſet quomodolibet generari. In cujus rei teſtimonium præſentes Literas fieri, et Sigillo noſtro majori fecimus communiri. Datum et actum Metis Anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo, decimaſexta die Menſis Martii, Indictione decima tertia. Præſentibus Venerabili in Chriſto Patre Domino Witigo Epiſcopo Miſnenſi, ac Spectabilibus ac providis Viris Dominis Goffredo Comite de Liningen, Arnoldo Domino de Blanquenaw, Conrado Domino de Seleyda, Ulrico Domino de Hanowe, Hermanno de Columba dicto Birbe, Wilhelmo Landenſten, Thunone de Colduz, Ottone de Bergowe, Bernhardo de Suneburg, quos in omnium teſtes invocavimus prædictorum. Anno 1330.

LV.

1331. *Bulla Excommunicationis Apoſtolicæ contra Magiſtrum, Provincialem, & Commendatores Ordinis S. Mariæ Teutonicorum Jeroſolymitanorum latæ, pro devaſtatione hoſtili Epiſcopatuum Vladiſlavienſis & Culmenſis.* Datum Avinione pridie Kalendas Aprilis, Pontificatus Anno decimo quinto. *Ex Archivo Capituli Cracovienſ.*

Johannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Cracovienſi ac Poſnanienſi Epiſcopis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Grave non immerito gerimus et moleſtum, cum Perſonæ jugo obſervantiæ regularis aſtrictæ, ac plantatæ in orto militantis Eccleſiæ, ut ſe defenſionis murum pro domo Domini exhibentes, reſiſtant viriliter hoſtibus fidei venientibus ex adverſo, convertunt in contrarium vias ſuas adverſus Eccleſias, et Perſonas Eccleſiaſticas, quibus præſtare deberent defenſionis præſidium, per hoſtiles et violentos incurſus, prædas, rapinas et ſpolia exercentes. Sane Venerebilis Fratris noſtri Epiſcopi Vladiſlavienſis lachrimabili propoſita in Conſiſtorio coram Nobis conqueſtione percepimus, quod nonnulli Fratres Domus S. Mariae Teutonicorum Jeroſolimitanorum in partibus, ſeu prope partes Poloniae commorantes, non attendentes, quod eadem Domus ad Dei laudem et gloriam, atque defenſionem fidelium, et liberandam Dei Eccleſiam extitit per Sedem Apoſtolicam ordinata, et quidem alii eorum miniſtri authoritate et mandato Magiſtri Generalis ejusdem Domus, ſicut aſſeritur, nec non Provincialis Terrae Culmenſis, ac de Naxonia et de Golub, ac de Svecze, ac de Coprzino ſive Engelberch Vladiſlavienſis et Culmenſis Diœceſis Commendatores Ordinis Domus ejusdem contra praefatum Epiſcopum ex eo odii rancore concepto, quod idem Epiſcopus diverſas executionum ſententias in eosdem Magiſtrum, nec non Provincialem et Commendatores, pro quadam contu-

Anno 1331. contumacia eorundem per dilectos Filios Petrum de Alverna Ponomien. et Andream de Verulis Vratiſlavienſis Eccleſiarum Canonicos, in partibus illis Apoſtolicae Sedis Nuntios, et etiam tam in eos, quam in nonnullos Clericos et Perſonas Eccleſiaſticas civitatum, caſtrorum, villarum, et aliarum terrarum in dicto Regno Poloniae conſiſtentium, in quibus idem Magiſter, Provinciales et Commendatores exercent dominium temporale propter decimam ſexennalem dictae Sedi debitam, ſtatutis ad hoc terminis non ſolutam, ac etiam quandam aliam Excommunicationis ſententiam in laicos civitatum, caſtrorum et villarum praedictarum, propter denarium Sancti Petri Eccleſiae Romanae debitum non ſolutum, exigente juſtitia authoritate Apoſtolica promulgatas, tanquam devotionis Filius de mandato dictorum Nuntiorum pluries et ſolenniter publicavit, ac etiam pro eo, quod in Terra Pomeraniae Vladiſlavienſ. Diœceſis praedictae, quam dicti Magiſter, Provincialis et Fratres contra juſtitiam per violentiam occuparunt, & detinent occupatam, decimas praediales ad ipſum Epiſcopum et dictam Eccleſiam ſuam Vladiſlavienſem ſpectantes, eisdem Magiſtro et Fratribus, et habitatoribus dictae terrae remittere, vel in jus aliud pro voluntate Magiſtri et Commendatorum, in dampnum et praejudicium maximum ipſius Epiſcopi et dictae Eccleſiae ſuae Vladiſlavienſis, noluit commutare, prout etiam de jure non poterat, nec debebat, Epiſcopatum ſuum Vladiſlavienſem cum maximo Exercitu, et pene viginti vexillis nigra cruce ſignatis, quam contra Saracenos et paganos et infideles alios ſe aſſerunt aſſumpſiſſe, hoſtiliter intraverunt, cremando Eccleſiam, villas, et bona Epiſcopatus ejusdem, et alia eidem Epiſcopatui dampna maxima inferentes, quibus etiam non contenti poſt anni ſpatium revolutum vel citra, pejora cumulando pejoribus, Epiſcopatum eundem hoſtiliter invaſerunt, omnes fere villas campeſtres, grangias, aliasque poſſeſſiones ad menſam ſuam Epiſcopalem ſpectantes, nec non oppidum Raczaus, ad dictam menſam pertinens, dictae Vladiſlavienſis Diœceſis, cum plurimis villis circumjacentibus, ac civitatem ſuam Vladiſlavienſem depraedationibus, ſpoliis et rapinis quoque totaliter devaſtarunt, et quod gravius eſt, Eccleſias, ac aedificia etiam in dicta civitate, ac in ipſis villis, grangiis et poſſeſſionibus dictarum villarum conſiſtentia, et quod eſt auditui horribile, Eccleſiam Cathedralem Vladiſlavienſem, cui pagani ſaepius pepercerunt, Sanctorumque Reliquias, quae ſervabantur in ea, novo, quinimo nefando ſacrilegii genere cum omni decore et ornatu eorum, et nonnullos homines ignis incendio concremarunt, et quam plures alios etiam in cemeterio eiusdem Eccleſiae crudeliter occiderunt, eidem Epiſcopo et Canonicis ejusdem Eccleſiae, aliisque Clericis et Laicis, et habitatoribus dictae civitatis, poſt combuſtionem ipſius, ſub pœna capitis, et mutilatione membrorum prohibentes expreſſe, ne domos, ſeu quodvis aliud aedificium inibi aedificare praeſumerent quovis modo, qui eorum inhumanitatem et ſaevitiam formidantes non audent ipſorum juſſionibus contraire, ac demum dicti Magiſter, Provincialis, Commendatores et Fratres omnibus habitatoribus ejusdem territorii, quod dicitur .... ad dictos Epiſcopum et Eccleſiam ſpectantis, expreſſe mandarunt ſub pœna corporum et bonorum ſuorum, ut de proventibus, cenſibus et redditibus eorundem, ad dictos Epiſcopum et Eccleſiam pertinentibus non eidem Epiſcopo, ſed Magiſtro, Commendatoribus et Fratribus ipſis tantummodo reſponderent, ac intenderent, et totaliter obedirent, nec adhuc finem praedictis enormitatibus imponentes, nuper dicti Magiſter, Commendatores et Fratres exercitu valido congregato dictum Epiſcopatum ſimiliter hoſtiliter invaſerunt, et Caſtrum Raczaus dictae Diœceſis, ad eosdem Epiſcopum et Eccleſiam pertinens pleno jure, in quo theſaurus ac nonnullae res et bona alia, nec non victualia reſidua Epiſcopi et Eccleſiae praedictorum, aliarum Eccleſiarum ejusdem Epiſcopatus, et perſonarum Eccleſiaſticarum, ipſiusque nondum occupata fuerant per manus ſacrilegas eorundem, quaeque pro majori ſecuritate ac tuitione ipſorum in Caſtro repoſita fuerant memorato, circumvallare hoſtiliter praeſumpſerunt, illudque cum machinis per quinque dies et ultra duriſſime impugnantes et tandem ſuffodientes, fontem ſeu puteum, de cuius aqua bibebant cuſtodes dicti Caſtri, et nonnulli nobiles, et quam plures alii utriuſque ſexus juvenes et infantes, qui dictorum perſecutorum faciem et ſaevitiam fugientes, ad dictum Caſtrum cum bonis et rebus ſuis, quae ipſis remanſerant, tanquam ad locum ſecurum pro tuitione perſonarum et rerum ſuarum duxerant recurrendum, totaliter deſtruxerunt, ſicque praefatis cuſtodibus et nobilibus juvenibus et pueris ſiti periclitantibus, et per hoc dictum Caſtrum non volentibus ulterius defenſare, dicti Magiſter, Commen- Anno 1331.

ANNO 1331. mendatores et Fratres crudeliter occuparunt, ac theſaurum, res et bona omnia ſupra dicta, ſicut eis libuit, diſperſerunt totaliter, et etiam aſportarunt, ac villas circumjacentes, quæ poſt primum & ſecundum incendium paucæ remanſerant, ac alias, quæ aliqualiter fuerant reformatæ, cum rebus & bonis exiſtentibus in eisdem, animalibus tamen ſecum deductis, in prædam ignis incendio combuſſerunt, multis hominibus per eos in ore gladii interemptis, non parcendo ſexui, vel ætati, dictumque Epiſcopatum & ejus Eccleſias pro majori parte deſtruxerunt, & quaſi ad nihilum redegerunt ita, quod niſi eisdem Epiſcopo ac Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, civitatis & Diæceſis prædictarum de opportuno remedio celeriter occurratur, eosdem Epiſcopum, & perſonas in Epiſcopalis dignitatis, & Ordinis Clericalis opprobrium oportebit neceſſario mendicare, ac dictis Eccleſiis ſine culpa ipſarum debita ſubtrahantur obſequia, & per conſequens in Epiſcopatu præfato creſcet indevotio populi, & infinita pericula inſurgent. Quare præfatus Epiſcopus pro ſe & Eccleſiis, ac perſonis Eccleſiaſticis ſupra dictis ſuper præmiſſis ad Nos devote recurrens, Nobis humiliter ſupplicavit, ut providere ſuper his paterna diligentia curaremus. Nos igitur præmiſſa, ſi eis veritas ſuffragetur, nolentes nec volentes conniventibus oculis ſalva conſcientia pertranſire, quin contra incendiarios, ſacrilegos & malefactores hujusmodi, prout prædictorum exceſſuum enormitates expoſcunt, ne ipſorum impunitas aliis tranſeat in exemplum, debite procedamus, Fraternitati veſtræ de Fratrum noſtrorum conſilio per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum, per vos, vel per alium ſeu alios, incendiarios Eccleſiarum prædictarum, cujuscunque ſtatus, ordinis & conditionis exiſtant, authoritate noſtra in Eccleſiis & locis, ubi expedire videritis, generaliter excommunicatos publice nuntietis, & faciatis per alios nuntiari; quorum abſolutionem Sedi Apoſtolicæ duximus ſpecialiter reſervandam, ac deinde de prædictis incendiis, nec non invaſionibus, deprædationibus, injuriis atque dampnis ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii notatis, qui fuerint evocandi, informari curetis, & ſi vobis legitime conſtiterit de invaſione, ſeu violentiis & incendiis ſupra dictis & perſonis, quæ talia perpetrarunt, eosdem incendiarios nominatim excommunicatos publice nuntietis diebus Dominicis & feſtivis, & per alios in locis, ubi expedire videritis, nuntiari faciatis, & ab omnibus artius evitari, & tam eos, quam alios invaſores, nec non violentiarum, rapinarum, & dampnorum hujusmodi illatores ad reædificationem Eccleſiarum, domorum, & aliorum ædificiorum per eos, vel occaſione ipſorum, ut præmittitur, deſtructorum, ad ſatisfactionem & emendationem aliorum bonorum immobilium prædictorum, nec non ad reſtitutionem rerum mobilium ablatarum ſeu amiſſarum, vel ſolutionem æſtimationis ipſarum, ſeu emendationem dampnorum ſuper dictis rebus mobilibus illatorum taxatione per vos prius facta, de dictis bonis mobilibus, pro perſonarum & negotii qualitate ac valore, ſeu æſtimatione ipſorum mobilium ablatorum, raptorum, ſeu incenſorum & deperditorum, ubi ipſorum mobilium valor ſeu exiſtimatio aliter probari non poterit, juramento ejusdem Epiſcopi, & aliorum, qui pertulerunt dampna hujusmodi declaranda, eisdem Epiſcopo, & aliis dampna paſſis integraliter faciendam, nullo ſuper hoc eisdem invaſoribus, incendiariis & violentiarum illatoribus appellationis ſuffragante remedio ſententialiter condempnetis, hujusmodi ſententiam, quam ſuper præmiſſis proferri contigerit, executioni debitæ demandantes, contradictores quoslibet, & rebelles cujuscunque ætatis, dignitatis, ordinis vel conditionis extiterint, per excommunicationes & ſuſpenſiones in perſonas, & interdictum in terras ſeu Eccleſias eorundem, ac univerſitates ſeu communitates dictarum terrarum, ac alia juris remedia, prout expedire videritis, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus felicis recordationis BONIFACII Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri qua cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem & Diœceſim, niſi in certis caſibus exceptis, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ Diœceſis, ad judicium evocetur, ſeu ne Judices a Sede deputati prædicta extra civitatem & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, ſive alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorundem trahere præſumant, ac de duabus dietis in Concilio generali, & aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de Judicibus delegatis, quam de perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ noſtræ poſſent in hac parte jurisdictioni aut poteſtati, ejusque libero exercitio quomodolibet ANNO 1331.

Anno 1331. dolibet obviare, ſeu in eisdem Magiſtro, Provinciali, Commendatoribus & Fratribus, vel quibuscunque aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel eorum Eccleſiæ, civitates, caſtra, & loca Eccleſiaſtico ſubjici interdicto, ſeu quod ultra vel extra certa loca ad judicium evocari non poſſint per Literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, eorumque locis, perſonis, ordinibus & nominibus propriis mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis & Literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, cujuscunque tenoris exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta noſtræ jurisdictionis explicatio in hac parte quomodolibet valeat impediri, & de quibus, quorumcunq; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Cæterum volumus, & Apoſtolica Authoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quodque vobis, & unicuique veſtrum a data præſentium ſit in præmiſſis omnibus, & eorum ſingulis perpetua poteſtas & jurisdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus & ſingulis & pro ſupra dictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & jurisdictio noſtra ſuper præmiſſis omnibus & eorum ſingulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet, quacunque conſtitutione contraria non obſtante. Quod ſi præfati Magiſter, Provincialis, Commendatores & Fratres in hac parte proceſſibus noſtris efficaciter parere non curaverint, & etiam obedire, eos ex parte noſtra peremptorie citetis, ut infra ſemeſtris temporis ſpatium prius citationem noſtram cum omnibus eorum, & dictæ Domus exemptionum Privilegiis, ſi quæ habent, idem videlicet Provincialis, Commendatores ac Fratres, quos per informationem hujusmodi principales & præcipuos repereritis prædictorum exceſſuum patratores, dictus vero Magiſter per Procuratorem ſeu Procuratores idoneos plenum & ſufficiens mandatum, ac plenam & liberam poteſtatem habentem, ſeu habentes ad obediendum & parendum ejus nomine, & pro parte ſua ſuper præmiſſis Apoſtolicis ordinationibus, beneplacitis & mandatis Apoſtolico conſpectui ſe præſentent his, quæ ſuper præmiſſis judicio vel concordia facienda, injungenda & ſtatuenda duxerimus plenarie parituri, & alias facturi & recepturi, quod de Sedis ejusdem proceſſerit beneplacito voluntatis, alioquin niſi comparuerint, & dicta privilegia portaverint, illa dictæ Sedi Apoſtolicæ oſtenſuri, ex tunc Privilegia ipſa ſuſpendimus, & ipſos interim ſuis Ordinariis volumus eſſe ſubiectos, ac nihilominus contra eos, prout juſtum fuerit, & expedire viderimus, procedemus, eorum abſentia non obſtante. Cæterum ſi forte præfatos Magiſtrum Provincialem, Commendatores, & Fratres per vos vel per alium ſeu alios auſi non fueritis in domibus, ſeu domiciliis eorundem citare, vel ipſi impedimentum præſtiterint, ne citari valeant, in eisdem volumus & decernimus vobis, & cuilibet veſtrum præſentium authoritate licere, diebus aliquibus Dominicis & feſtivis, cum populus convenerit ad Divina, ut ſic facta citatio ad eos pervenire veriſimiliter præſumatur, citare vel citari facere publice in Eccleſiis civitatum, vel locorum inſignium magis vicinorum, in quibus poſſitis tute morari, & deinde procedere contra illos, ſive citati taliter ſtatuto ipſis peremtorio termino competenti coram Nobis compareant, ſive comparere contempnent juxta formam præſentium, ac ſi citati alias legitime extitiſſent; quem quidem citationis modum vobis ſit licitum obſervare etiam in aliis citationibus faciendis de illis, ſeu contra eos, ut coram vobis debeant, ut præmittitur, comparere. Quas quidem citationes ita volumus & decernimus eosdem artare citatos, ac ſi eos perſonaliter comprehendiſſent, & in eorum præſentia factæ eſſent, quacunque conſtitutione contraria non obſtante. Diem vero citationis illius, per quam prædicti Magiſter, Provincialis, Commendatores & Fratres citati fuerint, ut coram vobis debeant, ut præmittitur, comparere, ac formam, & quidquid ſuper præmiſſis duxeritis faciendum, Nobis per veſtras literas vel Inſtrumentum publicum, horum ſeriem continentia, fideliter intimare curetis. Datum Avinione pridie Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno quinto decimo.

LVI.

Literæ THEODORICI *Ordinis FF. Teutonicorum Magiſtri Generalis ſuper ceſſione ipſius de Terris Breſtenſi & Dobrinenſi.* Datum in Leſſania 1334. *Ex Originali.* 1334

Anno 1334. Noverint univerſi præſentium inſpectores, quod Nos Frater Theodoricus de Oldemburg, Ordinis Domus Teuton. Generalis Magiſter, pacis fœdera in Caſtro Wiſſegrad in Ungaria initiata, tempore præterito conſumata in Leſſan, ratificamus hoc modo, ut cum Litteræ Nobis promiſſæ ſub eo tenore, prout in rotula ſigillata, ſigillis videlicet Illuſtris Principis Domini Casimiri D. G. Regis Poloniæ, ac noſtro, ac Generoſi Viri Domini Adolphi Comitis de Monte plenius continetur, Nobis in Thorun, vel alicui Mandatum noſtrum ſuper eo habenti infra hinc, & Feſtum Sanctæ Trinitatis proxime affuturum fuerint ptæſentatæ, ex tunc Nobilis Otto de Bergau nomine & vice Magnifici Principis Domini Joannis Regis Bohemiæ, & noſtro, Civitatem & Caſtrum Breſt cum omnibus ſuis appendiis, ex nunc manutenens Domino Regi Poloniæ prælibato, ſeu ei, quem ad hoc deputare putabit, & ſimiliter Terram Dobrin, Domino Duci Dobrinenſi cum ſuis pertinentiis aſſignabit, alioquin Nobis, vel ei, quem ad hoc deputaverimus idem Dominus Otto de Bergau, ſeu eius vicem tenens, Civitatem & Caſtrum Breſt, & Terram Dobrin cum ſuis pertinentiis, ut praedicitur, pure & ſimpliciter ſine aliqua contradictione tenebitur praeſentare. In quorum omnium evidentiam pleniorem Sigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum. Datum & actum in Leſſania, Anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo quarto, Dominica, qua cantatur: *Invocavit.*

LVII.

1335. *Sententia arbitralis a* Carolo *Hungariæ, & Joanne Bohemiæ Regibus lata, qua Pomerania Cruciferis, Dobrzinenſis vero & Cujavienſis Terra Regi Poloniæ adjudicatur.* Actum & datum in Wiſchegrod, Anno 1335. Dominica proxima poſt Feſtum S. Eliſabeth. *Ex Orig.*

In Nomine Domini Amen.

Nos Carolus & Joannes D. G. Hungariae & Bohemiae Reges, perpetuae memoriae tenore praeſentium notum facimus, quibus expedit, univerſis &c. Cum Magnificus Prinoeps Casimirus eadem Gratia Rex Poloniae ex una, & Religioſi Viri, Magiſter Generalis, Praeceptores, & Fratres univerſi Ordinis Cruciferorum de Domo Teutonica, parte ab altera, ſuper Terris, Provinciis, ſeu Diſtrictibus Culmenſi, Dobrzinenſi, Cujaviae, Pomeraniae, & Thorunenſi, ſuper quibus a multo retroactis temporibus adhuc inter Excelſum Principem Dominum Wladislaum, quondam ejuſdem Poloniae Regem, & tandem ipſo feliciter migrante ad Dominum, inter ipſum Dominum Casimirum Regem, & dictos Cruciferos materia diſſenſionis, & quaeſtionis ſuborta, dinoſcebatur in Nos Reges Hungariae & Bohemiae, tanquam communiter Arbitratores & amicabiles Compoſitores, per eosdem jam dudum, & nunc, mediantibus legitimis Inſtrumentis, & Litteris compromiſſariis efficacibus electos, pacis alumni & amici fore invicem cupientes, ſe ſponte & liberaliter commiſiſſent, & pure compromiſiſſent: Nos inter caetera, huius rei cauſa, circa Feſtum omnium Sanctorum Anno Domini 1335. in alto Caſtro Wiſchegrad in Hungaria ſimul in unum conveniſſemus, tractaturi de praemiſſis, & praedicto D. Casimiro Rege perſonali praeſentia, & pro memoratis Magiſtro Generali, Praeceptoribus, & Univerſitate Fratrum Cruciferorum dictae Domus Teutonicae, Fratre Henrico Rutheno, Provinciali ejuſdem Ordinis de Terra Culmenſi, & Marquardo de Spaneberg Thorunenſi, & Conrado de Bruneſtein Szwecenſi, dicti Ordinis Commendatoribus & Confratribus, cum plenis & legitimis, & ad infra ſcripta cum plene ſufficientibus Procuratoriis Litteris, comparentibus, aſſumptis Nobiſcum Praelatis & Baronibus noſtris, quos communiter voluimus, quibuſdam diebus continuatis, utriuſque partis, jura etiam infra ſcripta, quae habere dinoſcebantur, diligenti & fideli perſcrutatione examinaſſemus. Tandem favente Domino aciem mentium noſtrarum aequo libramine dirigentes, taliter arbitrandum duximus, & pronunciando diffinimus inter Partes. Quod Dominus Casimirus Rex Poloniae Terras Cujaviae & Dobrzinenſem, cum Provinciis ac Diſtrictibus, ac quibuſvis utilitatibus et pertinentiis univerſis, ab antiquo ad easdem ſpectantibus, juxta limites ac metas ſui antiquas cum plenitudine juris, et titulo pleni dominii, prout ad Progenitores et Praedeceſſores ſuos, et per conſequens ad ipſum, juſto et vero ac haereditario titulo, ab olim pertinuiſſe, et pariter pertinere cognovimus, et ſpecialiter in eadem Terra Cujavienſi, cum portione Dueis Casimiri, quae ipſum contingit, cum pertinentiis in eadem debeat poſſidere, tenere pacifice, quiete, perpetuo, et habere in Filios, Filiorum et Succeſſorum Anno 1335.

Hae-

Anno 1335. Haeredes, ſalvo, quod omnia bona et poſſeſſiones, quae et quas in Terris Cujaviae, Dobrzinenſique ante motam guerram pacifice et quiete Cruciferi poſſederint, ita et nunc, prout antea eas et ea cum omnibus juribus, juriſdictionibus, et pertinentiis quibuslibet poſſideant, habeant et teneant, ſub veris metis, et terminis antiquitus obſervatis. Magiſter vero Generalis, et Fratres Cruciferi Domus Teutonicae praenominati Terram Pomeraniae, cum ſuo diſtrictu, juxta antiquos limites ſuos, cum pertinentiis ſimiliter, et utilitatibus ejusdem univerſis, quam iisdem Fratribus et idem Dominus Casimirus Rex Poloniae, cauſa divinae retributionis, et ob remedium animarum Praedeceſſorum ſuorum et Progenitorum, ac ſuae ſalutis, in perpetuam Eleemoſynam, nec non propter perpetuae pacis bonum, coram Nobis renuntiando omni juri, actioni, impetitioni et repetitioni, quod, vel quæ eidem D. Regi Poloniae in eadem Terra Pomeraniae ab antiquo competebat, vel competere poſſet, etiam ipſe promiſit, juxta ipſam noſtram arbitrariam pronuntiationem vel diffinitionem, eodem jure et modo, quo Terrae Culmenſis et Thorunenſis eisdem Fratribus per Progenitores et Praedeceſſores ſuos fuerunt legatae et donatae, eandem legationem et donationem eo jure et modo, quo fuerat tunc facta, ratam habendo, quiete, pacifice et perpetuo tenere debeant, habere pariter et poſſidere. Ordinavimus ad ultimum diffiniendo arbitrando, quod omnia damna, injuriae, et quaecumque moleſtiae, quocumque modo hinc inde illatae, vel Regi Poloniae, vel ejus ſubditis, ſive Cruciferis, vel eorum ſubditis, compeſcantur, et tollantur in totum: ſic quod de caetero inter ipſos ſuper eisdem nulla petitio et quaeſtio oriatur. Ne autem quicunque feudales, vel Regis Poloniae, ſeu Fratrum Cruciferorum, qui guerris pendentibus inter ipſos a bonis ſuis facti ſunt profugi, ſive de Cujaviae ſeu Dobrzinenſi, vel de Culmenſi Pomeraniaeque, a noſtra diffinitione videantur excluſi: ordinamus et diffinimus, quod hujusmodi omnes profugi bonis ſuis omnibus, et gratiis Dominorum ſuorum ſint praeſentibus reformati: ſic, quod vel ad bona ſua libere revertantur, ſi velint, aut iisdem libere venditis ſe transferant, quo placebit. In quorum omnium teſtimonium atq; robur Sigilla noſtra praeſentibus ſunt appenſa. Actum et datum in Wiſchegrad in Hungaria. Praeſentibus R. R. in Chriſto Patribus, ac Magnificis et Nobilibus Viris infra ſcriptis: videlicet Chanadino, Strigonienſis, loci ejusdem Comite perpetuo, et Fratre Ladiſlao Colocenſis, et Aulae Regis ejusdem Regni Hungariae Cancellario, Eccleſiarum Archiepiſcopis, Villerino Drugenſi Palatino Regni Hungariae, Demetrio Magiſtro Tavernicorum, Thoma Voiewoda Tranſylvano, Comite de Zunnen, Mimethbano totius Slavoniae Comite, Paulo Judice Curiae Regis Hungariae. Nec non Vithgone Miſznenſis, et Joanne Olomucenſis Eccleſiarum Epiſcopis, Rudolpho Duce Saxoniae, Carolo Marchione Moraviae, Boleſlao Sleſiae, et Domino Legnicenſi, Thymone de Coldich, Henrico de Lippa, et quam plurimis aliis fide dignis, ad praemiſſa rogatis ſpecialiter et vocatis. Anno Domini milleſimo tricenteſimo trigeſimo quinto, Dominica proxima poſt Feſtum S. Eliſabeth.

LVIII.

1336. Casimiri *Regis Poloniæ ratihabitio ſententiæ per* Carolum *Hungariæ &* Joannem *Bohemiæ Reges latæ.* Datum Cracoviæ in die S. Trinitatis An. 1336. *Ex Origin. Sigill. 1.*

Kazimirus Dei Gratia Rex Poloniæ univerſis præſentes literas inſpecturis gratiam Regiam cum gaudio ſalutis. Univerſitatem veſtram publice ſcire volumus, quod Nos volentes præceptis ac ſalutaribus monitis Sereniſſimorum Principum Dominorum Karoli Ungariæ & Johannis Boëmiæ Regum Illuſtrium Fratrum noſtrorum inſiſtere, eorumque ordinationibus inter Nos parte ex una, ac Magiſtrum & Fratres Domus Teutonicæ parte ex altera factis ſuper controverſiis hinc inde agitatis firmiter diutius inhærere promittimus, bono & ſincero ſpiritu præfatis Dominis Regibus ipſorum laudum inter Nos & ipſos Magiſtrum & Fratres per eos laudatum, gratum, firmum, & inviolabile irrefragabiliter attendere, & inviolabiliter cuſtodire, promittentes expreſſe adverſus ipſos Magiſtrum & Fratres terras & bona eorum prius poſſeſſa per eos, & habita hinc a Feſto B. Johannis Baptiſtæ nunc inſtante per annum nullam movere, ſeu moveri procurare quomodolibet novitatem, nullamque eis inferre interim, ſeu inferri per quempiam permittere moleſtiam aliqualiter vel offenſam, verumtamen ſi ſecus fieri, quod abſit, evenire contigerit, ex tunc volumus fideliter & ſpondemus, ſuper offenſis & dampnis, ſi quæ noſtros per negligentiam perpetrare

ANNO 1336. trare contingat, mandatis & arbitramentis prædictorum Dominorum Regum ſtare & attendere, ſatisfacereve, prout ipſi Nobis duxerint injungendum, totius moræ diſpendio penitus procul moto, quam cito ipſi Magiſter vel Fratres ſuper eo duxerint Nos requirendos, harum noſtrarum teſtimonio literarum. Datum Cracoviæ in die Sanctæ Trinitatis Anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſexto.

LIX.

1337. CASIMIRUS *Rex Poloniæ* VLADISLAO *Duci Dobrynenſi, a quo Terram Dobrynenſem jure donationis acceperat, Terram Lancicienſem ad vitæ tempora tenendam confert.* Datum in Pakoſz feria tertia in Carnisprivio Anno 1337. *Ex Originali. Sigill. 1.*

In Nomine Domini Amen.

Quod magnifica Regum fieri decrevit auctoritas, ratum atque ſtabile debet ubilibet permanere. Proinde Nos KAZIMIRUS, Dei Gratia Rex Poloniæ, notitiæ univerſorum præſentibus declaramus. Quod quia Excellens Princeps Dominus WŁODKO Dei Gratia Dobrinenſis & Lancicienſis Dux, Frater noſter cariſſimus, ſanus mente & corpore in noſtra noſtrorumque Baronum præſentia conſtitutus voluntarie Nobis Terram ſuam Dobrinenſem, quæ ipſum ex patria ſucceſſione contingebat, nunc per Cruciferos occupatam, noſtris in manibus reſignavit, volens a Nobis pro ea ſpecialiter præmiari, Nos vero ejus affectum & ſinceritatem, quam penes Nos habet, modo dilectionis fraternæ tacite præterire nequientes, ſed decernentes ſibi pro eo ulterius reſpondere, exnunc Terram noſtram Lancicienſem cum omnibus dignitatibus, caſtris, civitatibus, villis, theloneis, utilitatibus, ſingulisque pertinentiis ad ipſam & cum toto dominio, ſecundum quod in ſuis metis & terminis eſt circumferentialiter diſtincta & limitata circumquaque, damus, tradimus, donamus, & conferimus tenendam, regendam & habendam temporibus ſuæ vitæ. In horum igitur evidentiam præſentes ſcribi, & noſtri Sigilli munimine juſſimus roborari. Datum in Pacoſcz feria tertia in Carnisprivio Anno Domini milleſimo tercenteſimo trigeſimo ſeptimo. Præſentibus his Nobilibus Viris Venerabili in Chriſto Patre Domino Janiſlao, Divinæ & Apoſtolicæ Sedis Providentia S. Gneznenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Nicolao Poznanienſi, Alberto Cujavienſi Palatinis, Jaroſlao Archidiacono Cracovienſi, & Cancellario Cujavienſi, Otta Cancellario, Jaroſlao Caſtellano Poſnanienſi & aliis multis fide dignis. ANNO 1337.

LX.

Sententia definitiva, qua Commiſſarii & Judices a Sede Apoſtolica delegati CASIMIRO *Regi, & Regno Poloniæ Pomeraniam, nec non Culmenſem, Michalovienſem, Cuiavienſem, Dobrinenſem Terras adiudicant, & ratione damnorum perceptorum ad centum nonaginta quatuor millia & quingentas marcas Polonici ponderis, & ad mille ſexcentas marcas ratione impenſarum Magiſtrum & Cruciferos condemnant.* Actum Varſchoviæ An. 1339. *Ex Archivo Cancellar. Regn. Lib. 3. ſub Lit. C. num. 4. fol. 145.* 1339.

In Nomine Domini Amen.

Noverint univerſi, quod Nos Galchardus de Carceribus, Præpoſitus Titulen. Collocen. Diœceſis, & Petrus Gervaſi Canonicus Avicien. Eccleſiarum, Apoſtolicæ Sedis Nuntii, & Executores, & Judices in cauſa, quæ vertitur inter Magnificum Principem Dominum CASIMIRUM Dei Gratia Regem Poloniæ Illuſtrem ex una parte, & Venerabiles & Religioſos Viros, Magiſtrum & Fratres Ordinis Domus B. Mariæ Teutonic. in partibus Pruſſiæ ex altera, ab eadem Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati, pridem Literas Apoſtolicas, veras & integras, ac omni ſuſpicione carentes, Bulla plumbea Sanctiſſimi Patris & Domini noſtri, Domini BENEDICTI, Divina Providentia Papæ duodecimi in filo canapi more Romanæ Curiæ bullatas, ut prima facie apparebant, cum ea qua decuit reverentia, recepimus, de verbo ad verbum tenorem, qui ſequitur, continentes:

„ BENEDICTUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Magiſtris Galchardo de Carceribus, Præpoſito Titulen. Collocen. Diœceſis, & Petro Gervaſi Canonico Avicen. Eccleſiarum, Apoſtolicæ Sedis Nuntiis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Querelam gravem

Anno 1339. vem ex parte cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Casimiri Regis Poloniæ Illuſtr. in Conſiſtorio coram Nobis & Fratribus noſtris propoſitam audivimus, continentem: quod olim Magiſter & Fratres Domus B. Mariæ Teutonicorum, qui tunc erant in Pruſſiæ partibus commorantes, nonnullas terras & dominia infra Regnum ſuum Poloniæ conſiſtentes, videlicet Culmenſis & Pomeraniæ dudum, nec non a paucis citra temporibus Magiſter, qui tunc erat, & Fratres dictæ Domus Vladiſlavien. Breſten. Dobrynen. & Michalovien. Terras ad Regem & Progenitores ejus de jure ſpectantes, infra ipſum Regnum conſiſtentes, non ſine magna ſtrage Chriſti fidelium, & concrematione centum Eccleſiarum, vel citra, hoſtiliter invaſerunt, & per violentiam occuparunt, & adhuc defacto detinent occupatas, in animarum ipſorum perniciem, & ipſius Regis, ad quem ratione dicti Regni ſui dictæ Terræ, ut præmittitur, ſpectare noſcuntur, ſicut etiam per ſententiam latam ſuper dicta Terra Pomeraniæ per certos Judices delegatos per felicis recordationis Johannem Papam XXII. Prædeceſſorem noſtrum, dum adhuc ageret in humanis, ad inſtantiam claræ memoriæ Vladislai Regis Poloniæ, tunc viventis Genitoris Casimiri Regis prædicti deputatos ab olim dicitur liquido apparere, ac dicti Regni, quod eſt Romanæ Eccleſiæ cenſuale, quodque poſt Deum nullum, præter ipſam recognoſcit ſuperiorem in terris, nec non & eiusdem Eccleſiæ Romanæ, quæ propterea cenſu, qui denarius B. Petri dicitur, eidem Eccleſiæ in ipſo Regno debito, multipliciter extitit defraudata, in grave præiudicium atque damnum. Supplicatum igitur Nobis pro parte dicti Regis, ut providere ſuper his de opportuno remedio curaremus. Nos apud Sedem Apoſtolicam informari volentes: an Magiſter & Fratres prædicti ſuper præmiſſis infamia laborarent, dilecto Filio noſtro Petro Tituli S. Praxedis Presbytero, & bonæ memoriæ Joanni S. Theodori Diacono tunc viventi Cardinalibus, commiſimus oraculo vivæ vocis, ut ſe ſuper hoc apud Sedem Apoſtolicam plenius informarent, Nobiſque referrent, quæ per informationem huiusmodi reperirent, ac deinde per eos ſuper huiuſmodi infamia informatione recepta, dictoque Joanne poſtmodum, ſicut Domino placuit, de hac luce ſubtracto, ipſoque Petro Cardinalibus ſe de ſpeciali mandato noſtro de Romana Curia pro certis arduis negotiis abſentante, demum Venerabilis Frater noſter Joannes Epiſcopus Portuenſ. de ſpeciali mandato per Nos vivæ vocis oraculo ſibi facto de informatione huiuſmodi per dictos Cardinales, ut præfertur, recepta, cuius acta ſibi fecimus aſſignari, fecit in Conſiſtorio coram Nobis & dictis Fratribus relationem plenariam & fidelem. Et quia per relationem huiuſmodi Nobis conſtat, quod Magiſter & Fratres prædicti ſuper præmiſſis noſcuntur infamia laborare, Nos nolentes nec valentes illa, ſi vera ſint, ſalva conſcientia conniventibus oculis pertranſire, quin contra invaſores, occupatores, incendiarios, ſacrilegos & malefactores huiuſmodi, prout prædictorum exceſſuum enormitates expoſcunt, ne ipſorum impunitas aliis in exemplum tranſeat, debite procedamus, Diſcretioni veſtræ, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum per vos vel alium ſeu alios, incendiarios Eccleſiarum prædictarum, cuiuscunque ſtatus, ordinis, conditionis exiſtant, authoritate noſtra in Eccleſiis & locis aliis, ubi expedire videritis, generaliter excommunicatos publice nuntietis, ac faciatis per alios nuntiari, quorum abſolutionem Sedi Apoſtolicæ duximus ſpecialiter reſervandam. Ac deinde de prædictis invaſionibus, occupationibus & damnis ſive incendiis ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii vocatis, qui fuerint evocandi, informari curetis, & ſi vobis conſtiterit legitime de invaſionibus, occupationibus, damnis & incendiis ſupradictis, & perſonis, quæ talia perpetrarunt, eosdem incendiarios nominatim excommunicatos publice nuntietis diebus Dominicis & feſtivis, & per alios in locis, ubi expedire videritis, nuntiare faciatis, & ab omnibus artius evitari, & tam eos, quam alios invaſores, occupatores, nec non damnorum hujusmodi illatores, ad reædificationem Eccleſiarum per eos, vel occaſione ipſorum, ut præmittitur, deſtructarum, & ſatisfactionem & emendationem aliorum bonorum immobilium, nec non ad reſtitutionem plenariam dictarum terrarum cum fructibus inde perceptis, & rerum mobilium exinde ablatarum ſeu amiſſarum, vel ſolutionem, æſtimationem ipſarum rerum mobilium, ſeu emendationem damnorum ſuper dictis bonis immobilibus illatorum, taxatione per vos prius facta de dictis bonis mobilibus, pro perſonarum & negotii qualitate ac valore, ſeu æſtimatione ipſorum bonorum mobilium ablatarum, ſeu incenſorum & deperditorum, ubi ipſorum mobilium valor ſeu æſtimatio aliter probari non poterit, juramento ejusdem Regis,

Anno 1339. Regis, & aliorum, qui pertulerunt damna hujusmodi declaranda, eisdem Regi & aliis damna paſſis integraliter faciendam, nullo ſuper hoc eisdem invaſoribus, occupatoribus, incendiariis, raptoribus, & damnorum hujuſmodi illatoribus appellationis ſuffragante remedio, ſententialiter condemnetis, hujuſmodi ſententiam, quam ſuper præmiſſis ferri contigerit, executioni debitæ demandantes, contradictores quoslibet, rebelles quoſcunque, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, ordinis vel conditionis extiterint, per excommunicationes & ſuſpenſiones in perſonas, ac interdictiones in Terras, ſeu Eccleſias eorundem, ac univerſitates ſeu communitates earundem Terrarum, & alia juris remedia, prout expedire videritis, compeſcendos, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ Diœceſis, ad judicium evocetur, ſeu ne Judices a Sede deputati prædicta extra civitatem & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorum trahere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali, & aliis quibuſcunque conſtitutionibus, a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de judicibus delegatis, quam de perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ veſtræ poſſent in hac parte jurisdictioni aut poteſtati, ejuſque libero exercitio obviare, ſeu, ſi eisdem Magiſtro & Fratribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel eorum Eccleſiæ, civitates, caſtra & loca Eccleſiaſtico ſubjici Interdicto, ſeu quod ultra, vel extra certa loca ad judicium evocari non posſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, eorumque locis, perſonis, ordinibus & nominibus propriis, mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta veſtræ jurisdictionis explicatio in hac parte quomodolibet valeat impediri, & de quibus, quorumque tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Cæterum volumus, & Apoſtolica authoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quodque vobis, & utrique veſtrum a data præſentium ſit in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis perpetuata poteſtas & jurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus et ſingulis, et pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia et ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, et jurisdictio veſtra ſuper præmiſſis omnibus, et eorum ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata, legitime extitiſſet, quacunque conſtitutione contraria non obſtante. Quodſi præfati Magiſter et Fratres in hac parte proceſſibus veſtris efficaciter parere non curaverint, et etiam obedire, eos ex parte noſtra peremptorie citetis, ut infra ſemeſtris temporis ſpatium poſt citationem veſtram hujuſmodi, cum omnibus eorum et dictæ Domus exemptionum privilegiis, ſi quæ habent, idem Magiſter videlicet et Fratres, quos per informationem hujuſmodi principales et præcipuos repereritis, prædictorum exceſſuum patratores perſonaliter, alioquin vero per Procuratorem, ſeu Procuratores, idoneum, vel idoneos, plenum et ſufficiens mandatum, ac plenam et liberam poteſtatem habentem, ſeu habentes, ad parendum et obediendum eorum nomine, et pro parte ſua ſuper præmiſſis Apoſtolicis ordinationibus, beneplacitis et mandatis Apoſtolico conſpectui ſe præſentent, his, quæ ſupra præmiſſis judicio, vel concordia facienda, injungenda et ſtatuenda duxerimus, plenarie parituri, et alias facturi et recepturi, quod de Sedis ejusdem proceſſerit beneplacito voluntatis, alioquin, niſi comparuerint, et dicta privilegia portaverint, illa dictæ Sedi Apoſtolicæ oſtenſuri, extunc privilegia ipſa ſuſpendimus, et ipſos interim ſuis Ordinariis volumus eſſe ſubjectos, ac nihilominus contra eos, prout juſtum fuerit, & expedire viderimus, procedemus, eorum abſentia non obſtante. Cæterum, ſi forte præfatos Magiſtrum et Fratres per vos, vel alium ſeu alios auſi non fueritis in domibus, ſeu domiciliis eorundem citare, vel ipſi impedimentum præſtiterint, ne citari valeant, in eisdem volumus, et decernimus vobis et cuilibet veſtrum præſentium authoritate, licere ipſos diebus aliquibus Dominicis vel feſtivis, cum populus convenerit ad divina, ut ſic facta citatio ad eos pervenire veriſimiliter præſumatur, citare, vel citari facere publice in Eccle-

ſiis

Anno 1339. ſiis civitatum, vel locorum inſignium magis vicinorum, in quibus poſſitis tute morari, et deinde procedere contra illos, ſive citati taliter ſtatuto ipſis peremptorio termino competenti coram Vobis compareant, ſive comparere contemnant, juxta formam præſentium, ac ſi citati alias legitime extitiſſent. Quem quidem citationis modum vobis ſit licitum obſervare etiam in aliis citationibus faciendis de illis, ſeu contra eos, ut coram vobis debeant, ut præmittitur, comparere. Quas quidem citationes ita volumus & decernimus eosdem artare citatos, ac ſi eos perſonaliter comprehendiſſent, & in eorum præſentia factæ eſſent, quacunque conſtitutione contraria non obſtante. Diem vero citationis, per quam prædicti Magiſter & Fratres citati fuerint, ut coram vobis debeant, ut præmittitur, comparere, ac formam, & quicquam ſuper præmiſſis duxeritis faciendum, Nobis per veſtras literas, vel Inſtrumentum publicum, harum ſeriem continentia, fideliter intimare curetis. Datt. Avinione 4to Non. Maji, Pontificatus noſtri anno quarto."

Quarum quidem Literarum Apoſtolicarum auctoritate ad inſtantiam dicti Domini Regis, ſeu Procuratoris ejusdem, prædictos Magiſtrum & Fratres dicti Ordinis, ac ſpecialiter & nominatim Advocatos & Commendatores ejusdem Ordinis, videlicet Commendatorem Generalem, Advocatum Culmenſ. ac Commendatores de Thoron, de Grudentz, Lipavien. & Radinen. Chilpelgen. Goluben. Strosbergen. Papovien. Wenczlavien. ac de antiquo Caſtro Thoron, & in Terra Cujaviæ, Neſovien. Orłovien. Murinen. Breſten. Kowalovicen. Radzeovien. & Mosburgen., in Terra vero Pomeraniæ Svecen. Gdanen. Derſovien. & Caminen., in Terra autem Pruſſiæ Marienburgen. Stumen. Leſinen. Swinen. de Leſk, ac Rigen., ac quoſcunque dictarum Terrarum Advocatos & Commendatores coram nobis in judicium, juxta mandatum Apoſtolicum, ad certum locum & terminum fecimus evocari. Comparente igitur in judicio coram Nobis, loco & termino peremptorio ſupradictis, Magiſtro Bertholdo de Ratibor nuncupato, Procuratore dicti Domini Regis Poloniæ nomine procuratorio ipſius, qui de mandato ſuo ſeu Procuratorio fidem faciens per publicum Inſtrumentum ſcriptum, & ſignatum per manus publici Notarii, & Sigilli dicti Domini Regis appenſione munitum, cujus tenor talis eſt:

„ *In Nomine Domini Amen.*

Anno a Nativitate ejusdem milleſimo trecenteſimo triceſimo nono, Indictione ſeptima, die ſeptimo menſis Januarii, hora poſt Completorium, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini noſtri, Dni Benedicti, Divina Providentia Papæ duodecimi, anno quinto, in præſentia mei infra ſcripti Publici Notarii & teſtium ſubſcriptorum, ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum, Excellentiſſimus Princeps Dominus Casimirus, Dei Gratia Poloniæ Rex Illuſtris, conſtituit, fecit, poſuit, & ordinavit Honorabiles Viros, Dominos & Magiſtros: Jaroſlaum de Boguria Archidiaconum Cracovienſem, Bertholdum de Ratibor Vratiſlavienſ. Diœceſis, præſentes, ac Albertum Plebanum de Bochna Eccleſiæ Cracovienſ. Diœceſ. abſentem, tanquam præſentem, & quemlibet eorum in ſolidum, ita, quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod unus eorum incepit, alter ex ipſis libere proſequi valeat & finire, ſuos veros & legitimos Procuratores, Actores, Defenſores, & Nuntios ſpeciales, in cauſa & cauſis, quam & quas habet & habiturus eſt cum Religioſis Viris Magiſtro & Fratribus Domus B. Mariæ Teutonicorum de Pruſſia ſuper quibuſdam Terris & dominiis, infra Regnum Poloniæ conſiſtentibus, nec non ſuper incendiis, rapinis, damnis, injuriis, & rebus aliis, coram Reverendis Viris Dominis: Galhardo de Carceribus Præpoſito Titulen. Collocen. Diœceſ. & Petro Gerwaſi Canonico Avicien. Eccleſiarum, Apoſtolicæ Sedis Nuntiis, vel altero eorum, aut quovis alio Judice, ſeu Auditore, dato vel dando, tam in agendo, quam in defendendo, dans & concedens eisdem Procuratoribus ſuis, & cuilibet eorum in ſolidum plenam, liberam & omnimodam poteſtatem agendi, defendendi, excipiendi, replicandi, libellum, ſeu libellos & quaſcunq; alias petitiones dandi atque recipiendi, litem conteſtandi, de calumnia & de veritate dicenda jurandi, ac præſtandi in animam ſuam, & cujuslibet alterius generis juramentum, & adverſæ parti, ſi opus fuerit, deferendi, terminos & dilationes petendi, ponendi & articulandi, propoſitionibus & articulis reſpondendi, & exceptiones cujuſpiam generis proponendi, teſtes, inſtrumenta, literas, & quaſcunque alias probationes legitimas producendi, alterius partis teſtes jurare videndi, eoſque reprobandi, & ſuſpectos dandi, loca, Judices & Notarios eligendi & recuſandi, ac aſſociari petendi, interlocutoriam vel diffinitivam ſententiam audiendi, ab ipſis, vel earum altera, ſi neceſſe fuerit, appellandi, appellationes petendi, & appella-

ANNO 1339, pellationem proſequendi, reſtitutionis beneficium in integrum, & abſolutionis ad cautelam, quotiescunque opus fuerit, implorandi, alium vel alios Procuratorem vel Procuratores loco eorum, & ipſorum cujuslibet conſtituendi, vel ſubſtituendi eum vel eos, quoties & quando eis vel alteri eorum videbitur, revocandi, & ipſam cauſam vel cauſas, & onus Procurationis huiusmodi reſumendi, prout eis vel eorum alteri viſum fuerit utilius expedire, & generaliter omnia alia & ſingula faciendi & exercendi, tam in judicio, quam extra, quæ cauſarum merita poſcunt, & quæ veri & legitimi Procuratores & Defenſores facere, procurare & exercere poſſent & deberent, & quæ ipſemet Dominus Rex facere & exercere poſſet, ſi perſonaliter præſens adeſſet, etiamſi mandatum exigant ſpeciale, promittens ſolenni ſtipulatione idem Dominus Rex ſe ratum, gratum & firmum habere, quidquid per praedictos ſuos Procuratores, vel ipſorum aliquem, & ſubſtitutum vel ſubſtitutos, ab ipſis, vel ab altero ipſorum, in praemiſſis, & circa praemiſſa, actum, factum & procuratum fuerit ſive geſtum. Volens etiam idem Dominus Rex praedictos ſuos Procuratores, & eorum quemlibet, & ſubſtitutum vel ſubſtitutos ab ipſis vel eorum altero, ab omni ſatisdationis onere relevare, promiſit mihi Notario Publico infra ſcripto, legitime ſtipulanti, vice & nomine omnium, quorum intereſt, vel intereſſe poterit in futurum, judicio ſiſti, & judicatum ſolvi, in omnibus clauſulis opportunis, ſub rerum ſuarum omnium hypotheca. In quorum omnium teſtimonium praeſens Inſtrumentum publicum per me Notarium infra ſcriptum ſcribi voluit & rogavit, ac ſuo Sigillo Regio ſigillari decrevit. Actum Cracoviae in domo habitationis Venerabilis in Chriſto Patris Domini Joannis, Divina & Apoſtolicae Sedis Providentia Epiſcopi Cracovienſis, Anno, Indictione, die, menſe, hora, & Pontificatu quibus ſupra. Praeſentibus Venerabili in Chriſto Patre Domino Joanne, Epiſcopo ſupra dicto, & Inclyto Principe Domino Nicolao, Dei Gratia Duce Oppavienſi, Domino Ottone Cancellario Poloniae, Domino Petro dicto Noſſal Caſtellano Sandomirienſi, Domino Nicolao de Koſſuchow Canonico Cracovienſi, & aliis multis teſtibus fide dignis.

Et ego Albertus Chriſtini, Clericus Cracovienſis Diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali authoritate Notarius, praedictorum Procuratorum conſtitutioni et ſubſtitutioni, ac relevationi et promiſſioni, nec non omnibus aliis et ſingulis, una cum ſupra dictis teſtibus, praeſens interfui, et ea propria manu ſubſcripſi et publicavi, meoque nomine et ſigno conſveto ſigillavi rogatus. "

ANNO 1339. Dicto itaque Procuratorio producto, idem Procurator libellum ſuum, ſeu petitionem ſuam obtulit in ſcriptis, petens contra Magiſtrum et Fratres, ac Commendatores praedictos, vel perſonam aliam pro ipſis legitime intervenientem, procedi per Nos juxta tenorem petitionis ipſius, ac Literarum Apoſtolicarum continentiam praedictarum, quibus propoſitis et oblatis, comparuit etiam diſcretus Vir Magiſter Jacobus de Arnoldvilla, Plebanus Culmenſ. Diœceſis, Procurator, et nomine procuratorio Magiſtri et Fratrum praedictorum, qui de procuratorio ſuo fidem faciens per publicum Inſtrumentum ſcriptum, et ſignatum per manum Publici Notarii, et dicti Magiſtri Sigilli appenſione munitum cujus tenor eſt talis:

„ *In Nomine Domini Amen.*

Anno Nativitatis ejusdem milleſimo trecenteſimo triceſimo octavo, ſexta Indictione, quarta die Menſis Decembris, hora ſexta vel circiter, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini, Domini BENEDICTI Papae XII. anno quarto, in Eccleſia Parochiali antiquae civitatis in Thorun, Culmenſis Diœceſis, in praeſentia mei publici Notarii, ac teſtium ſubſcriptorum, ad hoc ſpecialiter vocatorum et rogatorum, Magnificus ac Religioſus Vir, Dominus Theodoricus Burgravius de Oldenburg, Ordinis Hoſpitalis B. Mariae Domus Teutonicorum Hieroſolimitanorum Generalis Magiſter de voluntate et expreſſo aſſenſu ſuorum Compraeceptorum, videlicet Ludolfi Magni, Commendatoris, Henrici Mareſchalci, Siffridi Hoſpitalarii et Commendatoris in Elbingo, Nartungii, Drappari, et Commendatoris in Chriſtinburg, Theodori Theſaurarii, Bauderi Commendatoris in Thorun, aliorumque Officialium et Fratrum ſui Ordinis, tunc Conventum et Capitulum facientium, pro ſe et omnibus et ſingulis Praeceptoribus, Commendatoribus, Praelatis, Fratribus, Conventibus, Domibus, locis, membris, rebus, bonis et juribus ſui Ordinis in Terris Pruſſiae, Culmenſi, Pomeraniæ, Cujaviæ, ac Dobrinenſi, tam conjunctim, quam diviſim fecit, conſtituit et ordinavit diſcretos Viros Magiſtros: Jacobum de Arnoldvilla, Plebanum Culmenſ. Diœceſis, et Bandonem Clericum Poſnanienſ. Diœceſis, et quemlibet eorum in ſolidum, ita,

ANNO 1339. ita, quod non ſit melior conditio occupantis, ſuos, et omnium et ſingulorum Praeceptorum, Commendatorum, Praelatorum, Fratrum, Domorum, Conventuum, locorum, membrorum praedicti ſui Ordinis, in Terris praedictis Procuratores et Nuntios, ſpeciales in omnibus et ſingulis cauſis, quas vel quam ipſe Magiſter et Compraeceptores, Commendatores, Praelati et Fratres, vel aliqui, vel aliquis ex eis, ſuo aut Ordinis ſui nomine, habet vel habent, habiturus eſt vel habituri ſunt, conjunctim vel diviſim, cum Magnifico Principe Domino CASIMIRO Rege Poloniae et ſuis ſubditis, nec non cum Venerabili Patre Domino JANISLAO, Sanctae Gneſnenſis Eccleſiae Archiepiſcopo, caeterisque Dominis Epiſcopis et Clericis, dicto Domino Archiepiſcopo Metropolitico jure ſubjectis, et aliis incolis Regni Poloniae tam Clericis, quam Laicis, coram quocunque vel quibuſcunque Judicibus ordinariis, vel etiam delegatis, dans et concedens ſuo et Praeceptorum ſuorum, et omnium praedictorum nomine et vice, dictis Procuratoribus, et cuilibet eorum in ſolidum, in cauſis et litibus praedictis plenam et liberam poteſtatem agendi, defendendi, excipiendi, replicandi, judices, terminos et loca, dilationes petendi et recipiendi, recuſandi et refutandi, juramentum calumniae, et de veritate dicenda, et quodlibet aliud in animas ſuas, et cujuslibet praedictorum praeſtandi, crimina et defectus opponendi et probandi, teſtes, inſtrumenta et juramenta, et eos vel ea improbandi, confitendi, negandi, ſententiam vel ſententias audiendi et appellandi, Apoſtolicas et alias quaſcunque literas teſtimoniales petendi et recipiendi, appellationem proſequendi, alium vel alios loco ſui ſubſtituendi et revocandi, quando et quoties ſibi videbitur expedire, et omnia et ſingula faciendi, exercendi, quae circa praemiſſa occurrunt facienda, et etiam quae veri et legitimi Procuratores, Actores, negotiorum Geſtores et Syndici facere poſſent, ſi, et quae ipſe conſtituens, et quilibet aliorum ſupra dictorum facere poſſent, ſi praeſentes adeſſent in praemiſſis, et quolibet praemiſſorum, etiamſi mandatum exigant ſpeciale, promittens ſe, nomine quo ſupra, ratum et firmum perpetuis temporibus habiturum, quidquid per dictos ſuos Procuratores et Nuntios, aut ſubſtitutos, ab eis factum et procuratum fuerit ſive geſtum. Actum Anno, Indictione, menſe, die, hora, Pontificatu et loco praedictis. Praeſentibus Honorabilibus Viris Dominis, Henrico Cuſtode, Nicolao Gardiano Fratrum Minorum in Thorun, et majori parte Conventus ibidem, Joanne Albo Priore Praedicatorum ibidem, Fratre Henrico Plebano ibidem, ac Conſulibus, Scabinis Civitatis ejusdem, et aliis multis teſtibus ad praemiſſa vocatis et rogatis, et in evidentiam majorem Sigillum dicti Generalis Magiſtri, de mandato ipſius praeſentibus eſt appenſum. ANNO 1339.

Et ego Enoch Luizmann de Bythom Clericus Cracovienſis Diœceſis, Publicus authoritate Imperiali Notarius creationi, conſtitutioni, ordinationi, ac omnibus aliis praemiſſis, una cum praeſcriptis teſtibus praeſens fui, praeſensque Inſtrumentum publicum feci, meq; meo nomine et ſigno, ad requiſitionem dicti Domini Magiſtri Generalis, hic ſubſcripſi rogatus. "

Producto etiam praedicto Procuratorio, dictus Procurator, proteſtatione praemiſſa, quod non intendebat in Nos conſentire, tanquam in Judices ſuos, ſeu Dominorum ſuorum, nec comparere, alias coram Nobis, ex cauſis frivolis et minus rationabilibus, a Nobis ad Sedem Apoſtolicam appellans, a praeſentia noſtra confeſtim illicentiatus receſſit. Nos vero attendentes, quod in dicta cauſa praedictorum Magiſtri et Fratrum, ac Commendatorum, ſeu Procuratoris, eorum abſentia non obſtante, de jure et vigore Apoſtolici Reſcripti procedere poteramus, inſtante Procuratore dicti Domini Regis, per Nos procedi, in cauſa praedicta petente, petitionem oblatam ipſius pro parte dicti Domini Regis recepimus, tenorem, qui ſequitur, continentem:

„ Coram Vobis Venerabilibus Viris, Dominis: Galchardo de Carceribus Præpoſito Titulen. Collocen. Diœceſis, ac Petro Gervazi Canonico Avicienſi, Apoſtolicæ Sedis Nuntiis, Executoribus & Judicibus in cauſa ſupra ſcripta a Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatis, coram Vobis, vel altero Veſtrum, proponit Magiſter Bartholdus Alberti dictus de Ratibor, & Procuratorio nomine Sereniſſimi Principis Domini CASIMIRI, Regis Poloniæ Illuſtris, contra Fratrem Theodoricum dictum de Oldenburg Magiſtrum, & Fratres Domus B. Mariæ Teutonicorum in Pruſſiæ partibus commorantes, & contra perſonam legitime intervenientem pro eis, & dicit, quod dudum propoſito, contra eos in Conſiſtorio coram Sanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino, Domino BENEDICTO, Divina Providentia Papa duodecimo, & coram Reverendiſſimis Patribus Dominis Cardinalibus, qui tunc temporis in eodem Conſiſtorio erant,

ANNO 1339. erant, pro parte dicti Domini Regis, quod dicti Domini Magiſter & Fratres dictæ Domus, tunc temporis exiſtentes in partibus ſupra dictis, nonnullas Terras & dominia, infra Regnum ſuum Poloniæ conſiſtentia, videlicet non ſolum Culmenſem & Michałovienſem, quas detinent indebite occupatas, ſed & Pomeraniæ primo, & poſtmodum a certis temporibus citra Vladiſlavien. Breſten. & Dobrinen. Terras, ad Regem prædictum, & ad Progenitores ipſius de jure ſpectantes, & intra Regnum ipſum conſiſtentes, nec non per præclaræ memoriæ Dominum VLADISLAUM, olim Regem Poloniæ, Patrem dicti Domini CASIMIRI Poloniæ Regis, poſſeſſas, non ſine magna ſtrage Chriſti fidelium, & concrematione centum Eccleſiarum vel citra, hoſtiliter invaſerunt, & per violentiam occuparunt, & adhuc defacto detinent occupatas, in animarum ſuarum perniciem, & præfati Domini Regis, ad quem ratione dicti Regni ſui dictæ Terræ, ut præmittitur, ſpectare noſcuntur, ſicut etiam per latam ſententiam ſuper dicta Terra Pomeraniæ per certos Judices, delegatos per felicis recordationis Dominum JOANNEM Papam viceſimum ſecundum, cum adhuc ageret in humanis, ad inſtantiam claræ memoriæ dicti VLADISLAI, olim Regis Poloniæ tunc viventis, propoſitum fuit, liquido apparere, ac dicti Regni, nec non Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ inde in cenſu denarii B. Petri ei debito multipliciter defraudata grave præjudicium atque damnum patitur, & prædictis omnibus & ſingulis, quæ vera erant & ſunt, in audientiam præfati Sanctiſſimi in Chriſto Patris deductis, ac ſupplicato eidem pro Parte dicti Domini Regis, ut providere ſuper his de opportuno remedio dignaretur, & deinde de mandato ejusdem Sanctiſſimi Patris, facta ſufficienti fide in Romana Curia, quod dicti Magiſter & Fratres erant ſuper prædictis graviter infamati, idem Sanctiſſimus Pater nolens prædicta facinora, ſi veritatem habent, conniventibus oculis pertranſire, inter cætera voluit, decrevit & ordinavit Vobis Dominis: Galchardo & Petro, Executoribus & Judicibus ante dictis, cum clauſula ſupra dicta, quatenus vos, vel alter veſtrum, per vos, vel alium ſeu alios, de prædictis invaſionibus, occupationibus & incendiis ſive dampnis ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura Judicii, vocatis evocandis, informationem recipere curaretis, & ſi vobis legitime conſtiterit de invaſionibus, occupationibus, dampnis & incendiis ſupra dictis, & perſonis, quæ hujusmodi facinora perpetrarunt, dictos incendiarios nominatim excommunicatos publice nuntietis diebus Dominicis & feſtivis, & per alios etiam in locis, ubi expediens videbitur, faceretis publice nuntiari, & ab omnibus artius evitari. Cum igitur idem Procurator procuratorio nomine paratum ſe offerat, & ex nunc ſe offert paratum, de præmiſſis vobis plenam dare fidem, & vos ſuper eisdem ſufficienter informare, petit nomine quo ſupra, quatenus Magiſtrum & Fratres ſupra dictos, & tam ſuperſtites facinoroſos, quam Succeſſores illorum, juxta mandatum Apoſtolicum antedictum, per vos vel alios, & in locis, ubi videbitur expedire, faciatis excommunicatos nominatim & publice nuntiari, & ab omnibus artius evitari, & tam eos quam alios invaſores, occupatores, incendiarios ac damnorum hujusmodi illatores, ad reædificationem Eccleſiarum per eos, vel occaſione ipſorum, ut præmittitur, deſtructarum, & ſatisfactionem & emendationem aliorum bonorum immobilium, nec non ad reſtitutionem plenariam dictarum Terrarum, cum fructibus inde perceptis, & rerum mobilium inde ablatarum ſeu amiſſarum, vel ſolutionem ipſarum rerum, æſtimationem mobilium, ſeu emendationem damnorum, ſupra dictis bonis immobilibus illatorum, quæ omnia æſtimant ad centum nonaginta quatuor cum dimidio millia marcarum Polonici ponderis, & monetæ, ad hoc ipſos per vos ſententialiter condemnare, taxatione prius per vos facta de dictis bonis mobilibus, pro perſonarum & negotii qualitate & valore, ſeu æſtimatione ipſorum mobilium ablatorum, ſeu incenſorum & deperditorum, ubi ipſorum mobilium valor, ſeu æſtimatio aliter probari non poterit, juramento præfati Domini Regis & aliorum, qui pertulerunt damna huiusmodi, declaranda, eisdem Domino Regi, & aliis damna paſſis integraliter faciendam, nullo eisdem ſuper hoc appellationis ſuffragante remedio, petens hujuſmodi ſententiam, quam ſuper præmiſſis ferre contigerit, executioni debitæ demandari, nec non contradictores quoslibet & rebelles, cujuscunque ſtatus, ordinis vel conditionis exiſtant, per excommunicationis & ſuſpenſionis in perſonas, et interdicti in terras ſeu Eccleſias eorundem, ac univerſitates ſeu communitates earundem Terrarum, & alia juris remedia, prout expedire videritis, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, cum non obſtante & clauſulis opportunis; petit etiam nomine quo ſupra, quod

ANNO 1339. quod ſi prædicti Magiſter et Fratres in hac parte proceſſibus veſtris ac mandatis neglexerint efficaciter obedire, eos ex parte dicti Summi Pontificis peremptorie citetis, quod infra ſemeſtris temporis ſpatium poſt citationem hujuſmodi, cum omnibus eorum et dictæ Domus exemptionum privilegiis, ſi quæ habent, idem videlicet Magiſter et Fratres, quos per informationem præhabitam principales et præcipuos repereritis, prædictorum exceſſuum patratores perſonaliter, alioquin vero per Procuratorem, vel Procuratores idoneos cum pleno et ſufficienti mandato, ad obediendum et parendum eorum nomine ſuper præmiſſis Apoſtolicis ordinationibus, beneplacitis et mandatis Apoſtolico conſpectui ſe præſentent, plenarie, etiam parituri his, quæ in præmiſſis, & his circa præmiſſa, quomodolibet Sedes Apoſtolica duxerit facienda & ſtatuenda, & alias facturi & recepturi, quod de Sedis Apoſtolicæ proceſſerit voluntate, alioquin ſi deficerent in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum, quatenus decernatis, ſicut & ipſe Summus Pontifex decrevit & voluit, quod omnia ipſorum præfata privilegia extunc ſint ſuſpenſa, quemadmodum ipſe ſuſpendit idem Pontifex, & voluit eos Ordinariis ſuis eſſe ſubjectos, prout prædicta omnia & ſingula in Literis Apoſtolicis, ſuper prædictis & prædictorum nomine confectis, et vobis Dominis præſentatis, plenius noſcitur contineri. Petit inſuper ſuper prædictis omnibus et ſingulis ſibi dicto nomine ſimul et ſeparatim fieri juſtitiæ complementum, prædicta omnia et ſingula, atque de prædictis omnibus et ſingulis, quantum melius poteſt, proponit, dicit et petit Procurator prædictus cum damnis, fructibus, intereſſe et expenſis factis, proteſtando de faciendis, et cum omni cauſa, omni modo et nomine, ac juris forma, quibus melius poteſt, veſtrum etiam officium implorando, ſalvo jure addendi, minuendi, corrigendi, ſupplendi et mutandi, cum aliis juris beneficiis opportunis. "

Recepta igitur petitione prædicta, præſtitoque juramento de calumnia, et de veritate dicenda, litem animo conſtanter conteſtandi per dictum Procuratorem dicti Domini Regis in contumaciam partis adverſæ, datis certis articulis, et teſtibus productis et examinatis, ipſisque et eorum atteſtationibus publicatis, productis etiam inſtrumentis, quibus uti voluit idem Procurator, tandem in cauſa prædicta pro parte dicti Domini Regis Poloniæ per dictum Procuratorem ipſius renuntiatum fuit, et ſtetit concluſum, et Nos in partis alterius contumaciam habuimus pro concluſo. Nos itaque viſis et auditis informationibus et probationibus, et aliis in dicta cauſa productis et acticatis, et juribus ipſius cauſæ et munimentis juſtitiæ lance diſcuſſis, et diligenter examinatis, deliberatione præhabita diligenti nobiſcum, et etiam peritis, dictiſque Magiſtro et Fratribus ac Commendatoribus citatis, ad audiendam noſtram diffinitivam ſententiam ad diem præſentem, dictoque Magiſtro Bertholdo, Ptocuratore dicti Domini Regis Poloniæ, ad hoc in noſtra præſentia conſtituto et præſente, ac proferri per Nos diffinitivam ſententiam poſtulante, præfatis Magiſtro et Fratribus ac Commendatoribus contumaciter abſentibus, quorum abſentia Dei præſentia repleatur, Sacroſanctis Dei Evangeliis poſitis coram Nobis, ut noſtrum de vultu Dei prodeat judicium, et oculi noſtri videant æquitatem, ſedentes pro Tribunali in loco ad hoc partibus aſſignato, Dei nomine invocato, qui præcepit juſte filios hominum judicare. ANNO 1339.

Fertur Sententia.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.

Quia conſtat Nobis, informatione præhabita plenaria, et diligenti ex productis, et probatis legitime, et acticatis coram Nobis, pro parte dicti Domini Regis CASIMIRI Poloniæ Illuſtris, et Procuratoris ipſius in hac prædicta cauſa, quod Frater Theodoricus de Oldenburg, nunc Magiſter Domus Hoſpitalis B. Mariæ Teutonicorum, tunc Marſchalcus Fratris Luderi de Brunſwik, tunc Magiſtri Ordinis ſupra dicti, ac Commendatores et Advocati, Culmenſis et de Thorun, de Grudentz, Lipavienſis, Radinenſis, Chilpelgenſis, alias dictus de Koprzynica, Golubienſis, Strosbergenſis, alias dictus de Brodnica, Papovienſis, Venclavicenſis, et de antiquo Caſtro Thorun, et de Terra Cujaviæ Neſovienſis, Orłovienſis, Murinenſis, Breſtenſis, Kowalovicenſis, Radzeovicienſis et Mosburgenſis alias dictus de Przewoze, ac de Terra Pomeraniæ Sveecenſis, Gdanenſis, Karſzovienſis, Kamenſis, nec non de Terra Pruſſiæ Marienburgenſis, Stumenſis, Leſinenſis, Elbirienſis, de Leſk, ac Rigenſis, nec non Fratres dicti Ordinis prædictorum, et aliorum locorum partium prædictarum, qui tunc erant cum valido et hoſtili exercitu, et vexillis erectis, timore Dei poſtpoſito, et diabolo ſuadente Regnum Poloniæ devaſtando, Eccleſias videlicet

Anno 1339. de Nakel, de Warta, de Schadèk, de Baldrzyczow, de Konin, de Słup, de Popedyſzcz, de Kaczewo, nec non Fratrum Minorum et S. Crucis in Pyzdry igne incenderunt, et ablatis inde per eos penitus libris, calicibus, theſauris, et aliis depoſitis dictarum Eccleſiarum, eas cum ſanctuariis et Sanctorum reliquiis et imaginibus penitus combuſſerunt. Idcirco prædictos Fratrem Theodoricum de Oldenburg, Magiſtrum Generalem nominatim, et Commendatores ac Advocatos ac Fratres dicti Ordinis, locorum et partium prædictarum, et quoſcunque alios, qui dictas Eccleſias incenderunt et combuſſerunt, et quorum occaſione incenſæ et combuſtæ fuerunt, authoritate Apoſtolica, Nobis in hac parte commiſſa, denuntiamus in his ſcriptis excommunicatos, ac per Epiſcopos et Prælatos, et Eccleſiarum Rectores Civitatis et Diœceſ. Gneſnen. Poſnanien. Vladiſlavien. Plocen. et Cracovien. ac Lubicen. et Vratiſlavien. et Culmen., ſub pœna ſuſpenſionis eorum officiis in Eccleſiis ſuis diebus Dominicis et feſtivis, dum populus ad Divina convenerit, mandamus publice nuntiari, abſolutione ipſorum, Fratris Theodorici de Oldenburg Magiſtri, ac Commendatoris et Fratrum prædictorum, et aliorum dictarum Eccleſiarum incendiariorum, Sedi Apoſtolicæ tantummodo reſervata, praedictoſque Magiſtrum, Commendatores et Fratres, locorum et partium praedictarum dicti Ordinis Domus B. Mariae Teutonicorum de Pruſſia, ad reaedificationem Eccleſiarum praedictarum, per eos, vel occaſione ipſorum deſtructarum et combuſtarum, et ad reſtitutionem et emendationem aliorum bonorum immobilium his ſcriptis ſententialiter condemnamus. Praeterea, quia conſtat Nobis, praehabita informatione plenaria et diligenti, praedicta ex productis et probatis legitime, et acticatis coram Nobis, ex parte dicti Domini Regis Poloniae, in cauſa praedicta per Procuratorem ipſius Domini Regis, quod Terrae Culmenſis, Pomeraniae, Vladiſlavienſis, Breſtenſis, Dobrinenſis, et Michałovienſis, cum ſuis civitatibus, caſtris, oppidis et villis, et ſuis juribus et pertinentiis univerſis, ſitae ſunt infra metas Regni Poloniae, et infra ipſum Regnum, et tanquam de Regno et ad ipſum Regnum pertinentes, et Reges et Principes Regni Poloniae, Progenitores dicti Domini Casimiri Regis Poloniae Illuſtris, qui pro tempore fuerunt, eas tenuerunt et poſſederunt, conſtatque Nobis etiam ex praedicta informatione ex productis, probatis et acticatis coram Nobis, quia praedicti Magiſter, Commendatores et Fratres, qui pro tempore fuerunt, Domus ſæpe dicti Ordinis B. Mariae Teutonicorum de Pruſſia, ſaepe dictas Terras Pomeraniae, Breſtenſem, Vladiſlavienſem et Dobrinenſem, cum ſuis caſtris et villis, ſpectantes et pertinentes ad dictum Dominum Regem, et ad Progenitores ipſius, conſiſtentes infra Regnum Poloniae, cum magna ſtrage fidelium, in Dei offenſam, ac ipſius Domini Casimiri Regis, et clarae memoriae Domini Vladislai Patris ipſius Domini Regis Poloniae, jacturam gravem et laeſionem, hoſtiliter invaſerunt et occupaverunt, et adhuc dictus Magiſter, qui nunc eſt, et Commendatores et Fratres praedicti Ordinis violenter terras Culmenſem et Michałovienſem cum ſuis civitatibus caſtris et villis, ac juribus et pertinentiis univerſis, infra dictum Regnum Poloniae conſiſtentes, ad Regnum ipſum pertinentes, indebite et injuſte detinent occupatas, conſtat Nobis etiam, quod iidem Magiſter, Commendatores et Fratres dicti Ordinis Terram Magnae Poloniae, ad ipſum Dominum Regem ſpectantem, cum valido exercitu hoſtiliter, et vexillis erectis intrantes et invadentes, Terram ipſam, caſtra, villas, civitates et oppida igne penitus combuſſerunt, vaſtarunt et deſolarunt, videlicet Gneſnenſem Civitatem Metropolitanam dicti Regni Poloniae, Zneynam, Nakel, Laniciam, Unieiow cum Caſtro, Siradiam cum caſtro ibidem, Wartham, Schadek, Baldrzychow, Karholupa, omnes villas in territorio, ſeu diſtrictu Caliſſienſii, Pizdry cum Caſtro et Clauſtro, ſeu Monaſterio Fratrum Minorum ibidem, Konin, Słup, Srzodam, Kleczk, Pobedyſzcze cum caſtro ibidem, et caſtra, civitates, ſeu oppida munita cum omnibus ſuis villis ſibi adjacentibus, et in earum diſtrictibus et territoriis conſtitutis, ipſis penitus ſpoliatis omnibus bonis mobilibus et ſe moventibus, et multis hominibus interfectis et pluribus e dicta Terra in captivitatem, deductis, denudatiſq; mulieribus et oppreſſis, igne penitus combuſſerunt, vaſtarunt et deſolarunt, et alia damna, dicto Domino Regi et Regno ſuo, ſuiſque ſubditis plurima intulerunt. Ea propter ad reſtitutionem dictarum Terrarum Pomeraniae, Vladiſlavienſis, Breſtenſis, Dobrinenſis, Culmenſis et Michałovienſis, plenariam et integram faciendam dicto Domino Casimiro Regi Poloniae, ac fructuum, redituum et proventuum inde perceptorum, et bonorum mobilium ablatorum, incenſorum et deperditorum, nec non ad emendationem damnorum ſuper bonis immobilibus illatorum, ſeu ve-

ANNO 1339. overam æſtimationem valoris omnium tam fructuum perceptorum, quam bonorum mobilium ablatorum, perditorum & incenſorum,& damnorum ſuper bonis immobilibus illatorum, quæ omnia taxamus ad centum nonaginta quatuor millia, & quingentas marcas Polonici ponderis & monetæ, prout etiam dictus Dominus Rex in noſtris manibus per proprium juramentum, Sacroſanctis Dei tactis Evangeliis, ipſa damna in præfata ſumma declaravit. Inſuper & ad reſtitutionem expenſarum factarum in dicta lite & occaſione ipſius, per dictum Dominum Regem, ſeu Procuratorem ipſius faciendam dicto Domino Regi,quas in mille ſexcentas marcas prædictorum ponderis & monetæ taxamus, prout dictus Procurator in noſtris manibus, tactis prædictis ſacroſanctis Dei Evangeliis, aſſeruit dictum Dominum Regem feciſſe & expendiſſe, & etiam declaramus prædictos Magiſtrum Generalem, Commendatores & Fratres Domus Ordinis B. Mariæ Teutonicorum prædictarum terrarum illicitos detentores & occupatores, dictorum damnorum illatorum & exceſſuum patratores, dicto Procuratori ipſius Domini Regis Poloniæ nomine procuratorio eiusdem his eisdem ſcriptis, per hanc eandem noſtram diffinitivam ſententiam ſententialiter condemnamus. In quorum omnium teſtimonium & evidentiam, & certitudinem pleniorem præſentem Sententiam diffinitivam, una cum inſertione Reſcripti Apoſtolici, ac duorum Procuratoriorum, & Libelli ſupra inſertorum & tranſcriptorum ſcribi, & in hanc publicam formam redigi mandavimus per Notarios Publicos, Scribaſque noſtros infra ſcriptos, & Sigillorum noſtrorum appenſione muniri, &, ut fides plenaria & indubitata tranſcripto Reſcripti Apoſtolici, & Procuratoriorum prædictorum ſuperius tranſcriptorum adhibeatur ubicunque, & coram quibuscunque, in Judicio, vel extra, ac ſi originalia apparerent, ac omnibus aliis & ſingulis ſupra dictis ſcriptis & narratis noſtram authoritatem judiciariam interpoſuimus & decretum. Acta fuerunt hæc in Varſchovia Poſnanienſis Diœceſis, intra Eccleſiam Parochialem S. Joannis Baptiſtæ dicti loci, Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo nono, ſeptima Indictione, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Benedicti Divina Providentia Papæ XII. Anno quinto, & die decimo quinto Menſis Septembris, circa horam Veſperarum. Præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus & Dominis, Domino Janiſlao Archiepiſcopo Gneſnenſi, Domino Clemente Plocenſi, Domino Joanne Poſnanienſi, & Domino Stephano Lubucenſi, Epiſcopis; ac Venerabilibus Patribus: Fratre Gvilelmino de Sulejow, Fratre Joanne de Mogiła, Abbatibus; & Domino Nicolao Agrienſi, Gregorio Czamenenſi Zagrabienſis Diœceſis, & Petro Lancicienſi, Præpoſitis; & pluribus aliis tam Clericis, quam Laicis in magna multitudine teſtibus fide dignis, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. ANNO 1339.

Et ego Petrus de Montolio, Clericus Avicienſis, authoritate Apoſtolica & Imperiali Notarius publicus prolationi hujusmodi præſentis ſententiæ diffinitivæ, dum per ſupra dictum Dominum Galchardum de Carceribus, de voluntate & expreſſo conſenſu præfati Domini Petri Gervaſii Collegæ ſui, recitabatur & legebatur, perſonaliter interfui cum Notario publico ſubſcripto, & teſtibus ſupra ſcriptis, & de mandato eorum prædictas Commiſſionis Literas Apoſtolicas vidi & tenui, cum vera Bulla plumbea in filo canapis pendenti non cancellatas non vitiatas, nec abolitas in aliqua ſui parte, ac Procuratoria & Libellum, & eorum tenores de verbo ad verbum in hac præſenti ſententia diffinitiva appoſui & tranſcripſi, nihil addens vel minuens, per quod rei veritas immutetur, & diligenter etiam auſcultavi una cum Notario publico ſubſcripto, & quia diligenti auſcultatione cum originalibus de præſenti publico Inſtrumento ea concordare inveni, hic me ſubſcripſi, & ſignum meum conſvetum appoſui requiſitus, & præfati Domini Judices ad ipſius præſentis ſententiæ diffinitivæ, & omnium & ſingulorum ſupra dictorum & ſcriptorum confirmationem & robur eorum, authoritatem judiciariam interpoſuerunt & decretum, & eorum ſigillorum mandaverunt appenſione muniri ad evidentiam & certitudinem omnium prædictorum.

Et ego Albertus Criſtini Clericus Cracovienſis Diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali authoritate Notarius, prolationi præſentis ſententiæ diffinitivæ, dum per ſupra dictum Dominum Galchardum de Carceribus, de voluntate & expreſſo conſenſu præfati Domini Petri Gervaſii Collegæ ſui recitabatur & legebatur, una cum Notario publico & teſtibus ſupra dictis præſens interfui, & de mandato eorum prædictas Commiſſionis Literas Apoſtolicas vidi, & tenui cum vera Bulla plumbea in filo canapis pendenti, non cancellatas, non vitiatas, nec abolitas in aliqua ſui parte, & Procuratoria ac Libellum, & eorum tenores in præſenti ſen-

Anno ſententia diffinitiva ſcriptos diligenter auſcultavi una cum Notario publico ſupra ſcripto, & quia facta diligenti auſcultatione cum Originalibus, & præſenti publico Inſtrumento ea concordare inveni, hic me ſubſcripſi, & ſignum meum conſvetum appoſui rogatus.
1339.

LXI.

1342. *Commiſſio* Benedicti *Papæ* XII. *a* Clemente VI. *innovata, qua Dobrzinenſis & Cujavienſis Terra, & decem millia florenorum a Magiſtro Cruciferorum Regi & Regno ſolvi jubentur.* Datum apud Villam novam Avinionen. Diœceſ. II. Non. Auguſt. Pontificat. An. primo. *Ex Originali.*

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Miſnenſi & Cracovienſi ac Culmenſi Epiſcopis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum felicis recordationis Benedictus Papa XII. Prædeceſſor noſter diligenter attendens, quod diſſenſionis materia, quam inter cariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Casimirum Regem Poloniæ Illuſtrem ex parte una, & dilectos Filios Magiſtrum, Commendatores, & Fratres Domus Hoſpitalis B. Mariæ Teutonicorum, ex altera, ratione vel occaſione Terrarum, ſeu Ducatuum Culmenſis Pomeraniæ, Cujavienſis, Dobrzynenſis & Michałovienſis ſuſcitare procuraverat hoſtis pacis, nedum eidem Regi ac Magiſtro, Commendatoribus & Fratribus, ipſorumque ſubditis, ſed & Fidei Catholicæ periculoſa & diſpendioſa nimium exiſtebat, quodque hoſtes ipſius fidei blaſphemi nominis Chriſtiani vicini partium illarum exinde ſuperbiæ ſuæ cornua elevare, ac in Chriſticolas ſævire audactius præſumebant, & propterea cupientes diſſenſionem ipſam per viam juſtitiæ, & amicabilis concordiæ terminari, vobis ſuas direxit ſpeciales literas, quarum tenorem de regeſtro ipſius Prædeceſſoris ſumi de verbo ad verbum fecimus, qui eſt talis:

„ Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Miſnenſi & Cracovienſi ac Culmenſi Epiſcopis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Dum diligenter commoda pacis & concordiæ bonum attendimus, ac diſſenſionum & diſcordiarum diſcrimina fidelium ſollicite cogitamus, deſideranter, prout ex debito, quod ex Apoſtolatus officio Nobis incumbit, appetimus pacem & concordiam in univerſos Sanctæ Matris Eccleſiæ filios, velut fluvium uberem derivare, libenter opem & efficacem operam impendentes, ut inter fideles quoslibet diſſidentes, & præſertim paganis & infidelibus contiguos, & vicinos cujuslibet diſſenſionis ſuborta ſuccidatur materia, & graviorum, quæ poſſent inſurgere, tollatur occaſio ſcandalorum. Dudum ſiquidem pacis æmulo, incentore malorum omnium procurante, inter Cariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Casimirum Regem Poloniæ Illuſtrem ex parte una, & dilectos Filios Magiſtrum, Commendatores & Fratres Hoſpitalis B. Mariæ Teutonicorum Jeroſolymitanorum ſuper Culmenſi, Pomeraniæ, Cujavienſi, Dobrzynenſi & Michałovienſi Terris ſeu Ducatibus, quos idem Rex ad ſe pleno jure ſpectare, dictosque Magiſtrum, Commendatores & Fratres illos contra juſtitiam occupaſſe, & occupatos detinere, ac fructus ipſorum a tempore occupationis hujusmodi recepiſſe & adhuc recipere, ſeque propterea multas expenſas & damna innumera pertuliſſe aſſerit; Magiſter vero, Commendatores & Fratres prædicti præfatas Culmenſem, Pomeraniæ ac Michałovienſem ſe juſto titulo poſſidere, Dobrzynenſem vero & Cujavienſem Terras, ſeu Ducatus præfatos, vigore Privilegiorum eis a Sede Apoſtolica & Imperio indultorum, per bellum juſte occupaſſe, & occupatas potuiſſe licite poſſidere, nec non eis damna gravia & innumera in perſonis & rebus per dictum Regem, & claræ memoriæ Vladislaum Regem Poloniæ Genitorem ſuum, aſſociatis ſibi Letwinis infidelibus contra Deum & juſtitiam intuliſſe prætendunt, ex altera controverſia, diſſenſione ac diſcordia gravibus, proh dolor! ſuſcitatis & multis damnis, expenſis, & periculis perſonarum & rerum occaſione hujusmodi hinc inde ſecutis, ex quibus graviora formidantur veriſimiliter ſubſequi, ſi non adhiberetur celeriter remedium opportunum, hujusmodi controverſia, diſſenſione ac diſcordia per ambaxiatores & nuntios utriusque partis ad Nos & Sedem Apoſtolicam propter hoc ſpecialiter deputatos, ſerioſe Nobis expoſitis. Nos, qui licet immeriti vices illius in terris gerimus, qui in ortu ejus pacem omnibus per Angelos nuntiavit, cupientes hujusmodi gravioribus ſcandalis obviare, ac ſuborta etiam ſummovere, ipſosque diſcordes ad pacem & concordiam Auctore Domino revocare, ac conſiderantes, quod Regis, Magiſtri, Commendatorum & Fratrum prædictorum diſcordia non ſolum in ipſorum & ſub-
Anno 1342.

ANNO 1342. ſubditorum ſuorum damnum maximum, verum etiam in orthodoxæ fidei, & fidelium illarum partium detrimentum non modicum noſcitur redundare, quodque dicti pagani & infideles partium earundem propter hujusmodi diſcordiam ſumunt audaciam non ſolum indureſcendi fortius in eorum perfidia, ſed etiam contra fideles & Catholicos vicinos eisdem hoſtiliter inſurgendi, ac propterea credentes firmiter, quod dicti Rex, Magiſter, Commendatores & Fratres præmiſſis in debitam conſiderationem adductis, debeant eorum animos per viam amicabilem ad pacem & concordiam coaptare, deliberatione ac collatione diverſis vicibus cum dictis Nuntiis & Ambaxiatoribus ſuper his præhabitis diligenter de ipſorum Ambaxiatorum & Nuntiorum, licet, ut aſſeruerunt, ad hoc mandatum non haberent aſſenſum, Fraternitati Veſtræ per Apoſtolica Scripta diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum, ſi de Regis & Magiſtri prædictorum proceſſerit voluntate, Cujavienſem & Dobrzynenſem Terras ſeu Ducatus prædictos, cum omnibus & ſingulis caſtris, oppidis & fortalitiis ac villis, aliisque locis, conſiſtentibus in eisdem juribus, jurisdictionibus ac univerſis pertinentiis eorundem, nec non decem millia florenorum auri per Magiſtrum, Commendatores & Fratres prælibatos vobis exhibenda, aſſignanda & perſolvenda ad manus veſtras noſtro nomine recipere, ipſasque Cujavienſem & Dobrzynenſem Terras ſeu Ducatus cum caſtris, oppidis, fortalitiis, villis & locis, juribus, jurisdictionibus & pertinentiis antedictis, nec non hujusmodi decem millia florenorum auri pro fructibus per ipſos Magiſtrum, Commendatores & Fratres prædictos ex hujusmodi Cujavienſi & Dobrzynenſi Terris ſeu Ducatibus perceptis, ac dampnis & expenſis, quæ dictus Rex propter hoc ſuſtinuiſſe ſe dicit, eidem CASIMIRO Regi ſeu certo ſuo Nuntio, ad hoc ab eo ſpecialiter deputato, absque moræ diſpendio aſſignare, ac reſtituere integraliter ſtudeatis, locis tamen & poſſeſſionibus, quæ ipſi Magiſter, Commendatores & Fratres ante generalem occupationem ipſarum Cujavienſis & Dobrzynenſis Terrarum ſeu Ducatuum in eisdem Cujavienſi & Dobrzynenſi Terris ſeu Ducatibus habuerunt, & poſſederunt ab antiquo, præfatis Magiſtro, Commendatoribus & Fratribus, ſicut illa tenebant, & poſſidebant hactenus ante generalem occupationem hujusmodi, tenendis & poſſidendis per eos pacifice remanſuris. Cæterum ut inter partes prædictas cujuslibet diſſenſionis occaſio ſopiatur, & mutua dilectio, firmaque concordia, ſicut appetimus, reformetur, & ſolidentur in pacis perpetuæ firmitate, volumus, & vobis diſtricte præcipimus per præſentes, quatenus, ſi quid fuerit, vel remanſerit quæſtionis inter partes ipſas ſuper ipſis Culmenſi, Pomeraniæ ac Michałovienſi Terris ſeu Ducatibus, & ſuper fructibus tam ex eis, quam ex Cujavienſi & Dobrzynenſi Terris ſeu Ducatibus præfatis per eosdem Magiſtrum, Commendatores & Fratres perceptis, nec non ſuper dampnis & expenſis hincinde ſecutis, vos ſuper his, tanquam pacis fervidi zelatores, juxta datam vobis a Deo prudentiam, viis & modis, quibus expedire videritis, pacem & concordiam amicabiliter tractare, ac nihilominus de jure, quod Regi, ſeu Magiſtro, Commendatoribus & Fratribus ipſis ſuper prædictis Culmenſi, Pomeraniæ, & Michałovienſi Terris ſeu Ducatibus competit, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, auctoritate veſtra vos informare plenarie ac cum diligentia ſtudeatis, & quemcunque ſuper his vos tractare ac reperire continget, & ſi qua impedimenta vel obſtacula, & quorum occaſione ſeu cauſa forſan emerſerint circa ea, fideliter in ſcriptis redacta Nobis per veſtras patentes literas, harum ſeriem continentes, fideliter referre curetis. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, appelatione poſtpoſita, compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, Cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus tam felicis recordationis BONIFACII Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, & de duabus dietis in Concilio generali, quam aliis quibuscunque Conſtitutionibus a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus editis, per quas veſtræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, ſeu ſi dictis Regi, Magiſtro, Commendatoribus & Fratribus, vel quibusvis aliis communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut civitates, terræ, villæ, caſtra, & alia loca eorum Eccleſiaſtico Interdicto ſupponi non poſſint, per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, ANNO 1342.

 & qui-

ANNO 1342. & quibuslibet indulgentiis, privilegiis, ac literis generalibus vel ſpecialibus, eis vel eorum alicui, ſub quacunque forma vel expreſſione verborum, ab eadem Sede conceſſis, de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialem oporteat in præſentibus fieri mentionem. Datum Avenione X. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno ſeptimo. " Cum autem vos Fratres Cracovienſis & Culmenſis Epiſcopi, prout juxta ſeriem & tenorem literarum hujusmodi poteratis ſuper eodem negotio, dicto Prædeceſſore adhuc in humanis agente, duxeritis, ut intelleximus, ad actus aliquos procedendum, quanquam tempore, quo ipſe, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtractus extitit, nondum fuerit terminatum, Nos, qui Prædeceſſori prædicto in Apoſtolatus ſpecula ſucceſſimus, ex eadem diſſenſione formidantes, ſi perdurarent, quod abſit, ſimilia fidei & fidelibus proventura pericula, vel majora, & propterea volentes per vos ad exequendum & complendum contenta in literis ſupradictis fideliter & ſolerter procedi, Fraternitati Veſtræ in virtute obedientiæ diſtrictius injungendo mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum, proceſſum alias ſuper negotio ipſo per vos prædicti Cracovienſis & Culmenſis Epiſcopi, ut præmittitur, habitum, reaſſumentes, contenta in ejusdem prælibati Prædeceſſoris literis, nihil penitus omittendo, de contingentibus, juxta continentiam, omni prorſus alia interpretatione ſeu cunctatione moroſa ſemotis, quæ expeditionem executionis hujusmodi poſſent quomodolibet impedire, exequi & complere cum diligentia ſtudeatis. Ita quod inde potius commendari de diligentia, quam redargui de negligentia valeatis. Reſcripturi Nobis ſuper receptione præſentium, & his, quæ quomodolibet circa executionem hujuſmodi egeritis ſeu ordinaveritis in hac parte. Datum apud Villam novam Avinionenſis Diœceſis II. Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno primo.

LXII.

1343. *Pax & concordia inter* CASIMIRUM *Regem Poloniæ, &* LUDOLPHUM KOENIG *Ordinis Teutonici Magiſtrum, qua Pomeraniæ, Culmenſis, Michałovienſis Terræ, nec non Nieſzovia, Orłow & Ogorin Cruciferis relinquuntur.* Datum in Kaliſz die B. Chriſtiani M. An. 1343. *Ex Archivo Regni.*

ANNO 1343. CASIMIRUS D. G. Rex Poloniæ univerſis & ſingulis præſentium notitiam habituris ſalutem, & rei geſtæ noſcere veritatem; dudum de ſtatu Regni noſtri pacifico crebra meditatione revera ſolliciti, circa ſtabile bonum concordiæ inter Nos ex una, & Reverendos & Religioſos Viros, LUDOLPHUM KOENIG, Magiſtrum Generalem, & Fratres Ordinis B. Mariæ Teutonicorum Jeroſolymitanæ, parte ex altera, eo quod ex ipſius votiva ſolidatione tanto major permittitur ſecuritas, quanto gravior jacturæ diſcrimen ex diſcordiæ præparari deſidio providemus. Inter alia igitur votis noſtris accommoda ſalutarem concordiæ unionem perpetuam cum dictis Venerandis Viris Magiſtro & Fratribus, & toto Ordine, ac ipſorum ſubditis deſiderabiliter affectamus, ut noſtro felici tempore Regnum noſtrum rediviva quiete refloreat, & poſt diras longasque calamitates hoſtiles, anguſtias, & eximias bellici turbinis tempeſtates, in portu tranquillitatis, & pacis pulchritudine conquieſcat. Ideoque noverit præſens ætas, & ſucceſſura poſteritas, quod Nos pro Nobis, Hæredibus noſtris, & Succeſſoribus univerſis, & omnibus incolis Regni noſtri, tam ſublimibus, quam aliis facimus pacem perpetuam, finem, remiſſionem atque concordiam perpetuis futuris temporibus, irrefragabiliter duraturam de omnibus injuriis, maleficiis, offenſis, contumeliis, damnis & jurgiis dicto vel facto illatis viciſſim ab una parte alteri, promittentes fide corporaliter præſtiti juramenti, quod prædictam pacem, finem, remiſſionem atque concordiam perpetuo firmam, gratam & ratam habebimus, tenebimus & obſervabimus, nec unquam contraveniemus per Nos, vel alios aliqua ratione vel cauſa, de jure vel de facto, publice vel occulte, fraude & dolo penitus procul motis; præterea quia ad unius voti propoſitum convenimus, Altiſſimo inſpirante, ideo ex benigna noſtra proviſione, quæ perpetuationem & ſtabilitatem eorundem Venerabilium & Religioſorum Virorum, Magiſtri & Fratrum Ordinis prædictorum, ipſorumque libertatum, immunitatum, privilegiorum & gratiarum votive amplectitur donationem Terræ Culmenſis, & Caſtri Neſſow, & Curiarum Orlow & Ogorin cum ſuis juribus, libertatibus, utilitatibus, metis, gradibus & pertinentiis univerſis, & alia bona ac poſſeſſiones, quæ & quas de jure ante motam guerram iidem Magiſter & Fratres rite & rationabiliter poſſederunt, & ſpecialiter Terram Michałovienſem, quo modo & jure, quibus

Anno 1343. quibus eam ab Illuſtribus Ducibus Cujaviæ hactenus poſſederunt, ratificamus, & præſentis ſcripti patrocinio confirmamus; & licet additione plenitudo non egeat, roboratur tamen interdum, quod per ſe firmitatem obtinet, ut vis roborantis affectus clareat, & ut beneficium cautelæ abundantioris accedat, unde ut ceſſet in antea omnis actionis, impetitionis & querimoniæ occaſio, quas Nos, vel noſtri Hæredes aut Succeſſores univerſi ad Terras Pomeraniæ, Culmen, aut Michałoviæ, ſeu earum quamlibet partem, ſive jure hæreditario devoluto, ſeu alio jure quocunque, ac conſuetudine quacunque ex nunc haberemus, ſive habere in futurum poſſemus, renuntiamus eisdem, & quibuslibet eorum expreſſe præſentibus pure, ſimpliciter & in totum. Renuntiantes inſuper ſponte & expreſſe, tam Nos Casimirus Rex Poloniæ, quam Inclyta Domina Adelheit ejusdem Regni Regina, Conthoralis noſtra legitima, communicata manu, pari conſenſu & unanimi voluntate pro Nobis, noſtrisque Hæredibus & Succeſſoribus univerſis, exceptioni doli mali, in factum actioni, beneficio reſtitutionis in integrum, conſtitutioni & conſuetudini cuilibet contrariæ, litteris & indulgentiis Apoſtolicis, Imperialibus, ſeu a Romanis Regibus impetratis, omnisque Juris Canonici vel Civilis auxilio, per quod Nobis, & Conthorali noſtræ prælibatæ, ſeu Hæredibus & Succeſſoribus noſtris poſſet aliquo modo ſuffragari, Magiſtro vero & Fratribus, ſeu ipſi etiam Ordini præjudicium quomodolibet gravari in præmiſſis, & quolibet præmiſſorum; promittimus etiam inſuper non inferre Magiſtro & Fratribus prædictis in rebus ſeu perſonis eorum injurias violentas. Cæterum renuntiamus pro Nobis & Succeſſoribus noſtris univerſis titulo Ducatus Terræ Pomeraniæ prædictæ, qui ex nunc Sigillo majori eſt impreſſus, promittentes eundem titulum quoad Ducatum Terræ Pomeraniæ dicto Sigillo deponere, nec unquam ullo tempore eundem titulum reſumere, nec eo uti, nec Nos, nec noſtri Succeſſores ullo unquam tempore in futurum in literis vel ſigillis. In quorum omnium evidentiam præſentes ſcribi, & noſtri Sigilli munimine juſſimus roborari. Datum Kalis die B. Chriſtiani Martyris & ejus Sociorum Anno Domini 1343. præſentibus his teſtibus, Venerabili in Chriſto Patre ac Domino, Domino Jaroslao, S. Gneſnenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo, Nicolao Palatino, Januſio Caſtellano Kaliſienſi, Iwone Præpoſito Gneſnenſi, Jarando Capitaneo, Wenceslao Caſtellano Siradienſi, & aliis multis fide dignis. Anno 1343.

LXIII.

Ejusdem Literæ Aſſecurationis, quibus ceſſionem Terrarum Pomeraniæ, Culmenſis, Michałovienſis, nec non Caſtri Nieſzoviæ, Orłow & Ogorin ſe manutenturum contra Ludovicum *Hungariæ Regem promittit.* Datum in Kaliſz in die S. Chiliani An. 1343. *Ex Originali.*

Nos Casimirus, Dei Gratia Rex Poloniæ, ad univerſorum notitiam præſens ſcriptum intuentium volumus devenire, quod ſi Illuſtris Princeps Dominus Ludovicus Rex Ungariæ, ſeu Elisabeth ejusdem Regni Regina, Conthoralis ipſius legitima, aut ipſorum Hæredes vel Succeſſores, Venerabiles & Religioſos Viros, Magiſtrum & Fratres Ordinis Hoſpitalis B. Mariæ Teutonicæ Jeroſolymitanæ, ſuper Terras Culmen & caſtro Neſſow, & curiis Orłow & Ogorin, ſeu Pomeraniæ aut Michałovienſis, cæterisque bonis per prædictos Fratres habitis juſte, & rationabiliter poſſeſſis, ante motam guerram inter Illuſtrem Principem recolendæ memoriæ Dominum Wladislaum Regem Poloniæ, & Venerabiles Viros, Magiſtrum Generalem & Fratres prædictos. Nobis ipſo vivente forte impeteret, ſeu actione contra eos in ſpirituali Judicio ſeu ſæculari, ſeu per alias vias quaſcunque inſtauraret, vel forte occaſione dictarum Terrarum eos per violentam potentiam opprimeret, promittimus pro Nobis, & hominibus noſtris amicis & fidelibus, quod Nos hujusmodi impetitiones, actiones, ſeu actionum inſtaurationes, & violentas potentiæ oppreſſiones penitus, juxta poſſe noſtrum, ſedare & disbrigare debemus bona fide, fraude & dolo omnino remotis in omnibus ſupra dictis, in quorum omnium teſtimonium & evidentiam firmiorem præſentes ſcribi fecimus, noſtri Sigilli munimine roboratas. Datum Kalis in die Chiliani & Sociorum ejus. Anno Domini 1343.

LXIV.

Literæ Epiſcoporum Regni Poloniæ, quibus recognoſcunt ceſſionem Terrarum Pomeraniæ, Culmenſis & Michałovienſis a Casimiro *Rege Poloniæ Ordini Teu-*

Anno 1343. *Teutonico factam. Ex Originali. Sigill. 3.*

In Nomine Domini Amen.

Noverint univerſi præſentium notitiam habituri, quod Nos Jaroſlaus, Divina Providentia Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Matthias Wladiſlavienſis, Joannes Poſnanienſis, & Clemens Płocenſis, per eandem Gratiam Eccleſiarum Epiſcopi, recognoſcimus præſentibus, & publice profitemur, Nos interfuiſſe perſonaliter in Juveni Wladiſlavia in craſtino B. Mariæ Magdalenæ, quando Sereniſſimus Princeps Dominus Casimirus, Dei Gratia Rex Poloniæ, concordia celebrata inter ipſum, & Reverendum & Religioſum Virum, Fratrem Ludolphum Koenig Magiſtrum Generalem, & Fratres Ordinis Hoſpitalis B. Mariæ Domus Teutonicæ Jeroſolymitanæ, juramento præſtito corporali, renuntiavit Terris Pomeraniæ, Culmenſi & Michalovienſi, ſuo & Succeſſorum nomine, pure & ſimpliciter, nihil ſibi in eisdem Terris juris vel dominii reſervando, quinimo donavit eas iisdem Magiſtro & Fratribus ſupradictis, ac donationem factam per quoſcunque alios ratificavit & approbavit, ratam & gratam habuit, ut in eisdem Domini Regis literis authentice confectis ſuper hoc plenius continetur. Actum die quo ſupra & loco, Anno Domini 1343. In cujus rei teſtimonium noſtra Sigilla præſentibus ſunt appenſa.

LXV.

Literæ Procerum ſæcularium Regni Poloniæ, quibus prædictam Concordiam ſe manutenturos promittunt. Actum in Kaliſz Anno 1343. *Ex Originali. Sigill. 10.*

In Nomine Domini Amen.

Quoniam omnium habere memoriam divinum eſt potius quam humanum, Nos Jaroſlaus Poſnanienſis, Nicolaus Kaliſienſis, Albertus Breſcenſis, & Joannes Wladiſlavienſis, Palatini; Andreas Poſnanienſis, Thomiſlaus Gneſnenſis, Januſſius Kaliſſienſis, Marko Landenſis, Siluts Naclenſis, Caſtellani; Nicolaus Poſnanienſis, Dobeſlaus Kaliſienſis, Judices: Ad univerſorum tam præſentium, quam futurorum notitiam deducimus per præſentes, quod ad mandatum ſpeciale Sereniſſimi Principis Domini noſtri Casimiri, Dei Gratia Regis Poloniæ, promittimus & ſpondemus ex certa ſcientia, bona fide de Reverendo & Religioſo Viro, Domino Ludolpho Koenig Magiſtro Generali, & Fratribus B. Mariæ Domus Teutonicæ, quod ſi idem Dominus Rex Noſter, vel quivis alii cujuſcunque ſtatus, dignitatis, conditionis exiſtant, concordiam initam, & feliciter conſummatam cum prædictis Magiſtro & Fratribus violabunt, contraveniendo jure, vel facto quomodolibet contra ipſam occaſione Terrarum Pomeraniæ, Culmenſis & Michałovienſis, ſuper quibus eſt concordia hujuſmodi conſummata, eidem Domino Noſtro Regi, vel cuilibet alteri, qui occaſione prædictarum Terrarum Magiſtrum & Fratres prædictos forte impeterent, non aſſiſtemus, nec eum vel eos juvabimus verbo, vel facto, conſilio vel auxilio, publice vel occulte ad impediendum hujuſmodi concordiam, vel totaliter diſſipandum, ſed potius manutenebimus, eum hortabimur fideliter, & conſulemus ſalubriter, prout melius poterimus, bona fide, ad eandem concordiam firmiter, inviolabiliter obſervandam. Et ut hanc promiſſionem uoſtram juxta debitum plenius impleamus, præſentes literas in teſtimonium ſcribi fecimus, & ſigillorum noſtrorum munimine roborari. Actum Kalis, in die Beatorum Chiliani & Sociorum ejus, Anno Domini 1343. Anno 1343.

LXVI.

Epiſcopus & Capitulum Culmenſe, nec non Monaſteria Pruſſiæ condonant Casimiro M. *Regi Poloniæ damna & injurias belli tempore ſibi illatas.* Datum in Thorun. An. 1343. *Ex Originali. Sigill. 7.*

Nos Otto, DEI & Apoſtolicæ Sedis providentia Culmenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Frater Johannes Præpoſitus, totumque Capitulum Eccleſiæ ibidem, Frater Eberhardus Ordinis Ciſtercienſis, Abbas Monaſterii in Polpelin, totumque Capitulum Monaſterii ejusdem: Criſtina in Thorun, Margaretha in Culmin, Abbatiſſæ Sanctimonialium, cum Capitulis earundem, tenore præſentium in publicam deducimus notionem, quod poſtquam zizaniarum latore procurante inter Sereniſſimos Principes, olim Dominum Vladislaum piæ memoriæ, nec non Dominum Kazimirum ejus Filium ſuperſtitem, Reges Magnificos Poloniæ ex una, & inter Venerabiles & Religioſos Viros, Dominos Magiſtrum & Fratres Ordinis Hoſpitalis

ANNO 1343. ſpitalis B. Mariæ Teutonicorum Jeroſolymitani parte ex altera, occaſione diverſorum anfractuum hinc inde motorum, multitudo guerrarum, diſſenſionum, & diſcordiarum onuſtarum periculis pullulaſſent, tractu temporis longioris, donec pacis Auctor Dominus Jeſus Chriſtus, Zelator bonorum operum, exſtirpato diſcordiarum & tribulationum flamine, fructus pacis & tranquillitatis dulcifluos faceret ſalutifere efflorere, quod exinde gloria Deo Altiſſimo, ſalus & exultatio omnibus hominibus utrarumque Partium exuberat & reſultat. Quapropter Nos una cum ſubditis noſtris conſolatione, & gaudio receptis divinitus pia compaſſione, & ignoſcentia omnium injuriarum & dampnorum immemores durantibus guerris & diſcordiis eisdem nobis illatorum, & noſtris ab Illuſtri Principe Domino KAZIMIRO Rege Poloniæ ſupra dicto, vel quæ ab ipſius ſubditis quibuſcunque irrogata fuerunt, remiſſionem præmiſſorum in Nos & noſtros commiſſorum facimus generalem, & de quolibet ſpecialem, ipſi nunquam ad animum revocare, vel vindictam ſumere de eisdem, tenore præſentium promittentes, omni dolo & fraude excluſis, actione etiam injuriarum, vel impetitione qualibet in caſu ſimili uti nolentes in Foro Eccleſiaſtico vel Civili. Renuntiantes inſuper expreſſe tenore præſentium omnibus injuriis, dampnis, maleficiis, contumeliis, dicto vel facto Nobis, aut alicui noſtrum pendente guerra illatis, bonis, poſſeſſionibus & perſonis, quæ omnia ob Dei reverentiam, pacisq; & concordiæ unionem ſemper tenere promittimus illibata. In cuius rei teſtimonium & evidentiam pleniorem noſtra, & prædictorum Capitulorum noſtrorum Sigilla præſentibus ſunt appenſa. Datum in Thorun proxima Dominica ante diem B. Mariæ Magdalenæ, Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio. Sigill. 7.

LXVII.

1349. *Pacta inter* CASIMIRUM M. *Regem Poloniæ, & HENRICUM DUSNERUM Ordinis Teutonici Magiſtrum, quibus Limites inter Terram Cujaviæ, & Terras Pomeraniæ ac Culmenſem deſignantur.* Datum in Marienburg Anno 1349. in Vigilia B. Joannis Baptiſtæ. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancellariæ Regni Lib. 7. ſub Lit. G. fol. 8.* ANNO 1349.

In Nomine Domini Amen.

Notum ſit univerſis tam præſentibus, quam futuris, notitiam præſentium habituris, quod Nos Frater HENRICUS DUSNERUS, Ordinis Fratrum Hoſpitalis B. Mariæ Domus Teutonicæ Hieroſolymitani Magiſter Generalis, cupientes Nos Terraſque noſtras, ac incolas ipſarum in pacis amœnitate conſervare, de conſilio Fratrum noſtrorum fecimus, & ordinavimus pro Nobis & toto Ordine noſtro inter Magnificum Principem Dominum CASIMIRUM Regem Poloniæ & ipſius Terras, Cujaviæ videlicet & Poloniæ parte ex una, & inter Nos & Terras noſtras, Culmenſem ſcilicet & Pomeraniam parte ex altera, veras granicies, & perpetuo duraturas, incipiendo ab ultima granicie diſtrictus noſtri Nieſchow, & demum deſcendendo per Viſtam uſque ad quandam villam, Bezendorf vulgariter dictam, ad Abbatem de Biſſovia pertinentem, ubi graniciæ reincipiunt Terræ Pomeraniæ ſupra dictæ, ita, quod ubicunque littus, Terræ Cujavienſis prædictæ infra præfatas granicies dicti D. Regis fuerit, ibi pro granicie medius Wiſta, ſive ejus alveus habeatur, & quidquid in inſulis & piſcaturis, & aliis utilitatibus quibuſcunque a medietate prædicta, noſtra ex parte utilitatis vel commodi poterit inveniri, ad Nos ac Ordinem noſtrum, & ad Terram Culmenſem prædictam debebit pertinere. Omnis tamen homo Wiſtam tranſiens infra granicies prænominatas, a coactione quacunque ad deponendum ipſius res, bona, ſeu merces, nec non & ab exactione & ſolutione pecuniæ cujuſcunque, atque impedimento quolibet liber erit, nec ad ſolvendum aliquid per quempiam compellatur. Limites autem Cujaviæ & Pomeraniæ ſunt hi: incipiendo a graniciebus villæ Tranſlecz, & deinde procedendo ad granicies villæ Włuki, & tunc ultra ad granicies villæ Czeczozew, ab inde autem tranſeundo ad granicies villæ Senno, & tunc ultra ad granicies villæ Mroczyno, deinde vero ad granicies villæ Noczyſſewo, & ab inde ad granicies villæ Wodzyno, & tunc eundo ad granicies villæ Glinki, ab inde vero ad granicies villæ Welimae, & tunc ultra granicies villæ Lachowo, deinde vero directe tranſeundo, ſi granicies non habentur antiquæ, uſque ad fluvium Debra dictum, ita, quod omnes villæ ſupra dictæ cum ſuis graniciebus ad Terram Cujaviæ ſpectare debebunt, ſicut ab antiquo ad eandem

ANNO 1349. pertinuerunt, & tunc ultra prædictum fluvium Debra aſcendendo, uſque ad illum locum, ubi rivulus Kamiona dictus influit in præfatum fluvium Debra, deinde autem prædictum rivulum Kamiona aſcendendo, uſque ad illum locum, ubi fluvius Curvus dictus intrat memoratum rivulum Kamiona, et tunc eundem rivulum fluminis aſcendendo, uſque ad villam Grymowo, abinde vero procedendo per granicies ſignatas intermedias, uſque ad fluvium Nemońicz, et eundem fluvium deſcendendo, uſque ad illum locum, ubi influit in lacum dictum Sukow, et per lacum eundem procedendo, uſq; ad illum locum, ubi fluvius dictus Dobiernica exit prædictum lacum Sukow, et tunc eundem fluvium Dobiernica deſcendendo, uſque ad locum illum, ubi intrat fluvium dictum Groda, ita, quod omnium prædictorum fluviorum et lacuum, una medietas ad Poloniæ, & altera medietas ad Pomeraniæ Terras debebit libere pertinere. Si vero, quod abſit, inter incolas illarum ſupra dictarum, et inter incolas noſtrarum, et infra granicies noſtras prædictas villarum ſupra ſcriptarum, videlicet Bezendorf, villæ ſupra dicti Abbatis in Biſlovia et magna Supanin, Zambowa, Nebeſcyn, Zlotho, Pruſk, magna Lowin, Brezyn,Schroczk, Geſleńiecz, Danbogoru, quæ nunc deſerta eſt et Abbatem prædictum ad Monaſterium in Biſſovia pertinet, Lubiechorz villæ, Plebani in Schroczk, Sucha, et Klonowa, diſcordias, ſeu contentiones quaſcunque contigerit ſuboriri, extunc vocata condigna Partis utriuſque vicinia, debent eædem contentiones ſeu diſcordiæ ſopiri, ſeu etiam diſcorigari. Eandem igitur limitationem Terrarum prædictarum ratam et gratam habentes, promittimus abſque fraude et dolo pro Nobis et Succeſſoribus noſtris, totoque Ordine noſtro, contra prædicta omnia & ſingula non facere vel venire ullo unquam tempore, aliqua ratione vel cauſa, de jure vel de facto, ſed ea inviolabiliter perpetuis temporibus obſervare. In quorum omnium teſtimonium, et robur perpetuæ firmitatis noſtrum, et Religioſorum Virorum, noſtrorum Confratrum dilectorum, Vinrici de Knyprode Magni Commendatoris, et Hermanni Kuderfer Summi Hoſpitalarii Sigilla præſentibus ſunt appenſa. Datum in Marienburg Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono, in Vigilia B. Joannis Baptiſtæ. Præſentibus teſtibus Honorabilibus et Religioſis Viris noſtris Confratribus: Magno Commendatore, et ſummo Hoſpitalario prædictis, nec non Ludovico de Wolkinburg ſummo Ordinis Trappario, Joanne Nothaſth in Thorun, Henrico de Bonetnin & Grudentz, Henrico de Stockhein in Golubia, Alberto Schaff in Suecza, Conrado in Thuchola, Gereone in Schonſsże, Commendatoribus, Domino Joanne noſtro Capellano, Joanne de Bolanthin, et Erbrardo de Buhaim noſtris Sociis, Jahndo de Olementh, et Bartholdo de Theſchow noſtris militibus, Henrico et Nicolao noſtris Notariis, et aliis quamplurimis fide dignis.

LXVIII.

Bulla GREGORII *Papæ* XI. *qua deſignatio limitum ab Arbitris facta inter Epiſcopi ac Eccleſiæ Varmienſis, & Ordinis Teutonici Terras ratihabetur.* Datum Avenione XIII. Kal. Martii, Pontificatus Anno quinto. *Ex Archivo Illuſtr. ac Excellentiſſimi Comitis Załuſcii, Epiſcopi Kiiovienſis.* 1375.

GREGORIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Suſcepti ſervitutis officii, quo ad bonum concordiæ inter fideles quoslibet propagandum, & Eccleſiarum ac Eccleſiaſticorum locorum, ac Prælatorum et perſonarum ipſarum bonum ſtatum et commoda procuranda ſumus univerſaliter obligati, quotidiana Nos cura ſollicitat, ut his totis ſtudiis intendamus, et feramus pacis germina inter omnes, et quam Eccleſiarum et locorum Eccleſiaſticorum, et Prælatorum et perſonarum ipſarum tranquillitatem et utilitatem reſpiciunt, paternis affectibus exſequamur. Sane dudum per Nos accepto, quod inter bonæ memoriæ Joannem Epiſcopum Varmienſem, et dilectos Filios, Præpoſitum, Decanum et Capitulum Eccleſiae Varmienſis ex parte una, ac Magiſtrum et Fratres Hoſpitalis Beatae Mariae Teutonicorum Jeroſolymitanorum, ſuper quibusdam terris, poſſeſſionibus et juribus ad dictam Eccleſiam, ut dicebatur, pertinentibus, et nonnullis aliis articulis ex altera, orta fuerat materia quaeſtionis. Nos ex certis cauſis Venerabili Fratri noſtro, Archi-Epiſcopo Pragenſi noſtris dedimus literis in mandatis, ut partes ipſas ad excipiendum, tranſigendum, et componendum ſuper omnibus litibus et controverſiis inter eos vertentibus, coram ſe evocaret, et ſuper praemiſſis omnibus, quantum poſſet,

Anno 1375. poſſet, ad amicabilem concordiam & compoſitionem induceret, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, & deinde, ſicut accepimus, Partes ipſæ, quas dictus Archi-Epiſcopus ad ſuam evocaverat præſentiam, in certos arbitros, arbitratores, & amicabiles compoſitores, poſt nonnullos actus inter Partes ipſas habitos, compromittere curarunt, qui æquum arbitrium tulerunt inter Partes, prout in literis authenticis inde manu publica confectis, dictorumque Arbitrorum, Arbitratorum, ſeu amicabilium Compoſitorum Sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, plenius continetur, ac ſubſequetur. Cum pro parte Venerabilis Fratris noſtri Henrici Epiſcopi Varmienſis, de cujus perſona prædicto Joanne Epiſcopo vita functo dictæ Eccleſiæ provideramus, ac Præpoſiti, Decani, & Capitularium, ac Magiſtri & Fratrum prædictorum Nobis fuiſſet humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis robur confirmationis, adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos Venerabili Fratre noſtro Petro Epiſcopo Portuenſi. & dilecto Filio noſtro Jacobo S. Georgii ad Velabrum Diacono Cardinali, oraculo vivæ vocis commiſimus, ut ſe de præmiſſis ſummarie informarent, & quæ ſuper his reperirent, Nobis referre curarent. Qui quidem Petrus Epiſcopus & Jacobus Cardinalis ſuper his, ſummaria informatione recepta, Nobis retulerunt, quod per hoc providebatur utilitati Partium prædictarum. Nos igitur hujusmodi ſupplicationibus inclinati, hujuſmodi arbitrium, & alios per ipſos Arbitros, Arbitratores, & amicabiles Compoſitores in præmiſſis, ut præmittitur, acta, ratahabentes atque grata, illa authoritate Apoſtolica ex certa ſcientia tenore præſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnem defectum, ſi quis forſan intervenerit in præmiſſis. Tenor autem dictarum literarum talis eſt:

In Nomine Domini Amen.

Etſi cujuslibet conditionis homines Creatori ſuo ad ſalutiferas gratiarum actiones humiliter aſtringantur, illi tamen præcipua quadam devotione ad laudandum nomen ipſius, & glorificandum obligantur fortius, qui in hac vita labili & miſerabili, contigua in civitate, & contigua conhabitatione & converſatione, juncto pacis & tranquillitatis præeminente munere, ipſius clementia felicius perfruuntur. Sane cum jam dudum alias inter Venerabilem Patrem in Chriſto, & Dominum, Dominum Joannem bonæ memoriæ Epiſcopum, & honorificos Viros, Dominos, Præpoſitum, Decanum, totumque Capitulum Varmienſis Eccleſiæ ex una, & Magnificum & Religioſum Dominum Vinricum, Ordinis B. Mariæ Teutonicorum Magiſtrum Generalem, ac Præceptores & Fratres Ordinis dicti, ex altera parte, ſuper quibusdam poſſeſſionibus, limitibus & terris ſe contingentibus, ſuborta fuiſſet materia quæſtionis, quam tamen per Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum Gregorium XI. Summum Pontificem noſtrum in Chriſto Patri ac Domino Domino Pragenſi Archiepiſcopo, authoritate Apoſtolica commiſſa fuiſſet: qui virtute Commiſſionis ſibi factæ Partes coram ipſo legitime evocavit, tandem comparentibus Partium Procuratoribus, placuit illis de quæſtionibus, controverſiis & litibus præfatis ſe amicabiliter expedire, & ſic in nos, Joannem Decanum Glogovienſem, Jacobum Engilgen. Officialem Vratislavienſem, Berehardum de Monte Canonicum Padibornenſem, Joannem de Poſilia Plebanum in Ilavia, Joannem de Leyſa, Joannem de Heyda & Menczlinum pp. Soldaw Milites, & Joannem Volmurſtim Proconſulem in Elbingo, tamquam Arbitros, Arbitratores, & amicabiles Compoſitores ſuper eisdem litibus & controverſiis, ſub certis modo, forma ac pœna compromiſerunt, prout in Literis & Inſtrumentis publicis deſuper confectis plenius continetur. Tandem licet ſecundum formam Compromiſſi prædicti, receptis teſtibus, juramentis, & aliis probationibus, quibus tunc Partes uti volebant, Terras ipſas, de quibus erat contentio, oculis ſubjecerimus, & plures limites & terrarum diſtinctiones poſuerimus, tamen conſiderantes, ſi ulterius limites ponendo progredi ſecundum formam & modum Compromiſſi Nos contingeret, quod multæ novitates & mutationes ſubditis Partium multum periculoſe provenirent, & firma amicitia & conſtans unio inter Partes ipſas, & earum ſubditos, ſubſiſtere non valeret, demum relaxatis a Partibus nobis juramentis præſtitis in Compromiſſo ad bonam noſtram conſcientiam, & ob tollendas difficultates & incommoda ſupradicta, iterum placuit Partibus ipſis ſub pœnis in Compromiſſo contentis, in Nos compromittere, prout de præmiſſis omnibus & ſingulis ſunt certi tenoris Literæ confectæ, ac etiam publica Inſtrumenta. Nos igitur ſinceris affectibus deſiderantes perpetuam pacem & inviolabilem tranquillitatem inter Partes prædictas, in quantum in nobis eſt Authore Anno 1375.

Anno 1375. Domino ordinare, auctoritate arbitraria, qua fungimur in hac parte, multis præhabitis tractatibus, & pluries repetitis, & ſingulis circumſtantiis rite penſatis, quid commodi, quid utilitatis ex concordia, & quid periculi & damni ex diſſenſione, ſi cauſa prædicta ſopita non fuerit, poſſet procul dubio provenire, Partibusque in noſtra præſentia perſonaliter conſtitutis, ac noſtrum arbitrorium ſeu noſtram pronunciationem ferri petentibus, Chriſti nomine invocato pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, voluntate unanimi & concordi pronuntiamus, decernimus, arbitramur, dicimus, & in his ſcriptis ſententialiter diffinimus, Dominum Epiſcopum, Capitulum & ipſam Eccleſiam Varmienſem permanere debere juxta antiquam & priſtinam ipſorum poſſeſſionem, videlicet ſecundum limitationem & diſtinctionem infra ſcriptam. Incipiendo juxta literam Anſilmi a recenti mari, ubi fluvius Runa influit, idem recens mare tranſeundum eſt ad foſſatum, quod a via antiqua incipit, quæ ducit in villam Roſſien, ita quod prata & quidquid ſitum eſt inter Rünam & Zonam & recens mare et prædictam viam, ad Ordinem debet pertinere, et abinde ſequendo foſſatum prædictnm per viam, quæ eſt inter Brunſperg et Curiam Enſidel, vulgari nomine Steinweg nuncupatam, de cujus viae aggere tranſeundum eſt ſecundum poſſeſſionem et limitationem antiquas, uſque ad fluvium, qui dividit villam Rogiten, et villam Hamersdorff, eundem fluvium aſcendendo uſque ad granitiem illorum de Grunaw, taliter tamen, quod antiquæ poſſeſſiones et limitationes obſerventur, et quod villa Rogiten Eccleſiæ, et Hamersdorff Ordini pertinebunt, deinde ad fluvium Pebir transeundum ſecundum antiquam poſſeſſionem, ita quod campus Bebernik Eccleſiæ, et villa Sennerſturl Ordini permanebunt, eundem fluvium Bebir aſcendendo uſque ad campum villæ Blumenberk, et abinde ab fluvio dicto Bebir ad fluvium dictum Banaw, ita quod villa Blumenberg Eccleſiæ, et villa Breintolinde Ordini remanebunt ſecundum limitationem antiquam, et abinde eundem fluvium Banaw aſcendendo uſque ad granitiem Clauſiten, et Buschenbach dividentem, ita tamen, quod Buſchenbach in parte Ordinis, et Clauſiten in parte Eccleſiæ remanebunt ſecundum limitationem antiquam, deinde transeundo ad granitiem illorum de Petersvalde, quæ eſt inter Clauſiten et Buſchenbach ſituata, abinde ulterius procedendo ad limitem villæ Jerdow more poſſeſſionis antiquæ, ita quod villa Petersvalde Eccleſiæ remanebit. Demum procedendum eſt ſecundum antiquam limitationem et granitiem illorum de Waldaw, ita quod Ferdow Ordini et Vlaben Eccleſiæ remanebunt, et abinde iterum procedendum eſt ad fluvium Varne, ita quod Walda et Wilkenile cum molendino et agris molendiatorum in parte Roſenwald Ordinis, et villa Roſenwald in parte Eccleſiæ permanebunt, ultra quem fluvium Varne procedendum eſt ad quercum ſignatam juxta viam, et abinde ad aliam quercum, quæ eſt ſinus acialis, quod dicitur vulgariter Ortgrentze civium civitatis Melſac directe ſive diametraliter, ita quod villa Penezim Eccleſiæ permanebit, abinde vero procedendum eſt ulterius ſecundum antiquas limitationes et poſſeſſiones, uſque ad limitem in campo villae Pluten, ita quod nemus civitatis Melſac, Hagewald vulgariter nuncupatum Eccleſiae, ſed villa Schoneborn Ordini remanebunt. Ulterius vero procedendum eſt ad limitem villae Gutenfeld, et abinde ad quercum inter bona illorum de Gutenfeld, Pluten et Sechfildt ſignatam, ita quod Gutenfeld Ordini, et Plutera Eccleſiae remanebunt, a qua quidem quercu ad palum prope viculum Walſche poſitum procedendum eſt, ita quod villa Woſekaim Ordini, et Sechfeldt Eccleſiae in ſuis antiquis limitationibus remanebunt. Deinde procedendum eſt ſuper quendam montem et truncum ibidem ſignatum, ita quod Woppi et Pewle Eccleſiae, et Feronite ac Wadeke Ordini remanebunt. Ulterius tunc procedendum eſt ad quercum quandam ſignatam verſus lacum Parkune dictum, procedendum demum directe ultra alium lacum Korothur nuncupatum, ad illum locum, ubi fluvius fluit ex lacu ſupra dicto, eundem fluvium deſcendendo ad illum locum, ubi villa Koythyr habet limitem ab illis de Stabomten, ita quod Koythyr Ordini et Stabomten Eccleſiae remanebunt. Et ab eodem procedendum eſt uſque ad limitem Gladiamsdorff, ita quod Gladiamsdorff in parte Ordinis, et Stabomten ut praefertur Eccleſiae remanebunt ſecundum limitationes antiquas, deinde procedendum eſt ad granitiem acialem villae Gladiamsdorff, quae dividit villam Workaim et Gladiamsdorff, et abinde procedendum eſt ad limitem acialem Hanneshagen, ita quod villa eadem Hanneshagen Ordini et Workaim Eccleſiae remanebunt. Demum procedendum eſt ad arborem ſignatam, quae arbor vulgariter Hanbuhi dicitur, quae diſtinguit Willekaim ac Workaim, ita quod

Anno 1375. quod villa Willikaim, alias Vilde nuncupata, Ordini, et Workaim ſecundum antiquam poſſeſſionem Eccleſiae remanebunt. Tranſeundo ulterius ad rivulum Groſſendorff et Rittersdorff ac Nerwiken dividentem, ita quod ambae villae Groſſendorff Eccleſiae, et Rittersdorff et Nerwiken et Rikawendorff Ordini remanebunt. Eccleſia vero prata ſua ultra rivulum praedictum usque ad rivulum Ilme ſupra dictum, usque ad limitem Borchardi de Spirow, ita quod molendinum Segelken, Móle nuncupatum, cum agris ſuis Eccleſiae, ex liberi ſeu vaſalli ibi prope morantis, ac Borchardisdorff Ordini, Curiae vero Regoſen Eccleſiae permanebunt. Et abinde procedendum eſt ad granitiem villae dictae Catzenum, et ulterius procedendo usque ad campum illorum de Setlauken, et abinde ad fluvium Aluan, ita quod Setlauken Ordini et Catzen Eccleſiae ſecundum poſſeſſiones antiquas permanebunt. Demum Aluam aſcendendo ad illum locum, ubi bona villae Lauterhagen terminantur, Etſantglobe vaſallus Ordinis, eadem bona Lauterhagen contingit, et inde procedendo ad limitem Craſſeshein, Hermanshein et Lauternhagen, ita quod Lauternhagen Eccleſiae et Hermanshein Ordini permanebunt, et inde procedendo ad limitem acialem Galinden et Trutenau dividentem, ita quod Gallekolen, Palapen, et nemus dictum Hegowaldt, et villa Trutenaw Eccleſiae, et Craſſtshaim, Galinden et Thungen Ordini juxta antiquas limitationes et poſſeſſiones remanebunt. Et ab eadem granitie aciali procedendum eſt ad limitem dividentem Galinden, Trutenaw et bona filiorum Clausborken. Deinde procedendum eſt uſque ad graniciem Pelin, ita quod filii Clausborken et Konigsdorff Ordini, et Wuſelauken et Plawſon Eccleſiae remanebunt. A granicie vero Pelen procedendum eſt ad limitem acialem, dividentem Sandersdorff et Paluſſenum, ita quod Paluſſen Eccleſiae, et Pelinslauke, Lauken et Lucelauken cum ſuis poſſeſſionibus Ordini remanebunt. Demum procedendum eſt ad limitem Sandersdorff et Stormhobel dividentem, ita quod Sandorff Ordini et Stormhobel Eccleſiae remanebunt. Deinde procedendum eſt ad bona Joannis militis, dicti Strupen, ſecundum poſſeſſionem antiquam, ita quod Paſſyn et Wederkayn Ordini, et villa Pleſſen Eccleſiae remanebunt, et ab illo loco ad graniciem villae Tolniken procedendo ſecundum poſſeſſiones antiquas, ita quod Joannes Stroupe cum bonis ſuis Ordini, et villa Pleſſen, ut praefertur, Eccleſiae remanebunt; ulterius vero procedendo ad graniciem illorum de Sparwein, ita quod Sogatiten Ordini et Tolnickendorff Eccleſiae remanebunt. Deinde procedendum eſt ad limitem dividentem Tolnickendorff, Warpelanken et Sparwein. ita quod Tolnickendorff Eccleſiae, ut praemittitur, et Sparwein Ordini permanebunt. Demum procedendum ſecundum antiquos limites ad graniciem ſignatam, ita quod Babacyn Ordini et Warpelauken Eccleſiae permanebunt. Item incipiendo a recenti mari verſus Elbingam, ubi fluvius Naruſſa influit idem recens mare, et abinde transeundum eſt ad fluvium dictum Bauda, et a Bauda uſque ad fluvium Paſſerium alias Seria nuncupatum, ſecundum poſſeſſiones antiquas et limites. Deinde Seria aſcendendo usq; ad ipſius ortum originalem, a quo ortu praefatae Seriae directe procedetur ad limitem in campo Korkaſadall, per Dominum Theodoricum de Aldenburg Generalem Magiſtrum Ordinis poſitum, a quo quidem limite tranſeundum eſt ſecundum diametrum ſeu lineam directam ad ſylvam Cracotyn, ita quod finis miliario a Caſtro Reſel per nos menſurati ſeu poſiti, prope lacum Veder tangatur diametro ſupra dicto, et in quacunque parte lacus per diametrum tanguntur, tunc quaelibet pars juxta lineam directam habeat partem ſuam, ſic ſimiliter fiat in lacubus, ubi Paſſeria influit in eosdem, ſic tamen, quod Eccleſia Varmienſis praedicta ſuas villas, videlicet Cathemedien, Ramoten et Clausdorff, integras, et ejus dominatione cum ſuis agris et poſſeſſionibus debeat obtinere directo tranſitu a fine dicti miliaris prope Weder, ad dictum nemus Cracotyn non obſtante. Item pronuntiamus ac etiam declaramus, quod recens mare inter Runam et Naruſſam uſque ad Nergum in aequali latitudine utriq; Partium praedictarum ſit commune, ſic ut et Seria ſeu Paſſeria ac alii fluvii, bona Eccleſiae et Ordinis dividentes, ſimiliter utriq; Partium ſint communes, ſicut de recenti mari ſuperius eſt expreſſum, cuilibet tamen Parti ſuo littore reſervato. Quicquid intra terminos noſtrae pronunciationis praeſcriptae includitur, ad Epiſcopum, Capitulum et Eccleſiam Varmienſem pro ſua parte ſive tertia ſuae Dioceſis; quicquid vero extra hos terminos, ad Magiſtrum, Praeceptores et Ordinem debet perpetuis futuris temporibus pertinere, arbitrantes et pronunciantes nihilominus, quod quaelibet Pars in ſuis terminis praeſcriptis contenta, aliam Partem in ſuis terminis non impediat nec perturbet, ſub pœnis in Compromiſſo expreſſatis, reſervatis etiam Anno 1375.

T 2

Anno 1375. tiam juribus ſpiritualibus Domino Epiſcopo Varmienſi praedicto, ac ſuis Succeſſoribus, qui pro tempore fuerint, prout in Literis Papalibus continetur. Quam quidem pronunciationem, laudum, arbitrium et diffinitionem per Nos Joannem Decanum Glogovienſem praedictum, de voluntate, juſſu et conſenſu aliorum noſtrorum Collegarum et Arbitratorum latis, ſententiatis, pronunciatis, et in ſcriptis declaratis; Reverendus in Chriſto Pater et Dominus Henricus Epiſcopus, et Honorabiles Viri, Dominus Henricus Praepoſitus, Michael Decanus, Otto de Ruſſis Canonicus, Procuratores Capituli Eccleſiae Varmienſis pro ſe et eadem Eccleſia ſua, nec non Magnificus et Religioſus Princeps Dominus Frater Vinricus de Knipprode Magiſter Generalis, et Honorabiles et Religioſi Viri Fratres Wolfferamus de Baldershaim Magnus Commendator, Rodigerus de Eluer Summus Mareſchalcus, Ulricus Uricke Summus Hoſpitalarius, et in Elbingo Conradus Zolner Summus Trapiarius, et in Chriſesborg Theodoricus de Budenberk, in Thorn Gotfridus de Lunde, in Galga Guntherus de Hohenſtein, in Branderburg Gerhardus, in Ragnite et Burhardus de Mansfeld in Oſterrode, Commendatores et Praeceptores Ordinis ſupra dicti pro ſe et Ordini ſuo ſupra dicto laudarunt, evulgarunt, et ex certa eorum ſcientia per ſolennes ſtipulationes approbarunt. Acta ſunt haec ſub Anno Nativitatis Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto; Indictione duodecima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris et Domini noſtri, Domini Gregorii Divina Providentia Papae XI. Anno quarto, die 28. Menſis Julii, hora Tertiarum in Caſtris Elbingenſibus Varmienſis Diecaeſis, praeſentibus Honorabilibus et Diſcretis Viris Nicolao de Grodkaw Praepoſito in Gutſtadt, Petro Damonz Canonico Vladislavienſi, Alberto de Creuczborg, Joanne de Roſemberk Altariſta Vratislavienſis Eccleſiae, Baldovino in Widnolo Vratislavienſis Diœceſis, et aliis pluribus fide dignis teſtibus ad praemiſſa &c. Item pronunciamus, arbitramur et declaramus ſub pœnis Compromiſſi, quod prata prope Bebir, quae petit Strube, in parte Eccleſiae debeant permanere, item quod nemus, de quo eſt diſſenſio inter Eccleſiam et Nerwicken, ad Eccleſiam debeat pertinere, item quod Tolinne, ſervitor Commendatoris in Thron, in nemore prope Catzen, decem manſos a fine verſus Radenaw menſuratos obtinebit, ita quod homines, qui extirpatione arborum novos agros fecerunt, in eodem nemore per tempus tale, quod vulgo dicitur Hayniec, ad ſuos habebunt uſufructus, reliqua autem portio ejusdem nemoris in parte Eccleſiae permanebit. Item a limite, qui dividit Galliden, Trutenaw et Filios Clausborken, transeundum eſt usque ad graniciem in Pelicali tranſitu, ſicut Dominus Commendator de Elbingo, et Joannes miles de Leyſa ante aliquod tempora ordinarunt. Item quod villa Varpelanken ſuum limitem, quem dictae villae incolae demonſtrarunt, Commendator in Elbingo jugiter obtinebunt. Lata eſt haec noſtra declaratio per nos Ioannem de Ilavia, de conſenſu, juſſu et mandato aliorum Collegarum et Coarbitrorum noſtrorum, Anno, Indictione, Pontificatu et loco praemiſſis, die 29. Menſis Iulii praedicto, hora quaſi Veſperarum, praeſentibus Diſcretis Viris Dominis: Alberto de Creutzburg Altariſtae Vratislavienſi, Nicolao Longi de Fridecki Culmenſ. Diœceſis, Nicolao Iawer Sambienſis, Conrado de Czanſs Vladislav. Diœceſum Presbyteris, teſtibus ad praemiſſa. Praeſentes quoque Literas, hoc praeſens publicum Inſtrumentum continentes, per Notarios infra ſcribi et publicari mandavimus, ſigillorumque noſtrorum appenſione fecimus muniri. In evidens teſtimonium omnium praemiſſorum, et conſtat in Notario de interlinealibus deſcriptionibus, videlicet ſecundum antiquos limites inter XLIV. et XLV. lineas, a capite Inſtrumenti computando, poſitis non vitii cauſa, ſed erroris. Et ego Conradus Sefridi de Teppewoden Clericus Vratislavienſis Diœceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, praemiſſis dicto laudo, arbirrio, ſententiae, diffinitioni, pronuntiationi, approbationi, caeterisque aliis omnibus ſupra ſcriptis, una cum Nicolao Leonis de Biſchoffswerder Notario publico infra ſcripto, et teſtibus ſupra ſcriptis, dum ſic agerentur et fierent, praeſens interfui, eaque ſic fieri vidi et audivi, et ad mandatum dictorum Dominorum Arbitrorum et Partium praedictarum praeſens publicum Inſtrumentum propria manu conſcripſi, et in hanc publicam formam redegi, ſigno et nomine meis conſvetis conſignavi in fidem et omnium praemiſſorum teſtimonium.

Et ego Nicolaus quondam Petri Leonis de Biſchoffswerder, Clericus Pomeſanienſis Diœceſis, publicus Imperiali authoritate Notarius, praemiſſis dicto, laudo, ſententiae diffinitioni, arbitrio, pronuntiationi, caeterisque omnibus aliis ſupra ſcriptis una cum Conrado de Teppewoden, Notario publico ſupra ſcripto, et

Anno 1371. et teſtibus ſupra ſcriptis, dum ſic agerentur, praeſens interfui, atque ſic fieri vidi et audivi, et ad mandatum dictorum Dominorum Arbitrorum, & requiſitionem Partium praedictarum hic me ſubſcripſi, et in hanc publicam formam redegi, ſigno et nomine meis ſolitis conſignando, in fidem et teſtimonium omnium praemiſſorum. Et conſtat mihi Notario de interlinealibus deſcriptionibus, videlicet ſecundum antiquos limites inter XLIV. et XLV. lineas, a capite Inſtrumenti poſitas computando, non vitii cauſa ſed erroris. „

Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam noſtrae Confirmationis et Commiſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione XIII. Kalend. Martii, Pontificatus noſtri Anno quinto.

LXIX.

1394. Henricus *Epiſcopus Vladiſlavienſis promittit fidelitatem* Vladislao *Regi ac Regno Poloniæ.* Datum Poſnaniæ Feria ſexta proxima poſt Feſtum Reſurrectionis Domini. Anno 1394. *Ex Originali. Sigil.* 1.

Henricus Divina et Apoſtolicae Sedis providentia Epiſcopus Vladiſlavienſis, univerſis et ſingulis praeſentium notitiam habituris, harum ſerie declaramus, quomodo attentis pietatis et benignitatis favoribus, quibus Sereniſſimus Princeps et Dominus noſter, Dominus Vladislaus Rex Poloniae Litvaniaeque Princeps ſupremus et Haeres Ruſſiae etc. Nos proſequi eſt dignatus, ipſi Domino noſtro Regi, ac Regno Poloniae, ſincero corde, pura mente, bona fide, matura deliberatione praehabita, ſponte ac libere fideliter promiſimus, tenoreque praeſentium promittimus ac ſinceriter pollicemur, fraude [et dolo quibuslibet procul motis, meram et plenimodam fidelitatem, ac ſincerae et inconcuſſae fidei conſtantiam, eidemque Domino Regi ac Regno Poloniae in omnibus ſinceriter ac fideliter conſiliis, auxiliis et ſervitiis totis noſtris viribus aſſiſtere contra quamlibet perſonam, niſi talia ſint, quae noſtro honori deberent derogare, ad quae penitus non intendimus obligari harum, quibus ſigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio literarum. Datum Poſnaniae feria ſexta proxima poſt feſtum Reſurrectionis Domini. Anno ejusdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto. Anno 1396.

LXX.

Sigismundus *Rex Ungariae conſenſum præbet* Vladislao *Duci Opolienſi, ut Terras Dobrzynenſem & Cujaviæ Ordini Cruciferorum vendere poſſit.* Datum in Wywar Fer. tertia proxim. Poſt Feſt. S. Dorotheæ An. 1396. *Ex Originali ſigil.* 1.

Sigismundus Dei gratia Rex Ungariæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c. ac Marchio Brandeburgenſis Notum facimus ad perpetuam rei memoriam tenore præſentium univerſis. Quod quanquam nos animo deliberato, beneplacitaque voluntate & conſenſu ſereniſſimæ principis Dominæ Mariæ Reginæ Ungariæ Conſortis noſtrae Cariſſimæ, ipſa tunc in humanis agente maturo etiam conſilio & deliberatione Prælatorum, Baronum, Procerum, Nobilium Regni noſtri accedente Nos factum infra ſubſequenter conſcriptum perficere voluerimus & conſummare, tamen quibusdam obſtaculis intervenientibus, ipſo facto hucusque prorogato, Nos nunc eorundem Prælatorum, Baronum, Procerum & Nobilium Regni noſtri conſilio & deliberatione nihilominus accedente, idem factum modo inferius declarato conſummandum duximus & perficiendum, ut puta, Quod cum olim Sereniſſimus Princeps Dominus Ludovicus Rex Hungariæ &c. Socer noſter Cariſſimus, Terram Ruſſiæ cum ſuo dominio per modum commutationis pro Terra Capolchan & aliis Terris, quas Jlluſtris Princeps Dominus Ladislaus Dux Opoliæ ſuus et noſter Avunculus dilectus in Regno noſtro Hungariæ protunc poſſediſſet et tenuiſſet, eidem Domino Ladislao Duci pridem legitime appropriaverit, demumque Ducatus, Terras et Dominia Cujavienſem et Dobrinenſem cum omnibus et ſingulis caſtris, civitatibus, diſtrictibus, iuribus, et Dominiis eorundem pleno jure, dominio et libertate, quibus eoſdem Ducatus et Terras ut verus Hæres et Dominus haereditarie ac libere poſſidebat, tam ex cauſa juſte, & ſimpliciter ac irrevocabilis donationis, quam etiam permodum legitimae permutationis pro dicta Terra Ruſſiae praefato Domino Ladislao Duci Opoliae, ac ipſius Haeredibus et Succeſſoribus legitimis juſto et perpetuae donationis ac legitimae permutationis titulo, haereditarie ac libere appropriavit; quos quidem Duca-

Anno 1396. tus & Terras praefatus Dominus Ladislaus ut verus Haeres, et legitimus Princeps, et Dominus haereditarius recepit, tenuit, et poſſedit multis annis pacifice, et quiete; quapropter praefato Domino Duci Ladislao, ut praefatos Ducatus, Terras, et Dominia, videlict Dobrinenſem et Cujavienſem communiter vel diviſim ut verus Hæres et legitimus eorundem Dominus, Principibus Eccleſiaſticis, aut Saecularibus, ac aliis Viris Religioſis vel Laicis cujuscunque ſtatus, gradus, conditionis aut praeeminentiae exiſtant, et ſpecialiter Venerabilibus et Religioſis Viris Dominis Magiſtro Generali Ordinis Sanctae Mariae ſacrae Domus Theutonicae et eius Fratribus perpetuo vendere, obligare vel donare et reſignare, aut permutare, ac etiam in alios ſuos uſus iuxta ſuum beneplacitum libere convertere valeat, de noſtrae Regiae poteſtatis plenitudine, de certa noſtra ſcientia, ut praemittitur, ac Praelatorum, Baronum, Procerum, Nobilium Regni noſtri conſilio et deliberatione plenariam, liberam, et omnimodam damus, concedimus, et attribuimus facultatem. Jn cujus rei memoriam, evidensque, teſtimonium praeſentes literas noſtras ſub magni ſigilli Maieſtatis noſtrae appenſione roboratas, ipſi Domino Ladislao Duci duximus concedendas. Datum in Wywar alias Holicz Feria tertia proxima poſt Feſtum S. Dorotheae Virginis et Martyris Anno Domini Milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto.

LXXI.

1404. Vladislaus *Rex confirmat Pacem & Concordiam à* Casimiro *Anteceſſore ſuo cum Crucigeris initam.* Datum in Raciąż feria 6ta proxima ante feſtum SSS. Trinitatis. Anno 1404. *Ex Originali. Sub Sigillo magno maieſtatis.*

Vladislaus DEI Gratia Rex Poloniae, Litvaniae Princeps Supremus, Ruſſiaeque etc. Dominus et Haeres. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis: Quod quanquam olim ſiniſtris ſe ingerentibus auſpiciis, quae ſtatum pacificum ob ſequelam et ſucceſſus ſemper felices oderunt, quae tranquillitatis temperiem diſtemperant, quaeque promiſcuae dilectionis dulcedinem in abſynthium odii ſaepe convertunt, inter Praedeceſſores noſtros, felicis memoriae Reges, et Regnum Poloniae noſtrum ab una, et Venerabiles Magiſtros Fratresque Ordinis Beatae Mariae

Anno 1404.

Hoſpitalis Hieroſolimitanorum Domus Theutonicorum in Pruſſia, parte ab altera, illa antiqua pacis aemula diſcordiarum peſtis inoleverat, adeoque longo temporis tractu ipſius morbi furioſitas nullo lenitivae ſopiri tunc poterat beneficio medicinae, demum tamen divini intuitus interveniente proſpectu, qui ad cogitandas cogitationes pacis et non afflictionis humanae mentis retorquet aciem, diſcordiarum odioſa hujusmodi materia poſt multiplicium tandem guerrarum ac caedium turbidines, Sereniſſimi Principis Domini Casimiri Regis Poloniae Praedeceſſoris noſtri temporibus ſolempni ſtipulatione in confæderatae pacis unionem fuerat vix redacta. Ne igitur et nunc, ut in antea, tepeſcat, aut pacis aemulo procurante modo quolibet aboleatur, aut oblivionis ſeu negligentiae cujuslibet tempeſtate aliquatenus evaneſcat ipsa aſſumptae et conſcriptae pacis pulchritudo, plurimum ſuſpicantes, imo verentes, de Prælatorum, Baronum ac Procerum Regni noſtri conſilio praefatam perpetuam pacem recentibus pactis tenore praeſentium confirmamus, promittentes bona fide eandem irrefragabiliter obſervare, harum, quibus ſigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio literarum. Datum in Raciąż Feria ſexta proxima ante diem Feſti Sanctae et Individuae Trinitatis. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quarto. Praeſentibus Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis Nicolao Gneſnenſi Archiepiſcopo, Petro Cracovienſi, Alberto Poſnanienſi Epiſcopis, Johanne de Tenczyn Cracovienſi Caſtellano, Johanne de Tarnow Palatino Cracovienſi, Clemente de Moſkorzew Viſlicienſi, Michaele Lublinenſi Caſtellanis, Zbigneo Marſchalco Curiae noſtrae, Gnevoſſio de Dalenitz Succamerario Cracovienſi, Nicolao Aulae noſtrae Vice-Cancelario et Praepoſito Eccleſiae Sancti Floriani, Noſtris fidelibus dilectis, et aliis praeplurimis fide dignis.

LXXII.

Conventio Vladislai *Jagellonis cum Cruciferis de Terra Dobrzynenſi & diſtrictu Złotoria.* Datum in Raciąz Feria Sexta proxima ante diem Feſti Sanctiſſimæ Trinitatis Anno. 1404. *Ex Origin.*

Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniae, Lithvaniae Princeps Supremus Dominus et Haeres. Significamus

mus

Anno 1404. mus tenore praeſentium quibus expedit univerſis. Quod cum gravis inter Nos et Regnum noſtrum ab una, Venerabiles Magiſtrum, Fratresque Ordinis Beatae Mariæ Hoſpitalis Jeroſolimitanorum Domus Theotonicorum in Pruſſia, parte ab altera, ratione Terræ Dobrinenſis ejusque dominii controverſiarum diſſenſionisque penderet materia, inter Partes ipſas hucusque non poterat medium inveniri. Nunc autem Domini annuentibus auſpiciis, quorum arbitrio diſſona quæque concrepant, & ad pacis oſculum amplectendum ſingula reducuntur, inter Nos, Regnumque noſtrum, & Venerabilem Dominum Cunradum de Jungingen Ordinis prædicti Magiſtrum Generalem, Ordinemque ſuum ſuper hujusmodi materiam Terræ ipſius Dobrinenſis prædictæ per modum concordiæ taliter eſt concluſum: videlicet, quod Dominus Cunradus Magiſter Generalis prædictus cum Conpræceptoribus ſuis Terram prædictam Dobrinenſem una cum caſtris, municipiis, fortaliciis, civitatibus, villis, vaſallis & omagialibus, ac pertinentiis univerſis, nec non Caſtrum Złotoria cum ſuo Diſtrictu in Feſto Pentecoſtes proxime venturo Nobis & Regno Noſtro dare, reſtituere, & reſignare debent et debebunt totaliter cum effectu. Nos quoque medio tempore quinquaginta millia Florenorum * valoris expreſſi in primis literis obligatoriis præfati Domini Cunradi Magiſtri ſuper obligatione ipſius Terræ Dobrinenſis confectis pro ipſa Terra Dobrinenſi, & duo millia ſexagenarum cum quadringentis ſexagenis groſſorum in valore in litera obligatoria contento ipſius Magiſtri, pro Caſtro & Diſtrictu Złotorienſi ſive in auro ſive in argento quocunque modo poterimus uſque ad ſatisfactionis complementum Dominis Cunrado Magiſtro cum ordine ſuo prædictis dare, & ſolvere debemus & debebimus integraliter & ex toto. Quibus quidem videlicet ſolutione pecuniaria, & reſignatione Terræ, Caſtri & Diſtrictus praedictorum inter Nos, & Dominum Cunradum Magiſtrum cum Ordine ſuo prædicto mutuo factis, eundem Dominum Cunradum Magiſtrum et Ordinem ſuum praedictos a quibuſcunque et ab omnibus omnino impetitionibus, inquietationibus, infeſtationibus et impedimentis quorumcunque Haeredum legitimorum Terrae Dobrinenſis, nec non Caſtri Diſtrictusque Złotorienſis prædictorum ratione

* Apud Długoſſ. lib. 10. Hiſt. Polon. ad An. 1404. legitur: quadraginta. Cromer vero aſſerit: quinquaginta Lib. 16. de Origine & reb. geſt, Polonor.

Terræ Diſtrictusq; prædictorum eorundem tueri, & pro ipſis videlicet Magiſtro cum Ordine ſuo intercedere debere, Nos una cum Regno noſtro aſtringimus in perpetuum cum effectu harum, quibus Sigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio Literarum. Datum in Raczanz Feria ſexta proxima ante diem Feſti Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quarto. Anno 1404.

LXXIII.

Pax & Concordia inter Vladislaum *Regem Poloniæ, &* Conradum de Jungingen *Magiſtrum Pruſſiæ, de limitibus inter Litvaniam & Pruſſiam.* Datum in fluvio Visla prope Caſtrum Raczanſz, Feria quinta proxima ante Feſtum Sanctæ Trinitatis Anno 1404. *Ex Originali.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen.

Frater Conradus de Jungingen Magiſter Generalis Ordinis B. Mariæ Hoſpitalis Jeroſolymitani de Domo Teutonica univerſis præſentibus et futuris, præſentium notitiam habituris ſalutem, & rei geſtæ ad perpetuam memoriam cognoſcere veritatem. Cum Auctor pacis ad unitatis & pacis ſpiritum ſuis rigoroſis mandatis quotidie Nos invitet, dignum arbitramur, ut inveteratæ diſplicentiæ, guerræ & offenſæ contra Sereniſſimum Principem & Dominum Vladislaum Regem Poloniæ, Supremum Ducem Litvaniæ, & Hæredem Ruſſiæ, ſuosque Progenitores, quoad Terras Litvaniæ & Ruſſiæ, per Nos, noſtrum quoque Ordinem intuitu orthodoxæ fidei diutius exagitatæ in pacem perpetuam, remiſſionem & concordiam commutentur. Hinc eſt, quod Nos de expreſſo conſenſu Compræceptorum noſtrorum, cum dicto Sereniſſimo Domino Vladislao, anno, die et loco infra ſcriptis certum terminum placitorum concorditer celebravimus ſuper pace inter Nos & Terras Ordinis noſtri ex una, & ſupra dictum D. Regem & Terras ſuas, videlicet Litvaniam & Ruſſiam, parte ab altera, facienda perpetuo, & firmanda variis præmiſſis tractatibus, tandem, ut ſequitur, concordavimus in hunc modum. Inprimis promiſimus, & præſentibus bona fide promittimus, quod ex nunc & in antea tenebimus pacem inviolabilem, & con-

U 2 cor-

ANNO 1404. cordiam cum ſupra dicto Magnifico Domino Sereniſſimo VLADISLAO Rege Poloniæ, ſuis Catholicis Hæredibus & Succeſſoribus, ac Prælatis & Eccleſiis, omnibus quoque Terris ſuis per Litvaniam & Ruſſiam, Terrarumque incolis perpetuis temporibus obſervabimus. Nec unquam volumus & debemus aliquam Ligam inire, aut facere contra dictum VLADISLAUM, ſuos quoque Catholicos Succeſſores Terrarum Litvaniæ & Ruſſiæ cum dominiis aut aliis hominibus, & rancore quolibet poſtpoſito, omnes & ſingulas injurias Nobis & noſtris per ſe vel per alios quomodolibet illatas remittimus penitus & offenſas. Inſuper limites & terminos inter noſtras & dicti D. Regis Terras, videlicet Litvaniæ & Ruſſiæ, diſtingui fecimus, & modis diſtinguimus infra ſcriptis. Inprimis incipiendo in quadam inſula Sawyn dicta vulgariter, ſita in fluvio dicto Memla habente in ſe inſulam Romeyweider, quæ quidem inſula tota apud Ordinem permanebit temporibus affuturis: abhinc directe progrediendo ad fluvium dictum Norveſſe in declivio, ſeu villa continua ſub ſylva dicta Heiligenwald; abhinc dictum fluvium ſequendo in mediis fluctibus usque ad Vyswitten, aſcendendo abhinc linealiter, & directe eundo ad quendam lapidem magnum dictum Roda jacentem in fluvio dicto, A. & Roda vulgariter nuncupatum; ab ipſo lapide aſcendendo ſuper ſtagnum dictum Sinarden, abhinc directe eundo uſque ad viam vulgariter nuncupatam der Brengeliſcher Weg, abhinc directe uſque in Novenrithen, abhinc linealiter procedendo verſus finem ſeu aciem mericæ*, dictæ vulgariter Heyde, ad locum, ubi fons oritur, a dicto fontis ortu procedendo per directum in ſolitudinem quandam communiter Wildniſſe dictam, ubi fluvius Egloſſe ortum habet, abhinc directe eundo per medium dictæ ſolitudinis usque ad terminos & gades** illorum de Ploſchkow, & hi omnes termini ſiti ſunt verſus Livoniam. Aſcendendo vero verſus Pruſſiam, termini ſubſcripti per dictum Ordinem perpetuo ſine qualibet contradictionis obſtaculo habebuntur, incipiendo a ſupra dicta inſula Sawin in directum procedendo uſque ad fluvium dictum Suppe, abhinc procedendo ad locum ortus ſui, abhinc progrediendo uſque ad fluvium, qui effluit a lacu dicto Motenſehe, & dicitur communiter Metchensly, abhinc per deſcenſum fluvii usque ad fluvium dictum Deber, deinde dictum fluvium ſequendo usque in milliare prope fluvium, qui Nare dicitur, & abhinc directe eundo usq; in dictum fluvium Nare. Cæterum pro Nobis, noſtro Ordine, omnibus noſtris Succeſſoribus renuntiamus omni impetitione & jure, quæ in prædictis Domini Regis VLADISLAI Terris videlicet Litvaniæ & Ruſſiæ ſitis, terminos ſuperius expreſſos verſus dictas Terras habuimus, vel habere videbamur; inſuper Terræ & Dominia de magno Novohroden qualitercunq; ſive per Nos, noſtrum Ordinem, aut per ſupradictum Sereniſſimum D. VLADISLAUM, aut per ſuos conjunctim & diviſim acquiſitæ fuerint, vel alias qualitercunque ad noſtrum Ordinem devenerunt, easdem ac eadem dictus D. Rex obtinebit, nec unquam bona fide, quo minus easdem detineat, impediemus. Præterea volumus, quod homines ſæpe dicti Domini Regis & ſuorum Succeſſorum in Terris Litvaniæ & Ruſſiæ conſtituti, in omnibus Terris Ordinis mercari, & negotiari libere valeant absque teloneis, aliisque exactionibus, quos etiam defendere tenebimur ſicuti noſtros, ſalvis tamen teloneis ab olim inſtitutis, ac quibuslibet edictis noſtris editis, & edendis, in Terris Ordinis, quibus noſtri arctantur, & dicti D. Regis ſuorumque Succeſſorum homines per Litvaniam & Ruſſiam ſunt arctati. Item Ordine noſtro in expeditione communi, cum prænominato D. Rege & ſuis Succeſſoribus, & ipſorum hominibus per Litvaniam & Ruſſiam exiſtente, quotquot ipſi captivaverint, ſuos habeant ut captivos. Exceſſus quoque per dicti D. Regis ſuorumque Succeſſorum homines in prædictis Terris qualitercunque commiſſos, Capitaneus exercitus eorundem eosdem libere judicabit. Exceſſus vero communes per utriusque exercitus homines commiſſos Capitanei utriusque exercitus ſimul & communiter judicabunt. Nullos inſuper armigeros, Dominos, milites, vaſallos, vel alterius cujuscunque generis homines, etiamſi Chriſti fideles fuerint, in damnum, ſeu præjudicium dicti Magnifici D. VLADISLAI aut ſuorum Succeſſorum unquam per Terras noſtras ſcienter ire permittemus, ſed impediemus & prohibebimus juxta poſſe. Denique omnes proſcriptos ſeu bannitos de ſupra dictis Terris præfati D. Regis non recipiemus ad Terras noſtras, maxime, qui in ſui vindictam homicidia, vel incendia ejusdem D. Regis vel ſuorum Succeſſorum hominibus in præmiſſis Terris Litvaniæ comminantur, & Ruſſiæ. Præterea per Terras dicti D. Regis ſuorumque Succeſſorum Catholicorum, vide- ANNO 1404.

* Sylvæ, nemoris. Vid. Gloſſar. Dufreſne.
** Sepes.

ANNO 1404. delicet Litvaniæ & Ruſſiæ, contra quoscunque nunquam traducemus exercitum, aut traducere per quemcunque faciemus; niſi expreſſe fuerit de voluntate dicti D. Regis ſuorumque Succeſſorum, qua obtenta damnum nequaquam ipſis ac ipſorum hominibus inferemus. Praeterea promittimus, quod nullos Fratres & Conſanguineos ipſius D. Regis fugitivos, ſeu alios quoscunque erroneos, per quos D. Rex & Regnum Poloniæ, ac Terræ Litvaniæ & Ruſſiæ poſſent moleſtari, durante pace debemus ad Terras noſtras recipere vel fovere. Omnia vero & ſingula præmiſſa in articulis præmiſſis, & eorum quolibet contenta bona fide promittimus pro Nobis, toto Ordine noſtro firmiter ac inviolabiliter obſervare, nec unquam contraveniemus, aut contraveniri procurabimus per quoſcunque arte, ratione, ingenio, de jure, vel de facto, conſilio vel auxilio, publice vel occulte. In quorum omnium evidens teſtimonium & fidem, de, et ſuper omnibus præmiſſis, præſentes literas noſtri majoris Sigilli munimine mandavimus communiri. Datum in fluvio dicto Viſla prope Caſtrum Raczanſz Diœceſis Vladislavienſis, Feria quinta proxima ante Feſtum S. Trinitatis An. Domini 1404. Harum rerum teſtes ſunt Reverendiſſimi in Chriſto Patres Domini, Dominus Arnoldus Epiſcopus Culmenſis, & Dominus Joannes Epiſcopus Pomezanienſis, ac Honorabiles & Religioſi Viri Fratres, Ordo & Commendatores.

LXXIV.

1405. VLADISLAUS *Rex approbat Pacta inter ſe, & CONRADUM Magiſtrum Pruſſiæ de Terra Dobrzynenſi inita.* Datum in Thorun feria 4ta infra Octavas Pentecoſtes Anno 1405. *Ex Origin. Sigillum.* I.

VLADISLAUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Lithvaniæque Princeps Supremus & Hæres Ruſſiæ &c. &c. Ad univerſorum notitiam per hæc ſcripta deducimus. Quod cupientes in fœdere & pacis dulcedine inter Nos & Regnum noſtrum ab una, Venerabilemq; & Magnificum Dominum CONRADUM de JUNGINGEN Magiſtrum Generalem Ordinis Beatæ Mariæ de Domo Theutonica & ejus Ordinem parte ex altera, gratuite firmatis & ſtabiliter roboratis jugiter permanere, Pactaq; anno præterito inter Nos prætextu Terræ Dobrzynenſis alterutrum ſolemniter concluſa ſervare fideliter & conſtanter, & prout juſtum eſt, ipſum Magiſtrum et ejus Ordinem reddere certiorem, eidem Magiſtro & ejus Ordini pura fide & in verbo Regio tenore præſentium promittimus, quod pro ipſo intercedere volumus, et omnium cauſarum actiones in Nos aſſumere, quae ſibi aut ejus Ordini moverentur per aliquos, qui jure haereditario, aut quocunque alio titulum proprietatis ejusdem Terræ Dobrzynenſis ſibi vendicarent, aut præſumerent vendicare, eumque et ejus Ordinem ab omnibus impetitionibus quorumcunque talium, ut præmiſſum eſt, jus ad eandem Terram habere volentium perpetuo liberare. Harum quibus ſigillum noſtrum appenſum eſt teſtimonio Literarum. Datum in Thorun Feria Quarta infra Octavas Pentecoſtes. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinto. ANNO 1405.

Ad relationem Nicolai Regni Poloniæ Vice-Cancellarii.

LXXV.

Recognitio CONRADI *de* JUNGINGEN *Magiſtri Pruſſiæ, quod quinquaginta millia florenorum ratione Terræ Dobrinenſis & Caſtri Złotoria a* VLADISLAO *Rege acceperit.* Datum in Caſtro Torun feria quarta infra Octavas Pentecoſtes. Anno 1405. *Ex Originali.*

NOS Frater CONRADUS de JUNGINGEN Magiſter Generalis Ordinis Beatæ Mariæ Hoſpitalis Jeroſolimitani de Domo Theutonica univerſis. Recognoſcimus per præſentes quod ab Jlluſtriſſimo VLADISLAO Rege Poloniae &c. ſummam & valorem quinquaginta millium Florenorum Hungaricalium pro Terra Dobrzynenſi & pro Caſtro Złotoria cum ipſius pertinentiis viginti quatuor centonibus ſexagenarum Bohemicalium, in quibus eas tenuimus obligatas per manum Venerabilium in Chriſto Patrum Dominorum Nicolai Dei Gratia Archiepiſcopi Gneſnenſis, Alberti Poſnanienſis Epiſcopi Eccleſiarum, recepimus & ſolutas habuimus, & habemus totaliter & ex pleno una cum Præceptoribus noſtris. Quem quidem VLADISLAUM Regem quietum & ſolutum reddimus, ipſumque ab eisdem tenore præſentium quietamus, harum quibus ſigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio literarum. Datum in Caſtro noſtro Torun feria quarta infra Octavas Pentecoſtes, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinto.

Anno 1410.

LXXVI.

Tranſumptum Literarum Vladislai Jagello *Regis Poloniæ, quibus cum* Ulrico *de* Jungingen *Ordinis Teutonicorum Magiſtro Generali in* Venceslaum *Romanorum ac Bohemiæ Regem compromittit.* Datum Pragæ Anno 1410. die 5. Junii. *Ex Originali. Sigillum 1.*

Venceslaus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex. Notum facimus tenore præſentium univerſis: Quod Sereniſſimus Princeps & Dominus, Dominus Vladislaus Rex Poloniæ Illuſtris, Frater noſter Cariſſimus in, de, & ſuper univerſis & ſingulis guerris, litibus, cauſis, diſplicentiis, rancoribus, dampnis et odiis inter ipſum & Regnum ſuum, ac etiam ſubditos ſuos ab una, & Venerabilem Ulricum de Jungingen Magiſtrum Generalem Ordinis Cruciferorum Beatæ Mariæ Jeroſolimitanæ Domus Theutonicorum de Pruſſia, devotum noſtrum dilectum, & Ordinem ejus parte ab altera, quomodolibet emerſis vel ſubortis, Serenitati noſtræ pro parte ſua de alto, & baſſo arbitrandi & decidendi dedit plenam & omnimodam poteſtatem, prout id ipſum in ſuis patentibus literis Nobis deſuper datis lucidius continetur, cuius literæ tenor talis eſt, & ſequitur per omnia in hæc verba.

„ Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniæ, Lithvaniæque Princeps Supremus & Hæres Ruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis. Quod omnes guerras, lites, cauſas, diſplicentias, rancores, dampna & odia univerſa, quæ inter Nos, Regnum noſtrum & ſubditos noſtros ab una, Venerabilem Ulricum de Jungingen Magiſtrum Generalem Cruciferorum Ordinis B. Mariæ Jeroſolimitanæ Domus Teutonicorum de Pruſſia, & Ordinem ejus parte ab altera emerſerunt, quomodolibet contingenter acceſſerunt & venerunt, arbitrio & deciſioni Sereniſſimi Principis & Domini, Domini Venceslai Dei Gratia Romanorum & Bohemiæ Regis, Fratris noſtri cariſſimi, ab alto & baſſo commiſimus, & tenore præſentium committimus, dantes & concedentes ſibi in omnibus præmiſſis, auditis hinc inde noſtræ partis propoſitionibus & allegationibus, & ipſius Magiſtri & Ordinis prædicti reſponſionibus & viceverſa ipſorum propoſitionibus & noſtris reſponſivis, arbitrandi, decidendi & concludendi plenam & omnimodam poteſtatem; ſic tamen, quod omnia præmiſſa facta, & negotia noſtra Regni & ſubditorum noſtrorum prædictorum hinc ad Dominicam invocavit proxime venturam incluſive per ipſum Dominum Venceslaum Romanorum & Bohemiæ Regem prædictum finaliter concludantur, decidantur & tractentur, omnibus dilationibus amputatis. Quidquid autem per ipſum modo præmiſſo in præmiſſis deciſum, edictum, decretum, laudatum, ordinatum, tractatum, pronuntiatum fuerit & concluſum, omnia rata, grata habentes, ipſa in omnibus punctis, conditionibus, articulis & clauſulis firmiter, plene, integre & inviolabiliter, pura fide, dolo & fraude remotis, promittimus obſervare, nec eis verbo aut facto volumus contraire, vel ipſa in aliquo irritare harum, quibus Sigillum noſtru appenſum eſt, teſtimonio literarum. Datum in loco granicierum Regni noſtri & Prutenorum terras dividente, Feria tertia proxima poſt Feſtum Beati Franciſci Confeſſoris, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nono“ Anno 1410.

Nos igitur non per errorem aut improvide, ſed animo deliberato præfati Vladislai Fratris noſtri cariſſimi literam, Maieſtati noſtræ ſuper ea arbitratione & deciſione præmiſſorum pro parte ſua traditam, prout eadem de verbo ad verbum expreſſatur ſuperius, ad ſupplicem prædicti Ulrici petitionis inſtantiam, tranſumi decrevimus, & præſentibus de certa noſtra ſcientia integraliter intercludi, præſentium ſub minori noſtro appenſo Sigillo teſtimonio literarum. Datum Pragæ Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo, die quinta Junii, Regnorum noſtrorum Anno Bohemiæ quadrageſimo ſeptimo, Romanorum vero triceſimo quinto.

LXXVII.

Henrici *Epiſcopi Sambienſis ſubjectio* Vladislao *Regi & Regno Poloniæ.* Datum & actum in loco campeſtri ante Caſtrum Marienburg Dominico die proximo poſt Feſtum S. Jacobi Apoſtoli An. 1410. *Ex Originali.*

Nos Frater Henricus Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Sambienſis, noſtro & Capituli ac ſubditorum noſtrorum nominibus recognoſcimus publice profitentes: Quod Illuſtriſſimum Principem ac Dominum, Dominum Vladislaum Regem Poloniæ, Lithvaniæque Prin-

Anno 1411. Principem Supremum & Hæredem Ruſſiæ &c. pro vero Domino & Poſſeſſore Terræ Pruſſiæ tenere & habere, eidemque & Sacræ Coronæ Regni Poloniæ fideliter in omnibus licitis & honeſtis adhærere bona fide promiſimus & promittimus per præſentes, quem etiam tanquam Dominum noſtrum gratioſiſſimum, cui ad præſtandum conſilia ſalubria juramentum præſtitimus corporale, debitis honoribus, favoribus, conſiliis & auxiliis proſequi volumus fideliter & conſtanter, & eum nunquam aliquibus exquiſitis coloribus deſerere, ſed ipſum ab omnibus adverſitatibus ſine dolo & fraude praemunire, juribus tamen, libertatibus & immunitatibus dictæ noſtræ Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvis. Promittimus inſuper literas præſentes confirmare, & Sigillorum noſtri & Capituli noſtri appenſionibus majoribus corroborare. In cujus rei teſtimonium Sigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum in loco campeſtri exercituum dicti Domini noſtri Regis ante Caſtrum Mariemburg Dominico die proximo poſt Feſtum S. Jacobi Apoſtoli, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo.

LXXVIII.

Privilegia & donationes Civitati Gedanenſi a VLADISLAO *Rege factæ.* Datum in Caſtro Marienburgienſi feria tertia, ipso die B. Dominici Confeſſoris Anno 1410. *Ex Originali. Sigillum.* I. *Parvum.*

VLADISLAUS Dei Gratia, Rex Poloniae, Lithvaniaeq; Princeps Supremus & Hæres Ruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis: Quomodo habito diligenti reſpectu ad conſtantis fidelitatis indicia, quæ Nobis Conſules, Communitas, Cives & incolæ civitatis noſtrae Gdanenſis exhibuerunt, & adhuc aucto fidelitatis ſtudio praeſtantius poterunt exhibere in futurum, horum intuitu, cupientes ipſos gratiarum noſtrarum proſequi favoribus, & ad fidelitatis conſtantiam Nobis et Coronae noſtræ Regni Poloniæ per ipſos exhibendam continuo reddere promptiores, prædictæque civitatis noſtræ Gdanenſis conditionem facere meliorem, Sibi ejusque Coſulibus, Civibus, Communitati, incolis, & eorum Succeſſoribus medietatem omnium emolumentorum molendini noſtri Gdanenſis, ubi farina moli ſolita eſt una cum terrae ſpatio unius miliaris circumquacunq; civitatem praedictam Gdanenſem, & utilitatibus in ipſo ſpatio terrae contentis ubilibet, excluſis tamen bonis tam ſpiritualium, quam ſæcularium perſonarum, quæ ſitum in eodem ſpatio terræ videntur obtinere, item Villas noſtras infra ſcriptas videlicet Pruſch, Hinriſchdorf, Ora, Wennenberg, Hochczit & Richemberg cum ipſarum omnibus utilitatibus, fructibus, cenſibus, proventibus, reditibus & obventionibus, videlicet agris cultis & incultis, campis, pratis, ſylvis, nemoribus, paſcuis, venationibus, aucupationibus, fluviis, rivulis, piscinis, lacubus, ſtagnis, piſcaturis, molendinis, & aquis earumque decurſibus, necnon jure, proprietate, & dominio, aliisque pertinentiis, attinentiis, & appendiis ad ipsas ſpectantibus ab antiquo, prout in ſuis metis & granitiis, longe, late & circumferentialiter ſunt limitatæ & diſtinctæ, damus, conferimus, & donamus donatione perpetua & in aevum, pratis duntaxat Caſtri noſtri Gdanenſis exceptis, quæ pro Nobis & Caſtro noſtro praedicto volumus reſervare. Concedimus etiam, damus, donamus, & largimur ipſis in mari per duo milliaria per littus maris in parte orientali portus noſtri Gdanenſis computanda in piſcaturis noſtris libere exercere piſcaturas, una cum liberis cæſionibus rubetorum & lignorum in terra penes littus maris ſpatii eorundem duorum milliarium, ubi piſcaturas exercebunt, in quibus tamen lignis & rubetis pro uſibus noſtris, & Caſtri noſtri jus pleni dominii Nobis reſervamus, ad hæc etiam ligna & rubeta excludimus, quibus portus maris hactenus reformabatur, & adhuc debebit reformari. Ut autem Civitas Gdanenſis prædicta, & ipſius Conſules, Cives, Communitas, incolæ et ſui Succeſſores a Nobis gratiarum munera ſe gaudeant recepiſſe ampliora, ipſis jus patronatus Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Danſke cum collatione Scalae & Campanaturæ ad noſtram pertinentes Majeſtatem damus, conferimus, aſcribimus, appropriamus perpetue & in aevum per ipſos regenda, diſponenda et temporibus gubernanda affuturis. Promittimus autem huiusmodi donationis noſtræ gratiam una cum aliis libertatibus, gratiis, & literis ipſorum, quas obtinent, dum primo dante Domino Cracoviam venerimus, ſigillo Maieſtatis noſtræ authentico, & majori roborando confirmare. Harum, quibus ſigillum noſtrum minus appenſum eſt, teſtimonio literarum. Datum in Caſtro Marienburgienſi Feria tertia ipſo die Beati Dominici Confeſſoris, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo &c. Anno 1410.

ANNO 1410.

LXXIX.

ARNOLDUS *Epiſcopus Culmenſis promittit ſe* VLADISLAO *Regi & Regno Poloniæ ſubjectum ac fidelem fore.* Datum in loco campeſtri ante Caſtrum Marienburgenſe in die S. Bernardi. Anno 1410. *Sigillum.* I.

Nos ARNOLDUS Dei Gratia Epiſcopus Culmenſis, Noſtro & Capituli noſtri ac ſubditorum noſtrorum nominibus recognoſcimus publice per præſentes, quod Illuſtriſſimum Principem ac Dominum Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ Lithvaniaeque Principem Supremum & Haeredem Ruſſiae &c. &c. Pro vero Domino & Poſſeſſore Terræ Pruſſiæ tenere & habere volumus, eidemque & Sacræ Coronæ Regni Poloniæ fideliter in omnibus licitis & honeſtis adhærere bona fide promiſimus & promittimus per præſentes, quem etiam tanquam Dominum noſtrum gratioſiſſimum, cui ad præſtanda conſilia ſalubria juramentum præſtitimus corporale, debitis honoribus, favoribus, conſiliis & auxiliis proſequi volumus fideliter & conſtanter, & eum nunquam aliquibus exquiſitis coloribus deſerere, ſed ipſum ab omnibus adverſitatibus ſine dolo & fraude præmunire, juribus tamen, libertatibus & immunitatibus dictæ noſtræ Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvis. Promittimus inſuper literas præſentes confirmare, & Sigillorum noſtro & Capituli noſtri appenſionibus majoribus roborare. In cujus rei teſtimonium Secretum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum in loco campeſtri in exercitu dicti Domini noſtri Regis ante Caſtrum Marienburgenſe in die Sancti Bernardi Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo.

LXXX.

1411.

Pax & Concordia inter HENRICUM *de* PLAUEN *Magiſtrum Pruſſiæ, &* VLADISLAUM *Regem Poloniæ, ac* VITOLDUM *Ducem Litvaniæ.* Datum in Thorun die Dominica I. Febr. Anno 1411. *Ex Origin. Sigill. 15.*

Nos Frater HENRICUS de PLAUEN Ordinis B. Mariæ Theutonicorum Hieroſolimitanorum Magiſter Generalis, Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, quomodo pio compaſſionis affectu perpendentes, & ſalubris animadverſionis miſeratione in animo revolventes, quot & quanta mala procedunt ex guerrarum & diſſenſionum disturbiis, quantaque ex contentionibus immineant pericula animarum, & quot ex præliis ſanguinis Chriſtiani oriantur profluvia. In eo Creatori noſtro ſpecialis devotionis exhibere volentes bene dignum famulatum, a guerrarum prædictarum exercitiis, & a cunctarum diſplicentiarum enormitatibus inter Sereniſſimum Principem Dominum Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ, Lithvaniæque Principem Supremum et Hæredem Ruſſiæ etc. et Praeclarum Principem Dominum ALEXANDRUM alias WITAUT Magnum Ducem Litvaniæ, et ipſius Regnum Terrasq; Litvaniæ, et alias omnes eisdem ſubjectas ex una, ac Nos et Ordinem noſtrum, ac Terras ejusdem Ordinis noſtri Pruſſiae et Livoniae, et alias omnes Nobis et Ordini ſubjectas parte ex altera, non ſine gravi jactura occurrentes et exortas noſtrae mentis propoſitum retrahere decrevimus, et ea, quae per diſpendia controverſiarum in factis boni communis ſunt diruta et deſtructa, per pacem et integritatem ad ſtatum cupientes reducere quietum et tranquillum, cum eisdem Sereniſſimo Principe et Praeclaro Duce, et ipſorum Terris, perpetuae pacis et inviolabilis fœderis fecimus unionem, quam ſub fide et honore noſtris ſine dolo tenere promittimus et ſervare, cui quidem unioni omnes adjutores noſtros, cujuscunque ſtatus et conditionis fuerint, et in quibuscunque terris demorentur, et ſignanter hos Praeclaros Principes et Dominos Illuſtres, videlicet Venerabilem Patrem et Dominum Dominum Ducem Wenczeſlaum Epiſcopum Wratislavienſem, Kazimirum Stetinenſem, Conradum cum Filiis Olsnenſem, Warczeslaum de Wolgaſt, Johannem de Saxonia, Johannem cum Fratribus de Glogovia, Johannem de Monſterberg. Lodwicum de Brega, aliosque Principes, Comites, Barones, Militesque Clientes, Dominos noſtros ſingulares incluſimus, nolentes ipſos ab hujusmodi unionis fœdere ſeparari. Et ut ipſa unio cum tanta maturitate et tam ſollicita deliberatione concepta ad firmum et conſtantem ordinem jugiter obſervandum reducatur, ipſam per articulos infra ſcriptos omnino decrevimus regulandam. Quos articulos in praeſenti litera approbatos et concluſos Sigillo noſtro majori, pollicemur ſine fallo roborare. Hunc igitur pro primo et principali ponimus articulo, quod inter Sereniſſimum Principem

ANNO 1411. pem et Dominum Regem et Regnum Poloniae ſupra dictum, et Terras ſuas Litvaniae, et alios coadjutores ſingulos, et ſubditos ſuos ex una, et Nos et Ordinem et Terras noſtras, videlicet Pruſſiae et Livoniae et alias, coadiutores ſingulos, et ſubditos noſtros parte ex altera, omnes diſplicentiae, diſſenſiones, controverſiae et dampna dimiſſa et totaliter ſopita debent eſſe. Item quod omnes captivi, qui in hac guerra ſunt captivati, a captivitatibus ipſorum de ambabus Partibus fiant quieti, liberi et ſoluti ſine fraude, et quod omnes depactationes, exactiones eorundem, quae nondum ſunt exactae, deleantur, et in nihilum redigantur, et ſi aliqui pro ipſorum depactationibus cautiones fidejuſſorias fecerint, aut etiam literales, omnes omnino annullentur, et fidejuſſores ſint liberi, dolo et fraude quibuslibet procul motis. Item omnia Caſtra, Civitates, Terrae ab utraq; Parte in his guerris acquiſitae, debent unicuique reſtitui ſine dolo, et homines tam ſpirituales, quam ſaeculares a promiſſionibus et homagiis hinc inde praeſtitis ſint liberi, ſuper quo eisdem literae debent dari, ſic quod eadem caſtra et civitates circa reſignationem in aedificiis et aliis non deſolentur, et homines in diſtrictibus eorundem caſtrorum conſtituti non ſpolientur nec damnificentur. Sed quod Caſtritenae et Capitanei offendicula omnia, & res proprias recipiant, ipſas ſine impedimento ad propria deducendo. Item Terra Samagytarum excipitur, quam Dominus Rex & Dux WITAUDUS ad vitam utriuſque ipſorum in poſſeſſionem quietam tenere debent, niſi ipſam vellent Ordini dimittere ante mortem; hoc ſtet in ipſorum voluntate, & hoc debet literis patentibus roborari, quod poſt mortem ipſorum de eadem Terra Ordo ſe poterit intromittere ſine impedimento cum omnibus juribus, proprietatibus, juxta tenores litterarum, Ordini ſuper appropriatione ejuſdem Terræ conceſſarum. Item Dux SEMOVITUS Mazoviæ debet libere obtinere Terrulam & diſtrictum Zawkrze, quam alias Ordini obligaverat, ita quod a ſolutione pecuniæ, in qua eadem Terra fuerit obligata, ſit ſolutus & quietus. Item Terra Dobrinenſis debet permanere circa Coronam Poloniæ, & omnes Terræ, quas Corona habuit ante iſtam guerram in poſſeſſione. Et iſtæ Terræ, Pomeraniæ Terra, Michelaw Terra, & Culmenſis Terra, Neſſaw, Murzynaw & Orłow cum ſuis attinentiis debent manere Ordini, & omnes aliæ Terræ, quas Ordo habuit ante iſtam guerram in poſ-

ſeſſione. Item facta Caſtrorum Dryzen & Santok, dum Magiſter per Dominum Regem fuerit requiſitus, debent remitti ad deciſionem duodecim perſonarum probarum per Dominum Regem & Magiſtrum eligendarum, quæ, ſi per ipſas ad finem deduci non poterint, extunc ad Super-Arbitrum Dominum Papam remittantur, ſimiliter de aliis Provinciis Regni & Terrarum Litvaniæ, ſimiliter & facta Dominorum Ducum Mazoviæ JOHANNIS & SEMOVITI, & Filiorum Succeſſorumq; ſuorum, & BOGUSLAI Ducis Stolpenſis ad deciſionem duodecim perſonarum probarum per Dominum Poloniæ Regem prædictum & Magiſtrum Ordinis Theutonicorum remitti debent, quæ, ſi per ipſas ad finem deduci non poterint, ad Super-Arbitrum Dominum Papam remittantur. Item de inſulis quibusdam prope Solicz, de piſcaturis ac navigiis, & de littoribus fluviorum tam Wiſlæ quam Drewanczæ, ſi aliquæ diſceptationes occurrerint, pari modo ad deciſionem duodecim perſonarum etiam remittantur. Item bona Eccleſiarum Gneznenſis, Vladislavienſis & aliarum, quæ jacent ſub protectione Ordinis & in Terris ipſius, debent circa jura conſervari, & quod non alienentur, niſi hoc fuerit de voluntate bona Prælatorum, ſimiliter fiat de bonis Magiſtri & Ordinis, quæ habent ſub Corona, quod circa jura relinquantur, & non alienentur ſine voluntate Prælatorum. Item violationes pacis & ſecuritatum, ſeu ſalvorum conductuum, quæ in iſta guerra ab utraque parte ſunt commiſſæ, debent eſſe ſopitæ ſine dolo, item mercatores ambarum Partium cum eorum bonis abſque impedimento tranſire debent per terras & per aquas ſecundum antiquam conſuetudinem. Item ad hunc finem, quod perpetua amicitia permaneat inter Regnum Poloniæ & Litvaniam & omnes Terras, quæ eis ſunt ſubjectæ, & Ordinem ac omnes Terras Ordini ſubjectas, & quod unio fœderis perpetui per nullas penitus diſſenſiones violetur, quælibet Partium inſurgentibus aliquibus diſſenſionibus & impedimentis debent dare ſex perſonas, & quod eædem duodecim perſonæ habeant omnimodam poteſtatem per viam juris aut amicitiæ easdem diſſenſiones, diſturbia & impedimenta complanare. Et ſi in ſententia concordes non fuerint, ad Super-Arbitrum Dominum Papam cauſas debent remittere, & quod hoc perpetuis temporibus obſervetur. Si autem aliquæ cauſæ emerſerint hæreditatem, proprietatem, fundum & debita concernentes, hæ debent judicari & expediri in illius Diſtrictus judicio, in

Anno 1411. quo jacent, quidquid autem concernit bona feodalia, hoc debet terminari ſub Domino Feodi Jure ibidem judicari ſolito & conſueto. Item Dominus Rex & Dux Witaudus omnes incredulos in terris eorum conſtitutos ad hoc debent tenere, quod fidem aſſumant Chriſtianam', & pro ampliatione fidei Eccleſias conſervare, Sacerdotes in eis locare, & omnes errores paganicos evellere. Similiter Magiſter & Ordo tam in Pruſſia, quam in Livonia incredulos ad fidem convertere tenebuntur. Item ambae Partes terris infidelium eis propinquis iſtam unionem & compoſitionem notificare debent, & quod fidem Chriſtianam aſſumant, ipſos ad hoc exhortari, & ſi hoc facere recuſarent, quod tunc ambae Partes ſe mutuo adjuvent, ut ipſos infideles ad fidem poſſint convertere Chriſtianam. Et ſi ambae Partes in hoc concordes fuerint, quod inſimul cum exercitibus tranſire deberent, tunc in omnibus negotiis & defectibus, et notanter pro divisione terrarum, quas ſibi poterint ſubjugare, illud ſervare debent et tenere, prout in literis eorum prioribus eſt expreſſum, niſi Partes praedictae aliud voluntarie decreverint faciendum. Item omnes profugi in hac guerra tam ſpirituales quam ſaeculares de ambabus Partibus redire ſine impedimento poterint ad eorum bona eadem poſſidenda, prout prius ea poſſidebant, et debent habere favorem et gratiam Dominorum ſuorum, prout prius habuerunt, excepto duntaxat Domino Epiſcopo Warmienſi, qui ſalvum et ſecurum conductum habere debet ad ſuum Epiſcopatum, cui Magiſter per violentiam nihil debet facere, niſi quod de jure facere poſſet. Item Dominus Sigismundus Rex Hungariae in hac compoſitione et pace debet includi, ſi velit, ſine dolo, cui per Magiſtrum intimari debet de modo unionis praedictae ſine mora. Et quod Dominus Rex Poloniae per Magiſtrum certificetur de ipſius Domini Regis Hungariae voluntate, ita tamen, quod interim Dominus Rex Poloniae non faciet dampna Regi Hungariae, nec guerras cum ipſo habebit, ſi ipſum Rex Hungariae non impedit, ſed ſi ipſum impediet, et guerras ſibi movebit, Dominus Rex Poloniae ſibi poteſt reddere rationem, et ſe defendere toto poſſe. Item ambae Partes debent etiam manere circa omnia eorum privilegia et litteras, laudabileſque conſuetudines atque jura, prout hucuſque permanebant, nulla tamen in eo fiat derogatio, articulis, qui hic purificati ſunt. Item etiam nunquam in perpetuum debet Corona Regni Poloniae cum Litvaniae Terris et gentibus ſuis eſſe contra Ordinem, nec adhaerere inimicis ejusdem. Simili modo nunquam in perpetuum Nos, Magiſter Generalis et Ordo eſſe debemus contra Coronam Regni Poloniae et Terras Litvaniae, nec ejus inimicis Coronae adhaerere ſine dolo et fraude. Praeterea Nos Frater Henricus de Plauwen Magiſter Generalis ſupra dictus una cum Reverendiſſimo in Chriſto Patre et Domino Domino Johanne S. Rigenſis Eccleſiae Archiepiſcopo, et Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Johanne Herbipolenſis, Arnoldo Culmenſis, et Johanne Pomeſanienſis Eccleſiarum Epiſcopis, et Fratribus: Conrado de Eglofſtein per Almaniam et Italiam, Conrado de Witingshofen per Lyvoniam Praeceptoribus, nec non Nobilibus et Strenuis Viris Militibus Johanne Romplian de Kobern, et Wernhero Kothaſt, Conrado Trochſes teſtibus et fidejuſſoribus pura fide promittimus et ſpondemus, quod literam hanc ſub majori titulo tranſſumptam in omnibus ejus articulis, conditionibus et clauſulis majori noſtro ſigillo roborari et confirmari volumus. Et ad plenius teſtimonium eorum, quae in littera eadem ſunt conſcripta, ſigilla horum Praelatorum, Praeceptorum, Commendatorum, Advocatorum, Militum et Civitatum, videlicet Reverendorum Patrum et Dominorum Culmenſis, Pomezanienſis et Sambienſis Eccleſiarum Epiſcoporum, et Fratrum per Almaniam, Italiam et Lyvoniam Praeceptorum, Magiſtri et Commendatorum, Supremi Marſchalci de Elbingo, de Criſtpreg Theſaurarii, de Thorun Baliſa Brandenburg', Ragnith, Oſterrode, Danczk, Axwa, Swecza, Grudencz, Redin, Slochow, Tuchol, Strasberg Schanſze Commendatorum, Lypa, Dyrſzaw, Brehn, Brathean et Rochnſzen Advocatorum, Auguſtini de Zegenberg, Conradi de Orſechaw, Nicolai de Schillingsdorft Henrici de Rankaw & Thomae de Teſchow Militum; Culmen, Thorun, Gdanczk Elbing, Konigsberg et Strasberg Civitatum, appendere faciemus ad eandem Slotoriam, in loco videlicet conventioni utriusque Partis, videlicet ipſius D. Regis Poloniae Conſiliariis et noſtris ad terminum ſcilicet Dominicam Cantate deputato harum, quibus ſigillum noſtrum una cum ſigillis Praelatorum, Praeceptorumq; ſuperius expreſſorum ſunt appenſa, teſtimonio literarum. Actum Thorun ſub Anno Domini milleſimo quadringenteſimo undecimo, die Dominica prima menſis Febr. praeſentibus praedictis Praelatis et Praeceptoribus, quorum, ut praemittitur, nomina ſuperius ſunt expreſſa. Anno 1411.

Prae-

ANNO 1411. Praeterea ex errore ſcribentis obmiſſum eſt de termino conventioni aſſignato, qui terminus quatuor ſeptimanis poſt Feſtum Paſchae proxime futurae, in *Dominica*, qua cantatur in Eccleſia *DEI*, *Cantate*, circa Slotoriam pro eadem conventione et confirmatione literarum praeſentium eſt ſtatutus, prout in litera matrice hujus de praedicta *Dominica* Cantate eſt expreſſum. Ideo expreſſio hic facta de eodem termino non debet habere aliquam ſuſpicionem aut aliquod derogamentum.

LXXXI.

Fidejuſſio SIGISMUNDI *Romanorum Regis, qua pollicetur* VLADISLAO *Poloniæ Regi, & ALEXANDRO alias* VITOLDO *Magno Litvaniæ Duci, quod Cruciferi intra certum tempus in ſe compromittent & ejus parebunt ſententiæ.* Datum Caſſoviæ Anno 1412. Die Annuntiationis Virginisglorioſæ.

NOS SIGISMUNDUS Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Hungariae &c. Rex, tenore præſentium & in verbo noſtro Regio ſine dolo & fraude pollicemur, & Nos fidejuſſoria adſtringimus cautione Sereniſſimo Principi Domino VLADISLAO Regi Poloniæ &c. pro Cruciferis de Pruſſia, quod ipſi Cruciferi facta, & negotia ſua Ordinis ſui, & ſuorum ſubditorum, & coadjutorum, quæ inter Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ &c. prædictum, & Præclarum Principem ALEXANDRUM alias VITOLDUM Magnum Ducem Litvaniæ ac Terras, ſubditos, & coadjutores ipſorum ab una, & prædictos Cruciferos, ac eorum ſubditos, & coadjutores parte ab altera vertuntur, & verti ſperantur, pro literis pacis, fœderum, & pace perptua ad manus Noſtras ac de alto, & baſſo, in forma meliori compromittent, & in Feſto Pentecoſtes proximo in Buda in termino ipſis per Nos deputato cum plena, & commoda mandati poteſtate, & literis Compromiſſi ipſorum coram Nobis comparebunt, & omnia in dicto termino per Nos & noſtri decreti ſententiam pronuntiata, diſcuſſa, & deciſa cum adjectione paenae pro tunc exprimendæ exequentur, tenebunt, adimplebunt, & ſervabunt inconcuſſe. Si autem pronuntiatione, vel edicto hujusmodi noſtris in aliquo, vel in aliquibus punctis, articulis, clauſulis vel condicionibus contemnerent vel negligerent obedire, aut eis quovis modo contrairent, ex tunc ipsos ad obſervandum ea, & quodlibet eorum compellere, cogere, ſine aliqua dilatione, & arcere volumus fideliter & conſtanter, dolo et fraude quibuslibet procul motis. Datum Caſſoviæ Anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo Feria ſexta ipſo die Annunciationis Virginis glorioſæ, Regnorum noſtrorum Anno Hungariae 25. Romanorum vero ſecundo. ANNO 1412.

LXXXII.

Compromiſſum VLADISLAI *Regis cum* HENRICO *de* PLAVEM *Magiſtro Cruciferorum in* SIGISMUNDUM *Regem Romanorum.* Datum in Caſchovia Sabbato ante Dominicam Ramis Palmarum An. 1412. *Ex Originali. Sigil.* I.

NOS VLADISLAUS Dei Gratia Rex Poloniæ Lithvaniaeque Princeps Supremus, & Hæres Ruſſiæ etc. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quomodo de iuſtitia & æquitate, ac iuris cultura & peritia Sereniſſimi Principis Domini SIGISMUNDI Romanorum Regis ſemper Auguſti & Hungariæ Regis et Fratris noſtri Cariſſimi plene confidentes, pro, & ſuper omnibus et ſingulis cauſis, litibus, diſſenſionibus, diſcordiis, controverſijs, contractuum, concordatorum, & pacis perpetuæ læſionis conceptorum, ſuſceptorum, promiſſorum, & ſtipulatorum inter Nos ex una HENRICUM de PLAVEN Magiſtrum Generalem, & Profeſſos Ordinis Cruciferorum de Pruſſia noſtrosque & ipſorum ſubditos, coadjutores, adhærentes, ac Terras, vel earum occaſione quomodolibet ortis vel orituris, motis vel movendis, ſolempniter ac de alto et baſſo in ipſum compromittimus, & conſentimus tenore præſentium mediante. Dantes & concedentes ei plenam poteſtatem infra quindecem dies a die Pentecoſtes proxime venturo ſtando vel ſedendo die feriato, vel non feriato, verbo vel in ſcripto, de facto vel de iure, partibus vel earum altera abſente vel præſentibus pronuntiandi, ſententiandi, diffiniendi, arbitrandi & laudandi, promittentes noſtro, & Regni noſtri nominibus ſtare & parere ipſius pronuntiationi, diffinitioni, deciſioni, ſententiae arbitrali vel amicabili, renuntiantes iuris vel facti exceptionibus, defenſionibus, quibus contra ea poſſimus, vel poſſemus tueri quomodolibet impoſterum ac etiam infuturum, harum, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum, teſtimonio Literarum. Datum in Caſchovia Sabbatho Ante Dominicam ramis

ANNO 1412. ramis Palmarum Anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo.

LXXXIII.

Sententia arbitralis SIGISMUNDI *Romanorum Regis, inter* VLADISLAUM *Regem Poloniæ, & Ordinem Teutonicum ſuper articulo Epiſcopi, Præpoſiti & Capituli Vladiſlavienſis.* Datum Budæ Anno 1412 die 24. Auguſti. *Ex Original. cum Sigillo Regio.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Rex, Arbitrator & amicabilis Compoſitor inter Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM Regem Poloniae Fratrem noſtrum cariſſimum, et inclitum Principem ALEXANDRUM alias VITOUDUM Magnum Ducem Lithvaniae, ac Praelatos, Barones, & ſubditos Regni Poloniae, Magnificosque SEMOVITUM & JOHANNEM Duces Maſoviae, et BOGUSLAUM Stolpenſem Ducem eorumque ſubditos, ac omnes coadjutores et adhaerentes dicto Domino Regi Poloniae ex una, et Venerabilem Fratrem HENRICUM de PLAVEN Hoſpitalis Sanctae Mariae Ordinis Theutonicorum Magiſtrum Generalem et ipſum Ordinem, Terras, ſubditos, et coadjutores eorum partibus et altera, ſuper omnibus diſplicentiis, limitibus, granitiebus, damnis, injuriis, rancoribus, diſſenſionibus, litibus, et odijs, pactorum ſtipulatorum, concordatorum et promiſſorum violationibus, quae inter dictas Partes vertebantur, et verti ſperabantur, prout in literis emanatis hincinde ſuper dicto Compromiſſo latino continetur. Quarum quidem literarum tenores infra ſequuntur unius videlicet.

„ Nos VLADISLAUS DEI Gratia Rex Poloniae Lithvaniaque Princeps Supremus ac Haeres Ruſſiae etc. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis. Quomodo licet noſtro et incliti Principis Domini ALEXANDRI alias VITOVDI Magni Ducis Lithvaniae, ac Praelatorum, Baronum et ſubditorum Regni noſtri, Magnificorumque Principum Dominorum SEMOVITI, et JOANNIS Maſoviae, et BOGUSLAI Stolpenſis Ducum, et eorum ſubditorum ac omnium coadjutorum et adhaerentium eorundem Nobis nominibus, in Sereniſſimum Principem Dominum SIGISMUNDUM Romanorum Regem ſemper Auguſtum, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regem Fratrem Noſtrum cariſſimum ſuper omnibus, diſplicentiis, limitibus, granitiebus, damnis, injuriis rancoribus, diſſenſionibus, litibus et odiis, pactorum ſtipulatoum, concordatorum et promiſſorum violationibus, quae inter Nos, ſubditos, adhaerentes et coadiutores noſtros ac Fratrem HENRICUM de PLAVEN Ordinis Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum Magiſtrum Generalem, ac ipſius Ordinem Cruciferorum de Pruſſia, terras, ſubditos, et coadiutores eorum vertebantur, et verti ſperabantur, tanquam in Arbitrum, Arbitratorem, Judicem, et amicabilem Compoſitorem de alto, et baſſo abſolute, et ſine dolo compromiſerimus, et hujuſmodi Compromiſſum, et tempus in eo definitum lapſum, eiſq; protunc non comparentibus viribus evacuatum exiſtat, tamen diſſenſiones, bella, gverras, lites, et diſcordias volentes evitare, ad pacem aſpirare, et in quiete ac dulcedine pacis colere Auctorem, contemplatione ejuſdem Domini SIGISMUNDI Regis, etc. praedicti plurimum de iuſtitia, et aequitate ipſius, iuris cultura, fide, prudentia et peritia, quibus multipliciter illuſtratur, confidentes, in ipſum praeſentem et Caput huiusmodi Compromiſſi pro bono pacis, et concordiae ſponte in ſe recipientem iterum, et de novo eorundem Ducum et Praelatorum, videlicet Gneſnenſis, Vladiſlavienſis, Poſnanienſis, Plocenſis, et Varmienſis Epiſcoporum, et Eccleſiarum ipſorum nominibus, et ſubditorum eorum, pro quibus omnibus et ſingulis ſupra nominatis Nos Rex VLADISLAUS praedictus bona fide et ſine dolo promittimus de rato hadendo, et procurabimus cum effectu, et quilibet ipſorum praeſens Compromiſſum, et omnia ſupra et infra ſcripta indeque ſecuta, ratum, rataque habebunt, et firmiter obſervabunt, nec non per praeſens Compromiſſum ratificabunt, et approbabunt infra annum facta pronuntiatione, fienda, vel non facta, compromiſimus, ac de alto et baſſo abſolute et ſine dolo compromittimus per praeſentes tanquam in arbitrum, arbitratorem, judicem, et amicabilem compoſitorem de et ſuper omnibus diſplicentiis, controverſijs, odijs, rancoribus, pactorum ſtipulatorum, contractuum, pacis, fœderum et confœderationum, libertatum et privilegiorum, cirograforum læſionibus et violationibus, ac de, et ſuper omnibus injurijs, damnis, limitibus, granitiebus, diffamationibus, detractionibus, offenſis, gravaminibus intereſſe, et expenſis hactenus factis, et debitis per Magiſtrum Generalem et Ordinem praedictos

ANNO 1412. dictos. Et generaliter ſuper omnibus, et ſingulis actionibus, obligationibus, iuribus, quaerelis, conventionibus, petitionibus, et aliis rebus ac quaeſtionibus quibuscunque praeteritis et praeſentibus excepto pecuniarum debito et paenis appoſitis, ad quae ſe Magiſter et Ordo cum caeteris fidejuſſoribus per literas efficaces Nobis obligavit, pro quibus in eundem Dominum SIGISMUNDUM Regem compromittere nolumus, non etiam intendimus. Dantes et concedentes eidem *Domino* SIGISMUNDO Regi plenam poteſtatem, quod poſſit ſummarie, ſimpliciter, et de plano ſine ſtrepitu et figura iudicii lites, controverſias, et alias, ac omnia praedicta inter Nos praefatos Praelatos, *Duces*, Barones, coadjutores, et ſubditos noſtros ex una, ac dictos Magiſtrum et Ordinem Cruciferorum parte ex altera ſedare judicialiter, vel extrajudicialiter, et dictas diſſenſiones, diſplicentias, controverſias, lites et quaeſtiones,ac quaſcunq; cauſas praeteritas vel praeſentes,omniaq; alia contingentia et dependentia, incidentia ſeu forſitan de novo infra infracti Compromiſſi terminum occaſione praemiſſorum emergentia, oritura vel orta ex eiſdem per Nos proponenda audire, et legitime terminare in, et ſuper omnibus et ſingulis pro ſuæ libito voluntatis in quibuscunque horis et temporibus, diebus feriatis et non feriatis, Partibus praeſentibus vel abſentibus, vocatis tamen, lite conteſtata vel non conteſtata, juris ordine et ſolemnitate ſervatis vel non ſervatis, verbo vel in ſcriptis, ſtando vel ſedendo, ſimul vel diviſim diffiniendo, ordinando, arbitrando, tranſigendo, componendo, vel alias quomodolibet faciendo, prout ſibi melius videbitur expedire infra hinc et duos annos continue ſe ſequentes. Ita tamen, quod omnes cauſae quae quomodolibet poſſunt per ipſum *Dominum* SIGISMUNDUM Regem Romanorum etc. hac vice hic in Buda diffiniri et diſcuti, ſine ulteriori dilatione decidantur, reliquae autem aliae notabiles difficultates, et obſcuritates continentes, quae majori indagine et examine indigent, eorundem duorum annorum duntaxat durante ſpatio, et brevius, quo fieri poteſt, in Buda vel intra limites Regni Hungarici per ſe, vel alium ſeu alios, quem ad hoc idem *Dominus* Rex SIGISMUNDUS decrevit deputandos, terminentur. Et niſi infra terminum, et locum praedictos idem *Dominus* SIGISMUNDUS Rex etc. Arbiter et Arbitrator ſuam amicabilem ſententiam, ordinationem et compoſitionem amicabilem tulerit, Compromiſſum hujuſmodi ac omnia in eo contenta viribus non ſubſiſtant, nec ad ea vel earum aliquid tenenda, aut obſervanda aſtringamur, prolataque infra dictos terminos corrigere, declarare et interpretari valeat, ſi ex eis dubietas, vel obſcuritas imminebit inter Partes. Promittentes bona fide arbitrium, laudum, ordinationem et compoſitionem ac quicquam ſuper praemiſſis, et quolibet praemiſſorum idem D. SIGISMUNDUS Rex duxerit faciendum, acceptare, ratificare, emologare *, ratum et gratum habere et obſervare, eiſque parere et acquieſcere, nec in aliquo contravenire de jure vel de facto, quoquo modo nunquam a pronuntiatione, ſententia, ordinatione et compoſitione per dictum SIGISMUNDUM facienda appellare, ſuper his vel eorum aliquo reſiſtere ad arbitrium boni viri, aut ea petere revocari, emendari vel moderari, non ratione Perſonæ Domini SIGISMUNDI Regis prædicti Arbitri & Arbitratoris, nec ratione rerum & quæſtionum, de quibus compromiſimus, vel alia ratione opponemus contra dictum Compromiſſum, vel contra ſententiam, ordinationem & pronuntiationem dicti D. SIGISMUNDI Regis qualitercunque procedat, vel qualitercunque proferat arbitrium, vel ſua mandata, ſive ſervet juris ordinem, ſive prætermittat, ſub pœna per eundem D. SIGISMUNDUM Regem Arbitrum & Arbitratorem apponenda & vallanda. Quæ quidem pœna totiens committatur & exigatur, quoties contra præmiſſa vel aliquod præmiſſorum ventum, factum, non obtemperatum aut paritum fuerit per ſe vel alium ſeu alios quoquo modo. Qua pœna commiſſa & exacta, ſemel & pluries ſoluta vel non ſoluta, aut exacta, nihilominus omnia & ſingula præmiſſa in ſua ſemper remaneant firmitate. Renuntiantes inſuper omni juris auxilio Canonici vel Civilis, omnibus exceptionibus, membranarum allegationibus, rationibus & cæteris beneficiis juris, facti, & Patriæ legibus & conſuetudinibus, quibus poſſemus facere vel venire contra Compromiſſum prædictum, & omnibus, quæ hujusmodi Compromiſſo poſſent objici vel opponi, & ſpecialiter clauſulis, punctis & articulis in quibuſlibet literis, pacationibus, fœderibus, concordiis & contractibus præteritis, poſitis & expreſſis, ac aliis contrarium facientibus quibuscunque. Harum, quibus ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum Budæ ** ipſo die Nativ. S. Joannis Bapt An. Dom. 1412. "

Al-

* Approbare. Vid. Gloſſar. Dufreſne.
** Quid Vladislaus Budæ egerit, vid. Dlugoſſ. lib. 11. ad an. cit.

ANNO 1412. Alterius vero Partis ex adverſo Principalis literæ Compromiſſi ſeries hæc eſt:

„ Nos Frater HENRICUS de PLAWEN, Ordinis Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Domus Theutonicorum Jeroſolimitani Magiſter Generalis. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis. Quod cupientes ex animo diſſenſiones et bella, guerras, lites & diſcordias evitare, ad pacem aſpirare, & in quiete & dulcedine pacis colere Auctorem, de Illuſtriſſimi Principis & gratioſiſſimi Domini noſtri, Domini SIGISMUNDI Romanor. Regis ſemper Auguſti, & Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regis juſtitia & æquitate, juris cultura, fide, prudentia & peritia, quibus multipliciter illuſtratus, plurimum confidentes in ipſum abſentem tanquam præſentem noſtro, Ordinis, coadjutorum & ſubditorum noſtrorum nominibus, pro quibus omnibus & ſingulis bona fide & ſine dolo promittimus de rato habendo, & procurabimus cum effectu ſub obligatione omni bonorum noſtrorum, quod Nos, Ordo totus, & coadjutores noſtri ac ſubditi præſens Compromiſſum, & omnia ſupra & infra, indeque ſecuta ratum rataque habebimus & habebunt, ac firmiter obſervabimus & obſervabunt, nec non quod præſens Compromiſſum ratificabunt & approbabunt infra annum futura pronunciatione fienda vel non facta de alto & baſſo, & abſolute & ſine dolo compromittimus per præſentes tanquam in Arbitrum, Arbitratorem, Judicem & amicabilem Compoſitorem de, & ſuper omnibus diſplicentiis, controverſiis, odiis, rancoribus, pactorum ſtipulatorum, contractuum, pacis, fœderum, ac confœderationum, jurium, libertatum & privilegiorum, cirograforum læſionibus, violationibus, ac de, & ſuper injuriis, damnis, granitiebus, diffamationibus, detentionibus, offenſis, gravaminibus, intereſſe & expenſis hactenus factis & debitis, per Sereniſſ. Principem D. VLADISLAUM Regem Poloniæ, & coadjutores & adhærentes ſibi. Et generaliter ſuper omnibus & ſingulis actionibus, obligationibus, juribus, querelis, conventionibus, petitionibus, pecuniarum ſummis, ac quæſtionibus quibuscunque quomodolibet inter præfatum Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ, & inclitum Principem Dominum ALEXANDRUM alias VITOUDUM Magnum Ducem Lithvaniæ, ac Prælatos, videlicet Gneſnenſem, Vladislavienſem, Poſnanienſem, Płocenſem & Varmienſem Epiſcopos & Eccleſiarum ipſarum, Barones, terras & ſubditos eorumdem, Magnificosque Dominos Joannem & Semovitum Maſoviæ, ac Boguſlaum Stolpenſem Duces eorumque ſubditos ac omnes coadjutores & adhærentes eis, ex una, Nosque, noſtros Ordinem, Coadjutores & ſubditos partibus ex altera vertentibus, ſeu verti eſſe ſperantibus præteritis & præſentibus, dantes & concedentes eidem Domino SIGISMUNDO Regi plenam poteſtatem, quod poſſit ſummarie, ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii lites, attemptata, controverſias & cauſas, omniaque prædicta inter Nos, & Ordinem, ſubditos ac coadjutores noſtros ex una, ac præfatos Dominos Regem Poloniæ, Prælatos, Duces, Barones, coadjutores & ſubditos ſuos parte ex altera ſedare iudicialiter vel exiudicialiter, ac dictas diſſenſiones, diſplicentias & controverſias, lites, quæſtiones, ac quascunque cauſas præteritas vel præſentes, ac omnia alia contingentia & dependentia, incidentia, ſeu forſan de novo infra ſcripti Compromiſſi tum occaſione præmiſſorum emergentia, oritura vel orta ex eisdem per Nos proponenda audire & legitime examinare, in & ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis pro ſuæ libito voluntatis, quibuscunque horis & temporibus, diebus feriatis & non feriatis, Partibus præſentibus vel abſentibus, vocatis tamen, lite conteſtata vel non conteſtata, juris ordine & ſolemnitate ſervatis vel non ſervatis, verbo vel in ſcriptis, ſtando vel ſedendo, ſimul vel diviſim, diffiniendo, ordinando, arbitrando, tranſigendo, componendo, vel alias quomodolibet faciendo, prout ſibi melius videbitur expedire, infra hinc & duos annos continue ſe ſequentes, ita tamen, quod omnes cauſæ, quæ quomodolibet per ipſum Dominum SIGISMUNDUM Romanorum Regem &c. hac vice hic in Buda diffiniri poſſunt & diſcuti, ſine ulteriori dilatione decidantur. Reliquæ autem aliæ difficultates & obſcuritates notabiles continentes, quæ majori indagine & examine indigent, eorundem duorum annorum duntaxat ſpatio duraturæ, & brevius, quo fieri poteſt, in Buda, vel infra metas Regni Hungariæ per eundem Dominum SIGISMUNDUM vel alium, quem ad hoc decreverit, ſpecialiter deputandum terminentur. Et niſi infra terminum & locum prædictum ſuam arbitralem ſententiam, ordinationem & compoſitionem amicabilem tulerit, Compromiſſum hujusmodi, & omnia in eo contenta viribus non ſubſiſtant, nec ad ea vel eorum aliquid tenenda vel obſervanda aſtringantur, prolataque infra dictos locum & terminum corrigere, declarare & interpretari valeat, ſi ex eis dubietas vel obſcuritas immi- ANNO 1413.

Anno 1412. minebit inter Partes promittentes bona-fide, quod tam Nos compromittentes, quam Succeſſores noſtri & Ordo noſter arbitrium, laudum, ordinationem & compoſitionem, ac quicquid ſuper præmiſſis & quolibet præmiſſorum idem Dominus Sigismundus Rex duxit faciendum, in perpetuum acceptabimus, acceptabunt, raificabimus & ratificabunt, ratum & gratum habebimus & habebunt, ac obſervabimus & obſervabunt, eisque parebimus & parebunt, ac acquieſcemus & acquieſcent inviolabiliter, nec in aliquo contraveniemus vel contravenient, de jure vel de facto quoquo modo nunquam a prænuntiata ſententia, ordinatione & compoſitione per dictum Dominum Sigismundum Regem facienda appellabimus vel appellabunt, & ſuper his vel illorum aliquo recedemus vel recedent ad arbitrium boni viri, aut ea petemus vel petent revocari, emendari vel moderari, non ratione perſonæ D. Sigismundi Regis prædicti Arbitri & Arbitratoris nec ratione rerum & quæſtionum, de quibus compromiſimus, vel alia ratione opponemus vel opponent contra dictum Compromiſſum, vel ſummam, ordinationem & pronuntiationem dicti Domini Sigismundi Regis qualitercunque procedat, vel qualitercunque proferat ſuum arbitrium vel ſua mandata, ſive ſervet juris ordinem ſive prætermittat ſub pœna per eundem Dominum Sigimundum Regem Arbitrum & Arbitratorem approbanda vel vallanda. Quæ quidem pœna toties committatur & exequatur, quoties contra prædicta vel aliquod præmiſſorum ventum fuerit, non obtemperatum aut non paritum fuerit per ſe, alium ſeu alios quoquo modo. Qua pœna commiſſa et exacta ſemel vel pluries ſoluta vel non ſoluta ac exacta, nihilominus omnia et ſingula præmiſſa in ſua ſemper remaneant firmitate. Renuntiamus inſuper omni juris auxilio Canonici vel Civilis, omnibus exceptionibus, membranarum allegationibus, rationibus, et cæteris beneficiis juris et facti, ac Patriæ legibus ſeu conſuetudinibus, quibus poſſemus facere vel venire contra Compromiſſum prædictum, et omnibus, quæ hujusmodi Compromiſſo poſſent objici vel opponi, et ſpecialiter articulis, punctis et clauſulis in quibuscunque literis, pactionibus, fœderum conventionibus, contractibus præteritis, poſitis et expreſſis, ac aliis in contrarium facientibus quibuscunque harum, quibus noſtrum et Ordinis noſtri Sigillum majus eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum in Caſtro noſtro Marienburg Pomeſanienſis Diœceſis, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo, decima octava die Menſis Maji."

Viſis itaque Compromiſſis prædictis, ac intellectis et examinatis præſentium juribus, ipſisque Partibus auditis et intellectis, deliberatione præhabita diligenti pro bono pacis et concordiæ, vigore Compromiſſorum prædictorum, de, et ſuper nonnullis articulis et capitulis in cauſa ſeu cauſis, quæſtionibus et petitionibus pro parte Venerabilis Joannis Epiſcopi Vladislavienſis, ac Eccleſiæ ſuæ prædictæ, nec non Honorabilis Andreæ Præpoſiti, et Capituli ejusdem Eccleſiæ Vladislavienſis, contra et adverſus præfatos Magiſtrum et Ordinem Cruciferorum noſtri in præſentia in vim hujusmodi Compromiſſorum motis, ventilatis, examinatis et cognitis coram Nobis actis, acticatis, productis et probatis, Chriſti nomine, de cujus vultu omne bonum procedit judicium, devotiſſime invocato, inter Partes prædictas viam arbitrationis et amicabilis compoſitionis aſſumentes, et omnibus melioribus forma, jure, modo, quibus magis et melius poſſumus et debemus, laudamus, amicabiliter componimus, declaramus, arbitramur, diffinimus atque dicimus, & ſententiamus per hanc noſtram arbitramentalem & amicabilem compoſitionem, quod Eccleſiæ Vladiſlavienſi & Epiſcopo, ac Domino Andreæ Præpoſito, & Capitulo dictae Eccleſiæ reſtituantur per Magiſtrum & Ordinem omnia ſibi per eosdem aut ſuos oblata, atque ipſe Epiſcopus nomine ſuæ Eccleſiæ ab illis permittatur libere uti, frui Villis, Curijs, Decimis & omnibus obventionibus, ac juribus in Terra Pomeranienſi conſiſtentibus ad ipſam Eccleſiam de jure pertinentibus cum libera et plena jurisdictione ſpiritualium & temporalium, ac dictus Andreas Præpoſitus percipere quinquaginta marcas Pruthonicales per Commendatorem de Tuchol pro Decimis, quas idem colligit pro Eccleſia Vladiſlavienſi de certis villis in eodem Diſtrictu conſiſtentibus eidem Andreæ per dictum Epiſcopum conceſſis, etiam accedente confirmatione Apoſtolica prout, & ſecundum quod utebatur, fruebatur, & percipiebat ipſe Epiſcopus jam tribus annis elapſis, & etiam poſtea aliquo tempore. Et quod de cætero dicti Magiſter & Ordo nullum ex ipſis impediant, quominus poſſint & debeant omnibus prædictis libere uti, & quidem ſub pæna Decem Millium Marcarum auri puri comittenda per partem contrafacientem applicanda pro tertia parte Cameræ Apoſtolicæ, pro alia tertia parte fiſco noſtro Imperiali, & pro alia tertia parte al- Anno 1412.

Anno 1412. teri parti & totiens committenda, quotiens contra præmiſſa ventum fuerit, prædictis tamen in eſſe ſuo ſalvis ſemper remanentibus. Item quod ipſi Magiſter & Ordo dicto Domino Epiſcopo reſtituant omnia oblata in tribus ſuis Curiis, ut in Sobko, in Komurtzek, & Milebontz, ſub pœna decem millium Marcarum auri puri committenda per partem contrafacientem, applicanda pro tertia parte Cameræ Apoſtolicæ, pro alia tertia parte fiſco noſtro Imperiali, & pro alia tertia parte parti alteri, & totiens committenda quotiens contra prædicta ventum fuerit, prædictis tamen in eſſe ſuo ſalvis ſemper remanentibus. Item quod ipſi Magiſter & Ordo dictis Joanni Epiſcopo & Andreæ Præpoſito plene & integre ſatisfaciant de omnibus proventibus jam duobus annis elapſis Epiſcopo & Andreae Præpoſito anno uno tantum de ſublatis per eoſdem Magiſtrum & Ordinem, ſub pœna decem millium Marcarum auri puri committenda per partem contrafacientem, applicanda pro tertia parte Cameræ Apoſtolicæ, pro alia tertia parte fiſco noſtro Imperiali, & pro alia tertia parte parti alteri, & totiens committenda, quotiens contra prædicta ventum fuerit, prædictis tamen in eſſe ſuo ſalvis ſemper remanentibus. De dampnis vero & alijs pronuntiationes & ſententiæ noſtræ ſuper totali materia prolatæ plenius & latius videntur continere. Datum, latum & pronuntiatum fuit dictum arbitramentum ſeu amicabilis compoſitio, ſive ſententia arbitraria inter Partes praedictas ad petitionem & inſtantiam ſive auſcultationem praefati Joannis Epiſcopi & Andreæ Præpoſiti ex una, nec non ad petitionem et inſtantiam & auſcultationem Procuratorum partis ex adverſo Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Joannis Dei & Apoſtolicae Sedis Gratia Archiepiſcopi Rigenſis, Domini Henrici Senioris de Plawen, fratrum Michaelis Kuchenmeiſter Supremi Mareſchalci, Wernheri de Tetinge Supremi Hoſpitalarii & Commendatoris in Elblingo, Frederici de Welle Supremi Trapiarii, & in Crisburg Gwerhardi de Walenfels Commendatorum Ordinis Sanctæ Mariæ Domus Theutonicorum Domini Joannis Abietzier Decretorum Doctoris & Præpoſiti Varmienſis, Joannis Hildebrandi Cappellani Magiſtri Generalis, Petri de Lapide Fratrum Ordinis ſupra dicti & Theodoreti Militis de Logendorff Pomeſanienſis Diœceſis, in Aula magna Regia Caſtri Budinenſis ſub noſtrae Majeſtatis Sigilli teſtimonio literarum, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo, vigeſima quarta die Auguſti. Regnorum noſtrorum Anno Hungariæ. XXV. Romanorum vero ſecundo Præſentibus ibidem Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis, Domino Branda miſeratione Divina tituli Sancti Clementis Presbitero Cardinali Placentino ac Apoſtolicae Sedis in Regno Hungariae a latere Legato, Domino Joanne Archiepiſcopo Strigonienſi, Primate et in Strigonienſi ac Collocenſi Provinciis Legato nato, ac Aulæ Romanae Regiae Cancellario, Domino Andrea de Bentiis & Gwaldo Archiepiſcopo Spalatenſi, Comite Bertoldo de Urſinis de Urbe, Comite Soanenſi, Hugone de Heruorſt Ambaſſiatoribus Domini Papæ, Domino Simone Abbate Sancti Joannis Bromenſis Decretorum Doctore, Domino Joanne Præpoſito Sancti Stephani Regis Strigonienſis & Vice-Cancellario Imperiali, Domino Benedicto Præpoſito Albenſi ac Domini Papae praedicti Prothonotario, Domino Munaldo Stephani de Magalottis de Urbe Veteri, Magiſtro Benedicto de Maera Legum Doctoribus, Domino Philippo de Patavia milite, Domino Aræriarum Conſiliario ac Cambellario Regis Frantiae, Domino Brunone dela Schala de Verona, Domino Jacobo de Corraria de Padva Comite. Guilemmo de Prata de Ozowa Comite Themenſienſ. Henrico de Perin Secretario, Cancellario Regiæ Majeſtatis & alijs quam pluribus fide dignis teſtibus ad praemiſſa vocatis ſpecialiter et rogatis. Anno 1412.

LXXXIV.

1413. *Declaratio* Vladislai *Regis & Vitoldi M. D. L. qua Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Archidiacono Lencicienſi, tanquam Procuratoribus plena tribuitur poteſtas tractandi cum Crucigeris ſuper negotiis Samogitiæ.* Datum Vilnæ die 6. Menſis Februarii Anno 1413. *Ex Originali. Sigilla.* 2.

Nos Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniæ, Litvaniaeque Princeps ſupremus & Haeres Ruſſiae &c. nec non Alexander alias Witowd eadem gratia Magnus Dux Litvaniae. Significamus tenore præſentium univerſis, quod ex certa ſcientia noſtra omnibus melioribus modo, via, et facto, quibus potuimus, fecimus, conſtituimus Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum Nicolaum Divina providentia Archiepiſcopum Sanctae Eccleſiæ Gne-

ANNO 1413. Gneznenſis, nec non Honorabilem BENEDICTUM Archidiaconum Lencicienſem devotum noſtrum, abſentes tanquam præſentes, & eorum quemlibet in ſolidum in noſtros veros & legitimos Procuratores ad repræſentandum, exhibendum & tradendum Venerab. Viris, Fratri HENRICO de PLAVEN Magiſtro Generali in Pruſſia Hoſpitalis Sanctae Mariae Ordinis Theutonicorum, Literas ſuper Terra Samaitarum noſtris Sigillis conſignatas, iuxta ſententiam arbitralem Sereniſſimi Principis Fratris noſtri Domini SIGISMUNDI Romanorum ſemper Auguſti & Hungariae Regis, nec non ad faciendas quascunq; petitiones, proteſtationes, notitias circa praemiſſam exhibitionem & ſuper eiſdem Notarium ſeu Notarios publicos requirendi, ac etiam unum vel plures Procuratorem ſeu Procuratores ſubſtituendi, & eos revocandi totiens, quotiens fuerit opportunum, & generaliter omnia et ſingula faciendi, quae in praemiſſis et quolibet praemiſſorum neceſſaria fiunt, ſeu quomodolibet opportuna, etiamſi talia ſint, quae mandatum ad hoc magis exigant ſpeciale, promittentes tenere rata, grata, atque firma omnia et ſingula, quae in praemiſſis per præfatos Procuratores noſtros, aut Subſtitutos eorumdem acta fuerint, tenere et inviolabiliter obſervare. In quorum fidem et teſtimonium praemiſſorum Sigilla Noſtra præſentibus ſunt appenſa. Actum & datum Vilnæ die ſexta Menſis Febr. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo tredecimo.

LXXXV.


Teſtimonium BENEDICTI *de* MACRA *Subarbitratoris, quod* VLADISLAUS *Rex, &* VITOLDUS *ejus Frater Sententiæ* SIGISMUNDI *Romanorum &c. Regis, tanquam amicabilis Compoſitoris, paruerint in iis, quæ quosdam captivos concernebant Crucigeros: quodque proteſtatio nomine Filiæ Regis Poloniæ, & Filiæ* VITOLDI *facta ſit, ne de Terra Samogitarum aliquid diſponeretur.* Datum in Kowno Anno 1413. die 28. Februarii. *Ex Originali*

In Nomine Domini. Amen.

Nos Benedictus de Macra tenore præſentium declaramus quibus expedit univerſis. Quod cum in judicio ut Subarbiter Regis Romanorum in Kauwen judicaremus, coram Nobis Sereniſſimus Princeps Dominus VLADISLAUS Rex Poloniæ, & Præclarus Princeps ALEXANDER alias WITOLDUS Magnus Dux Lithvaniæ paruerunt ſententiis & executionibus ipſarum de captivis in generali, ac captivis de Thamozo & Berviketen per Regem Romanorum latis ſufficienter. Item coram Nobis ibidem Procuratores Regis & Ducis prædictorum obtulerunt Procuratori Magiſtri & Ordinis literas ſuper Terra Samagittarum ſecundum tenorem ſententiæ Regis Romanorum, quibus literis Procuratores Filiæ Ducis Litvaniæ prædicti ac Procerum Terræ Samagittarum, ac Barones Regni Poloniæ in perſona *D*ominæ HEDVIGIS Filiæ Regis Poloniæ contradixerunt coram Nobis tanquam in præjudicium prædictorum datis, & prohibuerunt Parentes prædictarum Filiarum, ſcilicet Regem & Ducem, ne de Terra Samagittarum aliquid fiendum poſt mortem ipſorum diſponerent. Quia proteſtati ſunt, quod tali diſpoſitioni nullo modo valent conſentire. Item prædicti Procuratores ibidem reprobaverunt coram Nobis literas granitierum datas per Parentes ipſarum ipſi Ordini ſuper Terra Samagittarum contradicentes eisdem animo interrumpendi præſcriptionem, quæ contra ipſos & ipſas de prædictis granitiebus aut Terra Samagittarum currere cæpiſſet. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum fidem & teſtimonium præſentes literas, ſeu publicum Inſtrumentum per Notarios inſcriptos ſcribi & publicari mandavimus, noſtriq; Sigilli, quo utimur, fecimus appenſione communiri. Actum & datum in Kauwen An. Domini milleſimo quadringenteſimo tredecimo, Indictione ſexta, die Saturni viceſima octava Menſis Februarii, hora tertiarum vel quaſi, in ſtuba lignea domus habitationis Domini Stanislai Czupurny dicti felicis memoriæ ſupremi Mareſchalci Terræ Lithvaniæ. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini JOANNIS Divina Providentia Papæ viceſimi tertii Anno ipſius tertio. Præſentibus ibidem Honorablibus & Nobilibus Viris Dominis Nicolao Archiepiſcopo Gneſnenſi, Andrea Præpoſito Byſtricienſi, Swantoſlao Canonico Viſlicienſi, Stiborio Terræ Maſoviæ ſupremo Mareſchalco, Michaële Proconſule de Cracow Presbyteris & Laicis Gneſnenſis, Vilnenſis, Plocenſis & Cracovienſis Diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Petrus Urbani de Miechow Clericus Cracovienſis Diœceſis, publicus Apoſtoli-

ANNO 1413. poſtolica authoritate Notarius prædictæ declarationi, dum ſic, ut præmittitur, fieret et ageretur, aliisque omnibꝰ præmiſſis una cum Notario infra ſcripto teſtibusq; ſupra dictis praeſens interfui, eaque omnia et ſingula ſic fieri vidi et audivi, manuque propria conſcribens



in hanc publicam formam redegi, ſignoque et nomine meis ſolitis et conſvetis una cum appenſione ſigilli dicti Domini Benedicti conſignavi rogatus et requiſitus in fidem et teſtimonium omnium et ſingulorum praemiſſorum.

LXXXVI.

Reclamatio Ejusdem contra calumnias in VLADISLAUM *Poloniæ Regem &* VITOLDUM *ejus Fratrem per Crucigeros ſparſas.* Datum Cracoviæ An. 1413. die decima Menſis Junii. *Ex Originali.*

Notum ſit tam ſpiritualibus, quam ſæcularibus Principibus & Prælatis, ac aliis Chriſti fidelibus univerſis, quod cum Nos Benedictus de Macra in utroque Jure Licentiatus, Magiſter in artibus, Dominusq; de Thuch, Judex delegatus, Subarbitrator ac Commiſſarius per Sereniſſimum Principem Dominum SIGISMUNDUM Romanorum Regem ſemper Auguſtum, ac Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regem Arbitrum, Arbitratorem, & amicabilem Compoſitorem inter Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ, & Præclarum Principem ALEXANDRUM alias VITOUDUM M. D. Lithvaniæ, eorumque adhærentes & ſubditos ex una, ac Venerabilem & Religioſum Fratrem HENRICUM de PLAVEN Ordinis Hoſpitalis S. Mariæ Domus Teutonicorum Jeroſolimitani Magiſtrum Generalem, ejusque adhærentes & ſubditos, ac totum Ordinem ex alia partibus, deputatus mandato in ſcriptis ſuſcepto tenoris infraſcripti, juxta vim & formam ejusdem mandati & Commiſſionis Nobis factæ, ac vigore Compromiſſi tenoris ſubſcripti pro executione arbitrariæ ſententiæ per præfatum Dominum SIGISMUNDUM Regem Romanorum & Ungariæ Regem &c. inter dictas Partes latæ facienda proceſſiſſemus, prout proceſſimus in Terris Poloniæ, Pruſſiæ, Samagitarum, Kurlandiæ, Lithvaniæ, Ruſſiæ, Maſoviæ, Pomeraniæ &c. debitum noſtri officii exequentes, expoſitoque inter cætera per Procuratorem ejusdem Sereniſſimi Principis Domini VLADISLAI Regis Poloniæ Nobis jam in itinere verſus propria conſtituto, quomodo Nuntii Magiſtri & Ordinis praedictorum in diverſis mundi partibus coram Regibus, Principibus, & aliis Chriſti fidelibus, & praeſertim coram Sereniſſimo Principe Domino VENCESLAO Rege Bohemiae, in detrimentum laudabilis famae & honoris praelibati Domini Regis Poloniae, volentes, ut dicitur, ſibi in auxilium Principes Catholicos, & alios Chriſticolas per hoc allicere, ac contra praefatum Dominum Regem Poloniae ipſorum animos provocare, aſſerere non verentur, quod praefatus Dominus Rex Poloniae arbitrali ſententiae praefati Sereniſſimi Domini Regis Romanorum inter dictas Partes prolatae parere non curaret cum effectu, a Nobis dictus Procurator literas recognitionis noſtrae, rei ſive facti veritatem in ſe hujusmodi continentes, tanquam ab Executore dictae arbitralis ſententiae, & ad hoc ſpecialiter deputato ſibi fieri poſtulavit. Nosque Benedictus praefatus veritatem hujusmodi rei ex acticatis & geſtis coram Nobis et quae in dictis Terris hujusmodi executionis praefatae arbitralis ſententiae agentes negotia rei experientia comperimus, & ut juſtitia in hoc cunctis eluceſcat fidei Chriſtianae cultoribus, Vobis omnibus ſupradictis Illuſtriſſimis Dominis Regibus, Principibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Burgrabiis, Comitibus, Capitaneis, Civitatum Rectoribus, Communitatibus, militibus & clientibus, ac omnibus & ſingulis Praelatis, & aliis perſonis tam Eccleſiaſticis, quam ſaecularibus declarare cupientes praeſentibus recognoſcimus publice profitentes, quod praefatus Sereniſſimus Princeps Dominus Rex Poloniae &c. tanquam Rex Catholicus, ac verus Cultor Fidei Orthodoxæ una cum Fratre ſuo praefato Domino ALEXANDRO alias VITOUDO Magno Duce Lithvaniae cum Chriſtianis diſturbia litium declinantes, & ut in effectu apparuit gverras cum praefato Ordine evitare volentes, ad requiſitionem noſtram ſententiae, ac deffinitioni arbitrali praefati Domini Regis Romanorum Arbitri

Anno 1413. bitri praelibati per Nos executae ſufficienter paruerunt in omnibus ſuis punctis & clauſulis, & nunc parent realiter cum effectu. Quodque Magiſter & Ordo praefati de juſtitia non contenti, per ſubterfugia recuſationis fraude volentes ſententiam praefati Domini Judicis & Arbitri, ac mandatum Regiae Majeſtatis eludere Domini Regis Romanorum antedicti, a veroque tramite juſtitiae declinantes, dictae arbitrali ſententiae parere non curarunt, neque curant uſque modo, pœnas appoſitas & adjectas in eadem ſententia minime formidantes, cujus quidem recognitionis noſtrae hujusmodi noſtras praeſentes literas ſubſcriptionibus tabellionum ad hoc requiſitorum, et teſtium annotationibus rogatorum infra ſcriptorum, ſigillique noſtri munimine fecimus roborari ad evidentiam omnium praemiſſorum. Tenores vero Literarum, de quibus ſupra fit mentio, & primo Compromiſſi, deinde Commiſſionis Nobis factae de verbo ad verbum ſequuntur, & ſunt tales.

„ Nos Frater Henricus de Plaven Ordinis Hoſpitalis Sanctae Mariae Domus Theutonicorum Jeroſolimitani Magiſter Generalis. Significamus tenore praeſentium quibus expedit univerſis: Quod cupientes ex animo diſſenſiones, bella, gverras, lites & diſcordias evitare, ad pacem aſpirare, & in quiete ac dulcedine pacis colere Auctorem, de Illuſtriſſimi Principis & gratioſiſſimi Domini noſtri, *D*omini Sigismundi Romanorum Regis ſemper Auguſti, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Regis juſtitia & aequitate, juris cultura, fide, prudentia, peritia, quibus multipliciter illuſtratur, plurimum confidentes, in ipſum abſentem tanquam praeſentem noſtro, Ordinis, Coadjutorum & ſubditorum noſtrorum nominibus, pro quibus omnibus & ſingulis bona fide & ſine dolo promittimus de rato habendo, & procuravimus cum effectu ſub obligatione omnium bonorum noſtrorum, quod Nos, Ordo totus, & Coadjutores noſtri & ſubditi praeſens Compromiſſum, & omnia ſupra & infra ſcripta indeque ſecutura ratum rataque habebimus et habebunt, et firmiter obſervabimus et obſervabunt, nec non quod praeſens Compromiſſum ratificabunt et approbabunt infra annum facta pronuntiatione, fienda vel non facta, de alto et baſſo, abſolute et ſine dolo compromittimus per praeſentes tanquam in Arbitrum, Arbitratorem, Judicem et amicabilem Compoſitorem de, et ſuper omnibus diſplicentiis, controverſiis, odiis, rancoribus, pactorum ſtipulatorum, contractuum, pacis, fœderum et confœderationum, jurium, libertatum et privilegiorum, cirographorum laeſionibus, violationibus, ac de et ſuper injuriis, dampnis, granitiis, diffamationibus detractionibusque, offenſis, gravaminibus, intereſſe, et expenſis hactenus factis, et debitis per Sereniſſimum Principem *D*ominum Vladislaum Regem Poloniae etc., coadjutores et adhaerentes ſibi, et generaliter ſuper omnibus et ſingulis actionibus, obligationibus, juribus, querelis, conventionibus, petitionibus, pecuniarum ſummis, ac quaeſtionibus quibuscunque, quomodolibet inter praefatum Dominum Vladislaum Regem Poloniae etc., inclytum Principem *D*ominum Alexandrum alias Vitowdum Magnum *D*ucem Litvaniae, ac Praelatos, videlicet Gneznenſem, Vladislavienſem, Poznanienſem, Plocenſem et Varmienſem Epiſcopos, et Eccleſiarum ipſorum, Barones, Terras et ſubditos eorumdem, Magnificosque *D*ominos Joannem et Semovitum Mazoviae, et Boguslaum Stolpenſem *D*uces, et eorum ſubditos, ac omnes coadjutores et adhaerentes eis ex una, Nosque, noſtros coadjutores et ſubditos parte ex altera, vertentibus ſeu verti et eſſe ſperantibus, praeteritis et praeſentibus, dantes et concedentes eidem *D*omino Sigismundo Regi plenam poteſtatem, quod poſſit ſummarie, ſimpliciter et de plano, ſine ſtrepitu et figura judicii, lites, attemptata et controverſias, et cauſas et omnia praedicta inter Nos, Ordinem, ſubditos et coadjutores noſtros ex una, ac praefatos Dominos Regem Poloniae, Praeclaros Duces, Barones, coadjutores et ſubditos ſuos parte ex altera, ſedare judicialiter vel extrajudicialiter, et dictas diſſenſiones ac diſplicentias et controverſias, lites, quaeſtiones & quaſcunq; cauſas præteritas vel præſentes et omnia alia contingentia, et dependentia, incidentia, ſeu forſitan de novo infra ſcripti Commiſſi tenore, occaſione praemiſſorum emergentia, oritura vel orta ex eisdem, per Nos proponenda audire, et legitime examinare in, et ſuper omnibus et ſingulis pro ſuae libitu voluntatis, quibuscunque horis et temporibus, diebus feriatis et non feriatis, Partibus praeſentibus vel abſentibus, vocatis tamen, lite conteſtata vel non conteſtata, juris ordine et ſolempnitate ſervatis vel non ſervatis, verbo vel in ſcriptis, ſtando vel ſedendo, ſimul vel diviſim diffiniendo, ordinando, arbitrando, tranſigendo, componendo, vel alias quomodolibet faciendo, prout ſibi melius videbitur expedire, infra hunc et duos annos continue ſe ſequentes. Ita

Aa 2 tamen;


Anno 1413. tamen, quod omnes cauſae, quae quomodolibet per ipſum Dominum Sigismundum Romanorum etc. Regem hac vice hic in Buda diffiniri poſſint et diſcuti, ſine ulteriori dilatione decidantur, reliquae autem aliae difficultates et obſcuritates notabiles continentes, quae majori indagine et examinatione indigent, eorundem duorum annorum duntaxat ſpatio durante, et brevius, quo fieri poteſt, in Buda, vel infra metas Regni Hungariae per eundem Dominum Sigismundum, vel alium, quem ad hoc decreverit ſpecialiter deputandum, terminentur. Et niſi infra terminum et locum praedictum ſuam arbitrariam ſententiam, ordinationem, et compoſitionem amicabilem tulerit, Compromiſſum hujusmodi et omnia in eo contenta viribus non ſubſiſtant, nec ad ea, vel eorum aliqua tenenda vel obſervanda aſtringamur, prolataque infra dies, locum et terminum corrigere, declarare et interpretari valeant, ſi ex eis dubietas vel obſcuritas imminebit inter Partes, promittentes bona fide, quod tam Nos compromittentes, quam Succeſſores noſtri et Ordo noſter arbitrium, laudum, ordinationem et compoſitionem, et quidquid ſuper praemiſſis et quolibet praemiſſorum idem *D*ominus Sigismundus Rex duxerit faciendum, in perpetuum acceptabimus et acceptabunt, ratificabimus et ratificabunt, emologabimus et emologabunt, ratum et gratum habebimus et habebunt, obſervabimus et obſervabunt, eis parebimus et parebunt, et acquieſcemus et acquieſcent inviolabiliter, nec in aliquo contravenienius vel contravenient, de jure vel de facto quoquo modo nunquam a pronuntiatione ſententiae, ordinatione et compoſitione, per dictum *D*ominum Sigismundum Regem faciendo appellabimus vel appellabunt, et ſuper his vel illorum aliquo recurremus vel recurrent ad arbitrium boni viri, aut ea petemus vel petent revocari, emendari vel moderari, nec ratione perſonae Domini Sigismundi Regis praedicti Arbitri et Arbitratoris, nec in commune rerum et quaeſtionum, de quibus compromiſimus, vel alia ratione opponemus vel opponent contra dictum Compromiſſum, vel contra ſententiam, ordinationem et pronuntiationem dicti *D*omini Sigismundi Regis, qualitercunque procedat, vel qualitercunque proferat ſuum arbitrium, vel ſua mandata, ſive ſervet juris ordinem, ſive praetermittat, ſub pœna per eundem Dominum Sigismundum Regem Arbitrum et Arbitratorem apponenda et vallanda, quae quidem pœna totiens committatur et exigatur, quotiens contra praedictam, vel aliquod praemiſſorum ventum fuerit, non obtemperatum aut non paritum fuerit per ſe, vel alium ſeu alias quoquo modo, qua pœna commiſſa et exacta, ſemel vel pluries ſoluta vel non ſoluta aut exacta, nihilominus omnia et ſingula praemiſſa in ſua ſemper remaneant firmitate, renuntiantes inſuper omni juris auxilio Canonici vel Civilis, omnibus exceptionibus, membranarum allegationibus, rationibus, et caeteris beneficiis juris, facti, et Patriae legibus ſeu conſuetudinibus, quibus poſſemus facere vel venire contra Compromiſſum praedictum, et omnibus, quae hujusmodi Compromiſſo poſſunt objici, vel opponi, et [illegible] titulis, punctis, et articulis in quibuscunque litteris, pactionibus, fœderum conventionibus, et contractibus praeteritis, poſitis et expreſſis, ac aliis in contrarium facientibus quibuscunque harum, quibus noſtrum et Ordinis noſtri ſigillum majus eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum in Caſtro noſtro Mariemburg Pomezanienſis *D*iœceſis, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo, decima octava die Menſis Maji."

„Nos Sigismundus *D*ei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariae, *D*almatiae, Croatiae etc. Rex, Arbiter, Arbitrator et amicabilis Compoſitor inter Sereniſſimum Principem Dominum Vladislaum Regem Poloniae et praeclarum Principem Alexandrum alias Vitoudum Magnum *D*ucem Litvaniae Fratres noſtros cariſſimos, et Praelatos, Barones et ſubditos Regni Poloniae, Magnificosque Semovitum et Joannem *D*uces Maſoviae et Boguslaum Stolpenſem *D*ucem, eorumque ſubditos et omnes coadjutores dicto *D*omino Regi Poloniae ex una, et Venerabilem Fratrem Henricum de Plauen Hoſpitalis Sanctae Mariae Ordinis Theutonicorum Magiſtrum Generalem, et ipſum Ordinem, Terras, ſubditos, coadjutores et adhaerentes eorum partibus ex altera, ſuper omnibus diſplicentiis et controverſiis, quae inter dictas Partes vertebantur, et nunc vertuntur, electus et deputatus benivole, pariter et aſſumptus, notum facimus tenore praeſentium quibus expedit univerſis, quod quia magna nobilis et egregii Viri Benedicti de Macra in utroque Jure Licentiati, *D*ominique de Thuch, fidelis noſtri dilecti circumſpectionis induſtria, quae in magnis et arduis quid expediat, quidve deceat, longe lateque circumſpicit, non immerito Nos induxit, ut ſibi, in quo ſecure quieſcimus,

ANNO 1413. ſcimus, quæ grandis ſunt ponderis, & cordi noſtro quam plurimum inſident, committamus. Qua de re meliori jure, via, modo ac auctoritate, quibus melius poſſumus et efficacius, prædictum Benedictum deputamus ad omnia & ſingula infraſcripta, & tantum in his noſtras vices plenarie eidem committimus, noſtrumque Judicem delegatum, Subarbitratorem ac Commiſſarium de noſtra certa ſcientia ipſum præſentibus conſtituimus. Primo damus ſibi authoritatem, quod ſententiam & ſententias per Nos Budæ Anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo 24. Menſis Auguſti latam & latas cum omnibus ſuis articulis, punctis, clauſulis, dependentiis & connexis valeat & debeat executioni demandare, teſteſque pro liquidatione ablatorum, & dampnorum illatorum pro ipſorum executione fienda recipere, & in illis partibus ſententiæ, in quibus terminus executioni fiendæ per Nos aſſignatus non fuerit, ipſum terminum totiens, quotiens ſibi viſum fuerit, expedire, intra quem ſeu quos Partes parere prædictæ ſententiæ noſtræ debeant. Item damus eidem Domino Benedicto authoritatem in omnibus propoſitionibus utriusq; Partis per Nos ad Partes remiſſis, & per dictas Partes de novo proponendis, citandi teſtes & Partes, teſtibusque juramentum deferendi & ipſos examinandi, per ſubſcriptiones audiendi, Inſtrumenta videndi, & generaliter omnia probationum genera recipiendi. Item metas & granicies atque nova opera reſpiciendi, & ſuper illis probationes cujuscunque generis etiam recipiendi, & in illis, ſi fieri poterit, de communi Partium prædictarum conſenſu finem imponendi, & ſi non poterit finem imponere de communi Partium conſenſu, quæ invenerit, per probationes Nobis referendi. In his autem taliter agat, quod poſterius majora valeant ſibi committi per noſtram Majeſtatem, & coram Deo & Nobis non patiatur detrimentum, nihil odio vel favore, nihil timore vel amore, munere vel obſequio. ſed ſolius Dei amor & fidelitas, quam Nobis & Coronæ noſtræ debet, ſit in corde & operibus ſuis. Datum Budæ An. Domini milleſimo quadringenteſimo duodocimo prima die Octobris, Annorum vero Regnorum noſtrorum Hungariæ &c. viceſimo ſexto, Romanorum vero tertio."

Et ſic finiunt tenores literarum prædictarum. Acta vero ſunt hæc Anno Domini milleſimo quadringenteſimo tredecimo, Indictione ſexta, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini JOANNIS Divina Providentia Papæ viceſimi tertii Anno quarto, die vero decima Menſis Junii, hora Tertiarum vel quaſi, in Civitate Cracovienſi in Domo hoſpitii noſtri, præſentibus Reverendo in Chriſto Patre Domino Alberto Epiſcopo Cracovienſi, Regni Poloniæ ſupremo Cancellario, nec non Venerabilibus Viris Dominis Nicolao Penaſchonis Præpoſito, Magiſtro Paulo Vladimiri Decretorum Doctore, Cuſtode Nemerza de Krzelow, & Magiſtro Nicolao Binczonis Canonico Eccleſiæ Cracovienſis, ac Strenuis & Nobilibus Viris Dominis Dobeslao de Bloge Caſtellano Spitmirienſi, & Joanne de Meleſteyn Cracovienſis Diœceſis. & aliis pluribus teſtibus fide dignis. ANNO 1413.

Et ego Petrus Urbani de Michow Cler. Diœceſis Cracov. publicus authoritate Apoſtolica Notarius, quia prædictæ recognitioni præfati Dni Benedicti Executoris, & aliis ſupradictis, dum ſic agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus, & Notariis ſubſcripſi præſens Inſtrumentum, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi, & præſertim Literas Commiſſionis præfatæ ſub ſigillo Maieſtatico Sereniſſimi Principis & Domini, Domini SIGISMUNDI Romanorum Regis & Hungariæ &c. vidi. Ideoque me aliis occupato negotiis per alium fidelem præſentes literas ſcriptas in hanc publicam formam redigi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis manu propria, una cum appenſione ſigilli præfati Domini Benedicti, me huic ſubſcribens conſignavi rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.



LXXXVII.

Literæ Proviſionales MARTINI *Papæ* V. *quibus declaratur, teſtimonium a Legatis ſuis in rem Crucigerorum datum nullum eſſe & invalidum, neque per id Polonis Litvanisque præjudicari poſſe.* Datum Florentiæ IX. Kal. 1419.

Anno 1419. Kal. Auguſti, Pontificatus Anno ſecundo. *Ex Originali.*

MARTINUS Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ad Romani Pontificis Chriſti in Terris Vicarii providentiam circumſpectam ea, quæ per ejus Legatos ſeu Nuncios acta ſunt, & propter quæ non ſolum lites & jurgia, ſed hominum ſtrages & alia diſcrimina provenire poſſent, ſpectat dilucidare & declarare, prout locorum & temporum qualitate penſata id conſpicit expedire. Nuper ſiquidem pro parte Cariſſimi in Chriſto Filii noſtri VLADISLAI Regis Poloniæ, & Dilecti Filii Nobilis Viri ALEXANDRI dicti VITOLDI Ducis Lithvaniæ Nobis gravi cum querela expoſitum extitit, quod pridem de Menſe Maji Venerabiles Fratres Jacobus Spoletanus & Ferdinandus Lucenſis Epiſcopi, Referendarii & Nuntii noſtri per Nos pro pace, ſatore zizaniæ inimico humani generis procurante inter eosdem Regem & Ducem, ſuosque adhærentes, ſubditos & ſequaces ab una, & dilectos Filios Magiſtrum & Fratres Hoſpitalis B. Mariæ Theutonicorum de Pruſſia, ſuosque ſubditos, adhærentes & ſequaces ab alia partibus, exortis diſſenſionibus tractanda & concludenda deſtinati, certas literas, eorundem Regis & Ducis Ambaſiatoribus abſentibus, concesſerunt ſub his verbis:

„ Nos Jacobus Spoletanus & Ferdinandus Lucenſis Epiſcopi, Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini MARTINI Divina favente Clementia Papæ V. Referendarii, & in Regno Poloniæ ac in partibus Pruſſiæ Apoſtolicæ Sedis Nuntii, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes Literæ noſtræ teſtimoniales pervenerint, ſalutem in Domino ſempiternam, & veritatem agnoſcere ſubſcriptorum. Noveritis quantum alias pro pace procuranda inter Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ, Illuſtremque Principem Dominum ALEXANDRUM Magnum Ducem Lithvaniæ ex una, ac Venerabiles & Religioſos Viros Magiſtrum & Fratres Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theotonicorum Jeroſolymitanorum parte ex altera, eorumque dominia, ſubditos, adhærentes & ſequaces per præfatum Sanctiſſimum Dominum noſtrum fuiſſemus deſtinati cum poteſtate, prout in Literis ipſius Domini noſtri Papæ continetur, ac tandem una cum nonnullis Reverendis Patribus, ac Spectabilibus & Venerabilibus Viris Dominis utriusque Partium prædictarum Ambaſiatoribus, Oratoribus & Nunciis in dicto Regno in loco communiter Gniewkow appellato, Vladislavienſis Diœceſis, ad tractandum pacem inter Partes hujusmodi perſonaliter congregati, Ambaſiatoribus, Oratoribus & Nunciis Dominorum Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lithvaniæ ad tractatus hujusmodi ex eo, quod Prelati & Barones Regni forent ſufficienti poteſtate fulciti, verbo tantum aſſerentibus, Domini Ambaſiatores, Oratores & Nuncii Magiſtri & Ordinis ad hujusmodi pacem tractandam & concludendam plena poteſtate, quam in ſcriptis authenticis vidimus, ſuffulti, ibidem publice per organa Venerabilium Virorum Fratris Martini Kempmacher dicti Ordinis ſupremi Marſchalci, & Domini Gaſparis Churiemphlug Præpoſiti & Canonici Eccleſiæ Varmienſis, ipſo Domino Marſchalco primum in Theotonico, ac ipſo Domino Gaſpare poſtea in Latino ſua verba interpretante, in præſentia aliorum ſuorum Coambaſiatorum audientium & non contradicentium, coram Nobis & Notariis publicis expoſuerunt hæc, quæ ſequuntur. Et primo, quod ex quo per præfatos Oratores & Nuntios ſupraſcriptorum Dominorum Regis & Ducis nonnullæ Terræ dicti Ordinis nomine eorundem Dominorum Regis & Ducis, tanquam ad ipſos pertinentes, petitæ & poſtulatæ fuerunt, ad clare & manifeſte oſtendendum, quod ipſi Magiſter & Ordo hujusmodi Terras juſte & ſancte, ac titulis juſtiſſimis poſſediſſent & poſſiderent, parati eſſent præfatis Dominis Oratoribus & Nuntiis eorumdem Dominorum Regis & Ducis, ſi ſub ſufficienti Salvo Conductu ad oppidum Thorun Culmenſis Diœceſis, quod a dicto congregationis mutuo loco tantum per tria diſtat miliaria, omnes venire, vel aliquos ex eis mittere dignarentur, ipſis atque Nobis monſtrare & exhibere originalia, jura, privilegia, literas & munimenta, quibus ipſe Ordo, quoad Terras hujusmodi eſt fulcitus, eorundemque jurium, privilegiorum, literarum & munimentorum copias libenter eis tradere, in caſu quo jurisdictioni, cognitioni & deciſioni noſtris ſuper Terris hujusmodi ſe nollent ſubmittere, & hanc eorum oblationem petiverunt ad præfatorum Dominorum Regis & Ducis Oratorum & Nuntiorum prædictorum per Nos deduci notitiam ad finem & effectum, quod præfatos eorum Dominos Regem & Ducem diſtinctius informare poſſent de bono jure Ordinis ſuper Terris hujusmodi, ut Serenitates Eorum a poſtulatione Terrarum earundem, & infamia Ordinis, quod easdem Terras violenter

Anno 1419. ter & injuſte in præjudicium Regis & Regni occuparent, deſiſtere, & animos ſuos ad pacis unionem eo gratius dignarentur inclinare, quibus ſic, ut præmittitur, ad eorundem Dominorum Oratorum & Nuntiorum præfatorum Dominorum Regis & Ducis notitiam per Nos deductis, Oratoribus & Nuntiis Dominorum Magiſtrorum & Ordinis per Nos ſuper eisdem taliter reſponderunt, quod aliquos ex eis ad videndum privilegia hujusmodi verſus Thorun deſtinare decreverunt, ſi eisdem tradi deberet copia eorum, non tamen intendentes ſe per hoc nomine DD. ſuorum Regis & Ducis jurisdictioni & deciſioni ſuper Terras hujusmodi ſubmittere quovis modo. Secundo expoſuerunt iidem Domini Oratores dicti Domini Magiſtri & ſui Ordinis, quod licet a Nobis intellexerant de tribus viis in literis noſtræ poteſtatis comprehenſis, primo videlicet Tractatus compoſitionis amicabilis, ſecundo treugarum, aut pacis perpetuæ tractandarum ſeu indicendarum, tertio cognitionis de jure ſuper cauſis guerrarum inter ipſas Partes, præfati Domini Oratores & Nuntii Partis adverſæ ſolam viam primam, videlicet Tractatus amicabilis compoſitionis, aliis duabus rejectis penitus & recuſatis, acceptare vellent, ipſi nihilominus præfati Domini Magiſtri & Ordinis ſui nominibus propter bonum pacis & ad effectum, quod cunctis Chriſti fidelibus largius innoteſceret, quod per ipſos non ſtetiſſet neque ſtaret, quo minus pax hujusmodi haberetur, a nulla earundem viarum cum vellent declinare, ſed ipſarum quamlibet, & potiſſime viam juris amplecti & ingredi; ſed ex quo, ut præfertur, ſecluſis aliis ſolam viam primam videlicet Tractatus amicabilis Parti adverſæ acceptare placet, ſe ad eandem viam promptos eſſe obtulerunt & benivolos, a nulla tamen aliarum prædictarum quomodolibet recedendo, ad quam practicandam oblationes alias præfatis D. Regi & Duci per eundem Dominum Magiſtrum & Ordinem ſub Caſtro Velima factas & exhibitas, iterum tanquam ad pacem & concordiam neceſſarias & accommodas, præfatis Dominis Regi & Duci per Nos offerendas exhibuerunt in ſcriptura, præfatorum Dominorum Regis & Ducis Oratores & Nuntii, ad dandum pacem Parti adverſæ, nonnullas Terras, Caſtra, molendina, villas & poſſeſſiones alias per Ordinem poſſeſſas, & quadraginta milium ſexagenarum groſſorum Bohemicalium a præfatis Oratoribus & Nuntiis Magiſtri & Ordinis poſtularunt, qui ad deliberandum ſuper poſtulatione hujusmodi cum eorum Magiſtro Generali una Nobiscum ſe verſus oppidum Thorunenſe prædictum, ubi pro tunc Magiſter perſonaliter fuerat, tranſtulerunt, & ibidem Nobis multa & diverſa privilegia, literas et munimenta ſuper Terris ab eis per Partem adverſam poſtulatis, ut præfertur, aliqua de data longiſſimi temporis, videlicet vocationis Ordinis per Duces Mazoviæ ad illas partes pro defenſione eorum et Chriſti fidelium contra Prutenos tunc infideles, qui eo tempore Dominia prædictorum Ducum in Mazovia et Cujavia quaſi funditus deſtruxerant, quando nondum Polonia in Regnum erecta fuerat, ſed per Duces diverſos habita fuit et poſſeſſa, prout ex eis Nobis apparuit, quæ per Papam Gregorium IX. et Federicum II, Romanorum Imperatorem in Bulla ſua aurea dicta ſunt, aliqua per quondam Joannem et Carolum Ungariæ et Bohemiæ Reges, qui inter quondam Casimirum Regem Poloniæ et Ordinem, vigore ſufficientis Compromiſſi, ut prima facie apparebat, ſuper Terris hujusmodi pronuntiarunt et laudaverunt, aliqua vero ejusdem quondam Regis Casimiri, aliqua etiam omnium Ducum Maſoviæ, nec non Prælatorum et Baronum Majoris et Minoris Poloniæ, Abbatum et Abbatiſſarum, omniumque notabilium Civium totius Regni Poloniæ illo tempore tunc viventium, aliqua vero moderni Regis Poloniæ ratihabitionis ſeu confirmationis omnium privilegiorum Ordini per Prædeceſſores ſuos conceſſorum, aliqua vero ejusdem Regis Poloniæ, et Domini Alexandri alias Vitoldi Magni Ducis Litvaniæ, omniumque Ducum, Prælatorum et Baronum modo viventium in Regno Poloniæ. Poſtremo aliqua moderni Regis Romanorum et Hungariæ Regis confirmationis earundem coram Nobis produxerunt, quibus et eorum ſigillis diligenter per Nos inſpectis et intellectis, ſatis apparet, fundata juſtitia Ordinis ſuper omnibus Terris illis, unde ad dandum reſponſum præfatis Dominis Oratoribus et Nuntiis Dominorum Regis et Ducis ſuper poſtulatione Terrarum, de quibus ſupra, nomine Ordinis ad ipſos Dominos iterum in Gniewkow reverſi fuimus, ipſisque reſponſionem Ordinis ſuper dicta eorum poſtulatione in ſcriptis præſentavimus, et multis inducturis rationibus perſuaſimus, ipſam ab eis fore acceptandam, cum ad redimendum tempeſtates litium et guerrarum et Chriſtiani ſanguinis Ordo ſe obtulerit, in eadem dimiſſurum ſe Terras ſatis notabiles præfatis Dominis Regi et Duci, et cum hoc triginta millium Floreno-

ANNO 1419. renorum Hungaricalium ſummam ſolutorum, quae tamen acceptata non fuerunt a praefatis *D*ominis Oratoribus et Nuntiis praefatorum *D*ominorum Regis et *D*ucis aſſerentium ſe ad hoc a ſuis *D*ominis mandatum non habere, et ſic ſine optato fine pacis receſſum fuit a dictae conventionis termino inter Partes ipſas hac in re celebrato, ſuper quibus omnibus et ſingulis praefati Oratores et Nuntii *D*omini Magiſtri et Ordinis literas teſtimoniales a Nobis ſibi dari et concedi ſumma cum inſtantia poſtularunt. Nos igitur Jacobus et Ferdinandus Epiſcopi et Nuntii ſupradicti volentes, ut debemus, rei geſtae teſtimonium perhibere in fidem et teſtimonium omnium et ſingulorum praemiſſorum praeſentes literas, ſive praeſens publicum Inſtrumentum exinde fieri, et per Notarios publicos Scribasque noſtros infraſcriptos ſubſcribi et publicari noſtrorumque ſigillorum appenſione fecimus communiri. *D*atum in oppido Thorun ſupradicto ſub Anno a Nativitate *D*omini milleſimo quadringenteſimo decimo nono, Pontificatus praefati *D*omini noſtri Papae Anno ſecundo, die vero duodecima Menſis Maji, hora nona vel quaſi, praeſentibus ibidem tunc Honorabilibus et *D*iſcretis Viris, *D*ominis Jacobo Magno Officiali Curiae Epiſcopalis Varmienſis, Petro Stennebutte Plebano in Melzak Varmienſis *D*iœceſis, et Friderico de Penkzore Clerico Varmienſis *D*iœceſis, teſtibus ad praemiſſa.

Et ego N. Notarius et Scriba Reverendorum Patrum et *D*ominorum Spoletani et Lucenſis Epiſcoporum, ac Apoſtolicae Sedis Nuntiorum praedictorum, qui eorundem *D*ominorum confeſſioni, qua omnia et ſingula ſupraſcripta ſic, ut praeſcribuntur, coram eis et per eos dicta, acta et facta fuiſſe, ac ſe originalia, jura et privilegia dicti Ordinis, de quibus ſupra ſit mentio, vidiſſe et intellexiſſe confeſſi ſunt una cum teſtibus ſupra, ac Notariis publicis infraſcriptis interfui, ipſamque confeſſionem per eos ſponte et libere factam audivi, ideo etc."

Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat tam a Rege et *D*uce praedictis, quam a nonnullis aliis dubitetur, quod ex dictis literis praefatis Regi et *D*uci, ſuisque adhaerentibus, ſubditis et ſequacibus eorumque juribus praejudicium parari poſſit non modicum, praefati Rex et *D*ux humiliter ſupplicare fecerunt, ut ſuper his de opportuno proviſionis remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod dictorum Regis et *D*ucis jura, defenſiones et monimenta, propter quae Terras, de quibus in praeinſertis literis mentio habetur, ad eos pertinere aſſerunt, non fuerunt coram dictis noſtris Nuntiis producta, nec per eos viſa, quodque etiam ipſi eorumque Ambaſiatores et Procuratores in dictarum literarum conceſſione praeſentes non fuerunt, et ulterius, quod Nos, qui ad inſtar illius, qui de ſinu Patris pro pace et humani generis redemptione in uterum Matris Virginis deſcendere dignatus eſt, et cujus licet immeriti Vices gerimus in terris, pacem inter junctos Chriſti fideles quaerimus ac concordiam, et praeſertim inter Partes hujusmodi, per quarum diſſidium Fidei Orthodoxae innumerabilia, quod abſit, diſcrimina, et per earum concordiam et conjunctionem fides ipſa non mediocriter dilatari, et inimici fidei quam plurimum opprimi poſſunt, hujusmodi etiam ſupplicationibus inclinati auctoritate Apoſtolica praeſentium tenore declaramus ac volumus, quod dictae literae et in eis contenta praedictis Regi et *D*uci, eorumque adhaerentibus, ſubditis et ſequacibus ac juribus praejudicium nullum afferant, ſed jus eorum perinde proſequi et aſſequi valeant, ac ſi eaedem literae minime emanaſſent, quodque per literas ipſas plus juris eisdem Magiſtro et Fratribus ſeu Ordini quam prius habebant, non acquiratur, ſed antiquum cuilibet ex Partibus tantummodo conſervetur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae declarationis et voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis *D*ei et Beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *D*atum Florentiae IX. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

LXXXVIII.

Tranſumptum alterius Sententiæ arbitralis per SIGISMUNDUM *Imperatorem latæ.* Datum Vratislaviæ Anno 1420. d. 4. Febr. *Ex Archivo Regni.* 1420.

NOS CONRADUS *Dei Gratia & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus Vratislavienſis: Notum facimus per hoc præſens publicum Tranſumptum quibus expedit univerſis. Quod conſtitutus coram Nobis Religioſus Vir Martinus Kempm her, Mareſchalcus ſupremus Ordinis Beatæ Mariæ Domus Teutonicorum Jeroſolimitani, ac Ma-*

Anno 1420. *Magnifici Domini Fratris Michaëlis Kochmeiſter prædicti Ordinis Magiſtri Generalis, & jam dicti Ordinis Procurator & Syndicus, prout de ſuo Procurationis & Syndicatus mandato dixit conſtare publicis documentis quædam acta & actitata in cauſa, ſeu cauſis inter Sereniſſimum Principem Dominum* Vladislaum *Regem Poloniæ, & alios ſibi adhærentes, ac Magiſtrum & Ordinem præfatos ab olim verſa, & per Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum* Sigismundum *Romanorum, Hungariæ Bohemiæque Regem per ſententiam arbitralem deciſa & terminata, in quatuor foliis pergamenis cum dimidio ad modum quaterni formati conſcripta, in quibus inter cætera continentur duo Compromiſſa cum prorogatione ipſorum, & præfati Domini Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regis pronuntiatio ſuper prædictis, nec non Sigillo Majeſtatis ipſius Domini Romanorum, Ungariæ & Bohemiæ Regis in cordula ſericea crocei & nigri coloris impendente ſigillata, Nobis exhibuit & præſentavit, & quatenus prædicta acta & actitata tranſcribi, & in publicam formam redigi noſtra auctoritate ordinaria, & decenti interpoſitione mediante mandato dignaremur, cum inſtantia debita poſtulavit, cum prædicta acta & actitata ſine periculo amittendi ad alienas partes faciliter non poſſint deduci. Nos igitur* Conradus *Epiſcopus præfatus reputantes poſtulationem hujusmodi fore juſtam & conſonam rationi, prædictis actis & actitatis ad Nos receptis, viſis & diligenter inſpectis, ac veris & ſine ſuſpicione eſſe repertis, ipſaque acta tranſcribi per Notarios publicos infraſcriptos, & publicari, collatione etiam cum prædictis actis facta, mandavimus, volentesque & tenore præſentium auctoritate ordinaria decernentes, quod Tranſumpto hujusmodi in omnibus & per omnia ubique locorum tam in judicio, quam extra, plena fides adhibeatur, ſicut originalibus actis & actitatis antedictis, quibus omnibus & ſingulis auctoritatem noſtram ordinariam & decretum interpoſuimus & interponimus per præſentes. Sigillum vero prædictis actis & actitatis appenſum magnum & rotundum de cera glauca & communi erat, in cujus Sigilli medio apparuit imago Regis coronati in ſolio mundi quaſi ſedentis, ſceptrum in dextra, & pomum cum cruce in ſiniſtra manibus tenentis, & circa quodlibet latus dictæ imaginis duo clypei, & circa quemlibet pedem unus clypeus apparebat, in ſuperiori clypeo lateris dextri forma aquilæ cum extenſis alis, ad modum volantis, & in inferiore clypeo dicti lateris forma leonis erecti: In ſuperiore vero clypeo lateris ſiniſtri duæ cruces, & in inferiore tres lineæ videbantur: in clypeo circa dextrum pedem forma leonis, & in clypeo circa ſiniſtrum pedem præfatæ imaginis tria capita leonum apparebant, clypei laterales extra ciborium ſupradictæ imaginis, & clypei circa pedes in ipſo ciborio conſiſtebant: Literæ circumferentiales ſic legebantur:* Sigismundus Dei Gratia Romanorum ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Serviæ, Halliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex: Marchio Brandenburgenſis: Nec non Bohemiæ, & Lucemburg Hæres: *Tenores vero ſupradictorum actitatorum, de quibus ſupra ſit mentio, ſequentur, & ſunt tales:* Anno 1420.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitats feliciter Amen.

Sigismundus *D.* G. Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Serviæ, Halliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, Marchio Brandeburgenſis nec non Bohemiæ & Lucemburgi Hæres: ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus tenore præſentium univerſis harum notitiam habituris. Rex Regum, & Dominus Dominantium, Dominus immortalis, ille Imperator æternus inæſtimabili ſua providentia in Majeſtatis Cæſareæ Nos ſublimem potentiam pro conſolatione Chriſtianæ Fidei, & Chriſticolarum ſalute commodoque potenter erexit, ut ad inſtar Monarchiæ Cœleſtis ubi cuncta ſuavi, dulci & æterna pace ſubſiſtunt Imperialis, Auguſta potentia, terreſtris Imperii gubernet habenas, commiſſique officii tam fideliter, tamque prudenter indeſinenti ſtudio, & quatenus poſſibilitas humanæ fragilitatis valet admittere, exerceat vires, ut terrena gubernatio cœleſtis regiminis conſiderationem pro ſuis viribus imitetur, ſicque fiat, ut per vigilantis curam, & Celſitudinis Imperialis operationem pace orthodoxæ fidei cultores fruantur, lites, bella, controverſiæ & diſſenſiones tollantur de medio, & in pacis amœnitate ſuum in devotione recognoſcant colere Creatorem. Sane cum inter Sereniſſimum Principem Dominum Wladislaum Regem Poloniæ Magnumque Ducem Lithvaniæ, Fratrem noſtrum cariſſimum, ac Illuſtres Principes, Alexandrum alias Witoudum Majorem Ducem Lithvaniæ, & Johannem & Semovitum Duces Mazoviæ ex una, & Venerabilem Michaëlem Kochmeister, Ordinis Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Domus Theutonicorum Jeroſolymitani Magiſtrum Generalem, ipſiusque Præceptores & Ordinem, parte ex altera, diutius

Anno 1420. tius contracta & ſuborta fuiſſet guerrarum & litium gravis materia, ex qua agnovimus Chriſtiano populo pericula & caedes innumeras minari, Nos, qui gubernacula S. R. I. ex diſpoſitione Divina ad ſervitium Chriſtiani populi aſſumpſimus in humeros noſtros, & cum noſtri penitus interſit obviare ſcandalis, ſedare lites, bella ſupprimere, ſeditiones ſuccindere, diſſenſiones excludere, pacique & amœnæ tranquillitati fidelium undecunque intendere vigilanter, præmiſſa omnia in animo noſtro ſanius revolventes, ſtudiis neceſſariis & opportunis imploratc auxilio Divino, quibus tam gravia tamque peſtifera genti fidelium pericula ſopire, & de medio tollere valeremus, ſalutifera & honeſta media, & non absque gravi perſonæ noſtrae labore tenuimus, per quorum conſiderationem Pars utraque in Nos, tanquam Romanum ac Hungariæ, Dalmatiæ &c. Regem, Judicem, Arbitrum, Arbitratorem & amicabilem Compoſitorem de alto & baſſo compromiſit, quorum Compromiſſorum primi videlicet ſeries ſequitur in hæc verba:

„ Wladislaus D. G. Rex Poloniæ, Lithvaniæque Princeps Supremus & Hæres Ruſſiæ. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, quomodo diſſenſiones, bella, guerras, lites, rumores, queſtiones & odia volentes evitare, ad pacem adſpirare, & in quietis dulcedine pacis colere Auctorem de juſtitia, æquitate, juris cultura, fide & peritia Sereniſſimi Principis Domini Sigismundi Romanorum & Ungariæ Regis, Fratris noſtri cariſſimi, quibus multipliciter illuſtratur, plene confidentes, in ipſum de alto & baſſo, dolo & fraude quibuslibet ceſſantibus, noſtro et Illuſtrium Principum Dominorum Alexandri alias Witoudi Magni Ducis Litvaniæ, Fratris noſtri cariſſimi, Joannis & Semoviti Ducum Mazoviæ, Coadjutorum & ſubditorum noſtrorum nominibus compromiſimus & compromittimus per præſentes, & hujusmodi Compromiſſi pro bono pacis & concordiæ ſponte in ſe recipientem tanquam in Arbitrum, Arbitratorem & amicabilem Compoſitorem, de, & ſuper omnibus & ſingulis Terris, caſtris, fortalitiis, grenitiis, limitibus, litibus, diſſenſionibus, discordiis, displicentiis, controverſiis, rancoribus, odiis, pactorum ſtipulatorum, contractuum, fœderatoum, & pacis perpetuæ læſionibus, conceptorum, ſuſceptorum, promiſſorum & ſtipulatorum, jurium, libertatum & privilegiorum, litterarum violationibus, diffamationibus, infamationibus, detractionibus, gravaminibus, intereſſe, damnis, impenſis & expenſis, & generaliter ſuper omnibus & ſingulis actionibus, obligationibus, juribus, quaerelis, concordiis, tam in Thorun, quam alibi, quomodocunque petitionibus & aliis rebus ac quæſtionibus quibuscunque præteritis & præſentibus inter Nos ex una, & Venerabilem Fratrem Michaëlem Kochmeister Magiſtrum Generalem Ordinis Cruciferorum de Pruſſia, & ipſius Ordinem ex altera parte quomodolibet factis, motis & exortis, dantes & concedentes eidem Domino Sigismundo Romanorum & Ungariæ Regi plenam & omnimodam poteſtatem, quod poſſit ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii lites, controverſias, contentiones, diſſenſiones, diſplicentias, queſtiones, & quascunque cauſas præteritas & præſentes inter Nos & prædictum Magiſtrum & Ordinem quomodolibet exortas, ut præfertur, & omnia alia contingentia & dependentia ex eisdem audire, & legitime examinare, & in & ſuper omnibus & ſingulis declarare pro ſuæ libito voluntatis, quibuscunque horis & temporibus, diebus feriatis vel non feriatis, Partibus præſentibus vel abſentibus, vocatis vel non vocatis, juris ordine et ſolemnitate ſervatis vel non ſervatis, verbo vel in ſcriptis, ſtando vel ſedendo, ſimul vel diviſim diffiniendo, ordinando, arbitrando, componendo, vel alias quomodolibet denuo faciendo, prout ſibi melius videbitur expedire, infra hinc & Feſtum S. Michaëlis Archangeli proximum incluſive, prolataque corrigere, declarare & interpretari præfatus Dominus Sigismundus Romanorum & Ungariæ Rex valeat, qualiscunque ex eis dubietas vel obſcuritas imminebit inter Partes, noſtram videlicet & Magiſtri ac Ordinis prædictorum, promittentes pro Nobis ac ſupradictis Principibus Dominis Aleexandro alias Witoudo M. Duce Lithvaniæ, Johanne & Semovito cæterisque Coadjutoribus noſtris & ſubditis bona & ſincera fide, absque dolo & fraude arbitrium, laudum, ordinationes, concordiam & compoſitionem amicabilem, & quicquid ſuper præmiſſis & quolibet præmiſſorum idem Dominus Sigismundus Romanorum & Ungariæ Rex duxerit faciendum, acceptare, ratificare, emologare, ratum & gratum habere & ſervare, ac eis parere ac acquieſcere, nec non in aliquo contravenire de jure vel de facto, quoquo modo, nec unquam a pronunciatione, ſententia, ordinatione & concordia, per dictum Dominum Sigismundum Regem faciendis, appellare, et ſuper noſtris vel ipſorum aliquo recurrere Anno 1420.

ad

Anno 1420. ad arbitrium boni Viri, aut ea petere revocari vel moderari, nec ratione perſonæ dicti Domini Sigismundi Regis Arbitri, Arbitratoris & amicabilis Compoſitoris, nec ratione rerum, de, & ſuper quibus compromiſimus, vel alia ratione Nos opponemus contra dictum Compromiſſum, vel contra dictam ſententiam, ordinationem, pronunciationem & concordiam dicti Domini Sigismundi Romani & Hungariæ Regis qualitercunque procedat, vel qualitercunque proferat ſuum arbitrium, vel ſua mandata, ſive ſervet juris ordinem, ſive prætermittat, ſub pœna per eundem Dominum Sigismundum Regem Arbitrum & Arbitratorem apponenda & vallanda, quæ quidem pœna apponenda & vallanda litteris committatur & exigatur, quotiens contra prædicta vel aliquod prædictorum ventum, factum, non obtemperatum aut non paritum fuerit per ſe, vel per alium vel alios quoquo modo, qua pœna commiſſa & exacta, ſemel vel pluries ſoluta vel non ſoluta aut exacta, nihilominus omnia & ſingula præmiſſa in ſua ſemper remaneant firmitate. Renuntiantes inſuper omnibus appellationibus, ac omni auxilio Juris Canonici vel Civilis, omnibus exceptionibus, membranarum allegationibus, ac cæteris beneficiis juris, facti & Patriæ Legibus ſeu conſuetudinibus, quibus poſſemus facere vel venire contra Compromiſſum prædictum, ac omnibus, quæ hujusmodi Compromiſſo poſſint objici vel opponi, & ſpecialiter clauſulis, punctis et conditionibus in quibuscunque pactionibus, literis, fœderibus, concordatorum contractibus, expreſſis, poſitis, et aliis in contrarium facientibus quibuscunque, harum, quibus Sigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio literarum. Datum Caſchoviæ 8. d. Menſis Maji Anno Domini M. CCCC. XIXo."

Tenor vero ſecundi Compromiſſi ſequitur, et eſt talis:

„Nos Frater Michael Kochmeister, Ordinis Hoſpitalis S. Mariæ Domus Teutonicorum Hieroſolymitani Magiſter Generalis præſentibus, conſentientibus et aſſiſtentibus Nobis Reverendis in Chriſto Patribus, Johanne Warmienſi, Johanne Culmenſi, Gerhardo Pomezanienſi Dei et Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopis, et Venerabilibus Fratribus Henrico de Nockerwitz Magno Commendatore, Martino Kempmacher Mareſchalco ſupremo, Paulo de Rudorff in Chriſtburg, Ulrico Czenger in Thorun, Joanne Seelbach in Mewa, Binando Brendel in Grudenitz, Commendatariis et Conſiliariis Ordinis noſtri, ſignificamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, quomodo diſſenſiones, bella, guerras, lites, rancores, quaeſtiones et odia volentes evitare, ad pacem aſpirare, et in quietis dulcedine pacis colere Auctorem, de juſtitia, æquitate, juris cultura, fide et peritia Sereniſſimi Principis, Domini noſtri Sigismundi Romanorum et Ungariæ etc. etc. Regis, Domini noſtri Gratioſiſſimi, quibus multipliciter illuſtratur, plene confidentes, in ipſum abſentem tanquam præſentem de alto et baſſo, dolo, fraude quibuslibet ceſſantibus, noſtri et dicti Ordinis Coadjutorum, adhærentium et ſubditorum noſtrorum nominibus compromiſimus et compromittimus per præſentes tanquam in Arbitrum, Arbitratorem et amicabilem Compoſitorem, ac ei ſuper omnibus et ſingulis cauſis, terris, fortalitiis, grenitiis, limitibus, litibus, diſſenſionibus, diſcordiis, diſplicentiis, controverſiis, rancoribus, odiis, pactorum ſtipulatorum, contractuum, fœderatorum et pacis perpetuæ læſionibus, conceptorum, ſuſceptorum, promiſſorum et ſtipulatorum jurium, libertatum, privilegiorum, literarum violationibus, grenitiis, diffamationibus, infamationibus, detractionibus, gravaminibus, intereſſe, damnis, impenſis et expenſis, et generaliter ſuper omnibus actionibus, obligationibus, juribus, quaerelis, concordiis, tam in Thorun, quam alibi, quomodocunque petitionibus, aut aliis rebus ac quaeſtionibus quibuscunque praeteritis et praeſentibus inter Nos, Ordinem noſtrum, adhærentes, coadjutores et ſubditos ex una, et Sereniſſimum Principem Dominum Vladislaum Regem Poloniæ, Littuaniaeque Principem Supremum, et Hæredem Ruſſiae etc. Illuſtresq; Principes et Dominos, Dominos Alexandrum alias Witoudum Magnum Ducem Littuaniae, Joannem et Semovitum Duces Mazoviae etc. ejusque adhærentes, coadjutores et ſubditos partibus ex altera, quibuslibet factis, motis et exortis, dantes et concedentes eidem Domino noſtro Sigismundo Romanorum et Ungariæ Regi plenam et omnimodam poteſtatem, quod poſſit ſummarie, ſimpliciter et de plano, ſine ſtrepitu et figura judicii lites, controverſias, contentiones, diſſenſiones, quaeſtiones, et quascunque cauſas præteritas et præſentes inter Nos Magiſtrum et Ordinem et alios præfatos, et Sereniſſimum Dominum Regem Poloniæ et ſocios ſuos quomodolibet ſubortas, ut praefertur, et omnia alia contingentia et dependentia ex eisdem audire, et legitime examinare, et in, et ſuper omnibus et ſingulis declarare pro ſuæ libito voluntatis, quibuscun- Anno 1420.

Anno 1420. que horis et temporibus, diebus feriatis vel non feriatis, Partibus praeſentibus vel abſentibus, vocatis vel non vocatis, juris ordine et ſolemnitate ſervatis vel non ſervatis, verbo vel in ſcriptis, ſtando vel ſedendo, ſimul vel diviſim diffiniendo, ordinando, arbitrando, componendo, vel alias quomodolibet denuo faciendo, prout ſibi melius videbitur expedire, infra hinc et Feſtum S. Michaëlis Archangeli proximum incluſive, prolataque corrigere, declarare et interpretari, praefatus Dominus noſter Sigismundus Romanorum et Ungariæ Rex valeat, qualiscunque ex eis dubietas vel obſcuritas imminebit inter Partes, noſtram et dicti Ordinis videlicet, et Sereniſſimi Domini Regis Poloniae praefati, promittentes pro Nobis, Ordine noſtro et Succeſſoribus noſtris, adhaerentibus, coadjutoribus et ſubditis noſtris bona et ſincera fide, absque dolo et ſraude arbitrium, laudum, ordinationem, concordiam et compoſitionem amicabilem, et quidquid ſuper praemiſſis et quolibet praemiſſorum Dominus noſter Sigismundus Roman. et Hung. Rex duxerit faciendum, acceptare, ratificare, emologare, ratum et gratum habere et ſervare, ac eis parere ac acquieſcere, nec in aliquo contravenire de jure vel de facto quoquo modo, nec unquam a pronuntiatione, ſententia, ordinatione et concordia, per dictum D. noſtrum Sigismundum Regem facienda appellare, et ſuper his vel ipſorum aliquo recurrere ad arbitrium boni Viri, aut ea petere revocari vel moderari, nec ratione perſonae dicti Domini noſtri Sigismundi Regis, Arbitri, Arbitratoris et amicabilis Compoſitoris, nec ratione rerum de, et ſuper quibus promittimus, vel alia ratione Nos opponemus contra dictum Compromiſſum, vel contra dictam ſententiam, ordinationem, pronuntiationem et concordiam dicti Domini noſtri Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis, qualitercunq; procedat, vel qualitercunque proferat ſuum arbitrium vel ſua mandata, ſive ſervet juris ordinem, ſive praetermittat, ſub pœna per eundem Domin. noſtrum Sigismundum Regem, Arbitrum et Arbitratorem apponenda et vallanda, quae quidem pœna apponenda et vallanda totiens committatur et exigatur, quotiens contra praedicta vel aliquod praedictorum ventum, factum, non obtemperatum aut non paritum fuerit, per ſe vel per alium ſeu aliquos quoquo modo, qua pœna commiſſa et executa, ſemel vel pluries ſoluta vel non ſoluta aut exacta, nihilominus omnia et ſingula promiſſa in ſua ſemper maneant firmitate: renuntiantes inſuper omnibus appellationibus, ac omni auxilio Juris Canonici vel Civilis, omnibus exceptionibus, membranarum, allegationum, rationum, ac caeteris beneficiis juris, facti, et Patriae legibus ſeu conſuetudinibus, quibus poſſemus facere vel venire contra Compromiſſum praedictum, ac omnibus, quae hujusmodi Compromiſſo poſſint objici vel opponi, et ſpecialiter clauſulis, punctis et conditionibus in quibuslibet pactionibus, literis, fœderibus et concordationum contractibus praeteritis, expreſſis et poſitis, et aliis in contrarium facientibus quibuscunque, harum, quibus Sigillum noſtrum appenſum eſt, quas per vos Notarios infra ſcriptos ſubſcribi mandamus, teſtimonio literarum. Datum et actum in ſuburbio Caſtri Grudentz Diœc. Culmenſis ſub Anno a Nativitate Domini 1419. Indict. 12. Pontificatus vero Sanctiſſimi Domini noſtri Martini Papae V. anno 2. regnante Sereniſſimo et Invictiſſimo Domino noſtro, Domino Sigismundo Dei Gratia Romanorum Rege ſemper Auguſto, die vero Mercurii 19. Menſis Julii, hora 9. vel quaſi: praeſentibus ibidem Venerabilibus, Spectabilibusque et ſtrenuis D. Thoma Fratre Walden S. Theol. Doctore, Priore Provinciali Ordinis B. M. Genitricis Dei de Monte Carmelo in Regno Angliae, et Artongo Clux Milite, Conſiliario Sereniſſimi et Invictiſſimi Domini noſtri, Domini Henrici V. Regis Franciae et Angliae, Ambaſſiatoribus: Fratre Conrado Ernſt de Tremonia, S. Theol. Baccalaureo Ord. B. M. praedicti; Conrado Nimptſch de Steffanshayn Milite Vrat. Diœc. et Nicolao Kottwitz: Caſtellano de Santok Miſnenſ. Diœc. teſtibus ad praemiſſa vocatis ſpecialiter et rogatis. "

Anno 1430. In quo quidem Compromiſſo Notarii publici infraſcripti, videlicet: Antonius Bartomaei Franchi de Piſis, Johannes Luchini de Canunchiis Clericus Cremonenſis, Antonius Gvidonis Clericus Avenionenſis, Johannes Tollner Clericus Leodienſis Diœc. cum ſuis nominibus propriis, et eorum ſignis ſolitis et conſuetis in vim teſtimonii omnium in Compromiſſo expreſſorum fuerunt ſubſcripti. Verum ſtantibus et durantibus Compromiſſis ſupra dictis in ſui roboris firmitate, Nobisque in remotis contra Turcas laborantibus, ſic quod conſideravimus Nobis tempus deficere, in quo debebamus juxta tenores Compromiſſorum inter Partes praedictas expedire, ne tam pii, tamque ſalutiferi inchoati operis profectus caſſaretur, pro ulteriore dilatione apud Partes praedictas inſtare, quam etiam

Anno 1420. etiam dilationem volente Altiſſimo juxta votorum noſtrorum ſeriem reportavimus in effectu, quarum quidem dilationum tenores, primæ videlicet ſequitur, & eſt talis:

„ Vladislaus D. G. Rex Poloniæ, Littuaniæque Princeps Supremus & Hæres Ruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, quod cum nuper Nos pro Nobis, ac nomine Illuſtris Principis Domini Witoudi Magni Ducis Littuaniæ, ac aliorum Dominorum Prælatorum & Baronum, adhærentiumque & coadjutorum noſtrorum, ſuper omnibus injuriis, diſplicentiis, damnis, terris, caſtris, limitibus, & ex eis emergentibus, ac controverſiis, quas habemus cum Magiſtro Generali ac toto Ordine Cruciferorum de Pruſſia compromiſimus in pleniſſima forma in Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum Sigismundum Romanorum Regem ſemper Auguſtum, ac Hungariæ, Bohemiæ &c. Regem, Fratrem noſtrum cariſſimum cum poteſtate pronunciandi usque ad Feſtum S. Michaëlis proxime futurum, & non ultra, prout in litteris noſtris deſuper confectis plenius continetur: attendentes brevitatem temporis quod reſtat, & multitudinem graviſſimorum negotiorum, quæ habet præ manibus idem Frater noſter cariſſimus Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Rex præfatus, & ad ipſius inſtantem requiſitionem, ac ne videamur aut juſtitiam fugere, aut guerram deſiderare, qui ſemper pacem optamus, terminum ipſum cum eadem poteſtate & iisdem omnino clauſulis, punctis, conditionibus & articulis, qui & quæ in Compromiſſo noſtro comprehenduntur & de verbo ad verbum continentur, usque ad Feſtum Epiphaniæ proxime futurum incluſive, qua tum ad Nos & Partem noſtram pertinet, iisdem nominibus harum fide prorogamus, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum teſtimonio literarum. Actum & datum in Leopoli d. 26. Menſis Sept. An. Domini 1419. “

Tenor vero ſecundæ dilationis eſt talis:

„ Nos Frater Michaël Kochmeister Ordinis B. Mariæ Domus Teutonicorum Jeroſolymitani Magiſter Generalis: Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis: Quod cum nuper Nos pro Nobis, totoque Ordine noſtro, ac nomine aliorum Dominorum Baronum, adhærentium & Coadjutorum noſtrorum ſuper omnibus injuriis, diſplicentiis, damnis, terris, caſtris, limitibus, & ex eis emergentibus, ac controverſiis, quas habemus cum Sereniſſimo Principe ac Domino, Domino Vladislao Rege Poloniæ, ac Illuſtri Principe Domino Alexandro alias Witoudo Magno Duce Littuaniæ, compromiſerimus in pleniſſima forma in Sereniſſimum Principem ac Dominum Dominum Sigismundum Romanorum Regem ſemper Auguſtum, ac Hungariæ, Bohemiæ &c. &c. Regem, Dominum noſtrum gratioſiſſimum, cum poteſtate pronuntiandi ad Feſtum S. Michaëlis proxime futurum, & non ultra, prout in litteris noſtris deſuper confectis plenius continetur, attendentes brevitatem temporis, quod reſtat, & multitudinem graviſſimorum negotiorum, quæ habet præ manibus idem Sereniſſimus Princeps & Dominus, Dominus Sigismundus Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Rex, & ad ipſius inſtantem requiſitionem, ac ne videamur aut juſtitiam fugere, aut guerram deſiderare, qui ſemper pacem optavimus, terminum ipſum cum eadem poteſtate ac eisdem omnino clauſulis, punctis, conditionibus & articulis, qui & quæ in Compromiſſo noſtro comprehenduntur, & de verbo ad verbum continentur, uſque ad Feſtum Epiphaniæ proxime futurum incluſive quantum ad Nos & partem noſtram pertinet, eisdem nominibus harum ſerie prorogamus, quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum, quas etiam per Notarios infra ſcriptos ſubſcribi mandavimus, teſtimonio literarum. Datum & actum in Caſtro Thorun Culmenſis Diœc. A. D. 1419. Indict. 12. d. vero 24. Menſis Sept. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini, Domini Martini, Divina Providentia Papæ V. Anno ejus 2. Præſentibus ibidem Prudentibus & Circumſpectis Viris Joanne Huxer, Alberto Rote, Johanne de Miſſa, Hermanno de Linda, Magiſtris Civium Oppidi Thorun Culmenſ. Diœc. teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. “ Anno 1420.

In qua quidem litera dilationis ſecundæ Notarii publici infra ſcripti, videlicet, Antonius Bartolomei, Franchi de Piſis, & Joannes Steniken de Bartenſtein, Clericus Varmienſis Diœceſ. cum ſuis nominibus propriis, & ſignis ſolitis & conſuetis in vim & teſtimonium omnium in dilatione ſecunda expreſſorum fuere ſubſcripti.

Porro litterarum præmiſſarum, & omnium coram Nobis productorum tenoribus diligenter inſpectis, examinatis & fundamentaliter intellectis, ad arbitrium, laudum, pronuntiationem & amicabilem compoſitionem Partium prædictarum

Anno 1420.

rum, oculos noſtræ conſiderationis tam pie, tamque neceſſarie convertendo, executioni aſſumpti oneris adeo intendere curavimus, ut Partes ipſæ & earum ſubditi perpetua pace, qua nihil gratius, potirentur in æternum, auxilio quoque Divino implorato, ſacro, maturo & debito ſuper hoc Prælatorum, Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium, Fidelium noſtrorum, tam Spiritualium, quam Sæcularium Perſonarum accedente conſilio, auctoritate Nobis in hac parte penitus attributa inter Partes prædictas in Dei nomine pronuntiavimus, laudavimus, amicabiliter compoſuimus, arbitrati ſumus, declaravimus & diffinivimus modo ſubſequente: Chriſti nomine invocato, de cujus ore rectum procedit judicium, per hoc noſtrum præſens arbitrium, laudum, pronuntiationem, diffinitionem, declarationem, & amicabilem compoſitionem inprimis pronuntiamus, laudamus, amicabiliter componimus, arbitramur, declaramus & diffinimus, ac per hanc noſtram arbitramentalem ſententiam & amicabilem compoſitionem in his ſcriptis ſententiamus, quod tam ſubditos Sereniſſimi Principis Domini Vladislai Regis Poloniæ, Fratris noſtri cariſſimi, & Regni ipſius, ac Illuſtrium Principum Dominorum Witoudi Magni Ducis Litvaniæ, & Johannis & Semoviti Maſoviæ Ducum, ſubditorum ſuorum & coadjutorum, quam etiam Venerabilis Michaëlis Kochmeister Magiſtri Generalis Ordinis prælibati, ac etiam Ordinis ipſius, atque ſubditorum & coadjutorum, quam alios venientes, tranſeuntes undicunque per pontes, loca, terras & aquas quaſcunque liceat libere ſine impedimento ac moleſtia aliqua ire, perambulare, merces & alia quæcunque ducere, quo maluerint, prout antiquitus extitit conſuetum, ſub pœna ultra ſatisfactionis injuriam, & damnorum illatorum, Parti contrafacienti decem millia marcarum argenti puri tollenda, & applicanda pro tertia parte Cameræ Apoſtolicæ, pro alia tertia parte Fiſco Imperiali, & pro alia tertia parte Parti prædictæ ſeu ſervanti, totiens committatur, quotiens contra prædicta factum vel ventum fuerit, & pœna ſoluta vel non exacta, prædicta omnia & ſingula in ſuo eſſe & robore ſalva maneant: Item pronuntiamus & diffinimus, ac per hanc noſtram arbitramentalem ſententiam & amicabilem compoſitionem in his ſcriptis ſententiamus, quod unio fœderis perpetui ante Thorun initi inter eosdem Dominos Regem Poloniæ, Duces Witoudum, Johannem & Semovitum, & eorum ſocios, coadjutores & adhærentes, ac Magiſtrum & totum Ordinem Cruciferorum, ipſorumque ſubditos, coadjutores & adhærentes ſupradictos, mutuo conſenſu Partium præfatarum celebrata, in qua per expreſſum cautum eſt, quod per nullas penitus diſſenſiones violetur, inviolabiliter obſervetur, ipſam volumus, decernimus & mandamus perpetuo valituram, & ſi contigerit, quod abſit, quod per aliquam Partium fuerit contraventum, nolumus propterea dictam concordiam eſſe ruptam, nec in aliqua ſua parte violatam, ſed ipſam in ſuo robore perpetuo remanere: Item pronuntiamus, laudamus, amicabiliter componimus, arbitramur, declaramus & diffinimus, ac per hanc noſtram arbitramentalem ſententiam & compoſitionem amicabiliter in his ſcriptis ſententiamus, quod confinia termini, limites ſeu granitiæ Terrarum Pomeraniæ, Culmenſ. & Michałovienſ., & Caſtrum Neſſaw cum omnibus pertinentiis & attinentiis ſuis ſtent & permaneant, ſicut fuit ordinatum per concordias factas per Sereniſſimos Principes Carolum & Johannem Ungariæ & Bohemiæ Reges, & per conceſſiones, donationes & renuntiationes Casimiri Regis Poloniæ, ipſiusque Prædeceſſoris, & per concordiam factam ante Thorun, & per ſententiam noſtram Budæ latam; Item pronuntiamus, laudamus, amicabiliter componimus, arbitramur, declaramus & diffinimus, ac per hanc noſtram arbitramentalem ſententiam & amicabilem compoſitionem in his ſcriptis ſententiamus, quod Magiſter & Ordo Cruciferorum prædicti dent & ſolvant, & dare & ſolvere teneantur, & debeant præfato Sereniſſimo Regi Poloniæ pro reparatione Caſtri Slotoriæ 25. M. florenorum auri boni Hungaricalis vel Ducatorum infra duos annos proxime futuros, videlicet medietatem in Feſto Beati Georgii proxime futuro, & aliam medietatem in Feſto prædicto anni ſubſequentis; Item pronuntiamus, laudamus, amicabiliter componimus, arbitramur, declaramus & diffinimus, ac per hanc noſtram arbitramentalem ſententiam & amicabilem compoſitionem in his ſcriptis ſententiamus, quod Magiſter Generalis & Ordo præfati teneantur & debeant deſtrui & demoliri facere Caſtrum Lubitz cum molendino, quod eſt in Drawantia, anno infra ſex menſes proxime futuro, a die dati præſentium continue computandos: ita, quod aqua habeat curſum & meatum ſuum, ſicut habebat ante conſtructionem dicti Caſtri & molendini: Item pronuntiamus & laudamus ut ſupra,

ANNO 1420. pra, quod limites & confinia inter Ducatum Maſoviæ & Dominium Ordinis Prutenorum ſint & remaneant ſecundum Litteram Domini Ludolphi Kœnig tunc Magiſtri Ordinis prælibati, quam quidem Litteram validam pronuntiamus, ac eidem tam in judicio, quam extra eſſe fidem indubiam adhibendam, ac ſi ſigillata fuiſſet ſigillo authentico Magiſtri & Ordinis prælibati, cujus quidem Litteræ tenor ſequitur, & eſt talis:

„ *In Nomine Domini Amen.*

Ut major fides geſtis adhibeatur negotiis, expedit, ut conſcriptione litterarum, quæ veritatem continent, teſtimonium lucide roborentur: ea propter noverint univerſi præſentes & poſteri præſentium notitiam habituri: Quod Nos Frater LUDOLPHUS KŒNIG, Ordinis Fratrum & Hoſpitalis S. Mariæ Domus Teutonicorum Hieroſolimitani Magiſter Generalis omnem materiam ambiguitatis et diſſenſionis, quæ inter Inclytum Dominum SEMOVITUM Ducem Maſoviæ et Dominum Wisnenſem ex una, Nosque et Fratres noſtros ac Ordinem parte ex altera vertebatur ex parte grenitiarum inter Terras ejusdem D. Ducis et noſtras ac Ordinis, amputare et decidere cupientes, antedictas grenitias, accedente unanimi conſenſu et bona voluntate præfati Domini Ducis, noſtraque et Fratrum noſtrorum, diſtrinximus in hunc modum: videlicet primo incipiendo a vado in Prutenico Singubraſt, et in Polonico Szigerz nominato, demum deſcendendo fluvium Orritz uſq; ad ſylvam dictam Raduka, inde ulterius, et tenendo ſylvam a ſiniſtris, quæ tota manet in parte Fratrum uſque ad finem dictæ ſylvæ, et ulterius procedendo directe uſque ad fluvium dictum Vincenta ubi influit Piſſam, deinde majorem rivulum ejusdem fluvii Vincenta aſcendendo uſque ad locum, ubi idem fluvius ortum habuit, deinde uſque ad originem dicti rivuli dicti Hoyna, et ab ipſo flumine quanto directius ire poteſt ad vadum Likke, et abinde directe eundo uſque ad fluvium dictum Bobra, eundem fluvium Bobra aſcendendo uſque ad locum, ubi dictus fluvius ortum habet, volentes prædictas grenitias per Nos, Fratres et Succeſſores noſtros perpetuis temporibus inviolabiliter obſervari. In quorum omnium teſtimonium, et certitudinem firmiorem præſentes dedimus appenſione ſigilli noſtri roboratas. Datum et actum Anno Domini M. CCC, XLIII. Sabbato proximo ante diem B. Martini Confeſſoris. Hujus rei teſtes ſunt Honorabiles et Religioſi Fratres, Viri noſtri in DEO dilecti, Henricus de Boventen Magnus Commendator, Theodoricus de Spira Commendator in Thorun, Henricus de Menz Commendator in Hoſtenrode, Joannes Commendator in Goluba, Becko Commendator in Schonenſe, Petrus de Muro Advocatus de Neumarckt, Dominus Henricus Sambienſis Eccleſiæ Canonicus, noſter Capellanus, Henricus de Lewenſtein, Helwardus Griffe, Henricus de Kœnigsfeld, Joannes de Falkenſtein Socii noſtri, Paulus et Joannes Notarii noſtri, et quam plures alii fide digni, Fraterque Johannes Proviſor in Morin etc. “ ANNO 1420.

Item pronuntiamus et laudamus ut ſupra, quod omnes captivi hinc inde libere relaxentur, et priſtinæ libertati reſtituantur infra tres menſes proximos, et omnes obligationes, fidejuſſiones et juramenta per dictos captivos, aut aliquem ipſorum, aut pro eis factas, ſeu præſtitas et præſtita, exnunc caſſamus, et irritamus, et nullius volumus eſſe roboris et momenti: Item pronuntiamus et laudamus ut ſupra, quod de Terris Pruſſiæ et Samogitiæ diſpoſitio concordiæ ante Thorun facta debet remanere in ſuo robore, hoc modo videlicet, quod Domini de Pruſſia inter fluvium Memel et indagines Samogitarum debeant poſſidere a fluvio Rodan deſcendendo uſque ad Caſtrum Memel incluſive et mare. Dux autem WITOUDUS debet poſſidere totam Terram Samogitarum, etiam cum illa, quæ eſt inter indagines et flumen Memmel, incipiendo ab indaginibus uſque ad caput fluminis Rodan, et procedendo recto tramite, ſicut intrat idem fluvius in Memmel, et ultra Memmel per tranſverſum fluminis ſimiliter recto tramite ad quinque milliaria in latitudine per terram vocatam Suderland, alias Jettoem, et in longitudine uſque ad Littuaniam includendo ſemper ab utraque parte dictum fluvium Memmel uſque ad vitam dictorum Regis et Ducis, juxta diſpoſitionem concordiæ initæ ante Thorun: Item pronunciamus et laudamus ut ſupra, quod neutra Partium prædictarum debeat ædificare, vel aliquod ædificium erigere in terris prædicto modo Dominis de Pruſſia, ac Domino Littuaniæ Duci commiſſis uſque ad vitam dictorum Regis WLAADISLAI et Ducis WITOUDI. Item pronuntiamus et laudamus ut ſupra, quod Partes prædictae inter ſe remaneant boni et veri amici, ut decet veros Chriſticolas, et altera ab alterius offenſis et injuriis abſtineant omnino ſub pœnis praedictis. Item remittimus omnes injurias, offenſiones atque damna hinc inde quocun-

Anno 1420. cunque modo facta, commiſſa et illata, et pro remiſſis haberi volumus et mandamus: ita quod neutra Partium poſſit aliquid petere occaſione praedictorum, imo abſolvimus et liberamus utramque Partem ab ipſis, et quibuslibet ipſorum ſuper ipſis perpetuum ſilentium Partibus imponentes: Item pronuntiamus et laudamus ut ſupra, quod ſi quae dubia in poſterum ex hac noſtra ſententia, arbitrio vel arbitramento oriatur in praemiſſis vel aliquo quo praemiſſorum, eorundem declaratio et interpretatio ad Nos ſpectet. et illorum declarationem, interpretationem ac poteſtatem declarandi & interpretandi Nobis inpoſterum reſervamus: Item laudamus et pronuntiamus, quod praedicta omnia et ſingula, et quodlibet praemiſſorum dictae Partes inter ſe, et ſibi invicem facere, obſervare, manutenere, et attendere teneantur et debeant, prout ſuperius continetur, et e contrario facere, vel venire ad pœnam X. M, Marcarum puri argenti in quolibet articulo praeſentis ſententiae noſtrae, cui contrafactum fuerit vel contraventum in aliquo qualibet vice, ut ſupra applicanda, et pœna ſoluta vel non, praedicta omnia et ſingula in ſuo eſſe et robore ſalva volumus remanere: Item laudamus, ſententiamus et condempnamus praefatum Dominum Regem Poloniae ad tradendum et reſtituendum Caſtrum Jesnik dictis Prutenis infra duos menſes proxime futuros ſub pæna praedicta. Ita pronuntiamus, dicimus et laudamus ut ſupra, reſervata Nobis ſuper praemiſſis inpoſterum declarandi et interpretandi, ſi opus fuerit, plenaria poteſtate: lata, lecta et in ſcriptis ſententialiter promulgata ſunt haec praeſentibus Rev. in Chriſto Patribus Dominis Jacobo Spoletano, et Ferdinando Lucceſi Epiſcopis, Sanctiſſimi Domini noſtri Summi Pontificis Domini Martini Papae V. Nuntiis, Domino Bartolomaeo Archiepiſcopo Mediolanenſi, Georgio Pataviensi Imperiali Cancellario, Conrado Wratiſlavienſi, Joanne Brandenburgenſi Epiſcopis, et Egregio Magiſtro Joanne Stonkes Legum Doctore, Sereniſſimi Principis Domini Henrici Franciae Angliaeque Regis Ambaſſiatore, ac Illuſtribus Principibus Alberto Duce Saxoniae, S. R. I. Archi-Mareſchallo, et Friderico March. Brandenburg. ejusdem S. I. Archi-Camerario et Burggravio Norimbergenſi, Principibus Electoribus; nec non Henrico Comite Palatino Rheni, et Duce Bavariae, Joanne de Ratibor, Przimckone de Tropparo, Ludovico de Brega et de Lignitz, Joanne de Münſterberg, Rampoldo de Glogovia majori, Conrado dicto Kantner de Olsna, et Ruperto ac Wenceslao de Lüben, Ducibus Sleziae Principibus; ac Spectabilibus et Magnificis Ludovico Comite de Oettingen Imperiali Magiſtro Curiæ, Nicolao de Gara Regni Hungariae Palatino, Georgio Euſtachio Comite Solien. Joanne Comite de Meidburg, nec non Nobilibus Henrico de Lippa Mareſchalco, et Alberto de Coldiz Magiſtro Camerae Regni Bohemiae, Henrycko Bercka dicto Hlawatz Capitaneo Golicen. Baronibus, Alberto Schenck de Seyda, Nicolao de Rechenberg, Nicolao de Ribenitz, Joanne de Parchwitz, Nicolao Stibitz Militibus, et aliis fide dignis in praedictae pronuntiationis teſtimonium requiſitis. In cujus rei evidentiam, et perpetui roboris firmitatem praeſentem noſtram pronuntiationem, laudum, amicabilem compoſitionem, arbitrium, arbitramentum, declarationem, arbitramentalem ſententiam, et amicabilem compoſitionem Sigillo noſtrae Majeſtatis iuſſimus communiri. Datum Wratislaviae Anno Domini M. CCCC. XX. Romani Regni IX. Anno 1420.

In cuius rei teſtimonium prædicta acta & actitata ſic fieri, & per Notarios publicos infra ſcriptos tranſcribi, & publicari & ſubſcribi mandavimus, noſtrique Sigilli appenſione juſſimus communiri. Datum & actum in domo habitationis noſtræ apud Eccleſiam noſtram Wratislav. Anno Domini M. CCCC. XX. Indictione XIII. die vero 4. Febr. hora 3, vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, D. Martini *Divina Providentia Papæ V. Anno 3. Præſentibus ibidem Venerabilibus & Diſcretis Viris Dominis Henrico Krompach Præcentore Eccleſiæ Wratislavienſ. Joanne Raſonis in Olsna, Petro Milite in Militſch Plebanis, Henrico Stampe Capellano noſtro, Davide Roſenfeld Cive Wratislav. & quam pluribus aliis fide dignis teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis in teſtimonium præmiſſorum.*

LXXXXIX.

Donatio Nieſchovienſis arcis cum quatuor villis facta Cruciferis a Conrado *Duce Maſoviæ & Cujaviæ ſub Tranſumpto Epiſcopi Pomeſanienſis.* Actum in Capella Caſtri Roſenburg An. 1421. Pontificatus Martini Papæ V. Anno quarto. *Ex Originali.* 1421.

Nos


Anno 1421. Nos Frater Erchardus Dei et Apoſtolicae Sedis Gratia Epiſcopus Pomezan. notum facimus per hoc praeſens publicum Tranſumptum quibus expedit univerſis. Quod conſtitutus coram Nobis Religioſus Vir Frater Gregorius de Biſchofsvada noſtræ Pomezanienſis *D*iœceſis, Magnifici et Religioſi *D*omini Fratris Michaelis Kochmeister Ordinis B. Mariae Theutonicorum Magiſtri Generalis Capellanus, ac ejusdem et ſui Ordinis ad infraſcripta prout et Syndicus conſtitutus, prout de hoc Nobis plenam fecit fidem, quasdam literas authenticas *D*omini Conradi quondam Ducis Mazoviae duobus ſigillis in filis ſericeis impendentibus ſigillatas ſanas et integras, non vitiatas, non cancellatas, ſed omnibus prorſus vitio et ſuſpicione carentes Nobis exhibuit et praeſentavit. Conquaeſtusque magno ſubjacere periculo, ſi hujusmodi literae propter vetuſtatem earum, et viarum diverſa diſcrimina de loco ad locum deduci debeant, quoties ad probandum Ordinis ſui juſtitiam ſuper contentis in eisdem neceſſitas exigeret, unde Nos cum inſtantia debita requiſivit, quatenus easdem literas cum decreti intrapoſitione de verbo ad verbum tranſcribi et publicari per Notarios infraſcriptos mandare auctoritate ordinaria dignaremur. Juſtis igitur ipſius petitionibus rationabiliter annuentes easdem literas ad nos recepimus, ipſasque per Notarios infraſcriptos tranſcribendas, tranſumendas ac publicandas, quantum de jure potuimus, decrevimus, et facta diligenti auſcultatione de literis originalibus ad Tranſumpta, authoritate noſtra ordinaria eisdem in judicio et extra ubique locorum ſtandum decrevimus et decernimus per praeſentes. Sigillum vero primum praedictis literis appenſum de cera communi oblongum erat, in cujus medio imago ejusdem Epiſcopi Infulati ſedentis, et in dextra baculum paſtoralem, in ſiniſtra manibus librum tenentis videbantur, literae circumferentiales dicti ſigilli legi non poterant propter vetuſtatem. Secundum ſigillum jam dictae literae appenſum de cera communi rotundum erat, in cujus medio imago cujusdam armigeri in equo quaſi ſedentis, in dextra frenum et in ſiniſtra manibus vexillum tenentis apparebat, literae vero circumferentiales dicti Sigilli ſic legebantur: S. CONRADI DUCIS MASOVIÆ ET CUJAVIÆ. Tenor vero praedictarum literarum ſequitur, et eſt talis:

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Anno 1421.

Ego Conradus *D*ivina miſeratione *D*ux Mazoviae et Cujaviae etc. *Vide pag.* 10. *hujus Tomi ad Ann.* 1230.

In quorum omnium et ſingulorum veritatis teſtimonium praemiſſorum hoc praeſens publicum Tranſumptum fieri, noſtrique ſigilli majoris appenſione juſſimus communiri. *D*atum et actum in Capella minori Caſtri noſtri Roſenburg noſtrae Reſidentiae ſub Anno *D*omini milleſimo quadringenteſimo viceſimo primo, Indictione quarta decima, die vero decima Menſis Maji, hora tertiarum vel quaſi. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac *D*omini noſtri, *D*omini Martini *D*ivina Providentia Papae V. Anno ejus quarto. Praeſentibus ibidem honorabilibus et diſcretis Viris *D*ominis Nicolao Plebano in Hoccuſta et Curiae noſtrae Officiali Laurentio Carpentay de Bhorim Capellano noſtro, & Joanne Libaiwalt Notario publico, Clericis Culmenſis Diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Joannes quondam Joannis Roſener de Lorabb, Clericus Pomeſan. Diœceſis, Imperiali authoritate Notarius publicus, quia prædictarum literarum præſentationi, receptioni, & Decreti interpoſitioni, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum Caſparo Collega meo Notario publico, & cum prænotatis teſtibus præſens interfui, eaq; ſic fieri vidi & audivi. Ideo hoc præſens publicum Tranſumptum de mandato Reverendi in Chriſto Patris & Domini, Domini Gerhardi Epiſcopi præfati, & ad requiſitionem dicti Domini Gregorii Procuratoris tranſumpſi, & facta collatione diligenti me aliis occupato arduis negotiis per alium fideliter ſcriptum exinde confeci, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſigno & nomine meis ſolitis & conſuetis una cum dicti Domini Epiſcopi ſigilli majoris appenſione conſignavi rogatus & requiſitus in fidem et teſtimonium omnium præmiſſorum.



ANNO 1422.

XC.

Fœdus perpetuæ pacis, unionis & concordiæ inter VLADISLAUM *Regem Poloniæ ac* VITOLDUM *Ducem Litvaniæ, Ducesque Maſoviæ ab una, &* PAULUM de RUSDORF *Magiſtrum Cruciferorum & ſuum Ordinem parte ab altera.* Datum in loco ſtationis exercitus ad littora fluvii Oſſa, prope lacum Melno dictum, inter Caſtra Radzyn & Rogozna, in Feſto S. Stanislai Pontificis & Martyris Anno 1422. *Ex Originali. Cum Sigillis* VLADISLAI *Regis*, VITOLDI *Ducis, & aliis 122.*

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

NOS VLADISLAUS Dei Gratia Rex Poloniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Litvaniæque Princeps Supremus, Pomeraniæ Dominus, & Hæres Ruſſiæ, &c. ALEXANDER alias WITOLDUS eadem Gratia Magnus Dux Litvaniæ, Terrarumque Ruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris præſentium notitiam habituris: Quod cum Divini conſilii diſpenſatio ad hoc Nobis Regni noſtri & Terrarum conceſſit gubernacula, ut pacem, in cujus dulcedine Author pacis bene colitur, jura Regum ſolidantur, & vera unionis idemptitas tute ſuo conſiſtit fundamento, omni ſollicitudine intentis ſtudiis & ſummis deſideriis tenemur procurare, quatenus mœſta corda hominum, quæ bellis creſcentibus miſere ſunt dejecta, pacem nacta ſpiritu conſolationis valeant recreari, & Fides propagari Catholica, augeri devotio fidelium, & cultus Dominicus continua ſuſcipere incrementa, ipſeque Salvator noſter, qui nobis pro pignore Teſtamenti ſui pacem in terris iturus in cœlum dereliquit, intentis affectibus, ut noſtrum animum poſſet recreare, poſt deflenda bellorum diſpendia calamitatibus plena, quæ inter Nos & Magiſtrum Generalem, & Ordinem Beatæ Mariæ Teuthonicorum, ac Terras eorundem per Pruſſiam, Almaniam & Livoniam hactenus, heu dolor! non abſque animarum & corporum graviſſimis periculis ſævierunt. Ad honorem & gloriam Omnipotentis Dei, Beatæ Mariæ Virginis & totius Cœleſtis Hierarchiæ, ac omnium Chriſti fidelium profectum, omnibus odiis, rancoribus, moleſtiis, diſplicentiis & offenſis, ex quibuſcunque cauſis generatis & exortis, ſublatis a cordibus noſtris, fœdus perpetuæ pacis, unionis & concordiæ inter Nos, Regnum noſtrum Poloniae, ac Terras Cujaviae, Pruſſiae, Samogitiae, aliaque dominia noſtra, ſubditos & adhaerentes noſtros, & Illuſtres Principes JOHANNEM & SEMOVITUM Duces Mazoviae Fratres noſtros, eorumque Terras Mazoviae & ſubditos ab una, & Venerabilem Virum PAULUM de RUSDORFF Ordinis Beatae Mariae Theutonicorum de Pruſſia Magiſtrum Generalem, ac ipſius Ordinem ac Terras Pruſſiae, Almaniae, Livoniae, et alia dominia, ſubditos & adhaerentes ipſorum parte ab altera, tenore praeſentium conſtituimus, facimus, ordinamus, ſuſcipimus, et munimus fœdus perpetuae duraturum, promittentes ipſum ſub fide et honore noſtris firmiter, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervare & tenere. Ut autem inter Nos pax hujusmodi, fœdus & concordia jugiter uſquequaque perfecta et integra, nullo unquam ruitura tempore remaneat, infraſcriptis articulis haec duximus regulanda. Inprimis quod inter Nos, Regnum Poloniae, Terras Litvaniae, Ruſſiae, Samagitarum, Mazoviae, et alios Regnicolas et Dominiorum ſubditos ab una, et praedictum Magiſtrum Generalem, Ordinem, Terras et ſubditos ipſius, tam in Pruſſia, quam in Livonia et Almania parte ab altera, omnes diſſenſiones controverſiae et dampna inter partes hinc inde facta, dimiſſa, et totaliter ſopita debent eſſe, nec illorum de caetero aliqua mentio, aut memoria, et ſignanter in querelas aut in detractionem Partium aliquam coram quibuscunque perſonis habeatur, aut fiat, ſed nec una Partium ad infamiam alterius ſuggeret, conſentiet, auxilium dabit et favorem publice vel occulte, et quantum in ea fuerit, delationes et detractiones hujusmodi fieri non admittet, ſed potius prohibebit. Item omnia bona Eccleſiarum Gneznenſis, Poznanienſis, Vladislavienſis et Plocenſis, Praelatorumq;, Abbatum, Monaſteriorum, Conventuum et aliarum quarumcunque perſonarum ſaecularium et religioſarum, quae ſunt in Terris Ordinis ſituata, debent circa jura omnia tam Eccleſiaſtica quam ſaecularia, et omnes antiquas conſuetudines, queſtus, decimas, caſtra, villas, prædia, curias, et alias utilitates, emolumenta et proventus, quibuscunque nominibus nuncupentur, conſervari, nec aliquibus novis conſuetudinibus, ſervitiis aut cenſibus

ANNO 1422.

ANNO 1422. aggravari, quodq; eadem bona non alienentur, nec pro eorum alienatione inſtetur per Partes ſine conſenſu Praelatorum ſpeciali. Item Magiſter et Ordo ſupradicti ex certa ſcientia et conſenſu ſuorum Compraeceptorum propter bonum pacis Terram ſive Diſtrictum Neſchovienſem cum villis Orłow, Murzinow, Nowa Wies, ac fundo Caſtri Nieſchowa, et ipſorum omnibus et ſingulis juribus, proventibus, utilitatibus, borris, ſylvis et attinentiis univerſis, ac cum medietate navigii ſive paſſagii Thorunenſis, ac etiam medietate fluminis Wislae, cum omnibus ipſius inſulis, piſcaturis, uſibus et juribus in eodem flumine exiſtentibus, incipiendo ab eo loco, quo fluvius Drewantza intrat Wislam, et conſequenter inferius deſcendendo uſque ad antiquos limites Terrarum Pomeraniae et Bidgoſtienſis, quemadmodum ea Magiſter et Ordo hactenus poſſederunt, nihil penitus pro ſe, ſuis Succeſſoribus et Ordine reſervantes, Nobis, Succeſſoribus, noſtris, Coronae et Regno Poloniae noſtro debent dare et aſſignare, dederuntque, tradiderunt et aſſignarunt perpetuis temporibus poſſidenda, tenenda per Nos, Regnum noſtrum et noſtros Succeſſores, ita tamen, quod Caſtrum Nieſchova per Magiſtrum et Ordinem debet infra hinc et Feſtum Sancti Johannis Baptiſtae proxime venturum demoliri, et infra idem tempus materia Caſtri et res omnes, quae ibidem habentur ad Terras Ordinis deportari et educi abſque impedimento quolibet libere et ſecure. Item quod ſub certo et determinato tempore Dominus Rex ſuos Conſiliarios cum publico mandato, ſimiliter et Magiſter ſuos deſtinare debent ad firmandas et ſignandas granicies inter Regnum Poloniae et Terras Novae Marchiae, Pomeraniae, Culmenſis & Michałovienſis. In qua limitatione Magiſter et Ordo Regnum et Coronam debent admittere ad limites ab antiquo tentos et obſervatos, et pons in flumine Drawa circa Cochetze remaneat non deſtructus, et liber tranſeuntibus uſque ad deſcenſum Conſiliariorum illorum et granicierum dictarum finalem conſummationem, et ulterius ſi ibidem fuiſſe probabitur remaneat. Item Duces Mazoviae in limitatione granicierum remanere debent circa literas, quas habent, et ſimiliter quae in literis Magiſtri et Ordinis ſuper eisdem continentur, et ubi in literis limites deſcripti non fuerint, ad eos firmandos praefati Duces ſuos Conſiliarios deſtinare debent. Similiter et Ordo. Quae vero evidentiori teſtimonio, vel aliis legitimis probationibus Partium probaverit ſuas fore granicies, remaneat circa ipſas. Item Terræ Samogitarum & Sudonum propter bonum pacis debent apud Regem & Ducem præfatos, ac Regnum Poloniæ & Ducatum Litvaniæ ſub limitibus infra ſcriptis remanere. Item a fine limitum Ducum Mazoviæ incipiendo a flumine Lyk a vado dicto Kamienny Brod, quod jacet in ſuperiori parte ejusdem fluminis Lyk altius, quam eſt lacus Greywo & Toczyloth, ab eo loco directe eundo per ſolitudinem uſque ad lacum, qui dicitur Rogors; ita quod medietas ejusdem lacus remaneat in Terris Domini Ducis Litvaniæ, & reliqua medietas in Terris Ordinis, & ab illo lacu directo tramite per deſertum uſq; ad quandam aream dictam Przeywoſti, & ab illa area continuando iter directum uſque ad aream Mermiſki, & a Mermiſki eundo directe uſque ad lacum, qui vocatur Dwyſtytz, ita tamen, quod idem lacus remaneat totus ex parte Ordinis, & ab eo lacu quo directius iri poteſt, ad ortum ſeu ſummitatem fluminis dicti Lepuna, eundem fluvium deſcendendo uſq; ad conſumationem ejus, ubi intrat in fluvium Schyrowinta, & ulterius deſcendendo eundem fluvium Schyrowinta uſque ad conſumationem ejus, ubi intrat fluvium Scheſchuppa, & ulterius directe procedendo per ſolitudinem uſque ad ripam fluminis Memel, ex oppoſito fluminis dicti Schwanta, ubi idem fluvius Schwanta intrat fluvium Memel prædictum, & hæc quoad Terram Sudorum eundem fluvium Schwanta ſurſum aſcendendo per duo milliaria, & ab illo loco illum fluvium deſerendo tranſeundum eſt per ſolitudinem, quo directius iri poteſt, uſque ad fluvium Jura, relinquendo fluvium Memel in ſiniſtro latere ubique per duo milliaria, & dictum fluvium Jura aſcendendo unum milliare, ab eo loco fluvius Jura deſerendus eſt, & tranſeatur per ſolitudinem, relinquendo fluvios Memel alias Niemen, & Ruſſna, lacum, qui dicitur Happ, & Caſtrum Memel, in Samogitico Glaupeda appellatum, undique a ſiniſtro latere per tria milliaria, & ſic tranſeundum eſt uſque ad littus maris ſalſi; & hæ ſunt granicies Terræ Samagitarum & Pruſſiæ. ANNO 1422.

Inter Livoniam vero, Samagitiam, Lithvaniam & Ruſſiam limites ſint, incipiendo a flumine dicto Heiligea, ubi dictus fluvius intrat mare, eundem fluvium aſcendendo ſurſum ad antiquos limites inter Samagitiam, Litvaniam, Ruſſiam ab una, & Livoniam ab altera partibus tentos & ſervatos, non tamen ad illos limires, qui ſignati ſunt eo tempo-

Anno 1422. pore, quando Ordo Terram Samagitarum tenuerat, ſed ad illos, qui antiquitus inter Terras prædictas ſunt ſervati.

Item omnes mercatores, & quicunq; incolæ Regni Poloniæ, & Terrarum ac Dominiorum Litvaniæ, Samagitiæ, Ruſſiæ & Mazoviæ, & e converſo Pruſſiæ, Livoniæ & aliarum quarumlibet Terrarum eis ſubjectarum, cum ſuis mercantiis & rebus quibuscunque libere & ſine impedimento, vel angaria per terras & maria, aquas & fluvios quoſcunque in navibus magnis ſive parvis tranſire valeant atque poſſint in perpetuum, quocunque & quotiescunque ipſis expedire videbitur. Item quod Nos in gravamine mercatorum & ſubditorum Ordinis duntaxat nova telonea ac datias imponere minime debeamus, antiquis tamen teloneis & depoſitis, ſive modis deponendi merces, conſuetudinibus & obſervantiis aliis ſemper ſalvis. Item ſubditi Ordinis undecunque & cujuscunque gradus, ſtatus vel conditionis fuerint, qui cauſa negociationis, vel alia ad Regnum noſtrum Poloniæ, aut Ducatum Litvaniæ, Terras Ruſſiæ, Samagitiæ aut Mazoviæ venerint, per Nos, ſubditos noſtros, ac extraneos cujuscunque gradus, ſtatus, aut conditionis fuerint, minime impeti debent vel areſtari. Sed in Pruſſia vel Livonia, ſi quid actionis habuerint, juxta Terrarum prædictarum jura municipalia ſive terreſtria, hujusmodi concertationes ſopientur, deprehenſus tamen in flagranti crimine, in loco delicti legitime puniatur, & contrahens de contractu recenti in loco contractus conveniatur. Sed ſi de loco, ubi contraxerit vel deliquerit, receſſerit publice vel occulte, coram Judice ſuo conveniatur. Item ruſtici, coloni, tabernatores, ortulani, aut alias inhabitatores Terrarum Pruſſiæ, Livoniæ, et dominiorum Ordinis, qui dominiis ſuis obligantur, ac ſine ſatisfactione condigna, & juxta conſuetudinem earundem Terrarum receſſerint, & ad Regnum Poloniæ, Ducatus Litvaniæ, Samogitarum, Mazoviæ ac Terras Ruſſiæ publice vel occulte confugerint, Capitanei, Judices, Officiales & ſubditi noſtri jurisdictionem pro tempore exercentes, qui fuerint requiſiti, ad ſatisfaciendum Dominis ſuis ruſticos & alios praenominatos compellant, aut ipſos cum rebus ſuis & bonis omnibus adductis eisdem Dominis reſtituant ſine mora, ſecundum conſuetudinem Terrae, de qua receſſerunt. Idem ordo per omnia in ruſticis, colonis, tabernatoribus, & aliis noſtri Regni, ac Ducatuum & Terrarum praedictarum incolis ad dominia Ordinis modo praemiſſo fugientibus obſervetur. Item ſi fures, incendiarios, vel alios malefactores quoſcunque de dominiis Ordinis quibuſcunque ad Regnum Poloniae, Ducatus et Terras praedictas fugere contigerit, extunc terrigenae, et quorum intereſt, de Terris et dominiis Ordinis licenter eosdem ſine omni impedimento inſequi libere, ubicunque poterint, quibus etiam Capitanei, Tenutarii, Terrigenae, Judices, Officiales et ſubditi noſtri, quicunque ſuper hoc fuerint requiſiti, debent praeſtare auxilia, conſilia & favores, ut malefici hujusmodi capiantur, captique juxta jura municipalia Regni noſtri et Ducatuum praedictorum legitime puniantur, & ſi capi non poterint in Regno noſtro, dominiis et Terris ſaepedictis per Nos vel alios nullatenus ſuſtineantur, ſeu foveantur, teneaturq; utraque Pars illis ſine fraude et dolo in ſuis dominiis incolatum prohibere, aut cum eis in metis Terrarum, quas hujusmodi tangit negotium, juſtitiæ exhibere complementum. De malefactoribus Regni noſtri Poloniae, Ruſſiae et Ducatuum ac Dominiorum praedictorum ad Pruſſiam ac Livoniam confugientibus in omnibus ſimilis aequitas habeatur. Item quod neutra Partium debet aliquem, vel aliquos in ſuis Dominiis fovere et tollerare, qui alteram Partem, ejus ſubditos aut ſubditum diffidare velit aut velint, ac diffidant et dampna irrogant, vel alias graves inferunt moleſtias, imo nec inimicis partis adverſae adhaerere vel paſſum eis per terras ſuas permittere in praejudicium et offenſam alterius ſine fraude et dolo quoquo modo. Item omnia privilegia, inſcriptiones, fœdera, obligationes et munimenta, quaecunque, quae vel quas Magiſter et Ordo habent ſuper territorio Nieſchowa et villis Murzynow, Orłew, Nowa Wies, ac navigio juxta Thorun, quae ad Nos vigore praeſentis concordiae ſunt devoluta a quibuscunque perſonis, quacunque praefulgeant dignitate, habeantur, et praeſertim Concordia Thorunenſis, duae ſententiae per Sereniſſimum Principem et Dominum, Dominum Sigismundum Romanorum etc. Regem Budae et Vratislaviae latae, ac Literae Originales, quas Ordo praefatus habet a Nobis, ſive aliis quibuſcunque perſonis ſuper Terris Samagitarum, Sudonum et Livoniae reſtitui Nobis debent, et reſtituta fatemur. Reliqua vero privilegia Ordinis quacunq; authoritate fulcita Eccleſiaſtica vel Saeculari, in quantum derogare poterint huic concordiae in toto vel in parte, et aliis omnibus praemiſſis in punctis et articulis ſuis

Anno 1422. ſuis derogatoriis ſint nulla, caſſa et irrita, et pro talibus perpetuis temporibus habeantur. Item omnes captivi in hac guerra & treugarum prorogationibus detenti ab utraque Parte ſint liberi & ſoluti ipſo facto, ſine dolo & fraude. Item navigia circa Złotoriam videlicet peditibus, equitibus & cum levibus oneribus, & circa Solecz & Jordan cum equis, rebus quibuslibet, & curribus oneratis non debent prohiberi, ſed pateant perpetue cuilibet tranſeunti. Item omnes profugi tam de Regno noſtro Poloniæ, Terris Litvaniæ, Samagitarum, Mazoviæ & Ruſſiæ, quam de Terris Ordinis quibuſcunque libere poſſint & valeant redire ad propria, & de bonis ſuis dimiſſis diſponere pro libitu ſuæ voluntatis. Item omnia bona immobilia cujuſcunqne gradus, ſtatus aut conditionis fuerint, his, qui degunt aut morantur in Terris ac Dominiis Ordinis recepta per Nos, & oblata, authoritate præſentis concordiæ reſtituere volumus & debemus eisdem integraliter & ex toto. Pari modo omnibus incolis Regni noſtri ac Terrarum prædictarum Magiſter & Ordo bona ablata reſtituere teneantur cum effectu. Item omnes coadjutores & adhærentes, qui in favorem Magiſtri & Ordinis Nobis, Regno noſtro & Ducatibus, coadjutoribus & ſubditis noſtris prædictis, & etiam his, qui favore noſtri Magiſtrum & Ordinem diffidarunt, ab omni impetitione Magiſtri & Ordinis ſæpe fatorum ſint liberi & ſoluti. Item Terræ Pomeraniæ, Culmenſis & Michałovienſis debent manere circa Ordinem, debetque ſententia Judicum delegatorum Magiſtro & Ordini, aut eorundem in Romana Curia Procuratori per Nos, Procuratorem vel Procuratores noſtros legitimos, ſi haberi poterint, ad caſſandum, rumpendum, annullandum tradi & aſſignari infra annum, bona fide noſtris reſtitutione facta, Dominus Magiſter ad dandam recognitionem præſentationis hujusmodi literarum ſit omnino aſtrictus. Item omnes apoſtatæ Ordinis prædicti in Regno noſtro ac Terris Litvaniæ, Mazoviæ, Ruſſiæ, & aliis Dominiis noſtris commorantes, ne diutius in ſuis peccatis tolerentur, de Regno & Dominiis noſtris prædictis per Nos & noſtros exire compellantur, & deinceps hi & alii in eisdem nullatenus foveantur. Item ſi aliquis de Regno Poloniæ, Ducatibus ac Terris prædictis ſubditos Ordinis violenter invaſerit, & ſuper eo Capitaneus Regni, vel Tenutarius requiſitus, ſeu pro alia quacunq; cauſa juſtitiam non fecerit, extunc pro negligentia hujusmodi a Capitaneatu vel officio eſt deponendus, niſi de innocen-

Anno 1422. tia ſe ſuo juramento proprio & corporali purgaverit. Similiter ex alia parte, ſi Commendator in reddenda juſtitia pro præmiſſis negligens fuerit, pari modo deſtituatur, & nihilominus purgatus, vel qui ſuccedit, juſtitiam teneatur facere expeditam requirenti. Si vero is, qui pro juſtitia ratione delicti vel alia requiritur, ſimplex fuerit terrigena, & juſtitiam facere recuſaret aut negligeret, extunc dampna juſtitiam requirenti per Capitaneum vel Commendatorem in Terris Ordinis de bonis terrigenæ prædicti compenſentur & ſolvantur, niſi ſe ſimiliter purgaverit juramento. Item omnia dampna, injuriæ, diſplicentiæ, impenſæ & expenſæ Prælatis eorumque Eccleſiis & Capitulis, ac Abbatibus, Prioribus, Conventibus, Monaſteriis, Perſonis Eccleſiaſticis & Sæcularibus, & aliis quibuscunque Regni Poloniæ & Dominiorum præſcriptorum per Magiſtrum, Fratres Ordinis, coadjutores, ſubditos & adhærentes antedictos in Regno & extra Regnum noſtrum illata quomodolibet, & facta in hac guerra præſenti, & e contra per Nos & Exercitus noſtros Prælatis in Dominiis Ordinis conſtitutis, ſint ſopita authoritate præſentium & extincta, ita, quod prætextu eorundem per Prælatos ipſos, aut eorum aliquem ſuis aut Eccleſiarum, Capitulorum, Conventuum ſive Monaſteriorum nominibus Nobis, Magiſtro & Ordini, vel aliis ſupradictis quæſtio, cauſa & actio vel impetitio de jure vel de facto nullo unquam tempore moveatur. Item cum medietas navigii Thorunenſis ſupradicti cum medietate pecuniarum de ipſo provenientium Nobis vigore hujus Concordiæ in perpetuum debeatur, ac Hæredibus ac Succeſſoribus noſtris et Regno noſtro Poloniæ, de collectione pecuniarum ſic inter Nos extitit conventum, ordinatum et concluſum, quod is, qui per Nos ac Succeſſores noſtros fuerit ad ea deputatus, conveniat cum Commendatore Thorunenſi pro tempore exiſtente in oppido Thorun, et collectorem hujusmodi ſingulis annis ſimul conſtituant, qui ſub præſtito juramento pecunias, quas collegerit, diebus Dominicis in manus utriusque præſentet æquali portione dividendas, ſolutis pretiis famulorum, et reparatione navium de communi pecunia, et ſi Parti alteri ille collector pecuniarum non placuerit, anno elapſo tam Capitaneus, ſive ad ea deputatus, quam Commendator convenientes alium eligant, quotiens fuerit opportunum. Sic tamen, quod anno uno in Thorun, alio vero anno apud Rippam ſeu Tabernam ex oppoſito Thorun hujus-

modi-

Anno 1422. modi collector eligatur, ſervitia vero per famulos navigii prædicti, quæ Scherwerk appellantur, fieri conſueta Partibus prædictis alternatis ſeptimanis impendantur, et tunc Pars quælibet in ſua ſeptimana ipſis provideat de expenſis modo et forma, ſicut eis hactenus eſt proviſum. Item quod ſi in antea una Partium alteri bellorum fremitus aut guerrarum, quod abſit, movere vellet diſſidia, contra concordiam et unionem præſentes, ex tunc ſubditi et omagiales terrigenæ et civitates Parti bella movere volenti non debent contra aliquam Partium conſentire, quinimo nec adjuvare, vel aſſiſtere auxilio, conſilio vel favore, per ſe vel per alium, publice vel occulte, ſupra quo utraque Pars ſuis ſubditis literas, inſcriptiones et munimenta ſpecialia dare debet, quod ipſas pro hujusmodi non aſſiſtentia et inobedientia debent non impetere, caſtigare, vel quovis modo impedire, et quod futuri Reges Poloniæ, Duces Litvaniæ, et Magiſtri Ordinis Pruſſiæ et Livoniæ antedicti ad requiſitionem alterius Partis promittant denuo et inſcribant, quod hujusmodi Concordiam inviolabiliter et perpetuo obſervabunt. Item ſi aliquæ novæ diſſenſiones, diſplicentiæ, dampna ſive diſcordiæ inter Nos, quod abſit, et Ducatus Litvaniæ, Samagitarum, vel Mazoviae et Terras Ruſſiae ex una, ac Magiſtros tam per Pruſſiam, quam per Livoniam ex alia partibus emerſerint, vel aliqua Partium ſuadente diabolo praeſenti Concordiae contravenire quovis modo praeſumpſerit, extunc Pars laeſa alteri tenebitur et debebit nuntiis aut ſcriptis hujusmodi injurias ſive diſplicentias, ſeu aliquod praemiſſorum ſignificare, et tandem ambae Partes efficere et procurare ſine dolo et fraude, quod Conſiliarii ipſarum ad certos locum et diem conveniant, qui hujusmodi diſplicentias et injurias, omni favore et odio poſtpoſitis, ſecundum Deum et juſtitiam tractent, cognoſcant, terminent et decidant. Item violationes treugarum, pacis, fœderum, ſtipulationum et contractuum, ſi quae inter Partes praedictas in guerris praeteritis accidiſſent, vigore praeſentis Concordiae annullamus et caſſamus. Omnes quoque Nobiles, Cives, et alios quoſcunque homines in Terris Magiſtri et Ordinis exiſtentes ab omnibus omagiis, alias Nobis praeſtitis atque factis, liberamus et abſolvimus per praeſentes. Nos vero Principes, Praelati, Duces, Comites, Palatini, Milites, Nobiles, Clientes, Civitates ſupraſcripti, videlicet Johannes Senior et Semovitus Duces Mazoviae, Johannes Archiepiſcopus Leopolienſis, Albertus Cracovienſis, Joannes Vladislavienſis, Andreas Poſnanienſis, Jacobus Plocenſis, Johannes Premyslienſis Eccleſiarum Epiſcopi, Criſtinus de Oſtrow Caſtellanus, Johannes de Tarnow Palatinus Cracovienſes, Sendivogius de Oſtrorog Poznanienſis, Nicolaus de Michałow Capitaneus Cracovienſis, Jacobus de Koniecpole Siradienſis, Jacobus de Oporow Lancicienſis, Mathias de Wanſoche Caliſienſis, Mathias de Labiſſchin Breſtenſis, Joannes de Koſzcze Gnewkowienſis, Petrus Pulik Czernenſis, Stanislaus Grad Płocenſis, Palatini; Zbigneus de Brzezie Regni Poloniae Mareſchalcus, Michaël de Cyzow Sandomirienſis, Johannes de Krolikow Gneznenſis, Moſticius de Staſchow Poznanienſis, Johannes de Tholiſchow Kaliſſienſis, Martinus de Kalinow Siradienſis, Johannes de Lankoſchin Lancicienſis, Johannes de Syczekociny Lublinenſis, Dobeslaus de Olesnicza Woynicenſis, Florianus de Korythnicza Viſlicienſ. Jarandus de Głobia Breſtenſis, Criſtinus de Koziegłowy Sandecenſ. Domarath de Kobylany Bieczenſis, Martinus de Rythwani Zavichoſtenſ. Adam de Selona Dobrinenſ. Johannes de Kretkow Rypinenſ. Joannes de Luthyn Sremenſ. Caſtellani; Sławecz de Bagłowicze Czernenſis, Saſſinus de Tramki Płocenſ. Paulus de Leſchno Varſchovienſ. Caſtellani; Petrus Schaffraniec de Luczyce Cracovienſis, Andreas Ciołek de Zeleckow Sandomirienſis, Jacobus de Wydawa Siradienſis, Albertus de Małe Lancicienſis, Jaroslaus de Iwno Kaliſienſis, Nicolaus de Człukow Dobrinenſis, Pompituberius de Tampſko Czechanovienſis Subcamerarius, Paulus de Bogumilowicze Cracovienſis, Panſek de Bogolow Poznanienſis, Iohannes de Bratkow Kaliſſienſis, Petrus de Widawa Siradienſis, Iohannes de Tutſtri Czechanovienſis, Petrus Bloch de Kuczkow Dobrinenſis, Dobeslaus de Rzeſzyno Plocenſ. Iudices; Martinus de Vroczimow Cracovienſis, Theodatus de Medzychot Poznanienſis, Petrus de Schremki Kaliſienſis, Scheliga de Ianowicze Siradienſis, Wigandus de Rampino Plocenſis, Plichta de Skothniki Sochaczovienſis, Vexilliferi; Spytko de Tarnow Ruſſiae, Iohannes de Sprowa Sandomirienſis, Andreas de Brutowicze Breſtenſis, Sethegius de Brodziec Lublinenſis Capitanei. Item Principes, Praelati, Cantores et Nobiles Terrarum Litvaniae et Ruſſiae: Boleslaus, alias Swidrigal Dux Czerniechovienſis, et Sigismundus Dux Starodubenſis, Mathias Epiſcopus Wilnenſis, et Nicolaus Mednicenſis Eccleſiarum Electus, Dux

Anno 1422. Dux Alexander Wladzimirowicz, Iwan Kazimirowicz, Andreas Vladimirowicz Faedor Corybuth, Georgius Langwini, Iwan Swelzlai, Semeon Iwanowicz, Iwan Semionowicz, Michaël Iwanowicz Capitaneus Kiiovienſis, Gregorius Semonowicz, Iwan Putata Duces de Terris Litvaniae et Ruſſiæ. Item Barones Litvaniae: Albertus alias Montwid Palatinus, Criſtinus alias Oſtik Wilnenſis Capitaneus, Iochannes alias Iawnis Palatinus Trocenſis, Michael Skirgall Capitaneus Samagitarum, Iohannes Swidrigal Caſtellanus Trocenſis, Capitaneus Cownenſis Wiowe Brathoſchec, Ioannes alias Weymier, Michael alias Waſzuſz, Georgius alias Bedigoldus Podoliae, Rumpoldus in Witebſko, Iohannes Buttrim Smolenſcienſis, Thoyto Połocenſis Capitanei, et Petrus Mareſchalcus Curiae Praeclari Principis Domini Alexandri alias Witoldi Magni Ducis Litvaniae, Alexander Monthowd Capitaneus in Soleczniki, Iwaſzko Guſald Durazenenſis, Michael alias Momwid Chrodenſis, et Iohannes alias Grichald Capitanei. Item Civitates Cracovienſis, Poznanienſis, Leopolienſis, Sandomirienſis, Kaliſſienſis, Gneznenſis, Siradienſis, Lancicienſis, Breſtenſis, Vladislavienſis, Lublinenſis, Sandecenſis, Goſtinenſis, Wſchovenſis, Plocenſis, Warſchavienſis, et Wilnenſis promittimus et ſpondemus ſub fide et honore noſtris, quod fideliter totis viribus procurabimus, inſtabimus, et efficere conſilio et perſuaſionibus curabimus, quod praefati Domini noſtri pacem hanc perpetuam in omnibus ſuis punctis et articulis inconcuſſe, illibate tenebunt, obſervabunt perpetuis temporibus et in aevum, harum quibus ſigilla noſtra appenſa ſunt, teſtimonio literarum. Actum in loco ſtationis Exercituum noſtrorum campeſtrium in flumine Oſſa, juxta lacum Melno inter Caſtra Radźyn et Rogozna in Terra Pruſſiae, Culmenſis Diœceſis, die Dominica in Feſto Sancti Stanislai Pontificis et Martyris glorioſi, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo. Praeſentibus Inclytis Principibus Wenceslao Duce Oppaviae, Semovito Iuniore, et Kazimiro Fratribus Ducibus Mazoviae, nec non Strenuis et Nobilibus Dobrogoſtio de Schamotuły, Petro Włodkone Pincerna Sandomirienſi, Johanne Głowacz de Oleſchnica, Petro de Kuroff, Scarbkone de Gory Militibus, et aliis pluribus fide dignis. Datum per manus Reverendi in Chriſto Patris Domini Alberti Epiſcopi Cracovienſis praedicti Cancellarii Supremi, et Venerabilium Virorum, Johannis Vicecancellarii Regni Poloniae, Sbignei de Oleschnica Sedis Apoſtolicae Prothonotarii, Praepoſiti Sancti Floriani ante Cracoviam, & Gneznenſis, Cracovienſis, Sandomirienſis, Wislicienſis etc. Canonici Eccleſiarum, praemiſſa diſponentis perſonaliter et tractantis. Anno 1422.

XCI.

Martinus *Papa* V. *Abſolvit* Vladislaum *Regem & omnes Adjutores & Subditos eius ab Excommuicatione propter bellum contra Cruciferos geſtum incurſa.* Datum Romæ. Anno 1423. Quinto Kalendas Sept. Pontificatus Anno ſexto. *Ex Originali.* 1423.

Martinus Epiſcopus Servus Servorum *Dei*. Cariſſimo in Chriſto Filio Vladislao Regi Poloniæ Illuſtri Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas redeuntibus ad eam cum humilitate filiis poſt exceſſum & errores ſuos ſponte recognoſcentibus ac veniam exinde humiliter poſtulantibus ſe libenter propitiam exhibet & benignam. Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum dudum inter te & dilectos filios Magiſtrum & Fratres Hoſpitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum de Pruſſia nuncupatos ſuper nonnullis Civitatibus, Caſtris, Oppidis, Villis & locis alijs controverſia quædam vigeret, tu videlicet de Anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo dubitans forſitan hujusmodi Controverſiæ finem non imponi, congregato per te Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium, Militum, & aliorum armigerorum quorumcunque nec non etiam infidelium Regni tui Poloniæ & partium tibi ſubiectarum exercitu quam plurimo Civitates & Caſtra, Oppida, Villas, & alia loca ad ipſos Magiſtrum & Fratres ſpectantia, hoſtiliter invadendo illorum aliqua per hujusmodi exercitum ignis voragine conſumpta ac inibi ſpolia, rapinæ, homicidia, mutilationes, virginum deflorationes, ſtupra, adulteria, Eccleſiarum & Monaſteriorum, aliorumque piorum & ſacrorum locorum devaſtationes, & alia facinora quam plurima commiſſa fuerunt, de quibus omnibus doles ab intimis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Tibi, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus & alijs armigeris, qui tecum militarunt, ſuper praemiſſis de opportunæ abſolutionis remedio providere

Anno 1423. de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod Sedis prædictæ clementia non conſvevit petentibus veniam denegare, hujusmodi ſupplicationibus inclinati Te, nec non Duces, Comites, Barones, Nobiles, Milites, ac alios armigeros hujusmodi, cuiuſcunque ſtatus, gradus, aut nobilitatis exiſtant, ab huiusmodi ſacrilegij reatu ac excommunicationis aliisque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas propterea incurriſtis, & incurrerunt, authoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvimus, & decernimus plenarie abſolutos, Teq; nec non Duces, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & alios armigeros prædictos ad honores, famam, ſtatus, gradus, præeminentias, dignitates, & officia, ac alias in ſtatum priſtinum, in quo eras, & erant antequam præmiſſa contingerent, reponimus, reſtituimus, & reintegramus, ac abolemus omnem inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam per Te aut alios tunc tecum in exercitu militantes præmiſſorum occaſione contractam, decernentes quoſcunque proceſſus & ſententias, quos & quas contra huiusmodi noſtræ abſolutionis, repoſitionis, reſtitutionis ac reintegrationis tenorem forſan haberi contigerit, ſeu etiam promulgari, irritos & inanes, nulliusque exiſtere roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ abſolutionis, repoſitionis, reſtitutionis, reintegrationis, abolitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam maiorem Quinto Kalendas Septembris Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

XCII.

Teſtimonium GUILLERINI *Tituli S. Marci Presbyteri Cardinalis de magno regeſtro Actorum ſuper Cauſis inter* VLADISLAUM *Regem Poloniæ, & Ordinem Teutonicorum in Pruſſia coram* MARTINO *Papa V. pendentibus, ex Commiſſione ejusdem conſcripto & in formam publicam redacto. Ex Archivo Regni Lib. 3. N. 4. fol.* 129.

In Nomine Domini Amen.

GVILLERINUS Tituli S. Marci Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, univerſis, ad quos hæc ſcripta pervenerint, ſalutem & notitiam veritatis. Ad univerſitatis veſtræ notitiam deducimus, quod Anno a Nativitate ejusdem Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo tertio, Indictione prima, Die vero Martis, Decima Nona Menſis Octobris, Pontificatus in Chriſto Patris ac Domini Domini MARTINI Divina Providentia Papae Quinti Anno Sexto, præfatus Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa in ſuo Pallatio apud Sanctam Mariam Maiorem Romæ, habens coram ſe unum Magnum Regeſtrum in papyro coopertum pargameno, circumligatum quodam funiculo atque ſigillatum, & aſſerens mihi coram eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa præſenti illud eſſe Regeſtrum nonnullorum Actorum & geſtorum, per venerabilem Virum Magiſtrum Antonium Zeno Canonicum Eccleſiæ Patracenſis, Decretorum Doctorem & Referendarium ſuum, vigore cujusdam Commiſſionis & Mandati Apoſtolici eiuſdem Domini Noſtri Papæ, præfato Domino Antonio directi, ſuper nonnullis controverſiis, cauſis & querelis tunc coram eodem Domino Noſtro Papa pendentibus, inter Illuſtrem Principem & Dominum Dominum VLADISLAUM Poloniæ Regem, concernentibus etiam Nobilem Virum Dominum ALEXANDRUM alias VITHOLDUM Ducem Lithvaniæ ex una parte, & Religioſos & Strenuos Viros Magiſtrum & Fratres Ordinis Jheroſolimitani Beatæ Mariæ Theutonicorum de Pruſſia ex altera parte, occaſione nonnullorum Ducatuum, Terrarum & Dominiorum, & rerum aliarum, qui & quæ in eodem regeſtro exprimuntur, & quod præfatus Magiſter Antonius Zeno Commiſſarius, illud Regeſtrum eidem Domino Noſtro Papae, ad ejusdem Domini Noſtri Papae mandatum fideliter transmiſerat, nobisque idem Dominus Noſter Papa facto Nobis vivæ vocis oraculo, commiſit & mandavit, quatenus Regeſtrum hujusmodi aperiremus, & ipſum Regeſtrum ac omnia in eodem contenta fideliter conſcribi faceremus, decerneremusque eidem tranſcripto in formam publicam redacto fidem ſicut ipſi Originali adhibendam fore & adhiberi, atque Tranſcriptum hujusmodi Procuratori vel Procuratoribus præfati Illuſtris Principis Domini Regis Poloniæ, ſi id peteret, vel peterent, traderemus & aſſignaremus. Sigillum autem eidem Regeſtro appenſum erat rotundum, & ſcripti in eo ſemiſex circuli & in medio circulus rotundus, in cuius ſuperiori parte Litera R. & inferius Zeno ſculpta erat, cuius ſigilli ſimilitudo figuræ tunc proximæ depicta erat. Anno 1423.

XCIII.

Anno 1424.

XCIII.

Vladislai *Regis Poloniæ Confirmatio & Declaratio Pactorum cum* Paulo de Rusdorf *Magiſtro Ordinis Teutonici initorum.* Datum in Rippa fluminis Viſla in hæreditate Nieſzowa Feria quarta infra Octavas Aſcenſionis Chriſti Anno 1424. *Ex Originali.*

Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniæ, Litvaniæque Princeps Supremus, & Hæres Ruſſiæ. Significamus tenore præſentium univerſis: Quomodo inter cætera noſtræ ſinceritatis & benignitatis ſtudia, quæ ad ſubditos & ſubjectos Dominiorum noſtrorum quadam humanitate libenter gerimus, diebus noctibusque meditantes in animo fatigamur, ut ipſis tranquillitatis remedia, pacis dulcedinem & requiem procuremus opulentam. Igitur convenientibus Nobis una cum Prælatis & Baronibus ac militia noſtris infraſcriptis Feria ſexta in craſtino Aſcenſionis Chriſti, & diebus ſequentibus in Rippa fluminis Viſla in hæreditate Nieſzowa, Vladiſlavienſis Diœceſis, ex oppoſito oppidi Thorun ex una, & Magnifico ac Religioſo Fratre Domino Paulo de Rusdorf Ordinis Beatæ Mariæ Teutonicorum Jeroſolimitanorum Magiſtro Generali, una cum Prælatis, Præceptoribus, cæterisque Ordinis prædicti Fratribus, Militibus & Civibus partibus ex altera, certos articulos quodam modo obſcuros & dubioſos in Litera Concordiæ perpetuæ ultimo inter Nos & Magiſtrum, Ordinemq; ſuum prædictos factæ & initæ contentas, ipſis articulis præfatæ Concordiæ in nullo penitus contravenientes, ipſos magis approbantes & confirmantes per capitula, diſtinctiones & clauſulas infra ſcriptas declaravimus & elucidavimus, & tenore præſentium declaramus & elucidamus. In primis ſiquidem, quod via libera eſt, & debet eſſe omnibus mercatoribus & incolis terrarum & dominiorum Ordinis, tranſeuntibus cum eorum mercantiis & rebus quibuscunq; in Hungariam, Litvaniam, Ruſſiam & Maſoviam per Regnum Poloniæ, & alias terras Nobis ſubjectas, antiquis tamen teloneis & depoſitis, ſive modis deponendi merces, conſuetudinibus, & obſervantiis aliis ſemper ſalvis, prout in articulo octavo literæ unionis & concordiæ perpetuæ, qui ſic incipit: Item omnes mercatores &c. eſt expreſſum. Item liber ſit tranſitus & via omnibus mercatoribus & incolis terrarum & dominiorum Ordinis cum ſuis mercantiis, frumentis cujuscunque grani, & rebus quibuscunque, & cujuscunq; conditionis vel maneriei * exiſtant, ſine impedimento vel angaria per terras & maria, aquas & flumina quæcunque aſcendendo in, & ad Regnum Poloniæ, Terras Litvaniæ, Samogitarum, Maſoviæ & Ruſſiæ, & deſcendendo per ipſum Regnum atque Terras prædictas, ac per ipſa flumina ſeu aquas uſque ad maria, & trans mare in navibus magnis ſive parvis in perpetuum quocunque & quotienscunque voluerint, quas quidem merces, frumenta & res, ut præſcriptum eſt, ſi præfati mercatores ſeu incolæ Ordinis ducentes vendere, aut ſtare in aliquo locorum ſeu civitatum ad portum ſive Rippam prædictarum aquarum, ſive maris ſituatorum vel ſituatarum voluerint, eſt & debet eſſe in ipſorum arbitrio & voluntate. Si vero vendere noluerint, poſſunt absque omni impedimento ire, ſeu aſcendere vel deſcendere, quo eis placuerit cum rebus prædictis, ut ſuperius eſt expreſſum. Item de dacia, Funthczol vulgariter dicta, Conſiliarii noſtri propoſuerunt, quomodo prædicta dacia ſit nova, & depoſita fuerat, neque eo tempore extitit, quum pax & concordia perpetua eſt facta & firmata, neque prædicta dacia impoſita fuit ad longa tempora, ſed tantum ad pacificandum mare eo tempore, quo Regina Daniæ Margaretha cum Alberto Rege Sveciæ tenuit guerram. Ex adverſo Conſiliarii Magiſtri & Ordinis dixerunt, quod hoc theloneum Funthczol fuit ante iſtam pacem & concordiam perpetuam. Nec unquam fuit depoſitum, nec articulus in Litera Concordiæ poſitus continet, quod aliqua thelonea deberent deponi, ſed demonſtrat, quod nulla nova thelonea ſunt inſtituenda, propter quam diſcrepantiam & dubium ſic eſt concluſum. Quod de cætero prædicta dacia Funthczol & ejus ſolutio ſuſpendatur, & ſit ſuſpenſa, nec ad ipſius ſolutionem duntaxat mercatores & incolæ Regni Poloniæ, & terrarum prædictarum teneantur tam diu, quouſque cognoſcatur & diſcutiatur, an ſecundum tenorem & diſpoſitionem Articuli octavi a capite, de quo ſupra facta eſt mentio, debeat deponi quoad mercatores & incolas Regni Poloniæ & terrarum prædictarum. Item quod omnes mercatores & incolæ Regni Poloniæ, & Terrarum Litvaniæ, Samogitarum, Maſoviæ & Ruſſiæ a ſolutione cujusdam pecuniæ vulgariter Lobgelth nuncupatæ, quæ a frumento in Gdanſk reci-

* *Generis*, a Gall. *maniere*. Gloſſ. Dufresne.

ANNO 1424. recipiebatur, perpetuo ſint liberi & exempti, nec ad ejus ſolutionem de cætero teneantur. Item omnes incolæ & mercatores terrarum & dominiorum Ordinis in terris Regni Poloniæ duntaxat Dobrinenſi, Cujavienſi, Lancicienſi, Siradienſi, & in Polonia in Civitate Gneſnenſi tantum libere poſſunt pannum & pannos vendere, & per ulnas incidere in foris annualibus civitatum ſeu oppidorum tantum, poſſunt etiam emere & educere frumentum, pecudes & pecora, & quaſcunque alias res in foris ſeptimanalibus quibuſcunque. Item quod theloneum & depoſitum vulgariter Nederlage circa Landsberg & Coſtrin in Nova Marchia, quæ dicuntur de novo impoſita, ſuſpendantur, nec a mercatoribus & incolis Regni noſtri Poloniæ exigantur ſeu recipiantur, ſed dentur ad fidejuſſoriam cautionem tam diu, quouſq; Nos & Magiſter prædictus ad limitandum granities inter Poloniam & novam Marchiam noſtros Nuntios transmittem9, & ibidem Dominus Magiſter recepta primitus informatione de impoſitione novitatis thelonei & depoſiti prædictorum, per dictos ſuos Nuntios, id quod novum & inconſuetum fuerit, deponet atque tollet. Item de vectura ſalis de Pruſſia per Terram Dobrinenſem ſuſpenſum eſt uſque ad reſponſionem noſtram. In quorum omnium teſtimonium & evidentiam pleniorem ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Præſentibus & tractantibus Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis Alberto Sanctæ Gneznenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo & Primate, Joanne Vladiſlavienſis, Andrea Poſnanienſis, Jacobo Płocenſis, Joanne Chełmenſis Eccleſiarum Epiſcopis, Magnificisque et Strenuis Viris Sandywogio Poſnanienſi, Capitaneo Majoris Poloniæ, Alberto de Wſcheradovo Kaliſienſi, Jacobo de Koniecpole Siradienſi, Mathia de Labiſchin, Breſtenſi, Nicolao Oporow Lancicienſi, Januſio de Koſcielce Vladislavienſi Palatinis, Floriano de Korytnica Viſlicienſi, Joanne de Szczekocin Lublinenſi, Januſio de Brzozogłowy Sandecenſi, Capitaneo Bidgoſtienſi, Thoma de Pakoſcz Bidgoſtienſi, Caſtellanis; Dobrogaſtio de Schamotuli Kaliſienſi, Alberto Malſki Subcamerariis & Capitaneo Lancicienſi, Andrea Grothoczki Capitaneo Breſtenſi, Dobeslao de Lubino Dapifero, Andrea de Lubrancz Breſtenſi, & Blothone Judicibus Dobrinenſibus, Nicolao Sepenſky, Nicolao Czebulka, & aliis pluribus Militibus noſtris fidelibus, dilectis. Actum & datum in Rippa fluminis Visla in hæreditate Nieſzowa Vladislavienſis Diœceſis, ex oppoſito Oppidi Thorun, Feria 4. infra Octavas Aſcenſionis Chriſti, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo quarto. ANNO 1424.

XCIV.

ALBERTUS *Archiepiſcopus Gnesnenſis ratam habet, & promittit ſe ſervaturum pacem & concordiam ſupra Oſſam fluvium ad lacum Melnam inter* VLADISLAUM *Regem & Magiſtrum Ordinis Cruciferorum initam.* Datum in Juveni-Vladislavia, Feria 3. Feſti Pentecoſtes Anno 1424. *Ex Originali.*

NOS ALBERTUS Dei Gratia S. Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus & Primas. Significamus tenore præſentium omnibus & ſingulis harum notitiam habituris. Quia Nos concordiam & unionem perpetuas initas, habitas & concluſas inter Sereniſſimum & Illuſtres Principes Dominos VLADISLAUM Regem Poloniæ &c. Dominum noſtrum gratioſum, & ALEXANDRUM alias WITTOWDUM Ducem Magnum Litvaniæ &c. ex una, Magnificumque & Religioſos Viros Fratres PAULUM de RUSDORF Magiſtrum Generalem, Siffridum Landere de Spanheim per Livoniam Præceptorem Generalem, totumque Ordinem Sanctæ Mariæ Heroſolimitanæ Domus Theutonicorum partibus ex altera, ratas & gratas habemus & tenemus, & inviolabiliter perpetuis temporibus obſervabimus. Promittentes etiam præſentibus, quod eidem de jure vel de facto non contraveniemus alio quovis quæſito ingenio vel colore, bona fide. Tenor vero hujusmodi pacis & concordiæ perpetuæ de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis:

„ *In Nomine Domini Amen.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos VLADISLAUS Dei Gratia Rex Poloniæ &c. *Vide ſupra pag.* 110.

In quorum omnium prædictorum robur, & evidentiam pleniorem ſigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum. Datum in Juveni Vladislavia Vladislavienſis Diœceſis, Feria tertia Feſti Pentecoſtes Anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo quarto. Præſentibus Honorabilibus Viris Adam de Brandkow Decretorum Doctore, Canonico Gneſnenſi & Cracovienſi, Nicolao de Kije Archidiacono, ... de Oporow Decretorum Doctoribus, Petro de Rabilmo Decano Poſnanienſi & Canonicis

Anno 1424. nicis noſtris Gneſnenſibus, Derslao de Batrzynow & Sandkone Baccalaureis in Decretis, Johanne de Karſi Marſchalco, Andrea de Wſcheſwanthe Dapifero, Johanne Wrancz Pincerna, militibus & familiaribus continuis Curiæ noſtræ, aliisque pluribus fide dignis.

XCV.

1428. *Compromiſſum* Vladislai *Regis cum Magiſtro Pruſſiæ ſuper arce, ac territorio Drzen in* Vitoldum *Ducem Litvaniæ.* Dat. in Nova Civitate Nieſzowa Feria tertia infra Octavas Aſcenſionis Domini Anno 1428. *Ex Originali.*

Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniæ, Litvaniæque Princeps Supremus & Hæres Ruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris præſentium notitiam habituris. Quod ex quo cauſa, quæ inter Nos, Regnum noſtrum Poloniæ ab una, Magiſtrum Generalem & Ordinem Cruciferorum de Pruſſia ab alia partibus, ſuper Caſtro & Territorio Drszen coram Strenuis & Nobilibus Martino de Slawſko Caſtellano Caliſienſi, Petro Cordebog Subcamerario Poznanienſi, Szyfrido de Stheglicz in Riecz, & Burcardo Buntersberg quatuor Judicibus rite a Partibus ad hoc deputatis & electis vertebatur, qui ad nonnullos actus in ipſa cauſa jam proceſſerant, difficultate et dubiis quibusdam in ea exortis, et propter dictorum Judicum diſcrepantiam remanſit indeciſa ſeu indiſcuſſa, et ne cum ſumptibus, laboribus, odiis, et expenſis ſuperfluis et gravibus dicta cauſa longis protrahatur diſpendiis, ſed cominus cunctis incommodis amputatis fine poſſit concludi breviori, de legalitate, prudentia, fide et juſtitia Magnifici et Inclyti Principis Fratris noſtri cariſſimi Domini Alexandri alias Witowdi Magni Ducis Litvaniae etc. confidentes, de conſenſu Prælatorum, Baronum, et Procerum omnium Regni noſtri, et concordi voto dicti Magiſtri Generalis, ſuorumq; Compræceptorum præfati Ordinis, ipſum ad decidendam hujusmodi cauſam cum omnibus ipſius incidentiis et emergentiis Judicem verum, legitimum et indubitatum elegimus, deputavimus, et aſſignavimus tenore præſentium mediante, dantes et concedentes ſibi omnem facultatem ſervatis ſervandis, vel obmiſſis, ſimul et ſemel vel ſucceſſive, prout ſibi videbitur expedire, procedendi, et auditis querelis et propoſitionibus, quas coram ipſo Partes facient, teſtes, privilegia et inſtrumenta, probationes et quaelibet alia munimenta, quibus Partes ſe neceſſario juvare voluerint et produxerint, recipiendi, examinandi et diffiniendi, ac omnia et ſingula faciendi, quæ verus et legitimus Judex facere debet, et poteſt ac tenetur. Quidquid autem in hujusmodi cauſa et ipſius emergentiis et incidentiis fecerit, decreverit, concluſerit, ſententiaverit et dictaverit, omnia et ſingula promittimus et ſpondemus recipere, emologare, tenere, et perpetuo ſervare, omnibus appellationibus et aliis quibuscunque juris ſubſidiis renuntiantes, quæ Nos vel Regnum noſtrum in cauſa hujusmodi et contra deciſionem et ſententiam, ſeu quemlibet alium proceſſum præfati Domini Ducis poſſent relevare, quibus etiam præfatus Magiſter ſuo et Ordinis ſui nominibus renuntiavit per expreſſum. Volumus autem, et ita præſentem dicto Domino Duci et Iudici concedimus facultatem, ut cauſa prædicta cum omnibus ſuis incidentiis et emergentiis a data præſentium infra unius anni ſpatium duntaxat per eum finiatur. Quo elapſo dictus Iudex ſuo functus officio, omni careat facultate, harum, quibus ſigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio literarum. Datum in Nova Civitate Nieſzowa Feria tertia infra Octavas Aſcenſionis Domini, Anno ejusdem milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo.

XCVI.

1433. *Induciæ duodecim annorum inter* Vladislaum *Regem Poloniæ, & Duces Litvaniæ, Maſoviæ, Stolpenſem ab una, &* Paulum de Rusdorf *Magiſtrum Generalem, Magiſtrosque Almaniæ & Livoniæ Ordinis Teutonicorum ab altera parte conſtitutæ.* Act. & Datum Lanciciæ Feria tertia poſt Feſtum S. Luciæ Virg. Anno 1433. *Ex Originali cum Sigil. 93.*

Vladislaus Dei Gratia Rex Poloniæ, Litvaniæ Princeps Supremus, et Hæres Ruſſiae etc. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis, tam præſentibus quam futuris praeſentium notitiam habituris. Quomodo cupientes poſt bella, guerras et praelia, quae inter Nos, Regnum noſtrum, et Magnum Ducatum Litvaniæ, ac Venerabilem

Anno 1433. rabilem Dominum Paulum de Rusdorf Magiſtrum Pruſſiae Generalem, et ſuum Ordinem hactenus ſeminatores zizaniae humani generis innumera fovebant, ſub umbra dulcis pacis reſpirare, quia Deus non bene non in pace colitur, treugas pacis et ſufferentias veras, Chriſtianas, perfectas et indubitatas facimus, ordinamus, ponimus et firmamus inter Nos, Regnum noſtrum Poloniae, et inclytos Natos noſtros Vladislaum et Casimirum, nec non praeclaros Duces: Dominum Sigismundum Ducem Magnum Litvaniae, et omnes terras Magni Ducatus Litvaniae, nec non terras omnes noſtras, quas modo poſſidemus, et in futurum Nos poſſidere continget, nec non Semovitum, Casimirum, Wlothconem et Bolconem Maſoviae, Boguslaum Stolpenſem Duces, ac inter omnes noſtros et ipſorum ſubditos et adhaerentes ex una, nec non Magnificos et Venerabiles Dominos Paulum praedictum Magiſtrum Generalem Ordinis B. Mariae Teutonicorum Pruſſiae, Tzyſio de Rutembergk Livoniae, Ebrehardum de Zamzhem Almaniae Magiſtros, ac inter omnes terras, quas ad praeſens poſſident, ac in futurum poſſidebunt, ſubditos, adhaerentes ipſorum partibus ab altera, a die Nativitatis Chriſti proxime venturo, uſque ad duodecim annos continue ſe ſequentes ſub conditionibus et ordinationibus infra ſcriptis. Et primo ut fructum et commodum pacis perpetuae authoritate ipſius pacis ſuffragante conſequi hinc inde valeamus, ſtatuimus, et praeſentis ſcripti patrocinio promittimus, et firmamus, quod pro tractanda pace perpetua Praelatos, Barones, Conſiliarios noſtros in Feſto Nativitatis B. Mariae Virginis proxime affuturo in locum ſive villam noſtram Sluſko transmittemus. Quod ſi in praedictis loco et tempore, quod Deus avertat, concludere non poſſent, licitum ſit praedictis Conſiliariis noſtris, cum voluntate et conſenſu Partis alterius, alium vel alios terminum vel terminos ponere, pro conſumanda hujusmodi pace perpetua toties, quoties eis videbitur expedire. Si non deciſo pacis perpetuae negotio Partes ab invicem abierint, nihilominus treuga et ſufferentia pacis duodecim annorum ſine aliqua violatione, impetu et perturbatione curret et durabit. Item pendentibus treugis ſupraſcriptis omnia caſtra, civitates, oppida, villae, poſſeſſiones, ſortes homagiales et feudales, duntaxat in his guerris ulterius acquiſita et poſſeſſa, circa Partem, quae ipſas acquiſivit, videlicet civitas Arnswald alias Chosczno, feudales ſeu homagiales Nova-Wedlenſes et Falkenburgenſes cum ipſorum caſtris, oppidis, Wedel et Falkenberg, et villis ad praedictam civitatem Arnswald et jurisdictionem, tenutam Curiae ejusdem civitatis et oppida praedicta ſpectantibus, ita tamen, quod praedicta civitas de Arnswald non debet fortificari vel muniri, nec non cum villis Murzynow, Orłow et Nova Villa in tenuta et poſſeſſione noſtra et Regni noſtri; Caſtrum autem Nieſchow cum aliis villis ab alia parte Borrae ſecus Wislam jacentibus, una cum Borra a diu ad caſtrum praedictum ſpectantibus, et cum navigio Wislae circa Thorun in tenuta et poſſeſſione Domini Magiſtri praedicti remanebunt. Hoc etiam addito, quod tenutarii civitatis Arnswald incolas gravare non debent, ſed eos in eorum jure et conſuetudine, in quibus alias tenti et ſervati fuerunt, tenebunt et ſervabunt. Item alia caſtra, civitates et oppida per exercitum noſtrum exuſta, pendentibus treugis praedictis nullius Partis jurisdictioni debeant ſubeſſe, quae non debent fortificari vel muniri Parte ab utraque, incolis tantum in dictis civitatibus habitare volentibus licitum ſit, ſine cujuslibet Partis requiſitione et prohibitione domicilia aedificare, et negotiationes exercere. Si vero incolae praefatarum civitatum ab aliquibus malis injurias vel oppreſſiones paterentur, Majoris Poloniae Capitaneus cum Advocato Novae Marchiae eos ſimul tueantur et defendant. Pari modo ſi aliquae contentiones et controverſiones aut dubia emerſerint, praefati Capitaneus cum Advocato hujusmodi inter eos diffiniant et decidant. Item quod limites attinet Maſoviae Ducum et Stolpenſis praedictorum, debent in eisdem limitibus, diſtinctionibus, deciſionibus et ſtipulationibus durantibus treugis remanere, ſicut ante initia guerrarum ultimarum remanſerunt et ſteterunt. Item Magiſter et Ordo debet reſtituere ſtatim praedictis treugis incipientibus omnia bona, villas, curias, ſortes quaſcunq; alias poſſeſſiones Praelatis ipſorum, Procuratoribus Gnesnenſis, Posnanienſis, Vladislavienſis et Plocenſis Eccleſiarum, Dioeceſum, ut ipſas, ſicut ſemper poſſederunt ab antiquo, praeter ſpatium interruptionis iſtius brevis et anguſti temporis guerrarum modernarum, poſſideant libere, et manuteneant ſine perturbatione et impedimento, arreſtatione et detentione Domini Magiſtri Ordinis praedicti. Item damna praefatis Praelatis et Eccleſiis eorum per exercitus Domini Magiſtri Ordinis praedicti, et e contra per exercitus noſtros Anno 1433.

ſtros

ANNO 1433. ſtros Prælatis & Eccleſiis in Terra Pruſſiæ illata, uſque ad expirationem prædictarum treugarum remanebunt in ſuſpenſo, nec aliqua perſona ſpiritualis aut ſæcularis, in foro ſpirituali aut ſæculari alteri Parti movebit quæſtionem occaſione ſupraſcriptorum damnorum, de damnis autem, decimis aut proventibus, & aliis cenſibus arreſtatis & retentis in Terra Pruſſiæ, Prælatis noſtris per Dominum Magiſtrum & Ordinem factis, uſque ad diem placitum, videlicet ad Feſtum B. Virginis Mariæ prædictum ſuſpendantur, nec interim aliquid judicetur & attemptetur, ubi ſi nulla concordia ac æquitas Partibus impenditur, quælibet utatur ſeu exuatur ſuo jure, & nihilominus dicti Prælati in poſſeſſionibus ſuis non fruſtrentur. Item ut omnis ſuſpicio & hoſtilis reſpectus hincinde inter Nos & Partem Ordinis in toto evellatur, omnes ligæ, confœderationes, inſcriptiones, quæcunque ſint vel fuerint inter præfatum Dominum Magiſtrum Pruſſiæ & Dominum Almaniæ, vel Magiſtros Livoniæ, & Prælatos, Nobiles quoscunque et ſubditos eorum cum Duce SWIDRIGAL, Prælatis, Ducibus, Boiaris, & ſubditis Terrarum Litvaniæ, Samagitiæ & Ruſſiæ debent eſſe caſſæ & inanes, irritæ & in nihilum redactæ, Magiſtrique prædicti, Ordo, Prælati, Nobiles, cives & ſubditi eorum debent præfatum Ducem SWIDRIGAL deſerere & dimittere temporibus perpetuis, & exinde dimittunt & deſerunt, nec unquam eidem auxilia, conſilia contra Nos, Filios noſtros, aut Regnum Poloniæ facient aut præſtabunt, imo nec ipſum permittent per terras & dominia ipſorum damna aut impedimenta Regno & Coronæ, neque Ducatui Magno Litvaniæ & Ruſſiæ inferre, nec aliquomodo publice & occulte ipſum per ſe aut ſubmiſſas perſonas juvare aut ſublevare, omnesque literas, inſcriptiones fœderum aut ligarum inter præfatum Ducem SWIDRIGAL, & omnes ſuos adhærentes factarum, Nobis & Coronæ in Vigilia Circumciſionis Domini proxime venturae in Raczanſz ad manus Nuntiorum noſtrorum illic mittendorum reſtituet, ubi & Nos reverſales literas Domini Magiſtri, quas Duci prædicto dederat, per eosdem Nuntios praedictos reſtitui faciemus. Item promittimus & ſpondemus efficaciter procurare & ordinare, quod praeclarus Princeps Dominus SIGISMUNDUS Magnus Dux Litvaniae, Frater noſter cariſſimus, treugas ſupraſcriptas cum Praelatis, Ducibus, & aliis ſubditis tenebit, attendet, & ſervabit in omnibus ſuis punctis & clauſulis, & ſuis literis firmabit, quas literas praefato Domino Magiſtro in termino Conventionis proximo, videlicet in Feſto Nativitatis Beatae Mariae Virginis praedicto per noſtros Nuntios expeditas transmittemus. Pari modo & Dominus Magiſter Generalis & Ordo literas Magiſtri de Livonia, & ſuorum Praelatorum & Compraeceptorum Nuntiis noſtris in ſupradicto termino per ſuos Nuntios praeſentabit. Item ſi fures, malefactores & incendiarios quoscunque de dominiis Ordinis quibuscunque ad terras Regni noſtri, Ducatus, & terras praedictas fugere contingeret, ex tunc terrigenis, & quorum intereſt, de terris et dominiis, licebit eosdem absque omni impedimento inſequi libere, ubicunque poterint, quibus etiam Capitanei, tenutarii, terrigenae, judices, officiales et ſubditi noſtri, quicunque ſuper hoc fuerint requiſiti, debent praeſtare conſilia, auxilia et favores, ut malefici hujusmodi capiantur, captique juxta jura municipalia Regni noſtri et Ducatuum praedictorum legitime puniantur, et ſi capi non poterint in Regno noſtro, dominiis, terris praedictis, per Nos et alios nullatenus ſuſtineantur ſeu foveantur, teneaturque utraque Pars illis ſine fraude et dolo in ſuis dominiis incolatum prohibere, aut in metis terrarum, quos hujusmodi tangit negotium, exhibere juſtitiae de eis complementum. De malefactoribus Regni noſtri Poloniae, uſſiae, Ducatuum et dominiorum praedictorum ad Pruſſiam et Livoniam confugientibus in omnibus et per omnia ſimilis aequitas habeatur. Item quod neutra Partium debebit aliquem vel aliquos durantibus treugis in ſuis dominiis fovere et tolerare, quae alteram Partem, ejus ſubditos aut ſubditum diffidare velit aut velint ac diffidant, damna irrogant, vel alias graves inferent moleſtias, quinimo nec...... partis adeſſe, paſſum eis per terras permittere ſuas ad offenſam alterius ſine dolo et fraude quoquo modo. Item ſi per aliquem ſubditum, indigenam vel advenam noſtrum aliquo caſu & eventu treugis praedictis in aliquo fuerit derogatum et contraventum, utpote rapinae, ſpolia, incendia, vaſtationes, praedae vel homicidia, vel aliqua maleficiorum genera in terris et dominiis noſtris alterutrum perpetrata fuerint et commiſſa, quod treugae praedictae propterea ceſſari et irritari non debebunt, ſed in ſuo robore et firmitate permanebunt, praedicti autem delinquentes et malefactores pro ipſorum exceſſibus ad certa loca utriusque dominii confiniorum, tam Regni quam Ordinis, ſe annis ſingulis transferant et deſcendant,

Anno 1433.

ad corrigendos hujuſmodi exceſſus et crimina: qui quidem Capitanei et Officiales noſtri adhibitis ſibi ab utraque parte duobus honeſtis viris et bonae conſcientiae et famae, pro corrigendis hujuſmodi exceſſibus et delictis ad certa loca utriusque dominii, tam Regni quam Ordinis, ſe transferant judicaturi, correcturi et pœnis debitis punituri. Item omnes mercatores et quicunque incolae Regni noſtri, terrarum et dominiorum Litvaniae, Samogitarum, Ruſſiae, Maſoviae et Stolpenſis, et e converſo Pruſſiae, Livoniae, quarumcunque terrarum aliarum Parti utriusque ſubjectarum, cum ſuis mercantiis et rebus ſine impedimento libere per terras et maria, aquas et fluvios quoscunq; in navibus magnis vel parvis transire poſſint et valeant ſtantibus treugis ſupradictis, quotiescunque videbitur expedire. Item quod Nos Rex et noſtri nova telonea et dacia imponere minime debeant, antiquis tamen teloneis et depoſitis, ſive modis deponendi merces, conſuetudinibus et obſervantiis ſemper ſalvis, illo tamen adjecto, quod ſi vectores et aurigae, bona ſeu merces mercatorum pro pretio ducentes, telonea ſeu loca daciarum tranſierint, ipſi duntaxat in equis et rebus ſuis propriis puniantur, et quod propterea bona mercatorum non debeant occupari ſive detineri. Item dacia illa, quae vulgariter dicitur Funthczol, in ſuſpenſo manebit, uſq; ad terminum Conventionis B. Mariæ ſupradictum, ita, quod a mercatoribus Domini Regis Regni Poloniae, Ducatusque Magni Litvaniae interim non exigatur. Item ſubditi noſtri, Ducum, et terrarum praedictarum undecunque, cujuſcunque gradus, ſtatus aut conditionis fuerint, qui cauſa negotiationis ad Terras Pruſſiae, Livoniae et alias venerint, per Dominum Magiſtrum et Ordinem, et ſubditos ſuos et extraneos, cujuscunque gradus, ſtatus aut conditionis fuerint, minime impeti, conveniri debent vel arreſtari, ſed in locis habitationum ſuarum, ſi quid actionis habuerint, juxta terrarum praedictarum municipalia jura hujuſmodi concertationes ſopiantur, deprehenſus tamen in flagranti crimine in loco delicti legitime puniatur, et . . . . . de contractu recenti in loco contractus conveniatur; ſed ſi de loco, ubi contraxit vel deliquit, receſſerit publice vel occulte, coram ſuo judice conveniatur. Item pons in flumine Drawa circa Okczeth maneat non deſtructus, et liber transeuntibus durantibus treugis ſupra dictis. Item ut inter Nos, Magiſtrum et Ordinem, et ſubditos noſtros diſcordiae ſaepius occaſione molendini in Lubicz ſubortae tollerentur, volumus, et in arbitrium Domini Magiſtri ponimus, quod aut depoſito aggere ſive obſtaculo aqua fluvii Drwańcza liberum meatum habeat, aut de molendino facto ſeu faciendo, ſoluta per Nos medietate impenſarum, medietas fructuum, proventorum et emolumentorum de praefato molendino provenientium Nobis cedat durantibus treugis ſupradictis. Item ut hujuſmodi treugas pacis et ſufferentias ſub certiori attentione, firmitate et robore cuſtodiamus et ſervemus, promittimus ſine fraude et dolo, et ſub fide et honore, quod ad nullius hominis viventis requiſitionem, ſuggeſtionem, inductionem, perſuaſionem vel mandatum, etiam quacunque dignitate praefulgeat, Papali, Imperiali vel Regali, aut cujuscunque congregationis legitimae perſonarum Eccleſiaſticarum vel ſaecularium debet vel poterit contravenire ipſis in parte vel in toto, expreſſe, publice vel occulte, per ſe, alium vel alios, quascunque perſonas ſubmiſſas ſpirituales vel ſaeculares, neque eas tali aut quocunq; modo violare. Item ut omnia praemiſſa certiori cautela munita jugiter permaneant, et ut pars contra partem metu animadverſionis praeſentis ad bella et prœlia non conſurgat, ſtatuimus decernentes, quod Praelati, Milites et Communitas Regni noſtri debeat et teneatur terrarum Ordinis Praelatis, Militibus, Nobilibus et toti Communitati dare certas literas noſtras, et Reverſales ab ipſis ſub eadem forma recipere, quas tam Nos, quam Magiſter et Ordo utrisque noſtris ſubditis dare promittimus, ipſique ſubditi noſtri easdem ſubditis Regni noſtri dare et praeſentare in termino Nativitatis Mariae praedicto tenebuntur ſub his vel ſimilibus verbis: Quod ſi Nos, vel Succeſſores noſtri pendentibus hujusmodi treugis Domino Magiſtro aut Terris Ordinis vellemus aut conaremur hujusmodi guerras ac bella movere, non debent Nobis ſubditi noſtri conſentire, nec in hoc obedire aut parere, imo erunt ab omnibus noſtris homagiis, juramentis et ſubjectionibus liberi et ſoluti, donec Nos ad obſervationem hujusmodi Treugarum revertemur. In quorum omnium fidem et teſtimonium praemiſſorum Majeſtatis noſtrae, nec non Reverendiſſimorum, Reverendorum, Magnificorum, Strenuorum, Nobilium et Providorum Dominorum Praelatorum, Baronum, Militum, Civium et Civitatum noſtrorum infra ſcriptorum, ſcilicet: Alberti Gneſnenſis Primatis, Joannis Leopolienſis, Zbignei Cracovienſis, Stanislai Poſnanienſis Epiſcoporum, ſub ratihabitione aliorum

Anno 1433. aliorum noſtrorum Praelatorum, Baronum, Nobilium, Militum, Civitatum et Civium ſigilla ſunt appenſa. Actum et datum Lanciciae, Feria tertia proxima poſt Feſtum S. Luciae Virginis, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo tertio.

XCVII.

1436. *Perpetua Pax & Foedus inter* Vladislaum Jagiellonis *Regem, Regnumque Poloniæ, ejusdemque Principes tam Eccleſiaſticos quam Sæculares ex una, & Magiſtrum Generalem, nec non Magiſtros Almaniæ & Livoniæ Ordins Teutoniici, eorundemque Præceptores, adhærentes ac ſubditos, & ipſorum Hæredes ac Succeſſores ex altera partibus conſtitutum.* Actum in Brzeſcie Cuiav. in Vigilia Circumciſionis Domini. Anno 1436. *Ex Originali Sigil.* 206.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Convenit actus hominum, qui vetuſtate cadunt, & ſucceſſu temporis in oblivionem vertuntur, ſolidis ſcripturarum & teſtium fundamentis commendare, in quorum cuſtodia nullis marceſcunt temporibus, ſed ſemper jugis perennatione memoriæ incommutabiles ſervantur. Proinde Nos Vladislaus D. G. Rex Poloniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Litvaniæ Princeps Supremus, Pomeraniæ, Ruſſiæ Dominus & Hæres, & Sigismundus Magnus Dux Litvaniæ & Terrarum Ruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris notitiam præſentium habituris, quomodo cum Divini diſpenſatione conſilii ad hoc Regni recepimus gubernacula, ad hoc quoque tantum in Terris obtinuimus Principatum, ut propenſiori cura & vigilantia noſtra ſemper ſtudia extendamus, per quæ pacis deſideranda tranquillitas inter Chriſti fideles, ex quorum diſcordia non ſolum Terrarum & Urbium, ſed Provinciarum atque Regnorum reſultant excidia, prout in plerisque lugenda atque calamitoſa exempla mortalibus exhibent argumenta, procurari queat, & procurata ab Auctore pacis de trono ſuæ ineffabilis majeſtatis atque potentiæ concludi, & mediis ſalutaribus ſtabiliri, ac extolli felicibus incrementis. Et attendendo, quod non niſi in pace pacis Opifex Deus perfecte coli valeat, & ea nihil in mundo exoptari poſſit pretioſius, aut deſiderabilius concupiſci, hinc eſt, quod Nos non abſque interna compaſſione & gravi cordis amaritudine recenſentes, quot & quanta mala ex guerris & diſſenſionibus procedant, quodque ex contentionibus & bellis, ſi ea mortales agant, odia hominum, non ſine etiam animarum & æternæ ſalutis diſpendiis, ac excidiis civitatum, provinciarumque & terrarum, ac in illis degentium interitus ſubſequatur, Divinus deperit cultus, & ſanguinis effuſio oritur, cumque tales diſcordiæ atq; bella non ſolum ſe ſuosq;, ſed etiam alios plurimos tractura ſunt veriſimiliter in præceps & ruinam. Propterea ſupremis affectibus exoptantes, ut non creſcant jurgia, ſed juxta magiſtram bonorum omnium charitatem, quæ nihil ſapit extraneum, nil aſperum, nil confuſum, imo propria virtute nutrit concordiam, diſſociatos jungit, pacem & unitatem conſolidat: ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & B. Mariæ Virginis Glorioſæ, totiusque Hierarchiæ cœleſtis, propagationem Fidei, cultum juſtitiæ et Religionis Chriſtianæ ſalutiferum incrementum, a guerrarum deflendis exitiis, diſplicentiis, odiis, rancoribus & offenſis inter Nos Vladislaum Regem Poloniæ &c. Sigismundum Magnum Ducem Litvaniæ &c. prædictos, & Inclytum Casimirum Germanum noſtrum, Semovitum, Casimirum, Vladislaum, Boleslaum Maſoviae, ac Boguslaum Stolpenſem & Pomeraniae *Duces*, Regnum Poloniae, Terrasque noſtras Magni Ducatus Litvaniae, Ruſſiae, Maſoviae, Stolpen. & Woiewodam Moldaviae, & alia Dominia Nobis ſubjecta ex una, & Magnificum & Religioſum Dominum Paulum de Rusdorf Ordinis B. Mariae Theutonicorum Jeroſolymitani Magiſtrum Generalem, & Ordinem ſuum ac Terras ejusdem Ordinis Pruſſiae, Alemaniae, Livoniae, & alias omnes eis ſubjectas parte ex altera. non ſine gravi offenſione & jactura exortis, noſtrae mentis propoſitum retrahere decrevimus, & ea, quae durantibus hujusmodi controverſiarum & guerrarum turbinibus circa bonum Reipublicae ſunt diruta et deſtructa, per pacis integritatem ad ſtatum cupientes reducere quietum et tranquillum, cum eisdem Magiſtro, Fratribus et Ordine ipſius, Terris Pruſſiae, Alemaniae, & Livoniae, ſubditis & ſequacibus eorundem, perpetuae pacis et inviolabilis foe- Anno 1436.

Anno 1436. deris unionem elegimus, aſſumpſimus, ſuſcepimus et inivimus, eligimusque, ſuſcipimus, aſſumimus et inimus tenore praeſentium mediante, omni tempore perpetuo duraturam, quam ſub fide et honore, ac juramentis corporaliter praeſtitis, ſine dolo et fraude promittimus vigore praeſentium obſervare, et ut ipſa unio cum tanta deliberatione et maturitate concepta ad firmum et conſtantem ordinem jugiter obſervandum reducatur, ipſam per Articulos infraſcriptos omnino duximus regulandam. Inprimis quod inter Nos Regem, Magnum Ducem, et Duces praedictos, Regnum Poloniae, Magnum Ducatum et Terras Litvaniae, Samogitiae, Ruſſiae, Maſoviae, Stolpen. et Palatinum Moldaviae, et aliorum dominiorum et ſubditorum noſtrorum ab una, et praedictum Magiſtrum Generalem et Ordinem, Terras et ſubditos ipſius tam in Pruſſia, Almania, quam Livonia et Nova Marchia parte ex altera, omnes diſſenſiones, controverſiae et damna inter Partes hinc inde facta, dimiſſa et totaliter ſopita debent eſſe, nec illorum de caetero aliqua mentio aut memoria, et ſignanter in querelis aut in detractione partium, coram quibuscunque perſonis habeatur aut fiat; ſed nec non partium ad infamiam alterius partis ſuggeret, conſentiet, auxilium dabit et favorem, publice vel occulte, & quantum in ea parte fuerit, delationes et detractiones hujusmodi fieri non admittet, ſed potius prohibebit. Item quod omnia bona Eccleſiarum Gneſnenſis, Vladiſlavienſis, Plocenſis et Poſnanienſis, Praelatorum, Abbatum, Monaſteriorum, Conventuum, et aliarum quarumcunq; perſonarum ſaecularium et Religioſarum, quae ſunt in Terris Ordinis praedicti ſituata, debent circa jura omnia, tam Eccleſiaſtica quam Saecularia, et omnes antiquas conſuetudines, queſtus, decimas, caſtra, villas, praedia, curias, et alias utilitates, emolumenta et proventus, quibuscunque nominibus nuncupentur, conſervari, nec aliquibus novis conſuetudinibus, ſervitiis, et oneribus aggravari, quodque eadem bona non alienentur, nec pro eorum alienatione inſtetur per partes ſine conſenſu Praelatorum ſpeciali. Omnes autem cenſus, decimas, proventus, et alias obventiones qualescunque in Terris Ordinis conſiſtentes, quos et quas Magiſter et Ordo praedicti Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis Archiepiſcopo Gneſnenſi, Vladiſlavienſi et Plocenſi Epiſcopis, aliisque Praelatis ſaecularibus et Regularibus Regni Poloniæ per biennium ſublevarunt, plene et integre reſtituant, et reſtitui faciant, mediatatem intra hinc et Feſtum Purificationis Mariae, reliquam autem partem ad Feſtum Paſchae proxime nunc affuturum, in Civitate Thorunenſi, quietationibus de ſolutione a praefatis Praelatis receptis, & quod bona, cenſus & decimæ Reverendi Patris D. Vladislai Epiſcopi Vladiſlavienſis noviter et quomodolibet areſtata relaxentur. Item ut omnis ſuſpicio et hoſtilis reſpectus hinc inde inter Nos, et partem Magiſtri Generalis & Ordinis ſui in totum evellantur, volumus, quod ligæ, confœderationes et inſcriptiones, quæcunque ſunt vel fuerunt inter Magiſtrum Generalem, Præceptores per Alemaniam et Livoniam, et Ordinem ipſorum, Prælatos, Nobiles, cives et ſubditos ipſorum cum Duce Boleslao alias Swidrigal, Prælatis, Ducibus, Boiaris et ſubditis Terrarum Litvaniæ, Samogitiæ & Ruſſiæ factæ, debent eſſe caſſæ, inanes, irritæ & in nihilum redactæ, ipſeque Magiſter et Ordo, Praelati, Nobiles, cives et ſubditi ipſorum debent praefatum Ducem Swidrigal deſerere et dimittere perpetuis temporibus, et nunquam eidem, aut alteri cuicunque Magno Duci Litvaniæ & Ruſſiæ auxilia & conſilia contra Nos & Succeſſores noſtros, & Regnum noſtrum, ac etiam præclarum Principem Dominum Sigismundum Magnum Ducem Litvaniæ modernum, Magnum Ducatum Litvaniæ præſtabunt: nec aliquas ligas, ſuggeſtiones & confœderationes in damnum noſtrum aut Regni facient in perpetuum cum eisdem: imo nec aliquem alium tenere & reputare debent pro Magno Duce Litvaniæ & Ruſſiæ, niſi qui cum noſtro conſenſu & Regni (quemadmodum præfatus Dux Magnus Sigismundus modernus eſt electus, juxta diſpoſitionem dudum factam inter Regnum Poloniæ & Terras Litvaniæ) electus ſit & poſitus in Ducatum: nec etiam permittent ipſum Swidrigal de Terris ſeu per Terras & dominia Ordinis, ipſorum damna aut impedimenta Regno, Coronæ noſtris, Ducatui Magno Litvaniæ & Ducatibus prædictis inferre, nec ipſum publice vel occulte, per ſe vel ſubmiſſas perſonas juvare aut ſublevare quovis modo. Item, ut hujusmodi pacem perpetuam et concordiam ſub certiori attentionis firmitate et robore cuſtodiamus & ſervemus, promittimus ſine dolo & fraude, ſub fide et honore, ac onere præſtiti juramenti: Quod ad nullius hominis viventis requiſitionem, inductionem, ſuggeſtionem, perſuaſionem vel mandatum, etiam quacunque dignitate præfulgeat, Papali, Imperiali vel Regali, aut cujuscunque Con-

Anno 1436. Congregationis legitimæ, perſonarum Eccleſiaſticarum vel Sæcularium; debebimus vel poterimus contravenite ipſis in parte vel in toto, expreſſe, manifeſte vel occulte, per ſe vel alium, ſeu alias quaſcunque perſonas ſubmiſſas ſpirituales vel ſæculares, neque eas taliter aut quocunque modo violare: etiamſi modernus Imperator, aut Succeſſores ſui Imperatores cum exercitu contra Magiſtrum & Ordinem ſe moverent, non debemus ei nec Succeſſores noſtri aſſiſtere ope, conſilio, auxilio vel favore. Item quod medius fluvius Drwanca ſit limes inter Regnum noſtrum & Terras Ordinis, nec fiat in eodem fluvio aliquod molendinum in limitibus & ripis communibus, & præcipue in loco Lubicz dicto, in quo alias factum fuerat: ſic quod idem fluvius ſuum antiquum meatum habeat, quodque reſiduum aggeris una cum ponte maneat ſine omni clauſura diurna & nocturna pro ſtrata publica, nec novum ibidem molendinum deinceps erigatur, quo per deſcenſum intrante flumen Viſtulam, iterum deſcendendo per Viſtulam inferius, ipſe medius fluvius Viſtula erit iterum limes inter Regnum Poloniæ & Terras Magiſtri & Ordinis Pruſſiæ, cum omnibus ſuis inſulis, piſcaturis, juribus & obventionibus univerſis, nullis excluſis penitus & exceptis, uſquequo ipſa medietas prædicti fluvii Visla tanget locum limitum, quem quondam Sereniſſimus Princeps Dominus Casimirus Divæ memoriæ Rex Poloniæ cum Magiſtro Pruſſiæ, dicto Duſmar, inter Terras Bydgoſtienſ. & Pomeraniæ certis literis & ſignis notabilibus limitavit, deſcripſit & diſtinxit, Caſtro Jaſieniec in Terris Ordinis remanente, ita tamen, quod Caſtrum Nieſchowa territorio ſuo & villis Murzynowo, Orlowo, Nowa Wies, & aliis villulis, molendinis & uſibus ad dictum Caſtrum & territorium cum omnibus Caſtri territorii ac villarum prædictarum borris, ſilvis & utilitatibus, aquis quoque & eorum decurſibus, cum pleno & totali dominio, ac cum medietate navigii in flumine Wisla & ejus proventibus, ac inſulis & piſcaturis, juribus, libertatibus omnibus & ſingulis ad ipſa ſpectantibus ab antiquo, nullo penitus alicui præter Nos, & Coronam Regni Poloniæ jure in eisdem Caſtro & territorio ac villis reſervato, remaneant circa Nos, & Coronam Regni Poloniæ perpetuo & in ævum. Sic tamen, quod nulli ſubditorum, ſalvo cenſu debito & ſolvi conſueto, per hanc ceſſionem in juribus ipſorum, in inſulis & molendinis præjudicium generetur, etſi Nos in juribus ipſorum ipſos tolerare noluerimus, extunc licitum ſit Nobis juxta antiquam taxam, prout ab antiquo inter ſe vendere conſueverunt, hujuſmodi jura comparare & ſolvere, quemadmodum Sereniſſimus Princeps Divæ memoriæ D. Vladislaus Genitor noſter Chariſſimus, & Corona Poloniæ pacifice & quiete tenuit, a tempore Concordiæ circa lacum Melno, jacentem in Terris Ordinis, inter Caſtra Radzin & Rogozno circa flumen Oſſa, die S. Stanislai Epiſcopi & Martyris, de Menſe Septembri factæ, usque ad receptionem & occupationem eorundem, per Magiſtrum & Ordinem de Anno Domini 1431. attentatam. Specialiter addito & expreſſo, quod omnibus hominibus & mercatoribus cum quibuscunque rebus, cujuscunque generis, pretii vel valoris exiſtant, proficiſcentibus, liberum ſit vendere hujuſmodi res ſeu merces absque impedimento & compulſa, & ſtare ſive manere cum eis, aut eas in civitate Nieſzowa locandas conſervare, vel tranſire cum eis quo placebit, ſive per terram, ſive per fluvium Wisla infra vel ſupra, vel in Thorun, aut alia loca in Terris Ordinis conſtituta. Item incipiendo ab eo loco, in quo prædicti limites per Dominum Casimirum Regem Poloniæ & Magiſtrum Pruſſiæ facti, & in eorundem literis expreſſi, terminantur & deſinunt, in procedendo ulterius usque ad introitum fluminis Notheſz ſive Bierswiennick obſervabimus iſtum modum & ordinem. Quod ſi de prædictis limitibus poterint bonæ famæ tres homines pro parte noſtra & Coronæ, & tres pro parte Magiſtri & Ordinis electi, viſis utriusque Partis litteris, juribus & poſſeſſionibus, & aliis legitimis documentis concordare, ſtabunt limites taliter concordati, ubi autem non poſſent electi illi homines bonis modis concordare, extunc ſortes ab utraque Parte mittantur, quamcunque autem Partem ſors contigerit, ſic emiſſa Pars reliqua, quam ſors ipſa non tetigit, debet ſex perſonas, quas placebit, de Parte prædicta eligere, quæ perſonæ ſic electæ, poſtquam juramento corporali limites inter Partes prædictas ſic de limitibus diſcrepantes firmaverint, limites illi, ſic juramento firmati, pro ſignis & limitibus inter Regnum Poloniæ & Terras Novæ Marchiæ perpetuo remanebunt. Teſtes autem illius Partis, cui ſortes advenerunt in proceſſu limitum praedictorum, Caſtra & Civitates Partium prædictarum ex hac ſortium acceſſione non attingent nec movebunt, aut ſua parte aliqualiter vendicabunt, ſed Partes ſuperius expreſſæ, Caſtra & Civitates ab antiquo tentas absque im-

ANNO 1436. impedimento ſortium obtinebunt. Ita tamen, quod pons in fluvio Drawa circa Ochczeth cum libero tranſitu perpetuo remanebit, hoc addito, quod ſi in partem Magiſtri ſeu Ordinis ceſſerit, & in ejus ſtructura negligentia commiſſa fuerit, licitum ſit Nobis aut Capitaneis noſtris, hujusmodi pontem novum conſtruere, aut antiquum reformare, quoties fuerit opportunum. Et ne inpoſterum de hujusmodi perſonis & teſtibus ſupraſcriptis aliqua difficultas oriatur, Nos Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Franciſcum Epiſcopum Varmienſem, & Honorabilem ac Religioſum Wolff de Sanſshenn Commendatorem in Oſtrorode, & Strenuum Joannem de Bayſen pro hujusmodi compoſitoribus, & Honorabilem & Religioſum Conradum de Erlichshawſen, Hermannum Reuſſop Thorunenſem, Henricum Forroth Gdanenſem Proconſules, cum ſupraſcriptis Epiſcopo, Commendatore & Joanne, pro teſtibus in caſu, quo ſors Magiſtrum & Ordinem tetigerit, duximus nominandos et eligendos, qui ad faciendum præmiſſa cum noſtris, per Magiſtrum & Ordinem nominatis ac electis, conveniant, noſtri in Bydgoſtia, & pro parte Ordinis in Swece in craſtino Nativitatis Mariæ proxime venturo, abinde ad hujusmodi limites, ſicuti præmittitur, diſtinguendos ulterius proceſſuri. Poſtquam autem ventum fuerit per limites prædictos, ſicut præmittitur diſtinctos juramento, quando limes ille fluvium Noteſz & Birzwennik inſiliet, ipſe fluvius Birzwennik medius erit limes perpetuus inter Regnum Poloniæ & Terram Novæ Marchiæ, & iterum ubi Birzwennik cum Noteſz confluit, medius fluvius Noteſz erit limes, ita, quod Ordo & ſubditi ejus ipſum flumen aſcendendo dimidium milliare, & deſcendendo ſimiliter medium milliare, ac verſus Regnum dimidium milliare pro paſcuis pecorum & pecudum quorumcunque, ac pro receptione argillæ, calcis, lapidum, lignorum tam pro igne, quam pro ædificiis caſtri & oppidi liberum habeant uſumfructum, & ſimiliter homines et ſubditi Regni & Coronæ, dominio & proprietate apud Nos & Regnum noſtrum remanentibus. Teloneum autem aquaticum & terreſtre, cum ponte & ipſius ſtructura ſecundum antiquam conſuetudinem absq; ampliori augmento prædicti telonei apud Ordinem remanebunt, Piſcaturam etiam præfatus Ordo ſolus liberam in eodem fluvio Birzwennik ſeu Noteſz, aſcendendo & deſcendendo, ut præmittitur, per medium milliare a ponte, qui ducit verſus Poloniam, obtinebit, eo ſalvo, quod villa Trzebieſzow in ſuis limitibus piſcandi liberam habeat facultatem. Hoc adjecto, quod in eodem dimidio milliari aſcendendo, & deſcendendo fluvium Birzwennik, & etiam verſus Regnum ſimiliter per medium milliare aliquod fortalitium non erigatur. Item poſtquam ventum fuerit ad limites per aquam, ubi fluvius Bierzwennik ſive Noteſz, taliter procedendo inferius, ut ſupra dictum eſt, verſus Landsberg ſuper differentia ibidem ex oppoſito prædicti oppidi conſurgente, Pars utraque, videlicet Nos & Magiſter ac Ordo, elegimus Nobis pro Judice Reverendum in Chriſto Patrem D. Chriſtophorum Epiſcopum Lubucenſem, in quem Partes ipſæ de alto et de baſſo compromittent, et ad Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis proximum ibidem circa Landsberg adducent, et productis coram eo juribus et probationibus legitimis in termino ſeu terminis competentibus ab utraque Parte laudum et pronuntiationem, quam uſus conſilio ſapientum ſuper omnibus differentiis inter Regnum et oppidum prædictum Landsberg tulerit, ambæ Partes hujusmodi ſententiam ſuſcipere, laudare, emologare et ſervare ſub fidei puritate tenebuntur. ANNO 1436.

Volumus etiam, et decernimus per præſentes, quod teloneum et depoſitum vulgariter Niederlege ibidem circa Landsberg et Coſtrzin in Nova Marchia, quæ dicuntur de novo impoſita, ſuſpendantur, nec a mercatoribus et incolis Regni Poloniæ exigantur et recipiantur, ſed dentur ad fidejuſſoriam cautionem tamdiu, donec per Judicem præfatum cognoſcetur, an ſint nova vel antiqua. Quæ ſi nova comperta fuerint, praefati Fidejuſſores ſint liberi perpetuo, ſi vero antiqua, ad ſolutionem ſeu ſatisfactionem teneantur. Et ſi praefatum Dominum Epiſcopum Lubucenſem ante deciſionem hujusmodi cauſae decedere contigerit: alter in locum ejusdem de communi conſenſu Partium eligatur.

Itemque ſub certo et determinato tempore Nos Conſiliarios noſtros cum pleno mandato, et Magiſter cum Ordine ſuos ſimiliter deſtinare debent ad firmandum et ſignandum limites inter Terras Dobrinenſ. Regni, et Michalovienſ. Ordinis, inqua limitatione Nos et Coronam Regni ipſe Magiſter et Ordo debent admittere ad limites ab antiquo tentos et obſervatos.

Item Dux VLADISLAUS Maſoviae, et ſui Poſteri Duces debent circa Literas, quas habent a Magiſtro et Ordine ſuper limitibus, remanere, et ubi limites

in

Anno 1436. in literis deſcripti non fuerint, od eosdem firmandos praefati Duces ſuos Conſiliarios deſtinare debent, ſimiliter et Ordo. Quae vero Partium evidentiori teſtimonio, ſuis vel aliis probationibus legitimis probaverit ſuas fore granities, remaneat circa ipſas, et in caſu, quo utraque Pars granities et limites legitimis probationibus probare non poſſet, ſtabit in optione Magiſtri, an velit jurare pro eisdem granitiebus, metterlius ſcilicet, duobus terrigenis ſibi adjunctis, vel Dominum Ducem admittere ad juramentum pro eisdem, etiam cum totidem perſonis. Cum Duce autem Boleslao limites alias et prius facti, in quibus non eſt differentia, renoventur.

Item Illuſtris Princeps Dominus Boguslaus Dux Stolpenſis ab una, Magiſterque et Ordo praedicti ab altera partibus, ad diſtinguendum et reformandum limites inter Ducatum Stolpenſ. praedictum, et Terras Ordinis in Pomerania, Nuntios ex utraque Parte mittant in Feſto Aſcenſionis Domini proxime nunc venturo, ubi dum venerit Pars Domini Ducis, eliget duas vel tres perſonas de parte Domini Magiſtri et Ordinis, et e converſo Dominus Magiſter et Ordo duas aut tres perſonas ſimiliter de parte Ducis, quae perſonae, ſic electae, praeſtito corporali juramento, viſis Partium juribus, literis aut aliis legitimis documentis differentias hujusmodi, ſi commode poterunt, per concordiam terminabunt, ſi vero non poſſent, ex tunc eligent unum unanimi conſenſu pro Judice, qui habendo Deum et juſtitiam prae oculis quaeſtionem praedictam inter Partes praedictas judicialiter, quanto brevius poterit, terminabit: Cujus deciſioni Partes benevole obedient et parebunt.

Item Terrae Samogittarum et Sudorum propter bonum pacis debent apud Nos et Regnum Poloniae ac D. M. L. ſub limitibus ſubſcriptis permanere perpetuo et in aevum.

Item a fine limitum Ducum Mazoviae, incipiendo a flumine Lik a vado dicto Kamionnybrod, quod jacet in ſuperiori parte ejusdem fluminis Lik, altius, quam iſti lacus Greywo et Thotzla, et ab illo loco directe eundo per ſolitudinem usque ad lacum, qui dicitur Rogorth. Ita quod medietas ejusdem lacus remaneat in Terris Domini Ducis Litvaniae, et reliqua medietas in Terris Ordinis. Et ab illo lacu directo tramite per deſertum usque ad quandam aream dictam Prewoyſty, et ab illa area continuando iter directum usque ad aream dictam Cheruniſzki, et a Cheruniſzki eundo directe usque ad lacum qui vocatur Dwiſtitz. Ita tamen, quod idem lacus remaneat totus in parte Ordinis. Et ab eo lacu, quo directius iri poteſt, ad ortum ſeu ſummitatem fluminis dicti Lepuna, eundem fluvium deſcendendo uſque ad conſummationem ejus, ubi intrat in fluvium Syrowintha, et ulterius deſcendendo eundem fluvium Syrowintha usque ad conſummationem ejus, ubi intrat in fluvium Seſſuppa. Et ulterius directe procedendo per ſolitudinem uſque ad ripam fluminis Memel, ex oppoſito fluminis dicti Swantha, ubi idem fluvius Swantha intrat fluvium Memel praedictum, et hoc quo ad Terram Sudorum eundem fluvium Swantha ſurſum aſcendendo per duo milliaria. Et ab illo loco, illum fluvium deſerendo, tranſeundum eſt per ſolitudinem, quo directius iri poteſt, usque ad fluvium Jura, relinquendo fluvium Memel in ſiniſtro latere ubique per duo milliaria. Et dictum fluvium Jura aſcendeudo unum milliare, ab eo loco Jura fluvius deſerendus eſt, et tranſeatur per ſolitudinem. relinquendo fluvios Memel et Rusna, lacum, qui dicitur Hap, et Caſtrum Memel, in Samogitia Clupeda appellatum, undecunque a ſiniſtro latere per tria milliaria. Et ſic transeundum eſt ad littus maris ſalſi, et hae ſunt granities Terrae Samogittarum et Pruſſiae. Anno 1436.

Inter Livoniam vero, Samogitiam, Litvaniam et Ruſſiam limites ſunt incipiendi a flumine dicto Hielgea, ubi dictus fluvius intrat mare, eundem fluvium aſcendendo ſurſum ad antiquos limites inter Samogitiam, Litvaniam et Ruſſiam ab una, et Livoniam ab altera partibus tentos et ſervatos. Non tamen ad illos limites, qui ſignati ſunt eo tempore, quando Ordo Terram Samogittarum tenuerat, ſed ad illos, qui antiquitus inter Terras praedictas ſunt ſervati.

Item Terrae Pomeraniae, Culmenſis et Michalovienſis debent manere circa Ordinem, debetque ſententia Judicum delegatorum de Carcere etc. Magiſtro, Ordini, aut eorundem in Romana Curia Procuratori Generali per Procuratorem vel Procuratores noſtros legitimos, ſi haberi poterit, ad caſſandum et rumpendum et annullandum bona fide infra annum tradi et aſſignari, quam etiam vigore praeſentis Concordiae annullamus et caſſamus, et Ordo facta reſtitutione ad dandum recognitionem praeſentationis hujusmodi Nobis bona fide ſit adſtrictus.

Item ſubditi noſtri et Magni Ducis, et Terrarum noſtrarum, et Ducatuum praedictorum undecunque, et cujuscunque ſtatus vel conditionis fuerint, qui cauſa nego-

Anno 1436. negotiationis vel alia ad Terras Pruſſiae, Livoniae et alias venerint, per Magiſtrum et Ordinem, et ſubditos eorum ac extraneos, cujuscunque ſtatus, gradus, aut conditionis fuerint, minime impeti, conveniri debent vel arreſtari. Sed in Polonia, Litvania, Maſovia, Ruſſia ſeu Terra Stolpenſi, ſi quid actionis habuerint, juxta Terrarum jura municipalia, hujusmodi concertationes ſopiantur, delinquens tamen in loco delicti deprehenſus, et contrahens de contractu recenti in loco contractus poterint conveniri, ſed ſi de loco, ubi contraxit, receſſerit publice vel occulte, coram judice ſuo conveniatur.

Item ruſtici, coloni, tabernatores, hortulani, et aliae ſimiles perſonae Terrarum Pruſſiae et Livoniae, et Dominiorum Ordinis, qui Dominis ſuis obligantur, et ſine ſatisfactione condigna juxta conſuetudinem earum Terrarum receſſerunt, et ad Regnum noſtrum Poloniae, Ducatum Magnum Litvaniae, Maſoviae et Stolpenſ. ac Terras Ruſſiae publice vel occulte fugerunt, Capitanei, Judices, Officiales et ſubditi noſtri, et Ducum praefatorum, jurisdictionem pro tempore exercentes, qui fuerint requiſiti ad reſtitutionem eorum, cum rebus ſuis et bonis omnibus eisdem Dominis ſine mora, difficultate et contradictione teneantur. Idem Ordo per omnia in ruſticis, colonis, tabernatoribus, hortulanis, et aliis ſimilibus perſonis noſtris et Ducatuum praedictorum, ad Dominia Ordinis fugientibus obſervetur, nec de caetero taliter acceptentur, aut ſerventur fugientes. Item ſi fures, incendiarios, vel alios malefactores quoscunque, de Dominiis Ordinis quibuscunque ad Regnum noſtrum. Ducatus et Terras noſtras ptaedictas fugere contigerit, extunc terrigenae, et quorum intereſt de Terris Ordinis praefati, licenter eosdem ſine omni impedimento inſequi libere ubicunque poterunt. Quibus etiam Capitanei, tenutarii, terrigenae, judices, officiales et ſubditi Dominiorum noſtrorum praefatorum, quicunque ſuper hoc fuerint requiſiti, debent praeſtare auxilia, conſilia et favores, ut malefici hujusmodi capiantur, captique juxta jura municipalia Regni noſtri legitime puniantur. Et ſi capi non poterint in Regno et Terris noſtris ſaepe dictis, per Nos et ſubditos noſtros et alias nullatenus ſuſtineantur vel foveantur, teneaturque utraque Pars illis ſine fraude et dolo in ſuis Dominiis incolatum prohibere, aut in metis Terrarum, quas hujusmodi tangit negotium, exhibere de eis juſtitiae complementum, de malefactoribus autem de Regno noſtro, et Ducatibus Litvaniae, Mazoviae, Stolpenſ. aut aliis Dominiis noſtris ad Terras Pruſſiae confugientibus ſimilis aequitas habeatur. Anno 1436.

Item quod neutra Partium debet aliquem vel aliquos etiam ſubditos alterius Partis in ſuis Dominiis fovere ac tolerare, qui alteram Partem, ejus ſubditos aut ſubditum diffidare velint aut velit, aut diffidant, damna irrogant, ſeu infidelitatem commiſerint, vel alias graves inferant moleſtias. Imo nec inimicis Partis adverſae adhaerere, paſſum eis per Terras ſuas permittere in praejudicium et offenſam alterius, ſine dolo et fraude quoquo modo.

Item omnia privilegia, inſcriptiones, fœdera, obligationes vel munimenta quaecunque, quae vel quas Magiſter et Ordo praedicti ſuper territorio Nieſzow, villis Murzynowo, Orłowo, Neudorff, et navigio juxta Thorun, quae ad Nos, et ad Regnum noſtrum praedictum vigore Concordiae prioris et praeſentis ſunt devoluta, a quibuscunque perſonis, quacunque praefulgeant dignitate, habent, et praeſertim Concordiam Thorunenſem, duas ſententias per Sereniſſimum Principem et Dominum Sigismundum Romanorum etc. Regem, Budae et Vratislaviae latas, et Literas Originales, quas Magiſter et Ordo praefati habent a Divae memoriae Progenitore noſtro, et Duce Magno Litvaniae, vel ab aliis perſonis quibuscunque ſuper Terris Samogittarum, Sudorum et Litvaniae Nobis reſtituere debent, et reſtituta fatemur. Reliqua vero privilegia Ordinis prædicti, quacunq; authoritate fulcita, Eccleſiaſtica vel Saeculari, in quantum derogare poterint huic Concordiae in toto vel in parte, et aliis omnibus praemiſſis punctis et articulis ſuis derogatoriis, ſint nulla, caſſa et irrita, et pro talibus perpetuis temporibus habeantur.

Item omnes captivi in hac guerra et treugarum prorogationibus detenti ab utraque Parte ſint liberi et ſoluti ipſo facto, ſine dolo et fraude, exceptis captivis, qui pendente treuga ultima duodecim annorum inter Regnum Poloniae, Magnum Ducatum Litvaniae, et Magiſtrum et Ordinem Pruſſiae firmata, in Litvania ſunt detenti.

Item navigia circa Słotoriam, videlicet peditibus, equitibus, et cum levibus curribus, et circa Soletz et Fordan, cum equis, rebus quibuscunque, et curribus oneratis non debent prohiberi, ſed pateant cuilibet perpetue tranſeunti.

Item omnes profugi tam de Regno noſtro Poloniae, Terris Litvaniae, Samogitta-

Anno 1436. gittarum, Mazoviæ, Ruſſiæ & Stolpenſ. quam de Terris Ordinis prædicti quibuſcunque, libere poſſint & valeant redire ad propria, & de bonis ſuis dimiſſis diſponere pro libitu ſuæ voluntatis.

Item omnia bona immobilia ſubditorum, cujuscunque ſtatus, gradus aut conditionis fuerint, per Nos aut partem noſtram recepta & ablata his, qui degunt aut morantur in Terris Ordinis prædicti, auctoritate præſentis Concordiæ reſtituere volumus & debemus eisdem integraliter & ex toto, & ſimili modo omnibus incolis Regni noſtri, & Ducatuum prædictorum Nobis ſubjectorum, cum effectu bona recepta & ablata Magiſter & Ordo reſtituere teneantur.

Et ſi aliquis ſubditorum de Terris aut Dominiis noſtris velit ad Terras Ordinis ratione incolatus ſe transferre, licite poterit, & libere recedere absque quovis impedimento aut arreſto perſonæ, & bona ſua vendere, aut de eis disponere juxta beneplacitum liberæ voluntatis, pari modo volumus de bonis in Terris Magiſtri & Ordinis ablatis ſeu occupatis obſervari. Item omnes Coadiutores & adhærentes, qui in favorem noſtri, & Regni noſtri Poloniæ Coadjutorum & ſubditorum noſtrorum, Magiſtrum & Ordinem Pruſſiæ diffidarunt, ab omni impetitione Magiſtri & Ordinis prædicti ſint liberi & ſoluti. Item omnes apoſtatæ Ordinis prædicti in Regno noſtro & Terris Litvaniæ, Samogitarum, Mazoviæ, Ruſſiæ & Stolpenſ. & aliis Dominiis Regni noſtri & Terrarum prædictarum commorantes, ne diutius in ſuis peccatis tolerentur, de Regno noſtro, & Dominiis noſtris prædictis per Nos & Officiales noſtros prædictos exire compellantur, & deinceps hi & alii in eisdem nullatenus foveantur. Item quod nullus mercator ſeu alius homo, cuiuscunque conditionis exiſtat, (aut bona ipſius) propter delictum ſeu debitum alterius arreſtetur, moleſtetur vel turbetur, nec etiam captivetur. Item ſi vectores & aurigæ bona, merces mercatorum pro pretio ducentes, telonea ſeu loca datiarum prætererint, ipſi duntaxat in rebus, & equis ſuis propriis puniantur, & quod propterea bona mercatorum non debent occupari nec detineri. Item ſylva Dabſko circa Fredelanth in diſtrictu Naclenſi, impignorata Ordini pro certa ſumma, redimi poterit per impignorantem, vel per Regnum ſoluta ſumma Ordini, pro qua extat obligata, & in litteris deſuper confectis continetur. Item datio ſive exactio dicta Funthowezol, ſuper qua priſcis temporibus & hactenus controverſia inter Magiſtrum & Ordinem, ac mercatores Terrarum Regni Poloniæ, Magni Ducatus Litvaniæ, & Ducatuum prædictorum vertebatur, & pendebat ex certis cauſis indeciſa, talem ponimus ordinem, quod mercatores Regni, Magni Ducatus & Ducatuum prædictorum, præter alia quæcunque gravamina & ſolutiones impoſterum imponendas, quibuscunque nominibus nuncupentur, reſpondeant Ordini de eadem duntaxat, ſi aliquando contigerit ipſos cum bonis ſuis in navibus propriis navigare ultra mare, ita tamen, quod ſi Civitates maritimæ liberatæ & abſolutæ via juris fuerint ab eadem, quod cives, mercatores & indigenæ Regni, & Terrarum Poloniæ, Litvaniæ, Mazoviæ, Ruſſiæ a ſolutione hujusmodi ſint ſimiliter liberi & excepti, & illa omnia, quæ ab eis a tempore, quo præſens pax perpetua eſt firmata, ratione hujusmodi exactionis ſunt recepta, integraliter reſtituantur per Ordinem prædictum mercatoribus Regni, Ducatus Magni & Ducatuum prædictorum viceverſa, abſque recuſatione & renitentia, qualicunque interruptione, conſuetudine, præſcriptione & diuturnitate non obſtantibus. Si vero per concordiam extincta fuerit, ad reſtitutionem receptorum minime teneantur. Aliæ autem omnes & ſingulæ exactiones, quibuscunque vocitentur nominibus, a mercatoribus Terrarum Regno Poloniæ, Ducatui Magno Litvaniæ, & Ducatibus prædictis ſubjectarum, ut præfertur, indigenis, in Terris Magiſtro & Ordini ſubjectis, & ſpecialiter exactio quædam dicta Lobgeldt & Fyrken nullatenus de cætero exigatur. Nec Nos Rex, Dux Magnus Litvaniæ, Duces Mazoviæ & Stolpenſ. imponemus aliquod novum theloneum in gravamen & præjudicium duntaxat ſubjectorum Ordinis prædicti, & ſi quod novum eſt impoſitum in Terris noſtris & Ducatibus prædictis a tempore Concordiæ circa lacum Melno factæ, omnino deponatur, teloneis & depoſitis antiquis ſemper ſalvis. Item cum medietas navigii circa Thorun ſupradicti, cum medietate pecuniarum de ipſo provenientium Nobis vigore prius habitæ, & præſentis Concordiæ in perpetuum Hæredibus & Succeſſoribus noſtris debeatur, de collectore pecuniarum ex ipſo ſic inter Nos exiſtit conventum, ordinatum & concluſum, quod is, qui per Nos & Succeſſores noſtros ad ea fuerit deputatus, conveniet cum Commendatore Thorunenſi pro tempore exiſtenti, uno anno in Oppido Thorun, & alio in Nieſzowa, & ſic ſemper vicibus alternatis collectorem hujusmodi

Anno 1436.

modi ſingulis annis ſimul conſtituant, qui ſub præſtito juramento pecunias, quas collegerit, diebus Dominicis in manus utriusque præſentet æquali portione dividendas, ſolutis pretiis famulorum, & reparatione navium de communi. Et ſi alteri Parti ille collector pecuniarum non placuerit, anno elapſo tam Capitaneus, ſive ad ea deputatus, quam Commendator convenientes ut ſupra alium eligant, quotiens fuerit opportunum. Servitia vero per famulos navigii prædicti, quæ Scharwerk appellantur, fieri conſueta, Partibus prædictis ſimiliter alternatis ſeptimanis & paribus vicibus impendantur, & tunc Pars quælibet in ſua ſeptimana ipſis provideat de expenſis, modo & forma ſicut hactenus eſt eis proviſum. Item ſi aliquis de Terris Regni noſtri, Ducatus Magni, & Ducatuum prædictorum ſubditis Ordinis injuriam intulerit, & ſuper eo Capitaneus, vel alius Officialis noſter requiſitus juſtitiam non fecerit, ex tunc pro negligentia hujusmodi ab officio eſt deponendus, niſi de innocentia ſua juramento proprio & corporali ſe purgaverit. Similiter ex alia parte, ſi Commendator vel Officialis Ordinis prænominati in reddenda juſtitia in præmiſſis negligens fuerit, pari modo deſtituatur, & nihilominus Succeſſor juſtitiam teneatur facere expeditam requirenti. Si vero is, qui pro juſtitia ratione delicti vel alias requiritur, ſimplex fuerit terrigena, & juſtitiam facere recuſaret aut negligeret, ex tunc damna juſtitiam requrenti per Capitaneum ſeu Commendatorem de bonis terrigenæ prædicti compenſentur & ſolvantur, niſi ſimili ſe purgaverit juramento. Item ſi per aliquem ſubditum, indigenam vel advenam alicujus noſtrum, caſu & eventu inſcriptioni, ſeu paci hujusmodi perpetuæ fuerit in aliquo derogatum & contraventum, utpote rapinæ, ſpolia, incendia, vaſtationes, prædæ, vel homicidia, aut aliqua maleficiorum genera in Dominiis & Terris noſtris alterutrum perpetrata fuerint & commiſſa, propterea pax prædicta caſſari, irritari non debebit, ſed in ſuo robore & firmitate permanebit, nec propter hoc Pars, cujus ſubditus maleficium hujusmodi commiſerit, cenſebitur fore dejerans, ſeu perjurans. Prædicti autem delinquentes & malefactores pro ipſorum exceſſibus, per Capitaneos ſeu Officiales utriusque noſtrum judicialiter puniantur, & ad ſatisfactionem plenam & debitam arcebuntur & compellantur. Item ut Capitanei, Palatini, Commendatores, Officiales ſeu Judices Partis utriuſque ad adminiſtrationem juſtitiæ fortius inducantur, & ne aliqua gravis diſplicentia inter Nos Regem, Ducem Magnum & Duces prædictos ex una, Magiſtrum & Ordinem, & Terras ſubjectas ſibi prænominatas, & ſubditos eorundem parte ex altera, in poſterum valeat exoriri, ſingulis annis Nos Rex præfatus duos ex Commendatoribus Viros boni teſtimonii & conſcientiæ in Feſto Pentecoſtes, & ſimiliter Magiſter & Ordo duos Palatinos, aut alios paris conditionis, in præfato Feſto de Terris noſtris prædictis eligant, & ſibi, quantocius poterint, hujusmodi electionem perſonarum inſinuent ſcriptis. Qui in Feſto S. Michaëlis convenientes uno Anno in Nieſzowa, alio in Thorun, & tactis ſacroſanctis Evangeliis, favore, timore & odio excluſis, de juſtitia facienda punient Judices ac Officiales in adminiſtratione juſtitiæ remiſſos & negligentes, & ſecundum jura municipalia loci delicti Partibus læſis facient nihilominus juſtitiam congruentem, vel Partes ſecundum æquitatem & bonam conſcientiam component, & omnia facient, quæ pro conſervatione hujusmodi juratæ pacis perpetuæ viderint expedire. Pari modo inter Samogitiam & Pruſſiam uno anno in Veluna, & alio in Regnith, inter Litvaniam & Livoniam uno anno in Huspole, & alio in Dymberg, alias in Nowina. Inter Novam Marchiam & maiorem Poloniam uno anno in Siracovo alias Czyrk, alio in Dreſzno. Inter Terram Dobrinenſem & Pruſſiam uno anno in Rupin, & alio in Brodnica, inter Terras Mazoviæ Ducis Vladislai & Pruſſiam anno uno in Dzoldow, & alio in Mlawa, inter Visnam & Pruſſiam uno anno in Visna, & alio in Jannsburg. Inter Terras Ducis Bolconis & Pruſſiam, uno anno in Ciechanow, & alio in Nidborg, per omnia volumus & decernimus obſervari. Inter Ducatum Stolpenſem & Pruſſiam uno anno in Stolpen, & alio anno in Bitaw, inter Novam Marchiam & Terram Stolpenſem uno anno in Retz, & alio in Suthyn, niſi Partes de aliis locis fuerint concordes. Item ne circa limites diſplicentiæ ſeu controverſiæ ſuſcitari valeant, volumus limites de quiennio in quiennium, ubi opus fuerit, innovare. Item liber ſit tranſitus & via omnibus mercatoribus ac incolis Terrarum ac Dominiorum Ordinis cum ſuis mercantiis, frumentis cujuscunque grani, & rebus quibuscunque, & cujuscunque conditionis vel maneriei exiſtant, ſine impedimento vel angaria per terras & maria, aquas & flumina quocunque aſcendendo & deſcendendo per ipſum Regnum, in & ad Regnum Poloniæ, Teras Litvaniæ, Samogitarum, Mazoviæ & Ruſſiæ; atque

ANNO 1436. atque Terras prædictas, ac per ipſa flumina ſeu aquas uſque ad maria, & trans mare in navibus parvis ſive magnis, vacuis ſive oneratis, in perpetuum, quomodocunque & quotiescunq; voluerint, absque aliquo areſto vel impedimento cujuscunque: & ſpecialiter oppidanorum in Thorun, quas quidem merces, frumenta & res, ut præſcriptum eſt, ſi præfati mercatores ſeu incolæ Ordinis ducentes vendere, aut ſtare in aliquo locorum ſeu civitatum ad portum ſive ripam prædictarum aquarum ſive maris ſituatorum ſeu ſituatarum voluerint, eſt & debet eſſe in ipſorum arbitrio & voluntate. Si vero vendere noluerint, poſſunt absque omni impedimento ire, ſeu aſcendere vel deſcendere, quo eis placuerit cum rebus prædictis, ut ſuperius eſt expreſſum, teloneis & antiquis depoſitis prout ſupra ſalvis. Item omnia damna, injuriæ, diſplicentiæ, impenſæ & expenſæ Prælatis eorumque Eccleſiis et Capitulis, ac Abbatibus, Prioribus, Conventibus, Monaſteriis, Perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & aliis quibuscunque per Nos, ſubditos, coadjutores & adhærentes noſtros in Terris Pruſſiæ & extra illata quomodolibet & facta, in omnibus guerris præteritis, & e contra per ſæpe dictum Magiſtrum & Ordinem, ac Exercitus ipſorum Prælatis in Dominiis Regni noſtri conſtitutis ſint ſopita auctoritate præſentium penitus & extincta, ita quod prætextu eorundem per Prælatos ipſos, aut eorum aliquem ſuis aut Eccleſiarum, Capitulorum, Conventuum ſive Monaſteriorum ſuorum nominibus, Magiſtro & Ordini prædicto, vel aliis ſupradictis quæſtio, cauſa, actio, vel impetitio de jure vel de facto nullo unquam tempore moveatur. Item Magiſter & Ordo prædicti tenebuntur Nobis ratione Concordiæ præſentis dare, & ſolvere novem millia Florenorum cum quingentis Hungaricalibus juſti & boni ponderis, aut eorum valorem in moneta Pruthenicali bona nova: medietatem in Dominica Lætare, & aliam medietatem in Feſto S. Martini Epiſcopi in Thorun proxime affuturo; & pro rata cujuslibet ſolutionis literas quietatorias tenebuntur aſſignare. Item circa judices, judicia, mercantias emendas vel vendendas, & circa victualia comparanda, & telonea antiqua ſolvenda rationabilis conſuetudo, tempore bonæ memoriæ VITOVDI Magni Ducis Litvaniæ tenta, in Litvania, Samogitia et Ruſſia inconcuſſe ſervetur, et quantum fieri poterit, juxta ritum Catholicorum in melius reformetur.

Item ne circa hanc Concordiam perpetuam aliquid in poſterum relinquatur, quod poſſit mentes et ſubditos Partium prædictarum tam Spirituales quam Sæculares ad lites et odia quæcunque provocare in futurum, cauſam Eccleſiæ Vladislavienſis, et ipſius Epiſcoporum ſuper demolitione domus Epiſcopalis ante oppidum Gedanum, in præteritis guerris per oppidanos Gedanenſes attentatam, quæ in Curia Romana, et Conſtantienſi ac Baſilienſi Conciliis per annos plurimos pendebat indeciſa, duximus de conſenſu Partium, et Venerabilis Capituli Vladislavienſis per modum concordiæ ſopiendam. Ita videlicet, quod Magiſter et Ordo pro oppidanis Gedanenſibus Reverendo in Chriſto Patri Domino Vladislao, modernæ Eccleſiae Vladislavienſis Epiſcopo, mille ducentos Florenos Hungaricales boni et juſti ponderis, pro media parte hujusmodi ſummæ in Feſto Carnisprivii, cum uno ſtamine Pruſſienſi boni operis in oppido Thorun, et pro alia parte media, in Feſto S. Michaëlis ibidem proxime affuturo, ratione demolitionis domus praedictae ſolvent et expedient cum effectu, et absque excuſatione aliquali. Dominus vero Epiſcopus praedictus et Capitulum ejus, eosdem oppidanos Gedanenſes et Ordinem, ab impetitione ſua debet dimittere abſolutos, et cauſam hujusmodi extinguere: nunquam ipſis de caetero per ſe et Succeſſores ſuos intentandam, quam ordinationem praefati D. Epiſcopus et oppidani publice et ſolenniter emologarunt. Solutione facta, Dominus Epiſcopus praefatus cum Capitulo ſuo ſuper qualibet ſolutione quitabit ſufficientibus literis Magiſtrum, Ordinem et oppidanos antedictos. Item Magiſter Generalis et Ordo omnem exactam et extremam diligentiam faciet, quod Magiſter Alemaniae intra unum annum majus ſuum ſigillum huic Concordiae perpetuae appendet, quod ſi facere nollet, ſed cum aliquo Domino ſpirituali vel temporali ratione bonorum ab eodem Domino obtentorum Regi, Regno Poloniae et Ducatibus praemiſſis, ac eorum ſubditis bella moveret, extunc Magiſter Generalis Pruſſiae, et Magiſter ſeu Praeceptor Livoniae, et Fratres Ordinis per Pruſſiam et Livoniam, absque dolo et fraude, ſub fide et honore ac onere praeſtiti juramenti, eidem Magiſtro Alemaniae, nec non illis Dominis, ſub quibus conſiſtunt, ac aliis quibuſcunque hominibus, per ſe vel alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, cum gentibus armorum, pecuniis, armis, aut aliis auxiliis quibuscunque, conſilio vel favore, non debent neque poſſunt ſubvenire aliquo excogitato ingenio vel colore; quodſi contrarium fe-

Anno 1436. fecerint, et id legitimis documentis probatum fuerit, quod tunc ſubditi eorum ab omnibus homagiis, juramentis et ſubjectionibus liberi et ſoluti eſſe debent in hoc caſu, donec ad obſervationem pacis perpetuae revertentur. Item Nos Vladislaus Rex Poloniae praedictus oppidum Arnſzwald, alias Thöſczno, quod exercitus Patris noſtri bonae memoriae Domini Vladislai acquiſivit, et cujus poſſeſſionem hucusque habuimus pacificam, Magiſtro et Ordini intra hinc et Dominicam Laetare proxime venturam, cum curiis, villis et aliis omnibus cohaerentiis ad praedictum oppidum ſpectantibus reſtituere tenebimur et debemus. Nobiles inſuper de Novavedel et Felkemberg cum oppidis, caſtris, et omnibus bonis ſuis in Nova Marchia conſiſtentibus, qui Patri noſtro praedicto fidelitatem et homagium, exercitu noſtro in Nova Marchia exiſtente, praeſtiterant, ad Magiſtrum et Ordinem abſoluti primo a noſtris homagiis et juramentis, ratione bonorum praedictorum duntaxat Nobis factis, intra hinc et praedictum terminum Dominicae Laetare revertantur. Qualitercunq; autem ipſi Nobiles et oppidum Arnswald ad poſſeſſionem Magiſtri et Ordinis acceſſerit, ſive de manibus noſtris aut noſtrorum, ſive etiam aliis modis quibuscunque, quod per hoc huic articulo ſatisfacere cenſeamur, proviſo tamen, quod Magiſter et Ordo eosdem favorabiliter et benigne recipiant, et de vita ac bonis aſſecurent, quemadmodum de hujusmodi aſſecuratione per Magiſtrum et Ordinem in Feſto Purificationis Mariae proximo debet iisdem provideri, et in Caſtro Racianſz hujusmodi litera aſſecurationis praeſentari. Item Caſtrum Nieſzowa cum diſtrictu et medietate navigii, ut ſuperius eſt expreſſum, Magiſter et Ordo intra hinc et Dominicam Laetare proximam ad manus Reverendi in Chriſto Patris Domini Vladislai Epiſcopi Vladislavienſis nomine noſtro debent tradere, reſtituere & aſſignare cum effectu. Item ut hæc concordia cum tanta maturitate concepta abundantiori cautela valeat ab utraque Parte fortius et attentius cuſtodiri, promittimus bona fide attente et fideliter in verbo noſtro Regio, absque dolo et fraude, corporali praeſtito juramento, hujusmodi Concordiam in omnibus ſuis articulis atque punctis obſervare. Et ut propenſiori vigilantia ipſius capitula attendantur, decernimus formam juramenti ſub verbis et tenore infra ſcriptis:

Ego N. juro, quod hanc Concordiam obſervabo, nec contraveniam ei facto, auxilio, conſilio vel favore: Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Chriſti Crux. Anno 1436.

Et quod omnes Reges, Succeſſores noſtri et Haeredes, infra annum Coronationis ſuae ſeu ſuſcepti Regiminis, ſimiliter Magnus Dux Litvaniae modernus, ad requiſitionem alterius Partis per Nuntios ſpeciale mandatum habentes hujusmodi pacem perpetuam juramentis firmare et ſtabilire teneantur. Quodque de decennio in decennium per Praelatos, Duces, Palatinos, Commendatores, terrigenas atque cives, tam noſtrarum quam Ordinis Partium, et prius non juratos, debet novis juramentis ſolidari. Item ut Pars contra partem, metu animadverſionis praeſentis, ad bella et prœlia non conſurgat, ſtatuimus decernentes: quod noſtri Praelati, Milites, Nobiles, Cives et tota Communitas debeant, et teneantur Terrarum Magiſtris, et Ordinis Praelatis, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Civibus et toti Communitati dare certas noſtras literas, et pares ſive reverſales ab ipſis ſub eadem forma recipere, quas tam Nos, quam praefatus Magiſter et Ordo ſubditis utrisque noſtris dare promittimus et debemus, ipſique ſubditi noſtri ſubditis Magiſtri et Ordinis, et e converſo ſubditi Ordinis ſubditis Regni noſtri dare et praeſentare tenebuntur in Dominica Laetare proxime ventura, ſub his vel ſimilibus verbis: Quod ſi Nos, vel Succeſſores noſtri, ſtante huiusmodi pace perpetua, Magiſtro aut Terris Ordinis vellemus aut conaremur huiusmodi guerras aut bella movere, non debent Nobis ſubditi noſtri conſentire, nec in hoc obedire aut parere: quinimo erunt ab omnibus noſtris homagiis, juramentis et ſubjectionibus liberi et ſoluti, donec in hoc caſu Nos et Succeſſores noſtri ad obſervationem pacis perpetuae revertemur. Item omnes violationes treugarum ac pacis, fœderum, ſtipulationum et contractuum, ſi quae inter Partes praedictas in guerris praeteritis accidiſſent, vigore praeſentis Concordiae, annullamus et caſſamus. In cujus rei teſtimonium Sigillum noſtrum, quo ad praeſens utimur, cum infra ſcriptorum Illuſtrium ac Praelatorum Dominorum Fratrum noſtrorum Chariſſimorum, Magni Ducis Litvaniae, Praelatorum, Ducum, Baronum, Militum, Procerum et Civitatum ſigillis eſt appenſum, videlicet Sigismundi Magni Ducis Litvaniae praedicti, Semoviti, Casimiri, Vladislai, Boleslai Maſoviae, Boguslai Stolpenſis, Michaëlis praefati Domini Sigismundi Magni Ducis Nati Ducum: nec non Reverendiſſimorum et Re-

Anno 1436. Reverendorum in Chriſto Patrum Dominorum Alberti S. Gneſnenſis Ecclesiae Primatis, & Johannis Leopolienſis Archiepiſcoporum, Sbignei Cracovienſis, Stanislai Poſnanienſis, Vladislai Vladislavienſis, Stanislai Plocenſis, Mathiæ Vilnenſis, Joannis Chelmenſis, Pauli Camenecenſis, & Andreæ Vlodimirienſis Epiſcoporum. Andreæ Vladimirowicz, Chleb Dogoldowicz!, Georgii Siemionowicz Ruſſiæ Ducum: & Magnificorum Nicolai de Michałow Cracovienſis Caſtellani, Sandiwogii de Oſtrorog Poſnanienſis, Petri de Pieſzkowaſkala Cracovienſis, Joannis de Czyſzow Sandomirienſis, Martini de Calinowa Siradienſis, Joannis de Lichn Breſtenſis, Jarandi de Brudzewo Junivladislavienſis, Oſtyk Caſtellani Vilnenſis, Dolgerth Vilnenſis, Luluſz Trocenſis, Joannis Manſzyk de Dambrowa Leopolienſis, Petri Odrowąz Podoliæ, Stanislai Grath de Srzemſko Plocenſis, Joannis Glowacz de Lauzenica Czyrnenſis, Pauli de Radzimowo Belzenſis Palatinorum. Martini de Slawſko Poſnanienſis, Dobeslai de Senno Sandomirienſis, Petri de Zyrniki Caliſienſis, Laurentii Zaremba Siradienſis, Petri de Bnin Gnesnenſis, Alberti Malſki Lancicienſis, Floriani de Korytnica Vislicienſis, Domarathi de Kobylani Lublinenſis, Nicolai de Worzunowo Brzeſtenſis, Criſtini de Koziegłowy Sandecenſis, Joannis de Tenczyn Woynicenſis, Przedborii de Koniecpole Roſpirienſis, Nicolai de Wirzbiczko Dobrzynenſis, Joannis de Balicze Radomienſis, Barthoſſi de Goſtyn Naklenſis, Martini de Uyrzyſka Junivladislavienſis, Clementis Wandrobka de Srzelce Biecenſis, Vincentii de Szamotuly Medzyrzecenſis, Dobrogoſtii de Kolno Camenecenſis, Przedpelconis de Kopyſtlowo Landenſis, Przybislai Dzik Zarnovienſis, Warſii de Oſtrow Zawichoſtenſis. Pauli de Biſkupice Malogoſtienſis, Alberti de Pakoſzcz Srzemenſis, Mathiæ de Bielavy Brzezinenſis, Joannis de Kalinowa Sandecenſis, Petri de Chełm Polanecenſis, Nicolai de Lupſtow Kruswicenſis, Stanislai de Skarſzewo Biechovienſis, Jacobi Przekora Czechovienſis, Przybyslai Kowalenſis, Nicolai Kielbaſa Bydgoſtienſis, Jacuſſii de Strzygi Ripinenſis, Paſkonis de Goslawice Konarienſis, Joannis de Ulanowo Rogosnenſis, Hriczkonis Kerdeyowitz Leopolienſis, Nicolai de Wiſnicze Premyslienſis, Petri de Smolicze Sanocenſ. Michaëlis de Buczacz Halicienſis, Joannis de Oleſznica Mareſchalci, Andreæ de Lubino Theſaurarii Regni Poloniæ, Andreæ de Czechowice Plocenſis, Wigandi de Oſtrołęka Czyrnenſis, Dobrogoſti de Nowydwor Varſavienſis, Pauli de Leſzno Sochaczovienſis, Adæ de Rythlo Goſtinenſis, Marcuſſi de Popien Ravenſis, Nicolai Małdrzyk de Starogrod Belzenſis Caſtellanorum, Petri de Pieſkowaſkala Cracovienſis, Petri Cordybog Poſnanienſis, Andreæ de Zelechowo Sandomirienſis, Dobrogoſti de Szamotuły Caliſſienſis, Thomæ Szeliga de Janowice Siradienſis, Stanislai Bielawſki Lancicienſis, Andreæ Dunin Breſtenſis, Stanislai Junivladislavienſis, Wolczkonis Rokatowicz Leopolienſis, Fantkonis de Sennow Premislienſis, Czurilonis de Stoyance Halicienſis, Januſſii Kerdeiowicz Kamenecenſis, Nicolai Grzymalka Sanocenſis, Stanislai Kanymir Chelmenſis, Petri de Campa Plocenſis, Andreæ de Radzieiowice Sochaczovienſis, Nicolai de Brzozow Goſtinenſis, Joannis Tabaſch de Zaluſki Ravenſis Succamerariorum. Narciſſi de Wroczymowice Cracovienſis, Theodorici de Modzygod Poſnanienſis, Joannis Slanka de Lapzowo Sandomirienſis, Nicolai de Pleſzowo Caliſſienſis, Zegothæ de Monkowo Siradienſis, Petri de Oporowo Lancicienſis, Waſkonis de Sluzewo Breſtenſis, Nicolai de Koſcielec Junivladislavienſis, Derslai de Wyſokie Lublinenſis, Georgii de Laſſodki Dobrinenſis, Joannis de Winnica Leopolienſis, Jacobi de Zachowice Halicienſis, Andreæ Wyduga Plocenſis, Joannis de Reglewice Cirnenſis, Joannis Rogala de Węgrzynowo Wyſogrodenſis, Derslai de Podoſie Zakroczymenſis Vexilliferorum. Pauli de Bogumilowice Cracovienſis, Abrahæ de Zbanſyn Poſnanienſis, Joannis de Sprowo Sandomirienſis, Trojani de Lekna Caliſſienſis, Petri de Wydawa Siradienſis, Adæ de Thur Lancicienſis, Andreæ de Ludbrancz Breſtenſis, Mathiæ Figa de Oleſznica Junivladislavienſis, Alexii de Ploniki Dobrinenſis, Joannis Kielczomicz Lublinenſis, Stanislai de Dawidowo Leopolienſis, Petri de Grochowiec Premislienſis, Joannis Kola de Dalew Halicienſis, Stanislai de Strzegowo Plocenſis, Alberti de Chebdzino Cernenſis, Zylandi de Winnica Viſſogrodenſis, Zemak de Smogorzewo Ciechanovienſis, Saſſyni de Szczawino Goſtinenſis, Jacobi de Glowno Ravenſis, Saſſyni de Wirzyſka Belzenſis Judicum; Joannis Farurey Cracovienſis, Bieniaconis de Bandlewo Poſnonienſis, Joannis Powala Sandomirienſis, Sigismundi de Margonino Caliſſienſis, Stephani de Oporow Lancicienſis, Criſtini de Koſciol Breſtenſis, Joannis Boyhuſki

ANNO 1436. ſki Junivladiſlavienſis, Demetrii de Chodorow Leopolienſis, Joannis Mizurowſki Premislienſis Dapiferorum. Januſſii de Kobylany Cracovienſis, Samborii de Malachowo Poſnanienſis, Petri de Krzyzanowice Sandomirienſis, Thomkonis de Mirza Siradienſis, Stanislai Starſtkowſki Caliſienſis, Joannis Parcynczow Lancicienſis, Boniewſki Breſtenſis, Kaczkowſki Junivladislavienſis, Nicolai de Felſten Leopolienſis Venatorum. Jacobi Klicze Pincernæ Siradienſis, Petri Skora Poſnanienſis, Baguſſii de Kruſſow Caliſſienſis, Andreæ de Brzezie Breſtenſis, Joannis de Zimnawoda Leopolienſis Subiudicum. Nicolai de Brzeſſe Cracovienſis, Raphaelis de Goluthowo Poſnanienſis, Jacobi de Baranow Sandomirienſis, Stanislai de Oſtrorog Caliſſienſis, Nicolai Kolucki Junivladislav. Clementis de Banczyce Lancicienſis, Nicolai de Sarlei Breſtenſis Subdapiferorum. Jacobi Lublinenſis, Kielczonis Siradienſis, Joannis de Laſſotki Dobrinenſis, Jacobi de Malice Leopolienſis Tribunorum. Stanislai Ligansſyc, Spitkonis de Melſtin, Petri de Curow, Nicolai de Krolikowo, Przedpelkonis Moſzczyc de Kosmin, Milai de Miloslaw, Ianuſſii de Tuliſkowo, Nicolai de Grandi, Petri de Sawadi, Miſczuy de Parczew, Iakuſſii de Wroniawy, Ioannis de Zychlino, Nicolai de Sleſſino, Vincentii de Pniewa, Thomkonis de Sobota, Thulk de Strykow, Raphaëlis de Tarnow, Ioannis de Pilcza, Skarbkonis de Gora, Muſſilonis de Butzacz, Nicolai Mietowſki, Ianuſſi de Winary, Petri Fulkowſki, & Iacobi de Czernchowo, Nicolai de Michow Nobilium & Procerum Cracovienſis, Poſnanienſis, Caliſſienſis, Leopolienſis, Plocenſis, Varſavienſis, Stolpenſis & Stardgardenſis Civitatum. Poſtquam autem Deo favente annos diſcretionis attigerimus, promittimus & ſpondemus juramentum præſtare, renovare & appendere, ſeu appendi facere præſentibus ſigillum noſtræ Majeſtatis. Actum in Brzeſcie Vladislavienſis Diœceſis, Sabbatho in Vigilia Circumciſionis Domini, anno ejusdem milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto. Datum per manus Magnifici & Venerabilis Ioannis de Koniecpole Cancellarii, & Vincentii Koth de Dampno Cuſtodis Gneſnenſis, Cantoris Cracovienſis Eccleſiarum, Regni Poloniæ Vice-Cancellarii, Sincere Nobis Dilectorum.

XCVIII.

ANNO 1436.

Literæ Reverſales VLADISLAI *Regis Poloniæ.* Datum in Brzeście Anno 1436. Sabbatho in Vigilia Circumciſionis Domini. *Ex Originali. Sigillum 1.*

Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis. Quod nunquam Nos & Succeſſores noſtri Magiſtro & Terris Ordinis guerras movebimus aut bella, ſed pacem perpetuam & concordiam inter Nos, Regnum noſtrum, & adhærentes noſtros ab una, Magiſtrum, Ordinem, & ſuos adhærentes ab altera partibus, de Anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo ſexto, in Vigilia Circumciſionis Domini, in Civitate noſtra Brzeście conceptam & firmatam cuſtodiemus & ſervabimus inconcuſſe in omnibus ſuis articulis atque punctis. Promittentes: quod ſi Nos vel Succeſſores noſtri, ſtante hujusmodi pace perpetua, Magiſtro aut Terris Ordinis vellemus aut conaremur hujusmodi guerras aut bella movere, non debent Nobis ſubditi noſtri conſentire, nec in hoc obedire aut parere, quinimo erunt ab omnibus noſtris homagiis, juramentis & ſubjectionibus liberi & ſoluti, donec in hoc caſu Nos & Succeſſores noſtri ad obſervantiam pacis perpetuæ revertemur, quos in hujusmodi caſu abſolvimus ab omnibus homagiis, promiſſionibus & juramentis Nobis factis, ut præfertur per præſentes harum, quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum, teſtimonio litterarum. Datum in Brzeście Diœceſis Vladislavienſis, Sabbatho in Vigilia Circumciſionis Domini, Anno ejusdem 1436. Præſentibus ibidem Reverendiſſimo & Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis, Alberto Dei Gratia Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo & Primate, Sbigneo Cracovienſi, Vladislao Vladislavienſi, Stanislao Poſnanienſi, & Stanislao Plocenſi Epiſcopis: ac Magnificis, Nobilibus & Strenuis Nicolao de Michałow Caſtellano & Capitaneo Cracovienſi, Ioanne de Lubin Breſtenſi, & Iarando Iunivladislavienſi Palatinis, ac aliis pluribus fide dignis.

XCIX.

Literæ Reverſales PAULI de RUSDORF *Ordinis Teutonici Magiſtri Generalis.* Datum in Caſtro Marienburgenſi ipſo die Dominico LÆTARE Anno 1436. *Ex Originali. Sigill. 1.*

Nos Frater PAULUS de RUSDORF Ordinis Beatæ Mariæ Domus Theutonicorum

ANNO corum Ieroſolimitanorum Magiſter Ge-
1436. neralis, ſignificamus tenore præſentium quibus expedit univerſis. Quod nunquam Nos, nec Succeſſores noſtri Sereniſſimo Principi & Domino, Domino VLADISLAO Regi, aut Regno ſuo Poloniæ guerras movebimus aut bella &c. *ut ſuperius in Reverſalibus* VLADISLAI *Regis.*

In cujus rei teſtimonium & fidem firmiorem ſigilli noſtri appenſione præſentes fecimus communiri. Datum in Caſtro noſtro Marienburgenſi, ipſa die Dominica, qua in Eccleſia Dei *Lætare Jeruſalem* decantatur, Anno Nativitatis Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo ſexto. ANNO 1436.

C.

1440. Bund der ſämtlichen Stände des Landes Preuſſen, worinnen ſie unter gewiſſen Bedingungen verſprechen, dem Hochmeiſter und gantzen Teutſchen Orden allen ſchuldigen Gehorſam zu leiſten. *Geben zu Marienwerder Montags nach dem Sontag Judica* 1440. (*Vid. J. du Mont Corps Univerſel Diplomatique du Droit des Gens Tom. III. Part. I. pag. 86.*)

Wiſſentlich ſey allen Kegenwärtigen und Zukünftigen, denen dieſe Schrifften vorbracht werden, daſs am Sontage Reminiſcere, im vierzigſten Jare, Land und Städte, zum Elbing zuſammen geweſen ſind, und daſelbſt, um mercklicher nothdürfftiger Sache willen, eine Einigung und Verſchreibung, einer bey dem andern in ſeinem Rechte zu bleiben, angehaben und verrahmet, und am Sontag Judica darnach zu Marienwerder, dieſelbe Vereinigunge mit Brieffen und Siegeln geendet und vollführt haben, in ſolcher Weiſe, als hernach folget:

Im Nahmen der Heiligen und untheilhafftigen Dreyfaltigkeit, Am.

Wir Ritter, Knechte, und Stedte der Lande, Gebiete und Stedte in Preuſſen, unten geſchrieben, bekennen und zeugen offenbahr mit dieſem kegenwärtigen Brieff, für alle, die ihn ſehen, hören, oder leſen, daſs wir umb gemeines Nuz und Frommens Willen, Gott zu Lobe, unſerm Herrn Hochmeiſter, ſeinem Orden und Landen zu Ehren, und uns allen zur Forderung, Beſten und Wolfahrt, mit guter Vorbetrachtung, wohlbedachtem reiſſen Rath, und mit Eintracht, Wiſſen und Willen, unſer aller gemeiner Ritter, Knechte, Bürger und Einwohner, eine freundliche, ſtedte, feſte Vereinigung und Zuſammenſezung, einer bey des andern Rechte und rechtfertigen Sachen zu bleiben, unter einander angegangen und gemacht haben. Angehen und machen, in Krafft

C.

Confœderatio omnium Ordinum & Statuum Terrarum Pruſſiæ, per quam ſub certis conditionibus Magiſtro & Ordini Teutonico obedientiam & ſubjectionem promittunt. Actum in Quizin Feria ſecunda poſt Dominicam JUDICA Anno 1440. *Ex Archivo Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Załuſki Epiſcopi Kijovienſis.* 1440.

Notum fiat omnibus præſentibus & futuris, quibus expedit univerſis, quod Dominica Reminiſcere Anno 1440. Terræ & Civitates in Oppido Elbing convenerint, ibique ad res ſingulares componendas conſilium inierint, præcipue quatenus omnes penes ſua jura permanere poſſint; poſtea vero Dominica Judica in Marienwerder ea, quæ ibi concluſa, litteris & Sigillis noſtris approbata & ad finem deducta ſunt, quorum tenor eſt talis:

In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Amen.

Nos infra ſcripti Equites, Milites, & Terrarum Pruſſiæ Civitates, notum teſtatumque facimus per præſentes omnibus has lecturis vel audituris. Quod pro commodo & utilitate communi, pro gloria Dei, honoreq; Clementiſſimi Domini noſtri Magiſtri & unverſi Ordinis, ac pro bono Reipublicæ & omnium noſtrorum maturo conſilio, deliberataque conſultatione habitis, de ſcitu & voluntate omnium Equitum, Militum, Civium & incolarum noſtrorum, amicabilem, ſtabilem, perpetuamque inter Nos concordiam, cum ſcitu & voluntate ac conſenſu R. R. Domini & F. PAULI RUSDORFII Magiſtri in Pruſſia, Domini Clementiſſimi, juſtis de cauſis vigore harum literarum, pro Nobis, Communitate noſtra, Equitibus, Civibus, Militibus ac incolis præ-

BIBLJOTEKA w Wilnie

Anno 1440. *Krafft dieſes Briefs für uns, unſere gemeine Ritter, Knechte, Bürger und Einwohner, die nun auch zukünftig ſeynd, und für alle diejenigen, die mit in dieſer Vereinigung ſeyn wollen, derſelben genug thun und gebrauchen. Und geloben die in guten Trewen, ſonder Argeliſt unverſehret zu halten, und dabey zu bleiben, in allen Puncten und Artickeln, als die hernach folgen in Schriften.*

Zum erſten, daſs ein jeglicher von uns, unten geſchriebenen Rittern, Knechten und Städten, die unter unſern H. Hochmeiſter geſeſſen ſind, ſol unſern Herrn Hochmeiſter und ſeinem Orden thun alles, das er ihme von Eren und Rechtens wegen pflichtig iſt zu thun, nach Ausweiſung unſer aller Privilegien, Freyheiten, und Rechte, und desgleichen, daſs ein jeglicher von uns untergeſchriebenen Rittern, Knechten, und Stedten unter den Erwirdigen unſern Herren Prelaten des Landes, geſeſſen, ſol ſeinem Herrn thun alles, das er ime von Eren und Rechtens wegen, pflichtig iſt zu thun, nach Ausweiſung eines jeglichen Privilegien, Freyheit und Rechte. Und alſo hinwiederumb begehren wir Ritter, Knechte und Städte, und düncket uns müglich und Recht ſeyn, daſs unſer Herre uns allen und einen jeglichen beſonder, laſſe bey Rechte, Freyheiten und Briefen, nachdem als wir und unſere Vorfaren damit begabet und gefreiet ſind, die alten Beſchwerungen abthue, und darüber keine andere in zukommenden Zeiten auf uns lege. Und ob uns jemand darüber drängen, oder mit Gewalt fahren wolte, daſs unſer Herre ein ſolches nicht verhenge, ſondern uns dafür beſchirme, und uns in unſern Rechten beilege.

Und ob Jemand von uns unten geſchriebenen Landen und Stedten, allen oder einer beſonder, Rittern, Knechten, Bürgern und Einwohnern, wider Recht, Briſen oder Freyheit bedränget, oder vergewaldiget, oder ime ſein Gut genommen würde, der ſoll ſich ſolcher Gewalt erklagen, erſten an unſern Herrn, dem Hochmeiſter, würde der Kläger dann der Gewalt nicht überhoben, das wir zu unſerm Herren nicht getrawen, ſo ſoll derſelbe kommen auf den gelegten Richts-Tag, der des Jares, umb Ungerecht und Gewalts willen, einſten ſol gehalten werden, und ſich da erklagen, würde das Gericht auch alſo nicht beſtelt, daſs dem Rechten gnug geſchehe, oder der Rechts-Tag nicht möchte Fortgang haben, und dem Kläger nicht mochte gerichtet werden, geſchehe das der Ritterſchaft, die ſol das von Stund an der eltiſten Ritterſchafft im Culmiſchen Lande verkündigen, und inen die Sache eigentlich durch

præſentibus & futuris, & pro univerſis unitatis hujus conſortibus inchoaverimus, iniverimus & confecerimus, promittentes ſancte, Nos in eadem ſine aliqua fraude doloque malo permanſuros, atq; eidem in omnibus punctis & articulis integre reſponſuros & ſatisfacturos, ut ſequitur: Anno 1440.

Primum omnium, quilibet ex Nobis infra ſcriptis, qui in ditionibus Clementiſſimi Domini noſtri Magiſtri vivimus, præſtabit eidem Domino Magiſtro, Venerabilibusque Prælatis ſuis & univerſo Ordini, quod ipſis de jure & honoris ergo juxta ſua privilegia, libertates & jura præſtare tenetur. Viciſſim ſimiliter deſideramus Nos Equites, Milites & Civitates, quod exiſtimamus fieri poſſe & æquum eſſe, ut Dominus noſter omnibus & ſingulis Nobis uti, frui libertatibus, juribus & literis permitteret, prout a prædeceſſoribus illius donati & privilegiati ſumus: gravamina vetera tollere, nec prætera alia nova futuris temporibus imponere velit. Si a quopiam ad quæ alia cogamur, ut Dominus noſter tale permittere nolit, ſed nos defendat, et injuribus noſtris præſto nobis ſit.

Et ſi ex nobis & infra ſcriptis Terrarum & Civitatum, omnes vel aliquis Nobilium, Militum, Civium & incolarum contra jus, literas & libertates cogatur, aut violetur, aut bona ipſius tollantur: is de vi illata primum conqueri debebit coram Domino noſtro. Si nullum remedium inde affulgeat (quod de Domino noſtro nobis non perſuademus) is ad ſtatutum terminum judicialem, qui in anno ſemel cauſa judicii & violentiæ celebrabitur, comparebit, querelamque ſuam ibidem deponet. Si judicium vero non probe conſtituatur, aut dies judiciales progreſſum non habeant, & jus actori non adminiſtretur, ſi hoc Nobili contingat, tunc Nobilitas id ipſum ſine mora Nobilitati Culmenſi veteri per literas & nuntios, perſcripta recta rei informatione intimabit, quæ Nobilitas una cum Civitatibus Culma & Torunio poteſtatem iſtius Terræ, & aliarum Nobiles & Civitates hujus Unionis pro

Anno 1440. *durch Schriften oder Boten wiſſen laſſen, ſo ſollen dieſelben Ritterſchafft mit ſamt den Stedten, Colm und Thoren, Macht haben, die Ritterſchafft aus den andern Gebieten, mit ſamt den andern Städten allen, in dieſer Vereinigung begriffen, auf gelegene Zeit und ſtat zu verboten, da auch ein jeglicher von uns untergeſchribenen Landen und Stedten ſol pflichtig ſeyn, hinzukommen, u. da die Sache zu verhören, werden die Sachen dann rechtfertig erkant, ſo ſollen die Ritter, Knecht und Stedte, des Klegers mechtig ſeyn, zu Eren und zu Rechte, zu entbieten, und ſollen ſich nach iren beſten Vermögen, darinne bearbeiten, daſs er dabey gehalten werde.*

In derſelbigen Weiſe, ob jemand von uns untergeſchriebenen Städten, Bürgern und Inwohnern, wider Recht, Freyheit, und Briefe gedranget würde, der ſol das den Städ en, Culm und Thoren, mit ſampt der Ritterſchaft des Culmiſchen Landes, Macht haben, die Ritterſchafft aus den andern Gebieten, mit ſampt den andern Städten allen, in dieſer Vereinigung begriffen, auf gelegene Zeit und ſtet zu verbotten, und den Sachen nachzugehen, in aller Weiſe, als hiernechſt zuvor, von der Ritterſchafft ſtehet ausgedruckt.

Item, wiederführe auch jemanden ſolche Sache, oder ſolche Gewalt, daſs man erkente, daſs man ſolches Richt-Tags nicht erbeiten möchte, da Gott für ſey, oder daſs man die Ritterſchafft, oder die Städte, da wider Recht drangen, oder Jemands ſeine Güter mit Gewalt unterhalten wolte, ſo ſollen wir getreulich und feſte, einer bey dem andern, in ſeinem Rechte bleiben, und der Sachen uns alle gleich nemen, die zum Ende helffen austragen, und nach unſerer Macht einer dem andern zum Rechten beylegen, Hülffe und Beyſtändigkeit thun, als das dann, nach Gelegenheit der Sachen, Noth und Behueff thun wird.

Und ob jemand von uns untengeſchriebenen Landen und Städten, Rittern, Knechten, Bürgern und Einwohnern, hierentboten mit Gewalt überfallen, und an ſeinem Leibe beleidiget, oder unſchuldiglich zum Tode gebracht würde, das wir doch nicht getrawen, das wollen wir klagen unſerm Herrn dem Hochmeiſter, und begeren, daſs er ein ſolches richte unverzogen, möchte denn das nicht geſchehen, ſo geloben wir Mannſchafft und Städte, alle unten berühret, in guten Trawen, uns darinnen alſo getreulich und mit ſolchem Ernſte zu beweiſen, daſs man erfinden ſoll, daſs uns allen ein ſolches leid iſt, und wollen das an ihme, dem Vergewaltiger, ſeinen und ihren Beylegern, am Leib und Gut, nach unſe-

pro opportuno loco & tempore convocandi habebit. Ubi etiam quilibet noſtrum de Nobilitate & Civitatibus adeſſe debebit, ut cauſa audiatur. Re judicialiter cognita omnes Equites, Milites & Civitates adniti, quantum poſſunt, debent, ut executio debita fiat. Anno 1440.

Simili modo, ſi quiſpiam noſtrum ex Civitatibus, Civibus & incolis contra jus, libertates & inſcriptiones cogeretur, is id Civitatibus Culmæ & Torunio indicabit. Civitates vero hæ una cum Nobilitate Culmenſi poteſtatem habebunt, Nobilitatem ex aliis ditionibus cum omnibus aliis civitatibus in unione comprehenſis pro opportuno loco & tempore convocandi, & veritatem rei indagandi per omnem modum, ut proxime de Nobilitate expreſſum eſt.

Si cuivis inferatur, quæ dilationem ad dictum judiciorum diem (quod abſit) non patiatur; vel ſi Nobilitas aut Civitates adeo contra jus cogantur, tali caſu fideliter alter cum altero in judicio perſiſtet, & tanquam propriam cauſam defendet, ac usque ad finem deducet, & pro viribus alter alteri in ſuo jure adſit, atque eum adjuvet, prout opportunitas & neceſſitas poſtulaverint.

Si etiam quiſpiam ex infraſcriptis Civitatibus, Terris, Nobilitate, Militibus & incolis tali caſu vim patiatur, & in ſuo corpore lædatur, vel etiam innocenter morte mulcetur, quod futurum non confidimus, hoc deferemus ad Dominum noſtrum, poſtulabimusque, ut ſine longiori mora factum dijudicet. Si id non fiat, promittimus & ſpondemus Nobilitas & Civitates infraſcriptæ bona fide omnibus inferius dictis, nos ita fideliter & ſancte in hac cauſa proceſſuros, ut clare cognoſcatur, nos omnes vicem hanc condolere, neque ſinemus in reo vel ejus aſſiſtentibus in corpore & bonis, pro ſummis viribus noſtris inultam rem abire.

ANNO 1440.

unſerem höchſten Vermögen nicht laſſen ungerochen.

Item, Daſs ein jeglicher von uns untengeſchriebenen Landen und Städten, ſol mit des andern beſten umgehen, in rechtfertigen Sachen, und ob einer etwas verneme, oder zu wiſſen würde, daſs dieſem Lande, uns allen, oder einem beſonder möchte ſchädlich ſeyn, in welcherley Weiſe das wäre, das ſoll einer dem andern verkündigen, getreulich warnen und wiſſen laſſen, und ſolche Warnung und Verkündigung ſoll bey einem jeglicken in Rathes Weiſe bleiben.

Item, was von den gemeinen Landen und Städten auf den Tagfahrten, mit Eintracht, nach alter Gewonheit, verliebet und beſchloſſen wird, daſs daſſelbe von uns untergeſchriebenen Landen und Städten alles alſo gehalten werden ſolte.

Im Zeugnis und warhafftigen Bekäntnis aller vorgeſchriebenen Sachen, haben wir Hans von Segenberge, Banerführer des Culmiſchen Landes, Cuntze von Schwenten, Otto von Plemichaw, Auſtin von der Scheibe, Rittere, Joen von Eichholz, Simon von Glaſow, Johann von der Linew, Günter von Peteraw, Otto von Heſelecht, Jorge von Sefelt, Jakuſche von der Trommeney, Matthis von Genten, Niclas von Vrierſche, Hans Rackus, Hans Schlumenaw, Sander Machewitz, Hans Logendorff, Friederich von Polkaw, Bartuſche von der Twernitz, Peter Stube, Hans Moſsek, Knechte, von alle der Ritter und Knechte wegen des gantzen Culmiſchen Landes und Gebietes, Johann von Baiſen, Hans Kuſskau, Landrichter, Günter von der Delaw, Zander von Ruſskaw, Niclas Machwiz, Otto Strube zum Reine, Peter von Doringswalde, Niclas von Doringswalde, Petruſche von Garden, Matthes von der Lynaw, Jorge von Orzebin, Hans von der Schlawke, Ritter und Knechte des Oſterrodiſchen Gebites, Niclas von Buchwalde, Banefuhrer, Segemunt von Wapels, Landrichter, Pawel von Deſsmansdorff, Ritter, Gabriel von Baiſen, Raſche von Lincken, Wudiſch von Grunenfelde, Clement von Diſes, Knechte des Chriſtburgiſchen Gebites, Rampzel von Cryſen, Landrichter des Riſenbergiſchen Gebites, Stybar von Bapſen, Niclas Zackeraw. Niclas Sonnenberg, von der gemeinen Ritter und Knechte wegen des Riſembirgiſchen Geſtiſtes, George Scholein, Landrichter, Tize von Marewiz, Hans Pfeilsdorff, Matthis von Burckhartsdorff, des Elbingiſchen Gebites, Gottſchalck von Schmollong, Hans von Thuren, Joen von der Jene, Ritter und Paſsca Schwierkazni des Dirſchawiſchen und Mewiſchen Gebie-

ANNO 1440.

Item unusquisque noſtrum ex Nobilitate & Civitatibus alterius res æquas ſibi meliore modo commendatas habebit. Et ſi quis animadvertat, vel certior aliunde fiat de inſtanti damno harum terrarum, unius aut omnium, quodcunqne id ſit, alter alteri indicabit, deque eo monebit illum, quæ admonitio apud eum loco conſilii quieſcet.

Quod per Terras Pruſſiæ & a Civitatibus in Conventibus concorditer de veteri conſuetudine receptum & concluſum fuit, hoc ipſum a Terris & Civitatibus infra ſcriptis obſervabitur.

In fidem omnium ſupra dictorum Nos Joannes a Segenberge Vexillifer Terræ Culmenſis, Cuntius a Swenten, Otto a Plemichau, Auguſtinus a Scheibe Equites, Joen a Eichholtz, Simon a Glaſaw, Johan a Linaw, Gunther a Peteraw, Otto ab Heſelecht, Georgius a Sefelt, Jacobus a Fromeney, Matthias a Genten, Nicolaus a Vrierſche, Joannes Rakus, Joannes Schlumenaw, Sander Machewitz, Joannes Logendorff, Fridericus a Polkaw, Bartuſch a Twernitz, Peter Stube, Ioannes Moſzek Equites & Milites totius terræ & ditionis Culmenſis. Ioannes a Baiſen, Ioannes Kuſskau Iudices terreſtres, Gunterus de Delaw, Zander a Ruſkaw, Nicolaus Machewitz, Otto Strube ad Reine, Petrus a Doringswalde, Nicolaus a Doringswalde, Petruſche a Garden, Matthæus Lynaw, Georgius ab Orzebin, Ioannes a Schlamke Equites & Milites Oſterodenſis ditionis, Nicolaus a Buchwalde Vexillifer, Sigismundus a Wapels Iudex terreſtris, Paulus Desmansdorff Eques, Gabriel a Baiſen, Raſche a Lincken, Wudiſch a Grunenfelde, Clemens a Diſes, Milites Chriſtburgenſis ditionis, Rampzel a Cryſen Iudex terreſtris Riſenburgenſis ditionis, Stybar a Bapſen, Nicolaus a Zakerau, Nicolaus Sonnenberg, ex ſimplicibus Equitibus & Militibus Fundationis Riſembirgenſis, Georgius Scholein Iudex terreſtris, Tize a Marewiz, Ioannes Pfeilsdorff, Matthias a Burkhardsdorff Elbingenſis ditionis, Gottſchalk a Schmollang, Ioannes a Thuren, Ioen a Iene Equites, & Paſzca Schwierkazni Dirſchawienſis & Mewenſis ditionis, de plena potentia, conſilio & mandato omnium noſtrorum communium Equitum & Militum, qui nos ablegarunt, infra ſigillis noſtris munivi-

Anno 1440. *bites, von vollkommener Macht, Eintracht, Geheiſs, und Befehls wegen, alle der unſern und unſerer gemeinen Ritter und Knechte, die uns ausgeſant haben, unſere Siegel hierunten aufgedruckt. Und wir Burgermeiſter und Rathmanne der Stedte Culmen, Thoren, Elbing, Braunsberg, Königsberg, Danzig, Kneiphoff, Graudenſs, Straſsburg, Newmarck, Lebaw, Reden, Newſtad-Thoren, Newſtad-Elbing, Lebenicht, Welaw, Allenburg, Heilige-Buel Zinthen und Landesberg, von vollkommener Macht, Eintracht, Geheiſs, und Befehles wegen unſerer Elteſten, Schöppen, Bürger, Inwohner und ganzen Gemeinden unſerer Stedte, gröſte Siegele hieran laſſen hangen, und zu forderer Sicherheit u. feſter Verwarung, geloben wir Ritter u. Knechte, alle vorberühret, in vollkommener Macht aller der unſern, vor uns, und vor unſerer ganzen Gemeine, Ritter und Knechte, die auf dieſe Zeit ſind, und auch zukünfftig ſeyn werden, und vor alle diejenigen, die in dieſer Einigung ſind beſchloſſen, und auch hernachmahls herein begeren zu kommen, und wir Burgermeiſter und Rathmanne der vorgedachten Stedte, geloben in voller Macht vor uns, unſerer Scheppen, Bürger, Einwohner und ganzen Gemeinden, die nun und auch zukünfftig ſind, und für alle diejenigen, die in dieſer Vereinigung begriffen ſind, und hernachmahls herein begeren zu hommen, alle Stucke und Artickel, als die hiebevor ausgedruckt ſtehen, in guten rechtfertigen Glauben, bey Trewen und bey Eren, ſonder Argeliſt, ſtedte, feſte, und unverſehret zu halten, und dabey zu bleiben, und dem nach ganzer unſerer Macht genug zu thun in allen zukommenden Zeiten.*

Geſchehen und vollendet ſein dieſe Dinge, zu Marienwerder am Montag nach dem Sontag Judica in der Faſten, im Jare unſeres Herren vierzehenhundert und vierzig.

nivimus. Et nos Proconſules & Conſules Civitatum Culmæ, Torunii, Elbingæ, Brunsbergæ, Regiomonti, Gedani, Kneiphoff, Graudens, Strasburg, Neumark, Lebaw, Reden, Neoſtadii-Thoren, Neoſtadii Elbing, Lebenicht, Welaw, Allenburg, Heilige Buel, Zwithen & Landesberg, de plena potentia, juſſu & mandato noſtrorum Scabinorum, Civium, incolarum & totius Communitatis Civitatum noſtrarum majora Sigilla ad hanc Ligam appendi fecimus, & ad majorem ſecuritatem, & pro firmiore argumento Nos Equites & Milites ſpondemus nomine omnium, qui in hac unione comprehenſi ſunt, & qui poſtea deſideraverint eam. Et Nos Conſules dictarum Civitatum ſpondemus de plenitudine poteſtatis pro nobis, noſtris Scabinis, Civibus, incolis & Communitatibus præſentibus & futuris, omnia puncta & articulos, prout expreſſi ſunt, cum bona fide, remota fraude omni, doloque malo ſemper, firmiter & incorrupte ſervaturos, & in his permanſuros, & pro cunctis viribus noſtris ſatisfacturos. Anno 1440.

Acta ſunt hæc & finita Quizini, Feria ſecunda poſt Dominicam Judica, Anno Domini noſtri 1440.

CI.

1446. *Concilium Baſileenſe teſtatur ſe non abſolviſſe Ordinem Teutonicum a juramento de ſervanda perpetua pace cum Polonis.* Datum Baſileæ IV. Calendas Sept. Anno 1446. *Ex Originali.*

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu S. legitime congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, Venerabili Sbigneo Epiſcopo Cracovienſi, in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem aſſumpto, Salutem & Omnipotentis Dei Benedictionem. Res utique magna & perfecta eſt, Deoque accepta in via veritatis ambulare, nec a dextris declinare vel a ſiniſtris. 1446. Veritas enim recte ambulantes liberat, ne inter commenta & calumnias tandem falſis teſtibus obruantur; ait enim Divina Sapientia: Veritas liberabit vos. Hæc igitur Sancta Synodus juſtitiam & veritatem cum pace ſemper amplexa, erepta eſt a Domino, ne morſibus detractorum in ſua innocentia et ſimplicitate violaretur, ſed ut Sancta Dei Eccleſia, quæ Corpus et vera Chriſti Conjunx eſt, ſine ruga et macula permaneret, cujus nunc ſanctis operibus detrahere in inclito Regno Poloniæ veritatis æmuli non parum laborant. Nam ut teſtimoniis fide dignis hæc Sancta Synodus accepit, per nonnullos Prælatos et Di-

Anno 1446. gnitarios ipſius Regni Poloniæ relatum ſcriptumque eſt, quod hoc Sacrum Baſileenſe Concilium Dilectum Eccleſiæ Filium, Religioſum Virum Magiſtrum Militiæ de Pruſſia, una cum omnibus ſibi ſubditis a quibusdam juramentis, per ipſos de pace tenenda cum præfato Regno Poloniæ literis et expreſſis capitibus deſuper confectis, quæ tenere perpetuo medio eorum juramento ipſi Regno promiſerant, abſolverit. Super quibus hæc Sancta Synodus, ut de ſua plane conſtaret innocentia, exactam et diligentem informationem habuit, mandans perquiri in Regeſtris ſuis, ſi de hac materia unquam expeditæ fuiſſent literæ, aut facta conceſſio admittendo ſupplicationem; item inquirendo ab aliis, qui continue hoc in loco permanſerunt hactenus, in quorum notitia, ſi quidquam fuerat de hac re petitum vel factum, merito pervenire debuerat, utque nihil omitteretur etiam in Generali Congregatione noſtra ſuper hoc ſpecialiter celebrata interrogati ſunt omnes in eadem exiſtentes, ſi de prædictis unquam intellexiſſent, et unanimiter reſponderunt, nihil de hac re ſe noſſe, nec ſe memores unquam ſuper huiusmodi abſolutione obtinenda pro parte ipſius Ordinis fuiſſe factam inſtantiam. Unde compertum eſt in veritate nunquam ſuper hujusmodi juramentis, literis et capitulis per hoc Sacrum Concilium fuiſſe diſpenſatum, nec aliquando per dictum Magiſtrum Pruſſiæ et ſibi ſubiectos ad hoc faciendum hanc S. Synodum requiſitam. Quod ſi aliquo tempore factum fuiſſet, intellexiſſemus hoc non ſolum ſeminarium belli, ſed incendium fore, ſcilicet ſolvere vinculum, quo Fœdera pacis tenebantur; propterea quidem nullo pacto absque alia et neceſſaria cauſæ urgentis examinatione prævia ad hoc Sancta hæc Synodus conduci potuiſſet, quæ cum univerſis laboribus et gravibus expenſis pacem hactenus componere diligenter curavit in Italia et in Francia, et frequentiſſime in ea, quæ permanet, inclita Germanica Natione. Hæc quippe ſua profeſſio eſt, hæc cura, hæc diligentia. Quomodo igitur fingi poteſt, nunc hanc Sanctam Synodum fœdera diſſolvere pacis, quæ inter hoſtes ad reconciliandam gratiam ſemper operam dedit, aut ſuæ domeſticis fidei detrimentum quærere, quæ alienis, ſi poſſet, profectum procuraret, aut ſibi devotos ſua opera exaſperare, quæ irreverentes ut obediant, lenire conatur. Quare de his tuam Devotionem certiorem facere curavimus, ut qui inclito Regno Poloniæ Principatum tenes, ipſius gentes et populos de his rebus reddas attentos, et in devotione hujus S. Synodi, in defenſione veritatis, pro tuitione Fidei, et veneratione authoritatis Eccleſiae firmos retineas ad laudem et gloriam Dei, qui tuam devotionem in ſuo ſancto ſervitio conſervare dignetur. Datum Baſileae IV. Kal. Septembr. Anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto. Anno 1446.

CII.

Ejusdem Concilii ad Magiſtrum Ordinis Teutonici epiſtola, in qua teſtatur de abſolvendis a juramento Cruciferis Sanctam Synodum nunquam fuiſſe requiſitam. Datum Baſileæ IV. Kal. Septembr. Anno 1446. *Ex Originali.*

Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu Sancto legitime congregata, univerſalem Eccleſiam repraeſentans, Dilecto Eccleſiae Filio Magiſtro Hoſpitalis B. Mariae Theutonicorum in Pruſſia Salutem et Omnipotentis Dei Benedictionem. Etſi tua noſtraque culpa acciderit, quod nuper ex Regno Polonae audivimus, noſtra tamen intereſſe arbitrati ſumus, potius ſcribendo Optimatibus illius Regni tuam fidem, noſtramq; innocentiam exponere, quam tacendo falſe ſuggeſta confirmare, quod te latere nolumus, ut ſicut inter Nos et Devotionem tuam cauſa haec communis eſt, communis ſit et notitia ejus. Nam ſuperioribus diebus a gravibus Viris ex Regno Poloniae, dilectiſſimis Eccleſiae Filiis Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalibus in hoc ſacro Concilio reſidentibus ſcriptum fuit, quemadmodum plures Praelati et Principes ipſius Regni accepiſſent, quod hoc ſacrum Concilium a quibusdam juramentis, capitulis et literis ſuper pace perpetua ſervanda inter ipſum Regnum et Ordinem, cui praees, tibique ſubjectos, te et tuos populos et gentes abſolverit, quod a veritate omnino eſt alienum. Qua de re haec Sancta Synodus ad Praelatos et Principes dicti Regni ſcripſit, quomodo facta diligenti inquiſitione etiam in noſtra Congregatione Generali interrogatis Patribus ſimul conſedentibus compertum eſſe in veritate nihil ſciri de hac re, neque a te et tibi ſubjectis unquam ſuper hoc hanc Sanctam Synodum requiſitam fuiſſe. Tui igitur erit deinceps conſilii, quid amplius per te in ea re agendum ſit, Nos autem tuam caritatem monemus et hortamur, quatenus ut Catholicus Eccleſiae Sanctae Filius pro temporis opportunitate ipſius Eccleſiae negotia com-

Anno 1446. commendata ſuſcipias, veritatem & juſtitiam, pro qua hactenus hoc in loco permanſimus, una nobiſcum tuearis, ut mercedem conſequaris, inquirentibus veritatem a Deo præparatam in cœlis. Datum Baſileæ IV. Kal. Sept. Anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto.

CIII.

1448. CASIMIRI *Regis Poloniæ Mandatum ad exigendum jusjurandum a* CONRADO de ERLICHSHAUSEN *Magiſtro, & Fratribus Ordinis Teutonici de ſervanda pace.* Datum Vilnæ Sabbato die in Octav. Epiphaniarum Dom. Anno 1448. *Ex Originali. Sigillum 1.*

CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, & Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quomodo aliis intenti negotiis ad audiendum & recipiendum corporale juramentum de manibus Magnifici & Venerabilis Viri, Domini CONRADI de ERLICHSHAUSEN, Religioſorumque ſuorum Commendatorum & Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ Domus Theutonicorum, ipſorumque ſubditorum de Pruſſia, de pace perpetua inter Nos, Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Litvaniæ, Terras & ſubditos noſtros ex una, & ipſum Ordinem, Terras, Dominia & ſubditos ejusdem partibus ex altera, juxta inſcriptiones dudum firmatas tenenda, & inviolabiliter obſervanda, propria in perſona intereſſe non valentes, ex certa noſtra, Conſiliariorumque noſtrorum utrorumque Dominiorum, videlicet Regni Poloniæ & Magni Ducatus Litvaniæ ſcientia, Reverendo in Chriſto Patri Domino Vladislao Epiſcopo Vladislavienſi, Magnificisq; Jarando de Braydzewo Palatino Siradienſi, Sandivogio Capitaneo de Coſſuno, & Radziwyło Oſthrołonis Tenutario de Hruſpole, ſincere Nobis dilectis, dictum juramentum ab ipſo Magiſtro Generali, Commendatoribus, & toto Ordine præfato, ac ſubditis eorum plenam, liberam & omnimodam facultatem & poteſtatem, ac mandatum ſpeciale audiendi & recipiendi dedimus & commiſimus, damusque & concedimus per præſentes, permittentes omnia & ſingula circa hujusmodi auditionem & receptionem hujusmodi juramentorum per memoratos noſtros Factores ſeu Nuntios diſponenda & ordinanda, ut alias tunc diſpoſita, ordinata & concluſa, rata, grata atque firma tenere, & perpetuo obſervare, tenerique & obſervari facere, tamquam ipſi in præſentiarum eadem juramenta audiremus ac reciperemus, & præmiſſa omnia per Nosmet diſponeremus, ordinaremus & concluderemus harum, quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum Vilnæ Sabbatho die in Octava Epiphaniarum Domini, Anno ejusdem milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo Octavo. Anno 1448

CIV.

Oratio Legatorum Terrarum Pruſſiæ ad CASIMIRUM *Regem in Conventu Cracovienſi habita, qua ſe in fidem & ditionem Regni Poloniæ recipi rogant.** Anno 1454. Pridie Feſti S. Petri ad Cathedram. *Ex Archivo Illuſtriſſimi, Excellentiſſimi ac Reverendiſſimi D. Comitis Załuſki Epiſcopi Kijovienſis.* 1454.

Superioribus annis, Sereniſſime Rex, Proavi, Avi & Patres noſtri, & tandem Nos quanta & quam indigna, fœda & execranda a Magiſtro & Ordine Cruciferorum Pruſſiæ perpeſſi ſumus, nec tuam Excellentiam, nec tuos Conſiliarios, ſed nec vicinas Nobis Nationes putamus ignorare. Pauca tamen ex multis commemorare cogimur, ut magnitudo injuriæ patientiæque noſtræ poſſet dinoſci, Primum quidem Magiſter & Ordo ipſe, fragili & fluxa fide uſi, Terram Pomeraniæ per ſcelus & iniquitatem a Regno Poloniæ abſtraxerunt. Deinde rupto fœdere, quod per CASIMIRUM Regem Poloniæ ictum erat, ſola libidine occupandi Terras Regni tui permoti, arma intulerunt, & Terram Dobrzinenſem primum, deinde Cuiaviæ juris ſui facere conati ſunt. Sed cum clade magna per Genitorem tuum victi eſſent, & Caſtra, Civitatesque Pruſſiæ, paucis exceptis, in ditionem ſuam conceſſiſſent, fœdus iterum a Genitore tuo, multatis tamen per prius Caſtro & Diſtrictu Nieſchovienſi, centum ſexagenarum latorum Groſſorum millibus, clementia Regali illis cum Caſtris & Civitatibus redditum eſt. Quo haud longo poſt tempore per eos prævaricato, coacti ſunt armis Genitoris tui pacem petere. Quam cum diu pati nequiviſſent, cum hoſte Regni & Patris tui Swidrigal jungere novas amicitias, rupto-

* Vid. Dlugoſſ. Lib. 13. ad ann. cit.

Anno 1454. ptoque fœdere hoſtilibus armis, Patre tuo bello cum Swidrigal occupato, Terram Dobrzinenſem, & Cujaviæ flammis dederunt. Sed cum ſcelus ſuum clade exercitus ſui, & expoſt victrici exercitu tuo, Terras eorum igne & gladio vaſtante, Deumque fœderum violatorum Vindicem ſupereſſe, recognoſcere coacti fuiſſent, quartum fœdus (quod, niſi nos reſtitiſſemus, celerius quam priora violandum erat) jurejurando ſancitum eſt. In ipſis autem bellis per annos cum Regno tuo continuatis quot orbitates in parentibus, liberis, ſociis & neceſſarriis, quot Civitatum notabilium exuſtiones, villarum perpetuas deſolationes, quanta conjugum & familiarium noſtrarum ſtupra, quantas fortunarum noſtrarum amiſſiones experti ſumus, veſtigia recentia clamore valido inſinuant. Sed hæc omnia non tam nobis moleſte ſunt, quod illa pertulimus, ſed quod bella ipſa, quæ velut injuſta execramur, ruptis fœderibus ſuſcipere & gerere, ac noſtris ac noſtrorum capitibus expiare, Magiſtro & Ordine, qui nunquam nobiſcum rem integram communicati ſunt, in arce fortiore recluſis, & noſtras clades magis ſpectantibus quam relevantibus, cogebamur. In tot autem & tantis malis, ſi quando foris hoſtis deerat, major intus imminebat. Commendatoribus & Tenutariis Caſtrorum turpe non erat, bona noſtra nulla cauſa præcedente, nullo ſervato juris ordine occupare, conjuges in virorum, & filias in parentum conſpectu abſtrahere, & ſuas ſatiare libidines. Et tam graves querentibus injurias non juſtitiæ adminiſtratio, ſed ſæva capitum truncatio & bonorum ablatio parabatur. Tantis malis preſſi certam Unionem & Ligam, qua a tot preſſuris tuti eſſe poſſemus, inivimus. Hæc, velut omnem juſtitiam & æquitatem reddens, a duobus Magiſtris Paulo & Conrado non ſolum tolerata, ſed etiam admiſſa eſt. Verum cum illam præſens Magiſter Ludovicus, privato pravoque ſeductus conſilio, reſcindere & penitus abrogare conatus eſſet, & quæſtio noſtra communiter ad cognitionem Friderici Imperatoris deducta fuiſſet, rejectis noſtris rationibus fortiſſimis, juſtificationem noſtram clariſſime deducentibus, ſententia ipſius Imperatoris, Liga noſtra juſta caſſata, pro majori noſtra calamitate damnati ſumus in ſexingentis millibus florenorum, ut Magiſtro & Ordini perpetui ſervi, perinde ac ſi pretio empti eſſemus, decernerentur. Quo Decreto obtento minabantur in nos ſævire. Sed nec tunc Procuratores & Magiſtri Ordinis quieverunt, ſed inſtabant, ut tricentos ex nobis capite plecterent. Quæ quidem tam injuſta & tam iniqua Cæſarea nos impulit ſententia, ut, obedientia Magiſtro & Ordini ſubtracta, hoſtilia illis inferremus arma. Exiſtimantes non viris ſolum, ſed & fœminis fœdum et intolerabile, ad tantam obnoxietatem detrudi. Nec defuit Divina propitiatio favens noſtro propoſito, armis noſtris viginti et amplius Caſtra fortia intra dies viginti ſubacta ſunt, videlicet: Thorun novum et vetus, Gdanſk, Elbing, Grudzancz, Elzburg, Golub, Kowale, Gniew, Swiecze, Papow, Tucholia, Holand, Krolowgrod, Radzim, Brandeborg,, Niedborg, Pruſmorg, Morak, Brodnica, Chelm, Dzialdow, Ragneth, Oſterod, Bathian, et ſub noſtra poteſtate tenentur. Itaque cum Sacra Majeſtas tua Regia, quod publicum notoriumque eſt, et quod etiam Magiſter et Ordo ſuis profitentur litteris, ſit Ordinis ipſius Patronus, Fundatorque et Delator, Terræque Pomeraniæ, Chelmenſis et Michalovienſis ſint impreſſione violenta a corpore Regni tui abſtractae, oratum ad tuam Majeſtatem venimus, ut nos in perpetuos tuos Regnique tui ſervos, ſubditos, ſubjectos et fideles aſſumas, et ad corpus Regni tui, unde quondam excideramus, redeuntes non ſpernas. In fidem, gubernationem et regimen tuum ſponte venimus, tibi nos, conjuges, liberos et neceſſarios noſtros, tibi civitates, villas et oppida, tibi caſtra per nos conquiſita et in poſt conquirenda dedimus. Supereſt, ut precibus noſtris et eorum, quorum vice et nomine huc venimus, motus, in fidem tuam venientes non abjicias. Aut tui, ſi deditionem accipis, aut hoſtium, ſi deſeris, ſimus oportet, conquiſitis Caſtris reſiduis hoſtibusque in totum deletis et ſummotis. Quod propediem ſpondet virtus fortitudoque tua, ſub cujus auſpiciis præteritam atque præſentem felicitatem adepti ſumus, continens Imperium a mari Leonino usque ad Occidentale habebis. Non Te fœdus, non jusjurandum, quod pepigiſti cum illis, in quo et nos, velut pars major, continemur, moveat, dum illud Magiſter et Ordo, jam ſecuri cives de Thoczno percutiendo, jam cum Litvanis novas Ligas et fœdera contra te et Regnum tuum jungendo prævaricati ſunt. Non turpe illis fuit, Terras tuas et Regni tui partim fraudibus et dolis, partim vi et armis conquirere, et conquiſitas tantopere detinere: licet Summi Pontifices illas tuas et Regni tui ſemper fuiſſe pluribus ſententiis declarando, Cenſuris Eccleſiaſticis, quarum apud illos rigor ſemper

Anno 1454. per fuit contemptui, reſtituendas cogerent. Tu turpe judicabis, Terras ipſas, ad ſuum corpus et naturam reverſas accipere, et illas tuo Regno annectere, et unire? Extat in Terris ipſis Eccleſiæ Romanæ tributum, a Regibus Polonorum Principi Apoſtolorum Petro collatum, quod Terras ipſas, ſi evidentiſſima alia ſilerent teſtimonia, tuas eſſe clamitabit. Moveant te preces noſtræ, moveant lachrymæ, et non noſtræ ſolum, ſed et horum, qui reditum noſtrum inter metum ſpemque ſuſpenſi obſervant, gaudium aut mœrorem de tua reſponſione habituri.

CV.

CASIMIRI *Regis Poloniæ ad Magiſtrum & Ordinem Teutonicorum Epiſtola diffidatoria.* Datum Cracoviæ Feria ſexta die S. Petri ad Cathedram Anno 1454. *Ex Archivo Cancellar. Regni. Lib. 7. ſub Lit. G. fol. 124.*

CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, ac Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ etc. Venerabilibus et Religioſis Fratribus LUDOVICO de ERLICHSHAUSEN Magiſtro Generali, Commendatoribusque et Compraeceptoribus Ordinis Domus Theutonicorum de Pruſſia. Venerabiles et Religioſi. Poteſt non ſolum vobis, ſed et univerſis adjacentibus regionibus clarere, quanta caritate et benivolentia vos et Ordinem veſtrum fovimus, et proſecuti benignitate ſumus, ea Nos intentione inſtigante, pacem & fœdus illud perpetuum inter noſtros & veſtros Anteceſſores firmatum, ſimili conamine, quantum in Nobis fuit, obſervare, ac ad obſervandum illud exemplo noſtro vos inducere libenter voluiſſemus, ad quod vos merito allicere potuiſſet præteritarum rerum peritia & meditatio doloroſa, quanta ſcilicet bella, ſtrages & ſanguinis effuſiones, uſque dum ad eandem ordinatam perpetuam pacem perventum fuit, inter Regnum noſtrum & vos præceſſerunt, quanta etiam pacis & tranquillitatis dulcedo & amœnitas ex eo vobis ſubſecuta fuit, ipſa cæterum noſtrorum ſinceritas fateatur. Sed unde vos amicitiæ & caritatis exordia capeſſere credidimus, inde inimicitias & livoris ſtimulos oriri novimus & ſentimus. Multoties enim & pluries vobis ſcripſimus de ſubditorum noſtrorum angariis & querelis, quibus ſe a vobis immaniter opprimi plurimis demonſtrationibus deduxerunt. Signanter etiam in eo, quod mercatores Regni noſtri contra eandem perpetuæ pacis libertatem non gravaretis, ſed

Anno 1454. permitteretis eos circa eam, quam bene ſcitis ex eadem inſcriptione, libertatis firmitatem, vos autem ipſos nedum ab eadem libertate cohibuiſtis contra pacem perpetuam, ſed quod deterius eſt, etiam dum ea libertate uti, & cum veſtris & extraneis mercatoribus mercari voluerunt juxta contenta pacis perpetuæ, multas & notabiles pecunias ab eis extorſiſtis, & extorqueri permiſiſtis in magnam oppreſſionem & gravamen hominum noſtrorum, non obſtantibus quibuslibet rationabilibus noſtris petitionibus literalibus & aviſamentis, quod ſcilicet eandem pacem non violaretis, etiam de dacia Pfuntczol nuncupata, cum juxta ejusdem perpetuæ pacis declarationem eam non tollere debuiſtis, quinimo ipſam delere & deponere tenebamini, tamen vos novas & ſimulatas occaſiones & ſubordinationes, ac conſpirationes ingenioſas fabricantes, mutuo inter vos pacti eſtis, quod utique ideo, ne ſubditi noſtri manus veſtras ſubactorias evaderent, ſed eſſet vobis, quo ipſos ad nutum veſtrum gravaretis & opprimeretis, ut ſemper facere conſuevistis, ipſam daciam Pfuntczol inſtituiſtis, & recepiſtis uſque in hunc diem, contra ipſam perpetuam pacem, homineſque, mercatores & ſubditos noſtros quoſcunque, ſive qui de Cujavia, vel aliunde ſuper Wisła cum mercibus & rebus ſuis navigant, impugnatis, contumeliis afficitis & impeditis, & quibuscunque modis & excogitationibus poteſtis, torquetis, prout non occultum, ſed ſatis memoriæ clarum & recens eſt, admirationeq; dignum, quod innocentem hominem mercatorem noſtrum Vitche Marxer ſuperioribus temporibus detinuiſtis, & vita privaſtis ob hanc cauſam, quod aſcenſum & deſcenſum per Wisłam cum mercibus ſuis in navibus de Nieſzchowa verſus Cujaviam fecerat, ſpe perpetuæ pacis aſſecuratus. Eſt ergo præſumptio, quod ad majora aggredi auderetis, ſi animis veſtris fortuna arrideret, ſed Deo volente, etſi aliquando ad malum affuit voluntas, defuit tamen facultas, nec quidquam ita occultum eſſe poteſt, quod non veniat in apertum. Jam enim didicimus per expreſſum, quod non ob aliam cauſam Magiſter Alamaniæ eidem paci perpetuæ, pariter & inſcriptioni conſenſum non præſtitit, & ſigilli ſui munimine ipſam non roboravit, veſtra ſuggeſtione procurante, licet ipſum ad id faciendum toto veſtro conatu & diligentia ex certis compactatis inducere debuiſtis, quod uſque ad præſens non potuit ſortiri effectum, tendentes in hunc finem, ut ipſe, tanquam immunis ab inſcriptione aliorum,

 capta

Anno 1454. capta opportunitate veſtroque adjutorio, auxilio & perſuaſione Nobis & Regno noſtro quaſi licite bellum movere poſſet, & in deſtructionem Dominiorum noſtrorum tendere, hoc etiam reſervantes, ut, dum unio ſeu liga militum & militarium & civitatenſium de Pruſſia, in vim conſervationis perpetuæ pacis facta, per vos rumperetur, eidem hoſti noſtro veſtris ſuffulto præſidiis, conſiliis & favoribus, dominia Regni noſtri infeſtandi & depopulandi audacior pateret acceſſus. Præterea neque a memoria excidit noſtræ Majeſtatis, quod Vitus Otto Marswicz, tunc terrigena & ſubditus veſter, villam dictam Trzeſzchow Eccleſiæ & Epiſcopatus Poſnanienſis in præjudicium pacis perpetuæ deſolavit, & ignis voragine inhumane conſumpſit, ubi etiam ſpatioſam ejusdem loci partem exciſſisque arboribus uſurpaſtis, & ſignis deſtructis occupaſtis, & quod plus eſt, nam & in graniciebus Magni Ducatus noſtri Litvaniæ notabilia loca, contra obſervantiam juratæ pacis perpetuæ abſtraxiſtis, & dominiis veſtris adjunxiſtis. Inſuper clare Nobis cognitum eſt, quibus ſtudiis, laboribus & ingeniis ſubditos veſtros ad demolitionem pacis perpetuæ inducere ſatagebatis, nam poſt multas & varias querelas, & lugubres depoſitiones militarium terrigenarum, civitatenſium de Pruſſia coram Nobis in pluribus Conventibus factas & productas, quibus ipſi terrigenæ, Nobiles & civitatenſes animum veſtrum ſiniſtro pallio contectum Nobis detegebant, quod videlicet ad infringendum fœdus perpetuæ pacis ipſos conati eſtis impellere, efficientes ipſi Nobiles & terrigenæ in caſu, quo affectum veſtrum pernicioſum deduxiſſetis in effectum, a noxa perjurii ſe coram Nobis abſolutos, eo tamen non obſtante ſcripſimus vobis, & exhibuimus Nos ex ſolita noſtra manſuetudine, quam erga vos geſtavimus, quod pro bono veſtro, tanquam bonus mediator, cauſam & differentias ipſas, quantum in Nobis eſſet, ſopire voluimus & ſedare, quod vos poſt tot & tantas favorabiles noſtras ammonitiones refutaſtis, & acceptare noluiſtis. Ideo ipſi jam dicti Nobiles, terrigenæ & civitates his diebus ſolennitatum noſtrarum Comitialium Cracoviam venientes inſtantiſſimis querelarum juſtitiis injurias, gravamina & oppreſſiones veſtras prædictas renovabant, Majeſtatem noſtram, tanquam Patronum ipſorum, ad quem merito refugia ſua dirigerent, ſupplices petentes & invocantes, quod ipſos, ex quo tam injuſte ac innocenter contra Deum & juſtitiam, ſine ipſorum demerito in ipſorum deſtructionem, gravamen & exterminium ſpretis per vos noſtris piis aviſationibus tenderitis & niteremini, ad priſtinam noſtram tuitionem, regimen & gubernationem, de qua exciderant, gratioſe ſuſcipere dignaremur. Attendentes autem ultra hæc adverſitatum veſtrarum genera, veſtras callidas ſubordinationes, quod & coram Imperatore honori noſtro detrahentes dixiſtis, noſtros ſubditos eorumque progenitores nunquam vobis contra infideles in bellis adhæſiſſe, ſed quod ipſos vi & gladio cepiſſetis, Nobis in infamiam & dehoneſtationem; ſed neq; hoc præterire poſſumus quod in derogationem pacis perpetuæ ſuper fluvio Noteſch novum teloneum inſtituiſtis in magnum gravamen ſubditis, & illibertationem mercatoribus noſtris, contra obſervationem pacis perpetuæ, ut diximus, etiam iſto non omiſſo, quod in pace perpetua ſub fide & honore, ac onere præſtiti juramenti, in aliis quoque veſtris obligationibus & inſcriptionibus ſpopondiſtis, non ſolummodo non ferro, ſed neque leviſſimo verbo civibus civitatum Hoſchno & Arnſchwaldt turbationes inferre, his tamen omnibus obliti cives & Conſules ibidem capitali ſententia condempnaſtis, imo in magnam offenſionem & injuriam violentam, & confutationem pacis perpetuæ ſupradictæ contra juramenta veſtra, quæ ſicut in aliis prædictis articulis, ita & in iſto tenere minime advertiſtis nec curaſtis, ſed etiam multis modis, viſibus, coloribus & exquiſitionibus, quibus potuiſtis, contra ipſam perpetuæ pacis obſervantiam & præſtita Nobis juramenta inſtitiſtis, & nixi eſtis pro tanta noſtra erga vos benignitate & amicitiæ integritate, pro bono Nobis malum reddentes, vos pro manifeſtis & veris inimicis habemus & reputamus. Ne igitur Majeſtatis noſtræ intentio vobis ſit incognita, licet non ſine gravi cordis amaritudine tantas veſtras injurias Nobis et ſubditis noſtris, ut prædiximus, illatas, contra Deum et juſtitiam ac juramenta veſtra, perpetuamque pacem, uſque ad præſens patienter pertulimus, quamvis tantis veſtris injuriis laceſſiti, niſi conſueta noſtra erga vos manſuetudinis benivolentia retraxiſſet, potuiſſemus noſtram Regiam opponere manum, rationabilibus etiam et juſtis de cauſis. Sed cum vos ipſi hujus rei occaſio eſtis et origo, cum omnibus noſtris Principibus, Fratribus noſtris cariſſimis, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Terrigenis Regni noſtri et ſubditis, ac illis, qui pro noſtra facere voluerint Majeſtate, vos et Ordinem veſtrum quondam Pruſſiæ, et vobis adhærentes pro

tot

Anno 1454. tot et tantis injuriis, moleſtiis et offenſis, Nobis et ſubditis noſtris, ut ſupra, per vos irrogatis, diffidamus. Datum Cracoviæ Feria ſexta die Sancti Petri ad Cathedram, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto.

CVI.

Ordinum Pruſſiæ confœderatorum Literæ, quibus homagium, & omnia obſequia Magiſtro Ordinis Teutonici renuntiant. Dat. Torunii d. 4. Februarii Anno 1454. *Ex Archivo Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Comitis Załuſki Epiſcopi Kijovienſis.*

Reverendo Domino Ludovico ab Erlichshausen Magiſtro Teutonici Ordinis, prout nunc mutatio rerum eſt, obſequiis noſtris præmiſſis. Reverende Domine Magiſter, poſt electionem veſtram in Magiſtrum poſtulaſtis a nobis homagium, quod fecimus libenter, ut viciſſim Reverentia Veſtra jura & libertates noſtras manuteneret, & communem diem judicandæ violentiæ & injuſtitiarum concederet. Hoc ipſum, cum eſſemus veſtri ſubditi, a vobis ſæpiſſime poſtulavimus Sed id nobis contingere non potuit, quamvis ad promiſſionem talem nos vobis ſubdiderimus & juraverimus. Rurſus etiam Reverentia Veſtra promiſit nos pro dilectis & fidelibus habituram, interim tamen permiſit nos probris affici & contumeliis, imponique nobis perjuria & proditiones, atque nos voluit pro adſcriptitiis habere. His necdum contenti, libellos famoſos ad Imperatorem, Reges, Principes, Dominos, Communitates ac Civitates de nobis tradidiſtis, atque auxilia & adſtantiam apud eos contra nos quæſiviſtis per veſtros Commendatores & Nuntios, quod ipſi per credentiales veſtras effecerunt. Quin & læſiſtis nos in corporibus & bonis contra literas Ordinis & omnium Commendatorum ſigilla, atque veſtros fideles Joannem & Gabrielem Baſenos in exteris regionibus conceſſiſtis capi, incarcerari, æſtimari & ſpoliari. Imo etiam nos, præſertim negotiatores, a vobis nullum auxilium vel conſilium terra marique in neceſſitate habere potuimus, ſed eo magis vim & injuſtitias a Vobis & Ordine veſtro accepimus. Itaque renuntiamus nos Equites & Civitates unionis in Pruſſia Reverentiæ Veſtræ homagium & omnia obſequia per præſentes. Volentes cum omnibus conſortibus noſtris honorem noſtrum & æſtimationem contra vos & Ordinem veſtrum ab injuſtitiis, violentiis & proprietate veſtra defendere. Datum Torunii ſub Nobilis Domini Joannis Baſeni Equitis, & Civitatis Torunenſis ſigillis, quibus in hunc finem omnes utimur, die lunæ poſt Purificationem Mariæ, Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto, 4. die Februarii. Anno 1454.

Subſcriptio: Terræ & Civitatum Plenipotentes, Conſiliarii Unionis in Pruſſia, atque eorum aſſiſtentes Torunii congregati.

CVII.

Diploma Incorporationis Regno Poloniæ recuperatæ a Cruciferis, & ad Corpus Regni ſponte redeuntis Pruſſiæ & Pomeraniæ. Actum Cracoviæ Feria quarta Ciner. Anno 1454. *Ex Archivo Regni Lib. 7. ſub Lit. G. fol. 120. & 128.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ, nec non Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque, Culmenſis, Kinsbergenſis, Elbingenſis & Pomeraniæ Terrarum Dominus & Hæres. Benignitas Regalis Excellentiæ noſtræ, quam illi propitia inſpirat Divinitas, & naturalis originaliſque præſtat inſtinctus, & ſi univerſos juſtum præſidium noſtrum & tutelam expetentes in ſinum miſerationis & protectionis ſuſcipit, ad illorum tamen profectus, defenſionem & commoda inclinatur uberius, qui erga Nos & Regnum noſtrum tam fervido feruntur cordis affectu, ut calamitates, oppreſſioneſque ſuas, hactenus illis regentium tyrannide multifarie illatas, non per alterius, niſi per noſtram dextram credant facilius reſcindi, nec cujuſpiam Throno quam noſtro, a quo a priſcis temporibus illicita alienatione exciderant, juſtius poſſe & regi & contineri, tam ſuperbo & avaro, quam injuſto renuntiando imperio. Talium ſiquidem firma conſtantia, fideſque ſincera non ſolum dignis laudum præconiis attolli, verum etiam Regalibus meretur & debet beneficiis compenſari. Significamus itaque univerſis tam præſentibus quam futuris, qualiter etſi Prælatorum Spiritualium & Sæcularium, Magnificorum, Strenuorum, Nobilium, Militum et Prudentium, videlicet Terrigenarum, Civium et univerſæ Communitatis Terrarum Pruſſiæ, Culmen-

ANNO 1454. menſis, Kinsbergenſis, Elbingenſis et Pomeraniæ, crebris precibus et legationibus ſuperioribus temporibus fuiſſemus rogati, quatenus ipſos in eorum juribus, libertatibus, immunitatibus et privilegiis, et ſignanter in unione et liga, per ipſos rite et ſincere inita et condita, per Magiſtrumque et Ordinem Pruſſiæ admiſſa, ad cujus enervationem et violationem Magiſter et Ordo variis viis, coloribus et violentiis hactenus uſus eſt, in quorum firmitate vel collapſu fœdus pacis perpetuæ, cum Magiſtro et Ordine Cruciferorum S. Mariæ de Pruſſia, per Germanum noſtrum Divæ memoriæ Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM Poloniæ et Hungariæ Regem firmatum, ſubſiſtentia dependet vel ruina, et quod præfatus Magiſter et Ordo, liga et unione eorum demolita, dirumpere, novaque bella Nobis & Regno noſtro inferre deſtinabant, ipſosque Militares et Cives injuſta ſecum gerere bella impellebant, manutenere et defendere dignaremur: aſſerentes, ſe jugum oppreſſionum, calamitatum et gravaminum, hactenus a Magiſtro et Ordine cervicibus eorum violenta tyrannide invectum, et praefatæ unionis et ligæ rupturam nullatenus, niſi proviſio noſtra, qui Ordinis iſtius Fundator, Dotator et Patronus ſumus, celeriter intervenerit, toleraturos; Nos tamen nullum eorum calamitati præſtandum cenſuimus ſuffragium, ſed Parti utrique reconciliationi perſuaſimus eſſe inſiſtendum, ne alere oriens incendium videremur.

Verum cum temporis proceſſu differentia Partium adeo creſcendo invaleſceret, ut Prælati, Spirituales et Sæculares, Militares, Terrigenæ et Cives Terrarum praedictarum, ſpe extrema deſtituti, et injuriarum magnitudine preſſi, violentis Dominis, jura et privilegia atque immunitates eorum pro libitu frangentibus, nullatenus ſibi de cætero parendum duxerint, ſed legibus divinis et humanis innixi, quæ injuſtis Dominis, ſcelus et nefas agentibus, nullatenus parendum decernunt, obedientia et ſubjectione Magiſtro et Ordini ſubtracta, Nos per Magnificos et Spectabiles Milites, Prudentesque Viros, Joannem de Bayſen Auguſtinum de Scheve, Gabrielem de Bayſen, Nicolaum de Wolkowo Judicem Dirſchovenſem, Laurentium Czeitz Culmenſem, Rhutigerum de Bircken Thorunenſem, Laurentium Pilgrim Elbingenſem, Proconſules, Ioann. Call Brunsbergenſem, Gregorium Schwach Crolawgrodenſem, Nicolaum Rodeman de Knypow, Wilhelmum Iordan Militem, et Ioannem Meidburg Gedanenſes Conſules, Ambaſiatores et Nuncios ſuos cum pleno Mandato et Legatione ad Nos tranſmiſſos novis precibus et legationibus ſollicitarent, quatenus non jam tantum eorum defenſioni, quantum gubernationi et regimini inſiſtere, deditionemque eorum, ſubjectionem, fidelitatem et perpetuam obedientiam, quam Nobis ſuo, et omnium Praelatorum Spiritualium et Sæcularium, Militarium, Terrigenarum, Civium et incolarum, Univerſitatis totius Terrarum prædictarum nominibus obtulerunt, ſuſcipere, velut legitimus, juſtus et verus Dominus et Hæres Terrarum prædictarum, ac Terras præfatas ad naturam et ſortem ſuam redeuntes, Regno Poloniæ, a cujus corpore nova et recenti memoria contra jus fasque ſequeſtratæ fuerant, incorporare, inviſcerare, reunire, appropriare, atque conſociare et conſolidare dignaremur: alterius Principatum et deditionem, ſi regimen, ſi imperium, non tam per eos Nobis delatum quam redditum, abjici contingeret, quæſituri. ANNO 1454.

Nos ſuperiora cogitatione et animo revolventes tempora, quibus nonnullæ ex Terris praedictis per Reges et Principes Poloniae jure legitimo et haereditario poſſeſſae, tandem Praedeceſſori noſtro VLADISLAO Regi Poloniae bello cum finitimis et infidelibus occupato, vi et armis per Magiſtrum et Ordinem Pruſſiae abſtractae, nunquam juris et proprietatis Regni noſtri Poloniae eſſe deſierant, quemadmodum aliquot Sedis Apoſtolicae Delegatorum, Terras ipſas Regno Poloniae adjudicantium, diffinitivae ſententiae infallibili concludunt argumento.

Revolventes inſuper, Magiſtrum et Ordinem Pruſſiae a Praedeceſſoribus quondam noſtris Poloniae Principibus et Dominis ad impugnationem infidelium acceſitum, inſtitutum et dotatum, magis fidelium, et praeſertim eorum Principum, quorum beneficio inſtituti dotatiq; erant, quam barbarorum et infidelium impugnationi, contra quos ſe indefeſſe militaturos patentibus literis adſtrinxerant, vacaviſſe, Terrasque eorum uſurpaſſe, nec juxta Profeſſionem Religionis ſuae, contra infideles Tartaros et Turcas, Catholica Regna et Dominia infeſtantes, quamvis eorum crebro expetitum fuiſſet auxilium, militaſſe, ſed et inſuper Reges Poloniae cum Tartaris aliisque infidelibus bella gerentes a tergo invaſos, a gerendo bello in praeſens et poſterum cum infidelibus avertiſſe, et ſuſpicionem belli ab illis imminentis veritos, potentiis diſtractis, et contra illorum inſidias relictis vacare infidelium impugnationi nullatenus, ſicut expediebat Chriſtianae Fidei, potuiſ-

Anno 1454. tuiſſe. Quam inſuper fragili et fluxa fide erga Clariſſimum Genitorem noſtrum Dominum Vladislaum Poloniæ Regem fuerint, quater per ipſos rupta, violataq: fœdera, totiesq; Regno Poloniæ per eos illata arma, quibus Regnum Poloniæ in ſuam redigere ditionem deſtinaverant, niſi cladibus multiplicibus obruti, domitique fuiſſent, nec unquam illis voluntatem Nos & Regnum Poloniæ laceſſendi, ſed facultatem defuiſſe, petita per illos a Concilio Baſilienſi & Sede Apoſtolica, de rumpendo fœdere ultimo cum Regno noſtro ſancito, licentia demonſtrat. Silentio tegere non poſſumus injuriam Magiſtri & Ordinis Pruſſiæ in exigenda a mercatoribus ſubditisque noſtris datia Funthczol, quæ licet ex fœdere exigi a noſtris, transmarinisque mercatoribus non debebat, ſi Pruſſiæ mercatores ab illa ſolvi quoquomodo contigiſſet; continuata tamen fuit pluribus annis hujusmodi in noſtris transmarinisque mercatoribus exactio, Pruſſiæ mercatoribus illius obtinentibus in notabili parte relaxationem.

Portiones inſuper & ſortes Terrarum Regni noſtri Poloniæ & Magni Ducatus Litvaniæ, priſcis temporibus per Magiſtrum & Ordinem occupatas, non ſolum Nobis, Regno Poloniæ, & Ducatui Magno Litvaniæ juxta fœderis ordinationem Magiſter & Ordo Pruſſiæ non reſtituit, ſed inſuper plura & ampliora occupavit.

Accedit triſtis horrendæque tyrannidis memoria civium de Choſczno, qui in præterito bello in fidem Patris noſtri conceſſerant, ſæva cædes & trucidatio, quorum a ſe defectionem nedum ferro aut mucrone, ſed ne aliquo levi verbo, aut memoria ullo unquam tempore ſe juramento corporali & literis repromiſerunt per fœdus ultimo cum illis ictum, & quod hujusmodi execrando ſcelere publice violarunt mulctaturos.

Quo non contenti, mercatorem Vitum Moſzier ex eo, quod navigiis per flumen Viſtulam in Coronam merces devexerat, capitali damnaverunt ſententia, ne memorabilis ſui facti exemplum cæteros in ſequelam ſimilem traheret, ſed potius ſæva mulctatio quoslibet deterrendo profectum Regni noſtri aboleret.

His itaque & pluribus aliis evidentibus legitimisque reſpectibus perſuaſi, admoniti & inducti, communicato cum Prælatis, Principibus, Baronibus, cæterisque Regnorum, Ducatuum & Dominiorum noſtrorum conſilio, ac de eorum expreſſa voluntate, approbatione, gratificatione et conſenſu, ne Divinæ voluntati, quæ hæreditatem noſtram illicita occupatione ſolvendam, Nobisque reddendam pia miſeratione cenſuit, videamur reſiſtere, & calamitoſis afflictisque ſubditis noſtris opem noſtram implorantibus deeſſe, veritique ne Dominia, Sortes & Terras, Hæreditates noſtras alius illicitus occupator tyrannusque, ex quo Nobis hoſtilitas major conſurgeret, invadat; Ad honorem Omnipotentis Dei, ejusque Genitricis Virginis Mariæ, S. Adalberti Martyris, S. Stanislai Prothomartyris Poloniæ, ac totius Hierarchiæ cœleſtis, præfatorum Prælatorum Spiritualium & Sæcularium, Militarium, Civium, Terrigenarum & omnium incolarum Terrarum Pruſſiæ, Culmenſ. Kynsbergenſ. Elbingenſ. & Pomeraniæ, in terra marique ſitarum, benevolam & ſpontaneam deditionem, regimen, tutelam, gubernationem, ſubjectionem, obedientiam accepimus, aſſumpſimus, tenoreque præſentium non per errorem aut improvide, ſed de certa noſtra ſcientia & voluntate, in Dei nomine aſſumimus & acceptamus, Terrasque & Dominia prædicta Regno Poloniæ redintegramus, reunimus, inviſceramus & incorporamus, & uſum, participationem omnium bonorum, jurium, & libertatum & prærogativarum, quibus Prælati, Barones & Nobiles Regni Poloniæ hactenus potiti ſunt, & ſignanter ad futurorum Regum Poloniæ, quotiescunque ſuper Electione & Coronatione illorum fieri deliberationem contingat, Electionem & Coronationem admittimus, annectimus & includimus: Promittentes pro Nobis, Hæredibus & Succeſſoribus noſtris, ac univerſo Regno Poloniæ, quod prædictas Terras & Dominia, atque Prælatos Spirituales & Sæculares, Barones, Militares, Nobiles, Cives, Oppidanos, et cujuscunque conditionis, ſtatus vel præeminentiæ homines exiſtant, hactenus in illis commorantes & impoſterum commoraturos, favore, gratia, benevolentia & affectione Regali proſequimur, et contra quaſcunque adverſitates, impugnationes quorumcunq; hominum illis præſtabimus, velut fidelibus et ſubditis noſtris Regalem aſſiſtentiam et defenſam: nec illos, aut Terras praedictas a corpore et integritate Regni noſtri Poloniae alienari, ſequeſtrari, ſcindi patiemur.

Promittentes inſuper pro Nobis et Haeredibus, Succeſſoribus noſtris, quod praefatos Praelatos Spirituales ac Saeculares, ac ſacras Ædes et Eccleſias, Barones, Nobiles et Cives, et ſingulos incolas Terrarum noſtrarum praedictarum Pruſſiae in juribus, libertatibus, litteris, privilegiis, immunitatibus eorum, quae a Principibus Spiritualibus et Saecularibus

ANNO 1454. bus, Regibus et Dominis Terrrarum praedictarum obtinent, conſervabimus, fovebimus, defendemus, nec unquam ea violabimus, aut praevaricabimur, aut violari vel praevaricari quomodolibet permittemus. Si autem alicui Civitati vel privatae perſonae privilegium amiſſum fuerit, aliud de conſilio Conſiliariorum Terrarum illarum gratioſe dabimus et largiemur, dummodo in haereditatis, et bonorum illorum, quorum a Nobis petetur literalis innovatio, petens fuerit in pacifica, continua et praeſcriptionem habente poſſeſſione. Ut autem noſtrae liberalitatis, aequitatis et juſtitiae dextram, his ſubjectionis eorum, et noſtrae acceptationis felicibus dante Domino primitiis ſentiant in univerſos et quemlibet eorum effuſam, et in mutatione Principum commutatam etiam aut ſublatam deprehendant oppreſſionem, datiam, quae in vulgari Funthczol dicitur, item omnia telonea in aquis et terra, nova et antiqua obſervantia, in Terris duntaxat praedictis Pruſſiae quomodolibet conſtituta, item in Terra Pomeraniae exactionem ſive datia, quae portus alias Narzaſz veteri inſtitutione Ducum Poloniae vocabatur, Regia munificentia tollimus, abrogamus, deponimus, ac ſolutionem illarum temporibus perpetuis reſolvimus, dimittimus et relaxamus, nullo unquam tempore per Nos, aut Succeſſores noſtros Reges Poloniae, ex quacunq; cauſa aut occaſione inſtituendam aut imponendam. Item licet Magiſter et Ordo tempore occupationis Terrarum praedictarum omnia bona et merces quarumcunque materiarum Divina permiſſione naufragium in mari paſſorum, velut propria ex naufragio quaſi juris ſui facta occupabant, Nos tamen, qui Rex Catholicus ſumus, ſortem hujusmodi naturali et divino jure, Sedisq: Apoſtolicae Decreto damnatam, velut crudelem et injuſtam execramur, pollicemurque, quod res et bona, cujuscunque ponderis vel valoris exiſtant, earum perſonarum, quae maris naufragio periclitabuntur, nunquam per Nos aut Officiales noſtros velut noſtras aut juris noſtri petemus aut requiremus, ſed illas abſque diminutione per eos, quorum ante naufragium fuerunt, aut eorum propinquiores demonſtratione evidenti propinquitatem probantes, et in uſus convertendas beneplacitos decernimus colligendas. Contrariae conſuetudini aut juri, vel potius corruptelae pro Nobis et Succeſſoribus noſtris renuntiantes, niſi forte nullus bonorum hujusmodi extaret juſtus haeres et ſucceſſor, quoniam in caſu illo bona ex naufragio habita noſtrae poteſtati volumus ſubjacere. Item omnes Praelatos, Militares, Nobiles, Cives et incolas Terrarum praedictarum in jus, conditionem et proprietatem Regni Poloniae translatos & inviſceratos, hac etiam proſequemur praerogativa, quod dignitates et officia hactenus illic conſiſtentia et impoſterum conſtituenda, item Caſtra et tenuta civitatum et locorum in Terris praedictis nulli extraneo aut forenſi, ſed proprio indigenae, juxta obſervantiam aliarum Terrarum conferemus. Item omnes cauſas notabiles dictas Terras concernentes, cum communi Conſiliariorum Spiritualium et Saecularium, Nobilium et Civitatum majorum conſilio Terrarum praedictarum tractabimus, terminabimus et definiemus. Item Terras praedictas ſub noſtro regimine et Regni Poloniae corpore conſiſtentes in ſuis antiquis gadibus, limitibus, terminisque conſervabimus, tuebimur et defendemus, nec terminos et gadus Terrarum ipſarum in aliquo diminui vel periclitari, velut Regni noſtri partes individuas ullatenus patiemur. Item cum Terrae ipſae et homines ipſas incolentes variis hactenus Legibus ſive Iuribus, videlicet Magdemburgenſ. Culmenſ. Polonicali haereditario et Pruthenico in decidendis quibusvis eorum quaeſtionibus, et adminiſtratione juſtitiae utebantur, quod etiam illis ſub noſtro Principatu et Regimine volumus firmum eſſe et perenne, ea licentia attributa, ut liceat cuicunque de uno jure in aliud, ſine tamen aliorum praejudicio, quo voluerit transmigrare. Item cum monetae juſtam, fidelem ligam pondusque habentis cuſio Terram quamlibet nobilitet et fœcundet, volumus, ut in quatuor locis Terrarum praedictarum, videlicet in Thorun, Elblong, Gdanſk et Kynsberg duntaxat guerra praeſenti durante, fidelis et juſta imaginem noſtram et ſubſcriptionem tituli noſtri continens cudatur moneta, praefatorum Praelatorum Spiritualium et Saecularium, Militarium, Civium Terrigenarum Terrarum praedictarum impenſis, pace autem ſuffragante Domino habita, tantum in Thorun et Gdanſk, ſine praejudicio privilegii Thorunenſis Civitatis, noſtris Regiis cudatur impenſis, proviſo tamen, quod moneta ipſa in pondere, et grano et liga debita nullatenus minuatur. Item quia Nos pro bene gerendis rebus Dominiorum noſtrorum in varia ſaepe loca, et a Terris praedictis diſtantia, neceſſe eſt facere deſcenſum, ne igitur per noſtram abſentiam Terrae ipſae aliquod contrahere poſſent periculum vel periclitationem, Nobiles Viros pro illius tuitione

ANNO 1454. tione & gubernatione de eorum legalitate, fide & merito confiſi, ad noſtræ duntaxat beneplacitum voluntatis, ac cum conſilio Prælatorum, Conſiliariorum, Civitatum majorum prædictæ Terræ deputabimus, ad quos in noſtri abſentia ſuper quolibet defectu ex eventu habeatur recurſus, providentia, proviſione & auctoritate illorum ſupplendus & emendandus. Item mercatoribus Terrarum prædictarum Pruſſiæ, in Regnum, Ducatus & Dominia noſtra venientibus, hanc prærogativam & libertatem de cætero volumus conſervari, ut quoties illos in quæcunque loca, civitates & oppida Regni Dominiorum noſtrorum venire cum mercibus eorum, cujuscunque ſpeciei vel maneriei exiſtant, contingat, licitum erit eis hujusmodi merces in loca, teſtudines & cameras aut tecta, quorum illis libera præſtari debet arendatio, deponere, & pro ſuo arbitrio exponere in venalitatem, ſtratasque omnes verſus Hungariam, Ruſſiam, Moraviam, Sileſiam, Auſtriam, Saxoniam, Valachiam liberas habeant: depoſitis tamen teloneis, & ſtratis antiquis Civitatum Regni & Dominiorum ſemper ſalvis. Harum, quibus ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum, teſtimonio literarum. Actum Cracoviæ, Feria quarta Cinerum Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Præſentibus ibidem Reverendiſſimis in Chriſto Patribus & Magnificis Dominis, Sbigneo Dei Gratia Tituli S. Priſcæ Presbytero Cardinali & Epiſcopo Cracovienſi, Joanne eadem Gratia Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo et Primate ejusdem, Joanne Vladislavienſi, Andrea Posnanienſi, eadem Gratia Epiſcopis, Joanne de Czyſow Caſtellano & Capitaneo, Joanne de Tęczyn Palatino Cracovienſi, Luca de Gorka Posnanienſi, Joanne de Oleśnica Sandomirienſi, Petro de Oporow Lancicienſi, Nicolao de Scharley Breſtenſi Palatinis. Petro de Szamotuly Posnanienſi, Przedborio de Koniecpole Sandomirienſi Caſtellanis. Petro Szafraniec de Pieſkowaſkala Cracovienſi, Michaële de Laſotki Lancicienſi Succamerariis, & aliis quam plurimis Generoſis & Nobilibus fide dignis ad præmiſſa teſtibus. Datum per manus Magnificorum Joannis de Koniecpole Cancellarii, & Petri de Szczekociny Vice-Cancellarii Regni Poloniæ ſincere Nobis Dilectorum,

Relatio Magnifici Joannis de Koniecpole, Regni Poloniæ Cancellarii.

CVIII.

ANNO 1454.

Ordinum Pruſſiæ & Pomeraniæ ſubjectio CASIMIRO *Regi, & Regno Poloniæ.* Actum & datum in Thorun Feria ſecunda proxima poſt Dominicam Ramis Palmarum Anno 1454. *Ex Archivo Regni Lib. ſub lit. G. fol. 118.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Legum divinarum humanarumque ſaluberrimæ ſanctiones, inſtituta & decreta quoslibet feudales & ſubditos jugum ſubiectionis & obedientiæ permittunt excutere, & in ſortem regimenque juſtorum Dominorum ſe conferre, dum Rectorum & Principantium temeritas, frenis laxatis licentiæ, per quælibet devia & abrupta graditur, & manus non ſolum iniquas ad irrogandas injurias, ſed etiam ad effundendum ſanguinem innocentem cruentas immoderata audacia porrigens, quaſi apud Deum ultionum omnis vindictæ ratio conquieverit, debacchatur. Sed neque ad culpam contumeliamque juſtus rerum æſtimator retorqueat, ſed potius ad providentiæ argumentum, ſi onere oppreſſionum ſubditi impulſi opportuno juſtoque remedio ſuperbum, injuſtum atque avarum abrogent imperium, & in ditionem poteſtatemque alterius transmigrent, conditione actionum & temporum facultatem illis ſubminiſtrante. Proinde nos Prælati, Barones, Militares, Nobiles, Cives, Oppidani & Incolæ Terrarum Pruſſiæ, Culmenſis, Pomeraniæ & Michalovienſis, Status Eccleſiaſtici & Saecularis, ſignificamus tenore præſentium univerſis, tam præſentibus quam futuris, qualiter etſi ſuperioribus temporibus Proavi, Avi & Genitores noſtri, & tandem nos graves innumerabilesque a Magiſtro & Ordine Pruſſiæ pertuliſſemus oppreſſiones, dum non ſolum Magiſter, ſed & ſui Commendatores in nos deſæviendo, plerosque ex nobis nullo jure ſervato capitibus plecterent, alios proſcriberent, alios bonis temporalibus mulctarent, & quod dictu quoque nefas eſt, conjuges & filias noſtratum ſtupris & adulteriis violarent, in quosdam ex nobis, ut trucidaremur, venundaremur, caperemur et depactaremur, facultatem conferendo, totque cogebamur recognoſcere & profiteri Dominos ſuperbe avareque nobis imperantes, quot Terra Pruſſiæ geſſit Commendatores, cum unusquisque illorum plenam prin-

Anno 1454. principandi & imperandi apud ſe conſiſtere arbitrabatur poteſtatem. Qua quidem inflati licentia, obliti profeſſionis, qua contra infideles militare ſpoponderant, nulla offenſa aut injuria provocati, in Reges, Principesque Poloniæ, quorum beneficio accerſiti ad impugnationem infidelium, dotatique & inſtituti fuerant, arma convertebant, fœdere primum cum Domino Casimiro, deinde cum Domino Vladislao Regibus Poloniæ per illos quater firmato & toties violato, Regni Poloniæ Terras, niſi cladibus domiti fuiſſent, decreverant occupaſſe, cogentes nos ad gerendum ſecum injuſta bella, licet nobiſcum nunquam rem integram communicati fuiſſent, cum illos ad illa obeunda, alienos fines occupandi fames, aut livor faſtusque, non juſta cauſa urgeret: in quibus clades, orbitates, fortunarumque & rerum noſtrarum periclitationes illic exceptas tanto majore amaritudine proſequimur, quanto conſtat nos imperio Præſidum noſtrorum coactos, non corporum ſolum & rerum, ſed etiam animarum noſtrarum per injuſtas acies ſæpius contraxiſſe diſcrimen, & capitibus noſtris omne ſcelus injuſti belli expiaſſe, Magiſtro & Ordine noſtras clades magis ex arce ſpectantibus quam relevantibus. Verum cum tot mala nullo termino aut ſpatio videremus finiri, atque nobis, poſterisque noſtris majores calamitates, orbitates, (Magiſtro & Ordine Pruſſiæ ad rumpendum cum Rege & Regno Poloniæ fœdus perçuſſum ultimo corporali interpoſito juramento, a quo ſe abſolvi Concilii Generalis Baſilienſis & Summi Pontificis auctoritate multiplici inſtantia expetebant, & bellum de novo gerendum aſpirante) parari; Ligam & Unionem, omnem juſtitiam æquitatemque redolentem, non quæ illis juſtam poteſtatem adimeret, ſed quæ injuſta illos bella ſuſcipere, & in noſtros abſque jure denudato vacuo uti mucrone, nosque fortunis & rebus ſpoliare noſtris prohiberet, inivimus: Hanc cum annis pluribus per nos Magiſtri & Ordinis conceſſu, ac Imperialibus privilegiis & confirmationibus deſuper dotati habuiſſemus in uſu, obſervantia & praxi, tanto ardore, cura & ſollicitudine pro illius perpetua abolitione certatim non erubuerunt inſiſtere, ut nos velut ethnicos hæreticosque coram Summo Pontifice aſſererent, & deinde ad Imperiale traherent Tribunal, non quo per abrogationem violationemque hujusmodi noſtræ Unionis & Ligæ aliquid commodi aut profectus capeſſerent, ſed ut eo liberius, obſtante illis nemine, execranda bella Regi & Regno Poloniæ, cæterisque finitimis, noſtris tandem cervicibus, ut ſæpe alias accidebat, expianda moverent. Licet autem coram Tribunali Cæſareo comparendi nulla nos arctaret conditio vel poteſtas, cum Imperiali ditioni nunquam nos remur ſubjectos eſſe; ut tamen nihil reſtaret, quo noſtra argui poſſet juſtitia, & pura, quam in his ad pacem reconciliationemque cum Magiſtro & Ordine gerebamus, intentio, accuſati Tribunal hujusmodi acceſſimus, et anno prope uno exacto cum perſonarum noſtrarum ampliſſimo diſcrimine in querelis, propoſitionibusque & replicationibus verſati, licet cauſam pluribus juſtificationibus fundatam haberemus; tantus tamen favor Magiſtro & Ordini in pronuncianda Imperiali ſententia habitus eſt, ut Liga & Unio noſtra hujusmodi, pro qua omne certamen fuit exortum, inhibitione Cæſaris, per nos tanquam jure arbitrario facta, rejecta caſſaretur; Magiſtro nihilominus & Ordine poſt haec inſtantibus, ut in ſexingentis Florenorum millibus Magiſtro & Ordini ſolvendis, adeo Magiſtro & Ordini obnoxii fuiſſemus, juxta ac ſi pretio empti eſſemus, nova Cæſarea ſententia damnaremur: vigore cujus ad trecentorum ex nobis principalium capitalem trucidationem proceſſuros ſe, & ultionem quamlibet in nobis, velut ſervis emptitiis & obnoxiis, ſumpturos, terrore publico et clamore diſponebant. Quæ quidem Caeſarea ſententia & ejusdem Magiſtri & Ordinis Pruſſiæ inſtantia, ultra quoq; de nobis extendenda, adeo nobis indigna, prout erat, viſa eſt, ut non viris modo, ſed fœminis, non Catholicis, ſed Scythis fœdum ac intolerabile eſſet, ad tantam obnoxietatem calamitatemque detrudi.

Tot igitur & tantis pluribusque aliis, quas, ut noſtro conſulamus honori, ſilentii tegimus velamine, oppreſſionibus, oneribus, gravaminibus atq; injuriis laceſſiti, præſertim cum illas videremus in infinitum trahi, & novo genere creſcere & augeri, ſuperbo, avaro & injuſto præfati Magiſtri & Ordinis dominio, authoritate & ſuffragio naturalis & humanæ legum, renuntiavimus omnem obedientiam, fidem & ſubjectionem illi, & cuilibet eorum ſubtrahendo. Verum cum Regem & Coronam Poloniæ præfati Ordinis Patronum, Fundatorem et Dotatorem, ac Terras prædictas, videlicet Pruſſiæ, Culmenſis, Pomeraniæ & Michalovienſis, a corpore & proprietate Regni Poloniæ præter juſtitiam & æquitatem per vim & arma alienatas conſtat extitiſſe, priſco noſtro capiti & primævo corpori, a quo excideramus, poſtquam juris noſtri

ANNO ſtri eſſe cœpimus, illico nos reuniendos,
1454. redintegrandosque cenſuimus, quo amplius liquere poſſit, renunciationem, & ſubtractionem obedientiæ Magiſtro & Ordini excutiendo tyrannicum jugum & ſuperbum avarumque præſidium, per nos factam, non ſolum vendicationem libertatis, ſed juſtum principatum, imperium & ſolium quæſiviſſe. In hunc itaq; morem ad Sereniſſimum Principem D. CASIMIRUM Dei Gratia Poloniæ Regem, Magnum Ducem Litvaniæ & Hæredem Ruſſiæ, & Coronam Poloniæ, in quos jure divino & humano præfatarum Terrarum hæreditatem & omnimodam ſucceſſionem comperimus devolutam, ſolennes noſtros Nuntios, videlicet Magnificos, Nobiles & Prudentes Dominos, Joannem de Bayzen, Auguſtinum de Schewe Milites, Gabrielem de Bayzen, Nicolaum de Wolkow Judicem Derſchovienſem, Laurentium Czeitz Culmenſem, Rudgerum de Bircken Thorunenſem, Laurentium Pilgrim Elbingenſem, Proconſules: Joannem Kal Brunsbergenſem, Georgium Schwach Konigsbergenſem, Nicolaum Radman de Kniphoff, Guilhelmum Jordan Militem, & Joannem Naydeburg Gedanenſem, Conſules, cum plena facultate transmiſimus, ac ſuæ Majeſtati & in ſuum Regalem thronum, ſolium, ditionem & poteſtatem Terras prædictas Pruſſiæ, Culmenſis, Pomeraniæ & Michalovienſ. & quaſcunq; alias annexas in terra vel mari conſiſtentes perſonas noſtras, caſtra, fortalitia, civitates, oppida, villas, res & fortunas noſtras, quæ hactenus in noſtra poteſtate ſunt, & in futurum erunt, dedidimus & ſubjecimus, & præſentibus voluntarie & ſpontanee damus perpetuo, & ſubjicimus, ipſumque Dominum CASIMIRUM Regem Poloniæ pro unico juſto & legitimo Domino & Hærede ſuſcipimus & recipimus & acceptamus, ac nos & Terras prædictas in jus, ſortem, proprietatem & titulum Coronæ Poloniæ redintegramus, reunimus, incorporamus & inviſceramus, omnium privilegiorum, libertatum, prærogativarum Regni Poloniæ uſum & participationem, & ſignanter communem cum aliis Regnicolis futurorum Regum Electionem & Coronationem habituri, ipſamq; deditionem, ſubiectionem, ſuſceptionem & obedientiam iterum atq; iterum profitemur et innovamus, ſubjicientes nos, Terrasque prædictas in perpetuam præfati Domini Regis et ſuorum Succeſſorum et Regni Poloniæ ditionem, gubernationem, protectionem, poteſtatem, fidem, imperium et regimen. Promittentes pro nobis, hæredibus et ſucceſſoribus noſtris,

ſub fide, honore ac onere per nos præ- ANNO
ſtiti juramenti, quod præfato Illuſtriſſi- 1454.
mo Principi, Domino CASIMIRO Poloniæ Regi, et ejus Succeſſoribus Regibus Poloniæ, velut fideles et ſubjecti, quemadmodum cæteri ejusdem Regni incolæ, parebimus, auſcultabimus et obediemus fideliter et conſtanter, perpetuo et in ævum, juribus noſtris ſemper ſalvis, in ipſiusque Domini Regis et ſuorum Succeſſorum Poloniae Regum ditione, poteſtate, gubernatione, ſubjectione, imperio, et regimine ab hac hora et in perpetuum perdurabimus et conſiſtemus, nec ullo tempore a Corona Poloniae, cujus ſumus corpus individuum, ſcindi, ſequeſtrari aut alienari permittemus aut conſentiemus. Promittentes praefato D. CASIMIRO Regi, et ſuis Succeſſoribus Regibus Poloniae in omnibus felicibus, adverſis et quibuscunque caſibus ope, praeſidio, conſilio et auxilio, fideliter contra quoscunque eorum hoſtes et adverſarios, et quascunque perſonas Eccleſiaſticas, vel Saeculares, quacunque praefulgeant dignitate, communitates, univerſitates, et ſignanter contra Magiſtrum et Ordinem quondam Pruſſiae, Almaniae et Livoniae fideliter, corpore, animo et rebus, et cum effectu aſſiſtere, et bonum, utile, commodum, honeſtum ejusdem Domini CASIMIRI Regis, et ſuorum Succeſſorum Regum Poloniae juxta vires et potentias noſtras extremas efficere, dirigere et procurare, nec unquam quocunq; colore, arte, neceſſitate, caſu, opportunitate vel ingenio praefatum Dominum CASIMIRUM Regem, et Succeſſores ejus Reges et Coronam Poloniae deſerere, aut in praejudicium, laeſionem, aut offenſam praeſentis ſubjectionis et deditionis noſtrae, cum Magiſtro et Ordine olim Pruſſiae, et Magiſtris Almaniae, Livoniae aliquos Tractatus, reconciliationes, inſcriptiones, amicitias, fœdera, colloquia vel ſermones, absque ejusdem Domini CASIMIRI Regis Poloniae ſpeciali licentia vel conſenſu inire per ſe, vel quascunque ſubmiſſas perſonas, directe vel indirecte, palam vel clandeſtine, absque dolo et fraude, ſub fide et honore. Cui quidem Sereniſſimo Principi, Domino CASIMIRO Regi Poloniae, quam primum feliciter Terras Pruſſiæ aut Pomeraniae ingreſſus fuerit, ad ſuam requiſitionem plene praeſtabimus, praeſtareque nos adſtringimus, fidelitatis, ſubjectionis et obedientiae, perpetuo corporali interpoſito juramento, homagium. Et quod jam in perſonis praefatorum Nuntiorum noſtrorum praeſtitiſſe nos fatemur et recognoſcimus, et praeſenti noſtra inſcriptione pro firmitate amplio-

ANNO 1454. ri facimus et praeſtamus. Actum et datum in Thorun, Feria ſecunda proxima poſt Dominicam Ramis Palmarum, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto.

CIX.

Gubernator & Palatini Pruſſiæ fidejubent pro Epiſcopis Pruſſiæ de præſtando ab illis CASIMIRO *Regi fidelitatis juramento, quod ſi non fecerint, declarant ſe eos pro hoſtibus habituros.* Actum & datum in Thorun Feria 2. poſt Dominicam Ramis Palmarum, Anno 1454. *Ex Originali Sigill.* 4.

Nos Joannes de Bayſen Terrarum Pruſſiæ Gubernator, Auguſtinus de Schewe Culmenſis, Gabriel de Bayſen Elbingenſis Palatini, Protoconſules et Conſules Thorunenſis et Elbingenſ. Civitatum ſignificamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis. Licet alias citra feſtum ſolemnitatis nuptiarum Sereniſſimi Principis et Domini, Domini CASIMIRI Dei Gratia Regis Poloniae etc. etc. Domini noſtri gratioſiſſimi per certas inſcriptiones unitatis hinc inde factas pleno mandato Terrarum Pruſſiae ſuffulti obligasſemus in Dominica Ramis Palmarum, Praelatos, Nobiles, Terrigenas, Protoconſules, Conſules et Communitates Civitatum hic in loco praedicto Sereniſſimo Domino CASIMIRO Dei Gratia Regi Poloniae etc. etc, Domino noſtro gratioſiſſimo dare et praeſtare fidelitatis juramenta et inſcriptiones, prout Cracoviae per nos et noſtros Nuntios ordinatum, diſpoſitum eſt et concluſum, tamen quod Reverendi Patres, Domini Epiſcopi Terrarum harum Pruſſiae cum eorum Capitulis non diffugio, ſed ignorantia ſe debuiſſe ſimilia noſtra facere juramenta et inſcriptiones, ad hodiernam diem venire neglexerunt, ut propterea noſtra promiſſa, inſcriptiones et pollicitationes uberius complerentur, fidejuſſimus pro eisdem, fidejubemusque nos obligantes, quod ipſi Patres Reverendi cum ſuis Capitulis ſe hic in Dominica *Quaſimodogeniti* ad ultra repraeſentabunt, inſcriptiones ſigillis eorum ſigillatas, et corporalia juramenta fidelitatis Sereniſſimo Principi, D. CASIMIRO Poloniae ac noſtro Regi, Domino noſtro gratioſiſſimo, more noſtro et aliorum incolarum Terrarum Pruſſiae praeſtanda et facienda repraeſentabunt et ſtatuent, quod ſi facere nollent vel renuerent, ex tunc debemus ad compeſcendam rebellionem eorum cum omnibus incolis Terrarum Pruſſiae conſurgere, de Terris Pruſſiae et Dominiis eorum eos exulari et proſcribi promittimus fide pura. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra praeſentibus ſunt appenſa. Actum et datum in Thorun Feria ſecunda proxima poſt Dominicam Ramis Palmarum, Anno Domini 1454. ANNO 1454.

CX.

Recognitio Ordinum & Incolarum Terræ Culmenſis de præſtito a ſe CASIMIRO *Regi Poloniæ ſubjectionis & fidelitatis homagio.* Actum & datum in Thorun Feria tertia ante Feſtum Aſcenſionis Domini An. 1454. *Ex Archivo Regni Lib. ſub Litera G. fol. 133.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Convenit actus hominum, qui vetuſtate cadunt, et ſucceſſu temporum in oblivionem vertuntur, ſolidis ſcripturarum et teſtium fundamentis commendare, in quorum cuſtodia nullis marceſcunt temporibus, ſed ſemper jugis perennatione memoriae incommutabiles ſervantur. Proinde Nos Praelati, Barones, Nobiles, Militares, Terrigenae, nec non Civitatum et Oppidorum, videlicet Culmenſis, Thorunenſis, Brodnicenſis, Novi-Forenſis, Graundeczenſis, Radzynenſis, Laſchinenſis, Golubienſis, Kowalovienſis, Ludbarienſis, Wabreſznenſis, Protoconſules, Conſules, Scabini jurati, et univerſaliter omnes incolae Terrae Culmenſis, attentis Sereniſſimi et Glorioſiſſimi Principis, D. CASIMIRI D. G. Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Domini et Haeredis etc. Domini noſtri gratioſiſſimi benivolentiis et favoribus poſt ſuſcepti noſtri regiminis, ac aſſiduam defenſionis curam, quibus liberaliter et multipliciter in nos utitur et uſus eſt, in vim gratitudinis, et noſtrae fidelitatis recompenſam, quo ſuae Serenitati reddamur fideliores, noſtro et noſtrorum fratrum et amicorum abſentium nominibus profitemur, et tenore praeſentium recognoſcimus, nos praefato Sereniſſimo Domino CASIMIRO Regi Poloniae Dei Gratia etc. tanquam vero et unico Domino et Haeredi noſtro feciſſe, et ſolenniter debitae ſubjectionis et fidelitatis homagium tacto vivificae Crucis oſculo praeſtitiſſe, et exhibuiſſe juxta ordinationes et inſcriptiones pridem per Ma-

Anno 1454. Magnificos, Nobiles et Providos Viros: Joannem de Bayſen praefati Sereniſſimi Principis, Domini Casimiri Dei Gratia Poloniae Regis etc. in Terris Pruſſiae Gubernatorem, Auguſtinum de Scheve Culmenſem, Gabrielem de Bayſen Elbingenſem Palatinos, Nicolaum de Wolkowo Judicem Derſchovienſem, Laurentium Czeitz Culmenſem, Rutigerum de Birken Thorunenſem, Laurentium Pilgrim Elbingenſem Proconſules, Joannem Call Brunsbergenſem, Gregorium Swach Krolwgrodenſem, Nicolaum Rodeman de Knypow, Vilhelmum Jordan Militem, & Joannem Meidburg Gedanenſes Conſules, Terrarum Pruſſiæ Plenipotentes, Ambaſiatores, noſtro & noſtri omnium nomine Cracoviæ factas, quos ad id cum pleno mandato faciendum miſeramus. Qui quidem Domino Regi, & ſuis Succeſſoribus legitimis Regni Poloniæ Regibus omnem fidelitatem, aſſiſtentiam & reverentiam pro omni tempore faciemus, præſtabimus & exhibebimus, nec ipſum Dominum noſtrum Regem & ſuos Succeſſores, Coronamque Poloniæ deſeremus, aut quoquo ab obedientia abſcedemus, ſed ſuam Serenitatem, ac ipſius Succeſſores Poloniæ Reges ut veros & unicos Dominos noſtros & Hæredes profitebimur & recognoſcemus, omnique fidelitate, aſſiſtentia & reverentia tam in proſperis quam in adverſis ſequemur ſine dolo & fraude, nec quaſcunque colligationes, collocutiones, pacta & inſcriptiones cum hoſtibus quibuſcunq;, ſuæ Serenitati ac Regibus & Coronæ Poloniæ adverſari volentibus, quovis colore, arte & ingenio ſemoto penitus & excluſo, & præcipue cum Cruciferis olim nobis imperantibus & præſidentibus faciemus, ſed eos toto poſſe ac conatu noſtris propellemus, eradicabimus & excludemus, nulla eis conſilia, auxilia, favores præſtando & exhibendo. In quorum omnium fidem & robur perpetuæ firmitatis Magnifici & Generoſi Auguſtini de Schewe Palatini, & Johannis de Czeieniberck Vexilliferi Culmenſis, famoſarumque Culmenſis & Thorunenſis Civitatum, omnium noſtri Nobilium videlicet & Prudentium Terrigenarum Civitatumque, præmiſſarum plenam & omnimodam pleno mandato a nobis commiſſam ſui & omnium noſtri nomine præſentem Literam ſigillandi & muniendi habentium poteſtatem, ſigilla præſentibus ſunt ſubappenſa. Actum & datum in Thorun Feria tertia proxima ante Feſtum Aſcenſionis Domini, Anno ejusdem milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Præſentibus Reverendiſſimis ibidem in Chriſto Patribus, & Magnificis Dominis: Johanne Vladislavienſi, Andrea Posnanienſi, Dei Gratia Epiſcopis, Johanne de Thanczyn Cracovienſi, Stanislao de Oſtrorog Caliſſienſi Palatinis, Joanne de Koniecpole Cancellario, & Petro de Szczekocin Vice-Cancellario Regni Poloniæ &c. & aliis quam pluribus Magnificis & Generoſis Dominis teſtibus ad præmiſſa. Anno 1454.

CXI.

Literæ Homagiales Terræ Elbingenſis. Actum & datum in Elbing Feria tertia Pentecoſtes, Anno 1454. *Indidem fol. 135.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Convenit actus hominum, qui vetuſtate cadunt, & ſucceſſu temporum in oblivionem vertuntur, ſolidis ſcripturarum & teſtium fundamentis commendare, in quorum cuſtodia nullis marceſcunt temporibus, ſed ſemper jugis perennatione memoriæ incommutabiles ſerventur. Proinde Nos Prælati, Barones, Nobiles, Militares, Terrigenæ, nec non Civitatum & Oppidorum Proconſules, Conſules, Scabini jurati, Sacræ Varmienſis Eccleſiæ Cathedralis Capitulum, Gabriel de Baiſen Palatinus, Georgius Scelim Vexillifer, Hector Machwicz Judex Elbingenſis, una cum omnibus Terrigenis & militibus, Laurentius Pilgrim antiquæ, Paulus Beimbovin novæ Elbingenſ. Civitatum, Joannes Landesburg Holancenſis, Salomon Mormienſis, Paulus Dittnar Molchuſenſis, Auguſtinus Czymerman Libenſtadenſis Proconſules, una cum totis earundem Civitatum Communitatibus, & univerſaliter omnes incolæ Terræ Elbingenſis, attentis Sereniſſimi & Glorioſiſſimi Principis Domini Casimiri Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Domini et Hæredis etc. Domini noſtri gratioſiſſimi benivolentiis et favoribus, poſt ſuſcepti noſtri regiminis aſſiduam defenſionis curam, quibus liberaliter et multipliciter in nos utitur et uſus eſt, in vim gratitudinis et noſtræ fidelitatis recompenſam, quo ſuæ Serenitati reddamur fideliores, noſtro et noſtrorum fratrum et amicorum nominibus profitemur, et tenore præſentium recognoſcimus, nos præfato Sereniſſimo Domino Casimiro Dei Gratia Regi Poloniæ etc. tanquam vero et unico Domino et Hæredi noſtro feciſſe, et ſolenniter debitæ ſubjectionis et fidelita-

Anno 1454. delitatis homagium, præſtito per prius corporali juramento, et tacto vivificæ Crucis oſculo, præſtitiſſe, et exhibuiſſe juxta ordinationes et inſcriptiones, pridem per Magnificos, Nobiles et Providos Viros: Joannem de Baiſen præfati Domini Casimiri Regis Poloniæ pro nunc Gubernatorem in Terris Pruſſiæ, Auguſtinum de Scheve Culmenſem, Gabrielem de Baiſen Elbingenſem jam Palatinos, Nicolaum de Wolkowo Judicem Derſchovienſem, Laurentium Czeitz Culmenſem, Ruthigerum de Birken Thorunenſem, Laurentium Pilgrim Elbingenſem Proconſules, Joannem Brunspargenſem, Gregorium Swach Crolofgrodenſem, Nicolaum Rodeman de Knypow, Vilhelmum Jordan Militem, et Joannem Meidburg Gdanenſes Conſules, noſtro et omnium noſtri nomine Cracoviæ factas, quos ad id faciendum cum pleno mandato miſeramus. Cui quidem Domino Regi, et Succeſſoribus legitimis Regni Poloniæ Regibus omnem fidelitatem, aſſiſtentiam et reverentiam pro omni tempore faciemus, præſtabimus et exhibebimus, nec ipſum Dominum noſtrum Regem et ſuos Succeſſores, Coronamque Poloniæ deſeremus, aut quoquo ab obedientia abſcedemus, ſed ſuam Serenitatem et ſuos Succeſſores Poloniæ Reges ut veros et unicos Dominos noſtros et Hæredes profitebimur et recognoſcemus, omnique fidelitate, aſſiſtentia et reverentia, tam in proſperis quam in adverſis ſequemur ſine dolo et fraude, nec quaſcunque colligationes, collocutiones, fœdera, pacta et inſcriptiones cum hoſtibus quibuscunque, cujuscunque ſtatus, præeminentiae et conditionis exiſtant, ſuae Serenitati, ac Regibus et Coronae Poloniae adverſari volentibus, quovis colore, arte et ingenio ſemoto penitus et excluſo, et praecipue cum Cruciferis olim nobis imperantibus et praeſidentibus faciemus, ſed eos toto poſſe et conatu noſtris propellemus, eradicabimus et excludemus, nulla eis auxilia, conſilia et favores praeſtando, et exhibendo. In quorum omnium fidem et robur perpetuae firmitatis Venerabilis Sacrae Varmienſis Cathedralis Eccleſiae Capituli, Magnificique et Generoſi Gabrielis de Baiſen Palatini, Georgii Skalim Vexilliferi Elbingenſ. famoſarumque novae et antiquae Elbing Civitatum omnium noſtri, Nobilium videlicet et Prudentium Terrigenarum, Civitatumque praemiſſarum plenam et omnimodam pleno mandato a nobis commiſſam, ſuo et omnium noſtri nomine praeſentem literam ſigillandi & muniendi habentium poteſtatem, ſigilla praeſentibus ſunt ſubappenſa. Actum et datum in Elbing Feria tertia Pentecoſtes, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Praeſentibus ibidem Reverendiſſimis in Chriſto Patribus, Magnificoque et Generoſo, nec non Prudentibus, Joanne Vladislavienſi, Andrea Poſnanienſi Dei Gratia Epiſcopis, Stiborio de Baiſſen Palatino Königsbergenſi, Ramſchel Milite et Capitaneo Balienſi, Laurentio Czeitz Culmenſi, Andrea Brunaw Königsbergenſi Proconſulibus, et aliis quam pluribus fide dignis teſtibus ad praemiſſa. Anno 1454.

CXII.

Gedanenſes recognoſcunt ſubjectionem perpetuam Regi & Regno Poloniæ cum ſolutione duorum millium Flor. Hung. ſingulis annis, Curiamque cum Granario & Stabulo Regi ædificare promittunt. Actum & datum in Elbing ipſo die SS. Trinitatis, Anno 1454. *Ex Originali. Sigill. 1. Civitatis Gedanenſis.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia tunc multis errorum et dubiorum prudenter occurrimus incommodis, dum geſta aetatis noſtrae literarum apicibus et teſtium annotatione perhennamus. Proinde Nos Proconſul, Conſules, Scabini jurati, et tota Communitas Civitatis Gdanſk in Terra Pomeraniae ſituatae attendentes, quod poſtquam a multis retroactis temporibus a ditione Regum et Principum Poloniae initio nobis hæreditarie et naturali dominio praeſidentium, illicite alienati dira tyrannide Cruciferorum, praeter jus et violente nobis quondam imperantium detinebamur et affligebamur, ab hujusmodi oppreſſionum mole per Sereniſſimum Principem Dom. Casimirum Dei Gratia Regem Poloniae M. Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae Pomeraniaeque Dominum et Haeredem in ipſius Serenitatis ditionem et Coronae Poloniae appropriationem et incorporationem reaſſumi poſtulantes, tanta ſuae Serenitatis et Coronae Poloniae caritatis et gratiae affectione amplexati ſumus, ut nedum virtute brachii ſuae Serenitatis ab iniqua, plurimumque anxioſa Cruciferorum occupatione erepti et liberati, Regnoque Poloniae appropriati et incorporati, verum et multiplici honorum et gratiarum praerogativa fulciti ſumus.

Te-

Anno 1454. Tenore praeſentium univerſis tam praeſentibus quam futuris ſignificantes recognoſcimus publice, & profitemur nos,& noſtri Succeſſores præfatæ Civitatis Cives præfati Domini Casimiri, & ipſius Succeſſorum Regum Poloniæ, tanquam Dominorum & Hæredum noſtrorum imperio, regimini & ditioni fore ſubjectos, ſubjectionemq;, aſſiſtentiam, reverentiam, fidelitatem, obedientiamq: ſuæ Serenitati, &ſuisSucceſſoribus Regni PoloniæRegib9 perpetuis temporibus exhibendam recognoſcentes,in cujus vim profeſſionis ditionis præfati Sereniſſ. Principis Domini Casimiri, præfato Sereniſſimo Principi Domino Casimiro, & ejus Succeſſoribus Regni Poloniæ Regibus nos et ſucceſſores noſtri Civitatis præfatæ Cives ſingulis annis, perpetuisque temporibus duo millia Florenorum Hungaricalium puri auri & juſti ponderis cenſus annui, unum mille pro Feſto S. Joannis Baptiſtæ, & aliud mille pro Feſto Nativitatis Domini continue ſequenti dare, ſolvere & complere tenebimur & debebimus. Item præfato Sereniſſimo Domino Casimiro Regi Poloniæ, & ejus Succeſſoribus Regni Poloniæ Regibus ſingulis annis, perpetuisque temporibus ſtationem trium dierum ſuæ Serenitatis Majeſtati, ipſiusque curienſibus condignam & ſufficientem dare tenebimur. Item præfato Sereniſſimo Domino Casimiro & ejus Succeſſoribus Regni Poloniæ Regibus Curiam lateribus Regali dignitate condignam & ſolempnem ædificare, lateribus tegere, & quotiens illam deſtrui & vetuſtate conſumi contigerit reædificare, conſervare & reformare. Item in eadem Curia equiſtatia murata pro ducentorum equorum locatione. Item in eadem Curia promptuarium bonum pro repoſitione frugum Regalium facere & ædificare, quantocius poterimus, tenebimur, cæteris omnibus juſtis, & hujus literæ inſcriptioni non derogantibus juribus noſtris in ſuo robore permanentibus. In quorum teſtimonium & robur perpetuæ firmitatis præfatæ Civitatis Gdanſk ſigillum eſt ſubappenſum. Actum & datum in Elbing ipſo die Sanctæ Trinitatis, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Præſentibus ibidem Reverendiſſimis in Chriſto Patribus, Magnificis prudentibusque Dominis Joanne Vladiſlavienſi, Andrea Poſnanienſi Dei Gratia Epiſcopis, Joanne de Tanczin Cracovienſi, Luca de Gorka, Poſnanienſi Palatinis, Joanne de Koniecpole Regni Poloniæ Cancellario, Joanne de Bayſen Sereniſſimi Principis Domini Casimiri Regis Poloniae &c. in partibus Pruſſiae Gubernatore, Gabriele de Bayſen Elbingenſi Palatino, Laurentio Czeitcz Culmenſi, Ruthigero de Byrken Thorunenſi, Andrea Brunaw Konigsbergenſi, Laurentio Pilgrim Elbingenſi Proconſulibus, & aliis pluribus fide dignis teſtibus ad praemiſſa. Anno 1454.

CXIII.

Literæ Homagiales Terræ Königsbergenſis. Actum & datum in Königsberg, Feria quarta in Vigilia Corporis Chriſti, Anno 1454. *Indidem fol. 144.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Convenit actus hominum, qui vetuſtate cadunt, & ſucceſſu temporum in oblivionem vertuntur, ſolidis ſcripturarum ac teſtium fundamentis commendare, in quarum cuſtodia nullis marceſcunt temporibus, ſed ſemper jugis perennatione memoriae incommutabiles ſervantur. Proinde Nos Praelati, Barones, Nobiles, Militares Terrigenae, nec non Civitatum & Oppidorum Proconſules, Conſules, Scabini jurati: Stiborius de Baiſen Palatinus, Caſper Cremiten Vexillifer Kenigsbergenſ. una cum omnibus Terrigenis & Militibus, Andreas Brunaw antiquae, Georgius Langerben junioris, alias Knypaw, Herman Stulmecher Lebenicht Civitatum Königsbergenſ. Nicolaus Wemer Bartenſteinenſis, Nicolaus Bruchman Schiftenburgenſis, Melchior Czumerman Raſtemburgenſis, Henricus Ludek Heiligenbeilenſis, Joannes Blevel Landesbergenſis, Bartoſius Harbeſtro Schnitenenſis, Joannes Waltaner Velavenſis, Michaël Reichnaw Folkemitenſis, Nicolaus Mildenhewer Girdavenſis, Johannes Drinkfortenſis, Andreas Tepelaſke Altenburgenſis, Nicolaus Tiſſenſte Creſtzburgenſis, Nicolaus Doring Dapnavienſis, Nicolaus Leuſtener Semburgenſis, Martinus Seteler Nordemburgenſis, Civitatum et Oppidorum Proconſules, una cum totis earundem Civitatum & Oppidorum Communitatibus, & univerſaliter omnes incolae Terrae Königsbergenſis; attentis Sereniſſimi & Glorioſiſſimi Principis Domini Casimiri Dei Gratia Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Domini & Haeredis &c. Domini noſtri gratioſiſſimi benivolentiis & favoribus poſt ſuſcepti noſtri regiminis aſſiduam defenſionis curam, quibus liberaliter & multipliciter in nos utitur & uſus eſt in vim gratitudinis, & noſtrae fidelitatis recompenſam,

Anno 1454. quo ſuae Serenitati reddamur fideliores, noſtro & noſtrorum fratrum & amicorum abſentium nominibus profitemur, & tenore praeſentium recognoſcimus, nos praefato Sereniſſimo Domino Casimiro Regi Poloniae &c. tanquam vero & unico Haeredi & Domino noſtro feciſſe, & ſolenniter debitae ſubjectionis & fidelitatis homagium, praeſtito per prius corporali juramento, & tacto vivificae Crucis oſculo praeſtitiſſe, & exhibuiſſe juxta ordinationes & inſcriptiones pridem per Magnificos, Nobiles & providos Viros: Joannem de Baiſen praefati Domini Casimiri Regis Poloniae pro nunc in Terris Pruſſiae Gubernatorem, Auguſtinum de Scheve Culmenſem, Gabrielem de Baiſen Elbingenſem jam Palatinos, Nicolaum de Wolkowo Judicem Derſchovienſem, Laurentium Czeitz Culmenſem Ruthgerum de Birken Thorunenſem, Laurentium Pilgrim Elbingenſem Proconſules, Johannem Brunspargenſem, Gregorium Swach Crolofgrodenſem, Nicolaum Rodeman de Knypow, Vilhelmum Jordan Militem, & Joannem Meidburg Gedanenſes Conſules, noſtro & omnium noſtri nomine Cracoviae factas, quos ad id faciendum cum pleno mandato miſeramus, cui quidem Domino Regi et ſuis Succeſſoribus legitimis Regni Poloniae Regibus omnem fidelitatem, aſſiſtentiam et reverentiam pro omni tempore faciemus, praeſtabimus et exhibebimus, nec ipſum Dominum noſtrum Regem et ſuos Succeſſores, Coronamque Poloniae deſeremus, aut quoquo ab obedientia abſcedemus, ſed ſuam Serenitatem, et ſuos Succeſſores Poloniae Reges ut veros et unicos Dominos noſtros et Haeredes profitebimur et recognoſcemus, omnique fidelitate, aſſiſtentia et reverentia tam in proſperis quam in adverſis ſequemur ſine dolo et fraude, nec quascunque colligationes, collocutiones, pacta, fœdera et inſcriptiones cum hoſtibus quibuscunque, cujuscunque ſtatus, praeeminentiae et conditionis exiſtant, ſuae Serenitati, ac Regibus et Coronae Poloniae adverſari volentibus quovis colore, arte et ingenio ſemoto penitus et excluſo, et praecipue cum Cruciferis olim nobis imperantibus et praeſidentibus faciemus, ſed eos toto poſſe et conatu noſtris propellemus, eradicabimus et excludemus, nulla eis conſilia, auxilia et favores praeſtando et exhibendo. In quorum omnium fidem, et robur perpetuae firmitatis Magnifici Generoſique Stiborii de Baiſen Palatini, Caſperi Cremiten Vexilliferi Königsbergenſ. famoſarumque antiquae Knypow, Lebenicht, Königsberk et Bartenſtenen. Civitatum, et omnium Nobilium et prudentium Terrigenarum, Civitatumque praemiſſarum plenam et omnimodam, pleno mandato a nobis commiſſam, ſuo et omnium noſtri nomine praeſentem Literam ſigillandi et muniendi habentium poteſtatem, ſigilla praeſentibus ſunt ſubappenſa. Actum et datum in Königsberg Feria quarta in Vigilia glorioſiſſimi Corporis Chriſti, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Praeſentibus Reverendiſſimo in Chriſto Patre, et Magnificis prudentibusq; Nicolao Dei Gratia Epiſcopo Zamlenſi, Johanne de Koniecpole Regni Poloniae Cancellario, Gabriele de Baiſen Elbingenſi Palatino, Andrea Brunaw Königsbergenſi, Georgio Langerbein Knypovienſi, Hermano Stulmecher Lebnichtenſi Proconſulibus, et aliis pluribus fide dignis teſtibus ad praemiſſa.

CXIV.

Privilegium Casimiri *Regis, quo ſtatuitur, ut tenutæ Civitatum, aliorumque locorum in Pruſſia nulli extraneo, ſed ſolis indigenis conferantur.* Actum & datum in Thorun Feria ſecunda B. Joannis Baptiſtæ, Anno 1454. *Ex Archivo Regni Lib. 26. ſub Lit. BB. fol. 156.*

Anno 1454. Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Dominus et Haeres etc. Significamus tenore praeſentium quibus expedit univerſis. Quod dum ex pluribus evidentibus et legitimis reſpectibus, Terras Pruſſiae, Pomeraniae etc. communicato Principum, Praelatorum, Baronum, caeterorumque Fidelium noviſſime Cracoviae Nobiſcum exiſtentium Regni, Ducatuum et Dominiorum noſtrorum conſilio, voluntate et conſenſu in regimen, tutelam, gubernationem, ſubjectionem et obedientiam accepimus et aſſumpſimus, hanc ipſis praerogativam conceſſimus; quod Caſtra, Civitates, et quaecunque Fortalitia in Terris praedictis exiſtentia alicui extraneo aut forenſi conferre non debemus. Ad praeſens tamen certis reſpectibus moti, certa Caſtra in praememoratis Pruſſiae Terris exiſtentia, nonnullis perſonis, contra hujusmodi articulum ſuperius expreſſum, durante praeſente guerra, et interim, quoad Terras Pruſſiae non pacificabimus, dedimus, contulimusque in regimen, tenutam,

Anno 1454. nutam et gubernationem. Ideo præſentibus in verbo noſtro Regio ſpondemus & promittimus, quod pace Domino ſuffragante habita, præſcripta Caſtra, taliter per Nos hactenus hujusmodi perſonis in regimen & tenutam collata, juxta tenorem & continentiam Literarum noſtrarum Cracoviæ Terris Pruſſiæ conceſſarum, illis conferemus, quibus conferri debent. Et quod etiam præſcriptis Literis in omnibus earum punctis, conditionibus, clauſulis & articulis per hoc non intendimus, neque volumus in aliquo derogare, ſed ipſas ſanas, ſalvas, firmas & illæſas per Nos & Succeſſores noſtros perpetuis temporibus tenere & obſervare pollicemur per præſentes, harum, quibus ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum, teſtimonio literarum. Et Nos Joannes Vladiſlavienſis, Andreas Poſnanienſis Dei Gratia Epiſcopi: nec non Lucas de Gorka Poſnanienſis, Stanislaus de Oſtrorog Caliſſienſis, Petrus de Oporow Lancicienſis, Nicolaus de Koſcielec Vladiſlavienſis Palatini, Petrus Skora de Gay Caliſſienſis, Joannes de Czarnkow Gneſnenſis, Hincza de Rogow Siradienſis Caſtellani, & Vice-Theſaurarius, Petrus de Szczekociny Vice-Cancellarius Regni Poloniæ, Derslaus de Rithviani Roſpierienſis, & Nicolaus de Labyſzyn Vladiſlavienſis Caſtellani &c. præſcriptas Sereniſſimi Domini noſtri Regis promiſſionum Literas ratas, & gratas habentes, præſentibus promittimus, quod ipſe Sereniſſimus Dominus noſter Rex omnia ſuperius expreſſa firmiter & inconcuſſe inviolabiliterque tenebit & obſervabit, & pro majori firmitate ſigilla noſtra etiam præſentibus ſunt appenſa. Actum & datum in Thorun, Feria ſecunda Beati Joannis Baptiſtæ, A. D. 1454.

CXV.

1455. *Privilegium* Casimiri *Regis datum Civitati Gedanenſi ſuper Commendatoriam Gedanenſem, & Officium Magiſtri Piſcatoris, ac villam Leiba.* Datum in Thorun Feria ſexta ante Feſtum S. Luciæ Anno 1455. *Ex Archivo Regni Lib. 48. ſub Lit. ZZ. num. 49. fol. 51.*

Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus & Hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris, notitiam præſentium habituris. Quomodo attendentes & mature inſpicientes ſinceræ fidei conſtantiam, aliaque probitatis & virtutis merita, quibus Nobis Famoſi Proconſul & Conſules, Scabini, & tota Communitas Civitatis noſtræ Gedanenſis in conquiſitione Terrarum noſtrarum Pruſſiæ, illicita occupatione a Regno noſtro Poloniæ alienatarum, fideli conſtantiq; animo, gravibus impenſis, laboribus & notabilibus damnis non parcentes, præſertim in obſidione Choinicenſi, Mariemburgenſi & Knipavienſi placuerunt & meruerunt, ac in poſterum aucto fidelitatis ſtudio mereri non deſinunt; cupientes itaque ad hujusmodi, & alia ſervitia ipſos efficere promptiores, ac de hujusmodi pecunia, cum ſummis, quas ſtipendiariis in Stargarth, in Now & aliis in locis dictarum Terrarum noſtrarum impenderunt, & impendunt, aſſecurare, de conſilio & voluntate Conſiliariorum noſtrorum tam Regni, quam Terrarum noſtrarum Pruſſiæ prædictarum unanimi & concordi, ipſis Proconſulibus, Conſulibus, Scabinis et toti Communitati dictæ Civitatis noſtræ Gedanenſis Commendatoriam Gedanenſem, & Officium Magiſtri Piſcatoris quondam ad Puck pertinentem, ac villam noſtram Leiba ſecus mare ſitam, cum omnibus & ſingulis ipſorum Civitatibus, villis, cenſibus, fructibus, redditibus, proventibus, honoribus, laboribus, penſionibus, pratis, aquis ac earum decurſibus, viridariis, nemoribus, ſylvis, virgultis, agris, allodiis, prædiis, molendinis, emolumentis, & generaliter pertinentiis & obventionibus univerſis, & alias cum omni jure proprietateque, nihil penitus pro Nobis reſervando, ita longe & circumferentialiter, prout in ſuis metis & finibus ſunt diſtincta, diviſa & limitata, & ad prædictam Commendatoriam Gedanenſem Officium Magiſtri Piſcatoris Puck, et villam Leiba, ab antiquo quomodolibet ſpectantia, inſcribimus, damus, donamus & obligamus per præſentes tenendum, habendum, poſſidendum, utifruendum, pacificeque ac noſtro ſive noſtrorum Succeſſorum et omnium noſtrorum Capitaneorum et Officialium quomodolibet ceſſante impedimento obtinendum, quoadusque dicta ſumma pecuniarum pro hujusmodi ſtipendiariis, ac conquiſitione dictarum Terrarum noſtrarum impenſarum perceptione et extenuatione, juxta juſtæ et veræ rationis calculum et computum realem et actualem ..... qua habita et hujusmodi ſumma, ſic, ut præmittitur, extenuata, dicta Commendatoria, et Officium Magiſtri Piſcatoris ad Nos et noſtros Succeſſores revertentur pleno jure, juribus

Anno 1455. bus redditibusq; Epiſcopalibus ſemper ſalvis. Harum, quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum in Thorun Feria VI. videlicet proxima ante Feſtum S. Luciæ Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto. Præſentibus ibidem Magnificis et Generoſis Joanne de Czyżow Caſtellano Cracovienſi, Petro de Schamotuly Poſnanienſi, Hincza de Rogow Siradienſ. Caſtellanis, Gabriele de Bayſen Palatino Culmenſi, Johanne de Szczekoczyn Lublinenſi et Grudzacenſi Capitaneo, et Thilman Proconſule Thorunenſi, et aliis pluribus fide dignis.

CXVI

1456. *Literæ* Casimiri *Regis ad* Philippum *Burgundiæ Ducem, ut Gedanenſibus libertatem mercandi in Hollandia & Zeelandia concedat. Ex Arch. Regni. Lib. ſub Lit. C. fol. 344.*

Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus et Hæres etc. Præclaro et Magnifico Principi Domino Philippo, eadem Gratia Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgiæ, Comiti Flandriæ, Arteſii, Olandriæ et Zelandriæ etc. Fratri noſtro cariſſimo ſalutem, fraterni amoris juge incrementum, et proſperos ad vota ſucceſſus. Præclare et Magnifice Princeps, Frater noſter cariſſime! Poſtquam nutu Divino in Terrarum noſtrarum Pruſſiæ et Pomeraniæ, quæ de corpore Regni noſtri occultiſſimo Dei judicio, per tyrannidemque diverſis colluſionibus intervenientibus eas occupantium exciderant, realem et actualem reſtituti ſumus poſſeſſionem præter nonnulla fortalitia, quæ per hoſtes et rebelles noſtros ſunt intercepta, quibus ne de Dominiis Veſtræ Fraternitatis, quam credimus Nobis mutuæ caritatis ſinceritate, juſtitiæ noſtræ favendo, eſſe affectam, ac aliis partibus maritimis præſidium victualium, et neceſſariorum quorumcunque amminiſtraretur et præſtaretur, fideles noſtri dilecti famoſi Cives Civitatis noſtræ Gedanenſis inſinuanter et multa clara præviaque fecere avizamenta, et, quod mage eſt, ne quiſpiam ingrederetur in ore portus, fortiſſima ſtruxêre et poſuerunt obſtacula, quæ minime advertentes certae naves de dominiis Veſtræ Fraternitatis Holandriæ et Zeelandriæ dictis ad oras hoſtium noſtrorum mare ſulcantes, et portum Balgenſem pene contingentes, ipſis obſtaculis defractis et disjectis, applicatæ, per gentes armorum noſtras contra hoſtiles inſidias maris excubias obſervantes more hoſtili et jure belli ſuadente fuêre receptæ et abductæ. Cujus rei quaſi prætextu et in vim repreſſoriarum, quamvis minus legitima occaſione ſumpta, ut intelligimus, quædam rates mercibus et rebus onuſtæ mercatorum et inſtitorum præfatæ Civitatis noſtræ Gdanenſis, gratia negotiandi ſub ſalvo conductu et Chriſtianica ſecuritate, per Vaſallum ſive Officialem de Mittelburg motu proprio eidem conceſſo, ac illorum, ut deſcenderent, uti ab eisdem accepimus, humaniter invitatus per eundem Vaſallum ſive Officialem ſunt arreſtatæ, in hactenusque minus juſte retinentur detentae, ut autumamus, praeter Veſtrae Fraternitatis ſcientiam et voluntatem, perſonis dictarum navium in vincula conjectis. Sed ut amor Veſtrae Fraternitatis ſolidatus propenſiora valeat ſuſcipere incrementa, et ne ſubditi Veſtrae Fraternitatis in proſecutione juſtitiae noſtrae videantur Nobis impedimento eſſe, Veſtram Fraternitatem puro ex affectu rogamus, velit firmiſſimo et efficaci edicto demandare, quatenus mercantiae et bona cum navibus et hominibus, ſic, ut refertur, detenta, libera et abſoluta dimittantur, efficereque, ut negotiatoribus de Dominiis noſtris, et ſignanter Terris Pruſſiae, ſecurus acceſſus et receſſus mercandi ad eadem Dominia Veſtra, quoties expedierit, pateat. Et ſi praefatus Vaſallus aut Officialis de Mitelburg, ſeu quiſpiam ex ſubditis Veſtrae Fraternitatis actionem aliquam habere contra noſtros, aut ſe aliqua injuria gravatum praetenderit, ad ſatisfaciendum querentibus, hinc inde placeat eaedem Veſtrae Eraternitati in Civitatem Lubik aut alibi, juxta beneplacitum et voluntatem ejusdem, locum et terminum competentem deputare. Ad quae Fraternitas Veſtra Conſiliarios ſuos mittere velit, et Nos pari modo transmittemus, quibus convenientibus habebunt plenum mandatum juſtitiam petenti cognoſcendi, ſententiandi omnimodam facultatem. Non ſolum enim Nobis Veſtra Fraternitas in eo rem gratisſimam oſtendet, ſed noſtrorum utrumque Dominiorum cedet in uberrimam ampliationem, et viciſſitudinariae amicitiae augmentum. Optamus a Veſtra Fraternitate literale reſponſum ad praemiſſa Nuntium per praeſentem. Datum etc. Anno 1456.

CXVII.

ANNO 1456.

CXVII.

PHILIPPI *Ducis Burgundiæ ad Literas præcedentes Reſponſum. Indidem.*

Illuſtriſſime ac Potentiſſime Princeps, Domine & Conſanguinee Cariſſime.

Literas Veſtrae Regiae Majeſtatis ex manu praeſentium latoris Nuntii Veſtri recepi, continentes, qualiter oppidani et incolae oppidi Gdanenſis, poſtquam Majeſtas Veſtra in poſſeſſionem Terrarum Pruſſiae et Pomeraniae reſtituta fuit, demptis nonnullis fortalitiis, quae per hoſtes et rebelles veſtros dicitis intercepta fuiſſe, multa clara et praevia fecêre aviſamenta, ne illis hoſtibus Veſtris de Dominiis meis, ac aliis partibus maritimis praeſidium victualium et neceſſariorum quorumcunq; amminiſtraretur, et quod magis eſt, ne quiſpiam ingrederetur in ore portus, fortiſſima obſtacula ſtruxerunt et poſuerunt, quodque certae naves de partibus meis Hollandiae et Zeelandiae ad oras hoſtium Veſtrorum mare ſulcantes, et portum Balgenſem ipſis obſtaculis confractis quaſi contingentes, per Veſtros hoſtili more, aut jure belli ſuadente captae et abductae fuerunt. Cujus rei occaſione quaedam naves mercibus et rebus onuſtae mercatorum et incolarum praefati oppidi Gdanenſis, negotiandi gratia ſub ſalvo conductu Officialis mei de Middelburg, per eundem Officialem fuerunt arreſtatae, perſonis dictarum navium in vincula conjectis, hortando me propterea eadem Majeſtas Veſtra, ut mercantias et bona cum navibus et hominibus praedictis libera et abſoluta dimitti faciam, et efficere, ut negotiatoribus de Dominiis Veſtris, et ſignanter de Terris Pruſſiae, ſecurus acceſſus et regreſſus mercandi ad Dominia mea pateſiat. Et ſi aliqui ex ſubditis meis actionem ullam contra Veſtros habere praetendant, ad ſatisfaciendum querentibus hinc inde, velim in oppido Lubik aut alibi locum et terminum deputare, et illuc Conſiliarios meos deſtinare, quod pari modo ſe facturam pollicetur Majeſtas Veſtra, uti haec et alia in praedictis Veſtris literis vidi latius contineri. Super quibus, Illuſtriſſime Princeps Domine, et Conſanguinee Cariſſime, Veſtra novit Majeſtas ſummo mihi deſiderio ſemper fuiſſe et adhuc eſſe, ut ſubditi Pruſſiae, aliique illarum Regionum incolae cum ſubditis meis, pari modo etiam ſubditi mei cum eiſdem libere et pacifice mercari et negotiari valeant, patriaſque et Terras meas cum rebus et mercibus ſuis illi pacifice frequentare, dummodo etiam mei Terras illas, tam Vobis ſubditas quam alias libere adire et frequentare poſſint. Si tamen praetextu guerrarum, quas Celſitudo Veſtra contra Religioſos habere ſe dicit, de quibus ego licet a Sanctiſſimo Domino noſtro Papa et Imperiali Majeſtate in favorem dictorum Religioſorum fuerim inſtantiſſime requiſitus, attamen ne intercurſus mercaturae publicae quovis modo impediretur, me nullatenus intromittere volui, uti haec de Danſich anterioribus diebus ſcripſiſſe recordor. Iidem de Danſich ſubditos meos, qui guerras illas curare non habebant, praeter omnem juris ordinem dampna plurima intulerunt, ego aſſiduo clamore eorundem ſubditorum meorum dampnificatorum impulſus, poſt diverſas requiſitiones et ſomniationes ſuper facienda ablatorum reſtitutione eis factas, juris remedium in tali caſu ſolitum et requiſitum, eisdem ſubditis meis non potui denegare, literas videlicet Repreſſaliarum in ipſos de Danſich dampni datores eis concedendo. Quarum literarum vigore certae naves eorundem de Danſich, de quibus ſupra dictum eſt, juſtiſſime arreſtatae et detentae fuerunt. Quo arreſto non obſtante, imo in contemptum et vilipendium ejusdem et juſtitiae meae, iidem de Danſich cum navibus ſuis arreſtatis flante aura ſecunda clam receſſerunt. Qui quantum in hoc contra me deliquerint, et mihi, meiſque injuriam gravem intulerint, facile perpendi et judicari poteſt. Nihilominus ob honorem Veſtrae Regiae Majeſtatis, et ut Veſtra amicitia inter eandem, Terraſque et Dominia Veſtra, et me ac mea ſemper obſervetur, dummodo pro tanta mihi juſtitiaeque meae illata injuria per dictos de Danſich condigna reparatio, et dictis dampnificatis ſubditis meis integra ablatorum reſtitutio prius facta fuerit, uti rationis eſt, libenter animo proſpiciam, quantum in me eſt, ut intercurſus mercaturae, et negotiatio publica inter ſubditos utriusque Noſtrum in Terris et Dominiis meis more priſtino exerceatur, et in dies magis creſcat et augeatur. Ut vero praeter haec ad dietas aliquas in Lubick, ſive alibi, ob hanc cauſam mittam, aut ulterius ſuper hoc me requirere debeat Regia Majeſtas Veſtra, nec juſtum videtur, nec rationi conſonum. In caeteris, quibus Majeſtati Veſtrae poſſem eſſe commodo, aut honori, vellem ſemper eſſe paratiſſimus, novit DEUS, qui eandem Majeſtatem Veſtram feliciter con-

ANNO 1456.

Anno 1456. conſervet in longaevum. Ex Oppido meo Bruxellenſi.

Conſanguineus Veſter Dux Burgundiæ, Brabantiæ & Limburgiæ, Comes Flandriæ, Artheſii &c.

CXVIII.

1457. *Rex* Casimirus *dat facultatem Magiſtratui & Communitati Gedanenſibus cæra rubri coloris in ſigillis utendi, coronam auream in ſuperiori ſtemmatis parte adhibendi, & veſtes auro ornatas portandi.* An. 1457. *Ex Arch. Regni Lib. Leg. ſub Lit. C. fol. 96.*

In Nomine Domini Amen.

Ne oblivio rerum, praecipue hisce temporibus geſtarum, aliquam difficultatem pariat, Coſiliarii Regum et Principum conſuluerunt, quatenus eadem acta et geſta ſcriptis, teſtimoniis et requiſitis omnibus perennentur. Proinde Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae, Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Lowiciae, Magnus Dux Litvaniae, Rusſiae, Prusſiaeque, Culmenſis, Elbingenſis, Kinsbergenſis ac Pomeraniae Terrarum Dominus et Haeres. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis, praeſentibus et futuris, quod Nos conſiderantes altitudinem virtutum, ſanas petitiones totius Terrae, ac conſtanter Nobis praeſtitam fidelitatem, quibus Nobiles, Conſules, Conſiliarii, Scabini, ac tota Communitas totius Civitatis noſtrae Gedanenſis, fideles noſtri dilecti in recuperatione Terrae noſtrae Prusſiae, quae ab Regno noſtro vi et armis avulſa fuerat, Nobis aſtiterunt. Conſiderantes etiam notabilem fortitudinem praedictae noſtrae Civitatis Gedanenſis, propter quam illa aliis noſtris Civitatibus notorie antecelluit, quaque in eadem Civitate noſtra Gedanenſi aucta ac multiplicata, omnino neceſſarium duximus, praedictis Conſulibus, Conſiliariis, Scabinis, ac toti Communitati condignam exhibere benignitatem ac remunerationem. Igitur oculos benevolentiae in praedictam Civitatem noſtram Gedanenſem extendentes, eam competentibus honoribus aſſequi ac proſequi voluimus. Proinde bona conſcientia, praehabito conſilio, et plenaria Regia poteſtate, nec non inito conſilio cum Regno noſtro Poloniae ac Terra Prusſiae, bona voluntate propoſuimus et conceſſimus, praeſentibusque litteris noſtris concedimus, ac Regia noſtra benignitate promittimus, modo praedictis Conſulibus, Conſiliariis, Scabinis, totique Communitati Civitatis noſtrae Gedanenſis, ut eidem Civitati in ſigillo ſuo cera rubri coloris in expediendis negotiis ſuis, epiſtolis ac privilegiis, nunc ac pro ſemper uti liceat. Et in majorem fidelitatis ſervandae ſtimulum, qua praenominati Conſules, Conſiliarii, Scabini, et tota Communitas Gedanenſis in noſtram Regiam dignitatem ferebatur, ſtatuimus, in noſtrum, Regni noſtri Poloniae, ejusque Civitatis noſtrae Gedanenſis honorem ac dignitatem, ex Regia noſtra gratia ac benevolentia eidem Civitati Gedanenſi ſigillum redintegrare ac emendare. Ita, ut ejusmodi Conſules, Conſiliarii, Scabini, ac tota Communitas totius Terrae noſtrae Gedanenſis impoſterum auream coronam in ſuperiori parte ſigilli ſui habeant, ac perpetuis futuris temporibus ea utantur. Praetereaque quatenus noſter, ejusque Civitatis noſtrae Gedanenſis honor exinde obſervetur, multiplicetur, eidemque perpetuis temporibus adſcribatur, teſtimonio harum praeſentium litterarum concedimus, ut perpetuis futuris temporibus noſter Capitaneus ac Conſul praedictae Civitatis Gedanenſis praeſens et futurus in omnibus ſuis negotiis, tam publicis quam privatis, ad condignam eorum authoritatem aurum in veſtibus portare ac gerere posſint, et licite valeant. In quorum omnium fidem praeſentibus noſtrum appoſuimus ſigillum.

CXIX.

Juramentum Gedanenſium. Ind.

Ego N. promitto, ſpondeo et juro, quod Serenisſimum Principem Dominum Casimirum Regem Poloniae etc. et ſuos Succeſſores Reges Regni Poloniae ſuſcepi et ſuſcipio in Dominum meum et Haeredem Terrarum Prusſiae et Pomeraniae, et praeſertim Civitatis Gedanenſis, et omnia negocia Cracoviae tractata inter ſuam Serenitatem et Ambaſiatores Terrarum Prusſiae concluſa, firmiter et inviolabiliter fideliterque, ſine dolo et fraude, omni colore quaeſito excluſo, ſervare et adimplere, et Cruciferis olim Prusſiae nunquam adhaerere, nec pacta aut fœdera ſeu inſcriptiones cum eis inire occulte vel manifeſte, ſub dicto Domino Rege et ſuis Succeſſoribus Regibus Poloniae in perpetuum fideliter asſiſtere ope, conſilio, auxilio et favore, ac ſuae Serenitatis Perſonae et Domini damnum avertere, tueri, defendere et praemunire; ſic me Deus adjuvet, et haec Sancta Crux.

CXX.

Anno 1457.

CXX.

Statutum Casimiri *Regis, quo prohibet ſub privatione bonorum omnium, & bannitione de Regno, ne quis Incolarum Spiritualium vel Sæcularium de Judicio Civitatis Gedanenſis ad Imperatorem, aut ad Urbem Romanam in quibuscunque cauſis citare audeat. Ex Archivo Regni. Lib. Leg. Lit. C. fol. 82.*

In Nomine Domini Amen.

Cum Regiæ ſublimitatis curæ ſit & officii, novas Leges & Sanctiones pro ſubactorum ſuorum agendis profectibus, ſtatuque debito & ordine inſtituere, digne convenit, ea, quæ conſuetudine erronea nocumento futura eſſe prævidentur, abolere & evellere. Proinde Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quod animadvertentes pleroſque tam ſpirituales quam ſæculares Civitatis noſtræ Gdanenſis incolas, in dedecus & ignominiam Majeſtatis noſtræ, & juris Civitatis prædictæ in detractionem, ubi juſtitia unicuique parata eſſe dinoſcitur, temerarie & præſumptuoſe conſuetudinem quandam erroneam lege inducere volentes, Judices foraneos & exteros inſequi & petere, aliosque, qui licet coram Nobis aut judicio Civitatis ejusdem ſe juſtificatos efferant, pro ſe trahere, & fatigare appellationibus minus juſte, & toti Regno noſtro & Civitati prædictæ nocivis & periculoſis, cauſas ipſorum tum ad Imperialem Majeſtatem, tum ad Urbem Romanam deferentes. Et proinde volentes hanc ipſam conſuetudinem abolere, & Civitatem noſtram prædictam Gdanenſem in ſtatu debito & ordine collocare, de maturo Conſiliariorum noſtrorum, lateri noſtro ad præſens aſſiſtentium, conſilio & aſſenſu ſtatuimus, & præſenti Statuto ediſerentes prohibemus, ne aliquis incolarum, ſive ſpiritualium ſive ſæcularium, quempiam alterum de judicio Civitatis prædictæ ad Imperialem Majeſtatem, aut ad Urbem Romanam pro cauſis quibuscunque tam magnis quam parvis cittare, trahere & evocare aliquatenus audeat, ſub bonorum ſuorum privatione, ſuique de Regno bannitione & tandem captione. Sed ſi quiſpiam ſe injuriam quidem in jure Civili habere prætenderit, extunc ad Nos, in quantum ſuper re Foro ſæculari ſubjecta lis acta foret, & ad Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Sbigneum Epiſcopum Vladislavienſem ſincere Nobis dilectum, cæterosque Epiſcopos pro tempore exiſtentes, in quantum forum ſpirituale res concernet, ſe revocet & appellet, juſtitiam debitam recepturus. Volumus etiam, ut nullus proceſſus quoscunq; a Sede Apoſtolica vel aliunde, præter proceſſus Ordinarii, contra quemcunque incolam Civitatis memoratæ fulminandos exequi præſumat. .,.... Alias ſi quis præſentis Statuti noſtri temerarius transgreſſor compertus fuerit, debere eundem pœnas ſupraſcriptas irremiſſibiliter incurſurum. Quod quidem Statutum in omnibus punctis, conditionibus et clauſulis ratificamus, approbamus & roboramus, decernentes ipſius robur perpetua firmitate obſervare. Harum &c.

CXXI.

1463. *Pactum* Bernardi de Szimberg *Capitanei Chełmnenſis in Pruſſia cum* Casimiro *Rege.* Actum & datum in Nieſzava ipſo die S. Luciæ V. Anno 1463. *Ex Archivo Regni Lib. 3. ſub Lit. C. fol. 611.*

Ego Bernardus de Schimberg in Chełmno, Brodnieza & Starigrod Capitaneus ſignifico tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quia cum Sereniſſimo Principe Domino Casimiro Dei Gratia Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Domino & Hærede, Illuſtribus Principibus Varſchovienſi & Stolpenſi talem concordiam, unionem feci & inivi, tamdiu, quouſque guerra & diſſenſio hoſtilis in Terra Pruſſiæ inter ipſum Sereniſſimum Principem Dominum Regem Poloniæ &c. & Dominum meum Magiſtrum Pruſſiæ, ſuumq; Ordinem, ac Coadjutores ſuos ſingulos & ſerviles ſemota & ſublata finietur, modo & forma infraſcriptis.

Primo quod omnes difficultates, controverſiæ, hoſtilitates, odia & rancores quomodolibet inter ipſum Sereniſſimum Principem Dominum Regem Poloniæ, ſuosque omnes ſubditos Terrarum ipſarum, & me ſociosque meos exortæ & ſuſcitatæ debent a modo & deinceps deponi, & nunquam ad aliquod malum & ultionem comminari & computari.

Item omnes viæ, ſtratæ & portus, tam per aquam quam per terram, præfatis Civitatibus & Caſtris tenutæ meæ, ſeu in tenutis meis ſubditis prædicti Domini Regis, ac Ducum & Adhærentium præfatorum

ANNO 1463. torum liberæ eſſe debent, & patentes ſine aliquo impedimento.

Providere etiam debeo cum meis ſubditis & adhærentibus, ut tales homines Domini Regis plena ſecuritate gaudeant, & ne graventur vel opprimantur.

Item promitto & ſpondeo, quod de dictis civitatibus & fortalitiis Chelmno, Brodnicza, Starigrod Domino Magiſtro ſuoque Ordini, dictique Magiſtri Coadjutoribus ſervilibus & fautoribus Domini Regis & ſuæ Celſitudinis ſubditorum hoſtilibus nulla auxilia, conſilia publice vel occulte, directe vel indirecte parare debeo, aut parabo ſine omni dolo.

Item promitto, quod prædicto Domino Magiſtro, ſuisque coadjutoribus & adhærentibus cum meis ſubditis & ſociis nulla victualia, arma, equos, aut alia ſubſidia & neceſſaria adducere, parare aut mutuare debeo neque poſſum.

Item promitto, quod ipſum Dominum Magiſtrum, ſuosque adhærentes & ſerviles per navigia tenutarum mearum publice vel occulte, nec ad ipſa fortalitia mea intromittere debeo in damnum Domini Regis & ſuorum ſubditorum.

Item promitto, quod omnes Terrigenæ, Nobiles & Cives, bona eorum, hæreditates, villas, Curias, piſcaturas in Terra Pruſſiæ habentes, quocunque nomine vocentur, ſive talia bona ſint titulo perpetuo poſſeſſa, ſive per ipſum Dominum Regem donata vel obligata, libere & pacifice hujusmodi bonis utentur, & eadem poſſidebunt.

Item promitto, quod omnia omagia, depactationes Nobilium, oppidanorum ac villarum, a modo & deinceps ceſſare & finiri debeant ad jam dicta fortalitia & civitates, tam in Terris Regni Poloniæ, quam in Terris Pruſſiæ & Maſoviæ, Curiis, villis, piſcaturis, ſed quilibet bonis ſuis, villis & piſcaturis pacifice fruatur, tanquam tempore pacis, exceptis lacubus Wambrzeſzno, quibus uti debeo interim, quod ſit guerra.

Item ſi præfatus Dominus Magiſter, ſive ſui Ordinis Fratres, aut aliquis alius hoſtis prædicti Domini Regis, pecunias ſive ſtipendium mihi aut ſocietati meæ dare, & ipſas civitates & fortalitia redimere & habere voluerit, tales pecunias ſub fide & honore minime recipiam, nec recipere poſſum, obſtante hac præſenti unione.

Item nulla nova loca, ſive antiqua fortalitia & poſſeſſiones occupare, fortificare aut poſſidere, ſive Civitates & Caſtra Regia prædictorum Ducum, ſubditorum & adhærentium prædicti Domini Regis intercipere, aut ſi etiam ſponte & benevole vellent dare, recipere debeo, nec hoſtibus Domini Regis ad id faciendum auxilia ſive conſilia facere, dare palam vel occulte debeo. ANNO 1463.

Item poſtquam ipſe Dominus Rex Terras Pruſſiæ in quieta & pacifica & integra habuerit poſſeſſione, extunc me a ſervitio meo licito, competenti, & juxta poſſibilitatem congruam reprimere non debebit, aut illud a me auferre, ſed ego ipſas civitates, fortalitia Chelmno, Brodnicza, Starygrod cum ſuis diſtrictibus & villis, tantum ad ea ſpectantibus, cum eorum allodiis, curiis & cohærentiis pacifice tenebo, excepto quod Nobiles & Terrigenæ ipſorum diſtrictuum nulli alteri, niſi ipſi Domino Regi ſpectabunt & obedient, qui quidem Nobiles & Cives de civitatibus bona eorum, villas, curias, agros, quos in ambitu ipſarum civitatum & caſtrorum habent, ad eas pertinentes & ſpectantes, ſive fuerint talia bona hæreditaria per ipſum Dominum Regem donata, obligata & inſcripta, habebunt, tenebunt, & pro eorum utilitate poſſidebunt.

Item quod omnes captivi, qui mei fuerunt, ſi unioni præſenti & concordiæ voluerint eſſe aggregati, ſub fide & honore promittere debebunt, quod contra Dominum Regem & Regnum Poloniæ, Terrigenas & Civitates Terrarum Pruſſiæ in nulla cauſa hoſtilitatis eſſe debebunt a libertate eorum per duo quartalia anni. Qui vero talem ſponſionem facere noluerint, de captivitate non mittantur.

Item promitto, quod in ritu & rebus ſpiritualibus, cum meis ſervilibus & incolis prædictarum civitatum conſors & conformis eſſe debeo cum ſubditis prædicti Domini Regis.

Item ſi aliquæ differentiæ vel controverſiæ inter prædictum Dominum Regem, & ſuos ſubditos & adhærentes ab una, meosque tam de Regno Poloniæ, quam de Terris Pruſſiæ, Litvaniæ, Maſoviæque partibus ab altera fuerint ſubſecutæ, tales differentiæ vel diſplicentiæ, hanc unionem non debeant in aliquo infringere aut turbare, ſed duæ perſonæ ex parte Regis, & duæ ex parte mea, ad requiſitionem perſonæ vel perſonarum injuriam paſſarum, pro die apto in Civitate Nieſchov. deſcendent, hujusmodi injurias ſeu difficultates emergentes cogrituri, judicaturique juſtitia mediante, judicioq; & ſententiæ talium perſonarum Partes parere debebunt, & hoc fieri debet infra menſem a requiſitione judiciaria.

Item ſi aliqui de Comitiva mea de Terris Pruſſiæ ad partes alienas ire voluerint, poterint ſecure per Dominia D. Regis ire, qui-

ANNO 1463. quibus ipſe Dominus Rex de ſalvo conductu, ſi fuerit neceſſe, providere debebit. Et ſi aliqui ex meis contra ipſum Dominum Regem eſſe vellent, & ſuæ Majeſtati ſive ſubditis ipſius guerras intendere, tales prius ante duo quartalia anni ipſum Dominum Regem, Regnum, Terras Pruſſiæ, Pedeſtres vero ad unum menſem diffidare debebunt, quos poſtea ad civitates & fortalitia tenutæ meæ non intromittam.

Item guerra prædicta durante, ſi aliqui homines cum eorum bonis, de civitatibus Domini Regis cum eorum incolatu, ad civitates & fortalitia mearum tenutarum ingredi vellent, illos recipere non debeo, nec recipiam ſine ipſius Domini Regis voluntate. Similiter etiam Dominus Rex hoc ipſum facere tenetur.

Item quia fortalitium Sadłow in mea non habeo poteſtate, ad cujus acquiſitionem omnem diligentiam promitto habere, ubi ipſum habuero in eadem unione, ſub eiſdem articulis ipſum habere ſpondeo & promitto. Et interim quo ipſum non habuero, cum illis, qui fortalitium habent, interim quod contra Dominum Regem habebunt, nullam intelligentiam habere promitto, nec ipſis adhærere debeo conſilio & auxilio, publice vel occulte, ſed nec ipſos ad fortalitia mea Chełmno, Brodnica & Starigrod intromittere debeo.

Item Cives, Conſules, Proconſules Civitatum Chełmno & Brodnica promittere debent, & literis ſuis inſcribere & ratificare, quod hanc unionem & inſcriptionem, quam feci cum D. Rege Poloniae tenebunt & obſervabunt ipſi & eorum ſucceſſores.

Item Officiales mei in dictis civitatibus, & fortalitiis meis conſtituti literis ſuis promittere debent, quod hanc unionem & concordiam me mortuo manutenebunt & obſervabunt tamdiu, quouſq; Germanus meus litera ſua hoc ipſum tenere Domino Regi firmabit. Caſu vero quo aliquis ex dictis officialibus meis vel mortuus, vel per me ab ipſa tenuta alienatus fuerit, ille, vel loco ſui in dictis tenuta vel tenutis ſubſtitutus ſimiliter per literam ſuam præmiſſa tenere & obſervare promittat, quam literam poſt mortem vel alienationem quatuor ſeptimanis dirigere ipſi Domino Regi, ac in manus Conſulum Thorunenſium promitto.

Ut autem hæc unio ac amicabilis concordia fortius teneatur, & non impediatur, homines de prædictis Chełmno, Brodnica & Starygrod non ingrediantur ad civitates partis Domini Regis Pruſſiæ, ſed in Regno Poloniæ liberum & ſecurum habeant ingreſſum in civitatibus & villis negotiandi, mercandi, emendi aliaq; negotia diſponendi, liberam habebunt facultatem. ANNO 1463.

Item, ſicut præmiſſum eſt, omnes Perſonæ ſpirituales & ſæculares, Terrigenæ, Nobiles, bona eorum, hæreditates, villas, piſcaturas, Curias in Terra Pruſſiæ habentes, quocunque nomine vocentur, ſive talia bona ſint perpetuo poſſeſſa, ſive per ipſum D. Regem donata, aut obligata, libere & pacifice hujuſmodi bonis utentur, & ea poſſidebunt. Harum, quibus Sigillum meum eſt appenſum teſtimonio literarum. Actum & datum in Nieſzawa Feria tertia ipſo die Sanctæ Luciæ Virginis, Anno Domini 1463.

Regeſtrata in Grodno Feria ſexta in Vigilia Sancti Sylveſtri Anno quo ſupra.

CXXII.

Pax perpetua inter CASIMIRUM *Regem Poloniæ &* LUDOVICUM de ERLICHSHAUSEN *Magiſtrum Generalem & Ordinem Domus Jeroſolymitanæ Teutonicorum in Thorun, qua Terræ Culmenſis, Michalovienſis, Pomeraniæ, Marienburgum, Stuma, Chriſtburgum, Elbinga cum aliis compluribus locis jure perpetuo Regno Poloniæ addicuntur, & incorporantur, reliqua vero pars Pruſſiæ lege beneficiaria Ordini Teutonico confertur, Magiſterque Generalis in Vaſallum & Feudatarium Principem Regni Poloniæ aſſumitur, primusque Regis Poloniæ Conſiliarius conſtituitur.* Datum Torunii die Solis 16. Octobris Anno 1466. *Ex Originali. Sigill. 65. Extat in Archivo Cancell. Regn. Lib. 73. ſub Lit XB. num. 74. fol. 225.* 1466.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum inter humanæ voluntatis deſideria, quæ in aliquid citra Deum finem atque rerum omnium Opificem diriguntur, nulla res optabilior, nulla gratior, quemadmodum quotidianis experimur effectibus, nulla denique humano generi æque ſalutaris, neceſſaria, jucundior &

Anno 1466. & utilior, quam pax habeatur, in ortu Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti hominibus bonæ voluntatis denuntiata per Angelos, & in receſſu ad Patrem Cœtui Apoſtolico, & univerſis Apoſtolorum ſequacibus geminata donatione relicta. Proinde Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque, Chelmenſis, Elbingenſis & Pomeraniæ Terrarum Dominus & Haeres. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis, tam praeſentibus quam futuris, praeſentium notitiam habituris. Quomodo attendentes, quales ſint verae pacis fructus, & quanta belli pericula, qualisque vaſtitas diſcordiam ſubſequatur, ad laudem Omnipotentis Dei, & Intemeratae Mariæ Virginis glorioſae, totiusque cœleſtis Hierarchiae, propagationem fidei, cultum juſtitiae et Religionis Chriſtianae ſalutiferum incrementum, Regni quoque noſtri Polonici decus & ſtabilimentum a guerrarum & litigiorum deflendis diſcriminibus, a diſſenſionum & odiorum anfractibus, diſplicentiis & ſingulis offenſis, quae inter Nos Casimirum Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Dominum & Haeredem praedictum, & Illuſtres Principes Dominos Conradum, Casimirum, Boleslaum & Janussium Maſoviae, Henricum Stolpenſ. Duces, ac Reverendum Patrem Dominum Paulum Epiſcopum & Eccleſiam, ac Capitulum ejusdem Varmienſ. Stephanum Wojewodam Moldaviae, Regnum Poloniae, Terras noſtras, & alia Dominia Nobis & Regno noſtro Poloniae ſubjecta, ex una; & Magnificum & Religioſum Virum, Dominum Fratrem Ludovicum de Erlichshausen, Magiſtrum Generalem Ordinis B. Mariæ Teutonicorum Hoſpitalis Joroſolimitani, Praeceptores, Commendatores & Ordinem ſuum, & Terras ejusdem Ordinis, in Terris Pruſſiae parte ex altera conſiſtentibus, fuerunt exortae, animos noſtros ad ſemitas pacis & concordiae convertimus, fluctus quoque bellicae tempeſtatis hactenus inter nos vigentes ſedandos & abolendos duximus, & ea, quae durantibus hujusmodi guerris & controverſiarum turbinibus diruta fuêre, & deformata & diſtracta, per pacis integritatem ad ſtatum cupientes reducere quietum & tranquillum, per mediationem, operam & interventum Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Rudolfi Epiſcopi Laventini, Sedis Apoſtolicae Legati, a Sanctiſſimo Domino noſtro Paulo Papa II ad intercipiendum bellum hujusmodi ſpecialiter deſtinati, cum eodem Domino Ludovico Magiſtro, Commendatoribus, Ordine & Fratribus ipſius, Terris Pruſſiae, ſubditis & ſequacibus eorum, perpetuae pacis & inviolabilis fœderis concluſionem, conſummationemque elegimus, aſſumpſimus, inivimus, ſuſcepimus, eligimusque, aſſumimus et inimus tenore praeſentium, mediante omni tempore et perpetuo duraturam, quam ſub fide et honore, et juramentis corporaliter praeſtitis, ſine dolo et fraude promittimus vigore praeſentium obſervare. Et ut ipſa pax et concordia cum omni maturitate et deliberatione concepta, ad firmum et conſtantem ordinem jugiter ſervandum reducatur, ipſam per articulos infra ſcriptos duximus regulandam. Anno 1466.

Imprimis quod inter Nos Regem, Duces praedictos, Regnum Poloniae ejusq; Terras, Epiſcopum et Capitulum Varmienſe et ſuam Eccleſiam, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Stolpen. et aliorum Dominiorum noſtrorum ab una, et praedictum Magiſtrum Generalem, Commendatores et Ordinem, Terras et ſubditos ipſius in Terris Pruſſiae parte ab altera, omnes controverſiae, diſſenſiones, hoſtilitates, inimicitiae, diffidationes, infamiae et damna inter Partes hinc inde facta, dimiſſa et totaliter ſopita debent eſſe, nec illorum de caetero aliqua mentio aut memoria, et ſignanter in querelis aut in detractione partium, coram quibuscunque perſonis habeatur aut fiat in quocunque Judicio Eccleſiaſtico vel Saeculari, vel extra: Sed nec una Partium ad infamiam alterius ſuggeret, conſentiet, auxilium dabit vel favorem, per ſe aut ſubmiſſam perſonam, quovis quaeſito colore, publice vel occulte. Et quantum in utraque Parte fuerit, delationes et detractiones hujusmodi fieri non admittet, ſed potius prohibebit.

Item ad abolendas omnes diſplicentias, odia, ſimultates, et quaslibet hoſtilitates, quae inter praefatum Dominum Ludovicum Magiſtrum, Commendatores et ſuum Ordinem, ſuosque Praedeceſſores ab una, et Nos, Praedeceſſoresque noſtros Reges Poloniae partibus ab altera, occaſione Terrarum Pomeraniae, Chelmenſis et Michalovienſis frequentius annis ſuperioribus usq; ad bellorum gravia diſcrimina conſurgebant: et ut pax firma, ſtabilis atque perpetua, non ex ore tantummodo, ſed ex corde, pure non ficte, ſincere non ſimulate, inter Nos Regem et Regnum Poloniae, Duces, Epiſcopum et Capitulum Varmienſ. adhaerentes et coadjutores, Nosque D. Ludovicum

ANNO 1466. VICUM Magiſtrum, Commendatores, & Ordinem Pruſſiæ proveniat, Terra Culmenſis cum ſuis caſtris, civitatibus, et oppidis ac fortalitiis, videlicet Thorun, veteri & nova, Birgelau, alias Byrzglowo, Aldehaus alias Starygrod, Culmen alias Chelm, Venczelau alias Dunislaw, Leipe alias Lipno, Schenenzeh alias Kowale, Roghauſen alias Rogozno, Engelsberg alias Koprzywno, Reden alias Radzyn, Grundentz, alias Grudzancz, Golau alias Golub, Papaw alias Papow, Strasberg alias Brodnica, Litteberg alias Ludberg, Bratian, Neumarckt alias Novoforo, Leſſen alias Laſſyno, cum ſuis omnibus pertinentiis & villis, etiam quæ pertinebant ad judicium & banderium Culmenſ. & cum tota Terra Michalovienſi, nihil excipiendo, item tota Terra Pomeraniæ juxta antiquos terminos ſuos, cum univerſis caſtris, civitatibus & oppidis, munitionibus in ea conſiſtentibus, videlicet Gdanczk alias Gdanſk, Puwczik alias Puczki, Lawenborg alias Lemberg, Heyle alias Hella, Liebe alias Coſzczerzyn, Grebyn alias Grabina, Derſchaw alias Tzow, Mewe alias Gniew, Sthargarth, Neweburg alias Nowe, Swetcze alias Swyecze, Oſſek alias Oſſiek, Jeſſenicz alias Jaſieniecz, Keyſchau alias Kyſſzowa, Slochau alias Slochow, Konycz alias Choynycza, Fredeland, Hamerſteen, Benthaw alias Bytow, Tuchel alias Tuchola, Sobbycz alias Sobowicz, Schoneke alias Skarzewo, Baldenborg, & cum Naria, fluviis, aquis, mari ac piſcaturis, quæ ſunt in cauda maris alias Hap, villis, portibus, inſulis & pertinentiis univerſis, & dominio univerſali, directo & utili, mero & mixto, ad Nos & Regnum noſtrum Poloniæ pertinebunt & ſpectabunt, pertinereque & ſpectare debebunt, donationibus, renuntiationibus, ceſſionibus, appropriationibus per Reges, Principes, Prælatos, Barones, Nobiles, Civitates & ſubditos Regni Poloniæ, ex quacunque cauſa & occaſione de Terris prædictis jure, proprietate, dominio ac titulo earum, quomodolibet & quotiescunque, etiam juramento corporali interveniente, in favorem Magiſtri & Ordinis prædictorum factis, & Apoſtolica, Imperiali, vel quacunque alia firmitate roboratis, non obſtantibus quibuscunque, quas per præſentem unionem & fœdus annullamus, caſſamus, abolemus, tollimus, extinguimus & mortificamus, illisque perpetuo derogatum eſſe volumus & derogamus. Tenebiturq; D. Magiſter LUDOVICUS, Commendatores & Ordo Teutonicorum prædictus, ipſis Terris Pomeraniæ, Chelmenſi & Michalovienſi, & illorum juri, proprietati, titulo, & dominio quomodolibet & ex quacunque cauſa, ſibi & Ordini in illis competenti, pro ſe, Succeſſoribus & Ordine ſuis, renunciatione & ceſſione perpetua, irrevocabili & ſpontanea, de certa & expreſſa ſcientia cedere & renuntiare, ſeque & Ordinem ſuum Terris præfatis Pomeraniæ, Chelmen. Michalovien. in perpetuum abdicare, ac omnes inſcriptiones, donationes, renuntiationes, ceſſiones, reſignationes, confirmationes, literas, privilegia, inſtrumenta, venditiones, emptiones, lauda, arbitria, ſententias, pronunciationes, monumenta & decreta, in favorem Magiſtri & Ordinis ſuper Terris prædictis per Summos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, & quascunque Perſonas Eccleſiaſticas vel mundanas, cujuscunque conditionis, dignitatis, præeminentiæ vel tenoris exiſtant, confectas, decretas et conceſſas abolere, extinguere, mortificare, & illis pro ſe, Succeſſoribus ſuis & Ordine, non per errorem, coacte aut improvide, ſed libere ſpontanee, ac de certa ſcientia perpetuo cedere & renuntiare, & jus omne, quod Magiſtro & Ordini in præfatis Terris quomodolibet competebat, in Nos & Regnum noſtrum, Succeſſoresque noſtros Reges Poloniæ perpetuo transferre, & Militares, Nobiles, Vaſallos, Cives, Terrigenas, & quoscunque ſubditos Eccleſiaſticos & ſæculares terrarum, civitatum, diſtrictuum & locorum prædictorum ab omni ſua fidelitate, homagio, ſubjectione, juramento, & qualibet ſponſione dimittere, abſolvere & relaxare: Excepto, quod piſcaturas in Hap a fine aquæ, & piſcaturarum Epiſcopi & Capituli Varmienſis, & ex oppoſito in mari ſalſo, item partem Nergiæ, a dicta aqua & piſcaturis dictæ Eccleſiæ Varmienſis per transverſum Nergiæ usque ad dictum mare ſalſum, & a dicto transverſo per deſcenſum Nergiæ uſque in profundum cum villis Scheytte & Neudorff ac Curia Meteloff, cum jurisdictione & utilitate, atque ipſum profundum cum piſcatura aurionum & theloneo antiquo D. Magiſter & Ordo perpetuo habebunt & poſſidebunt, quam quidem portionem Nergiæ cum prædictis villis et curia de ſpeciali gratia præfato D. Magiſtro & Ordini perpetuo conferimus & aſſignamus, reſervata tamen Nobis totali venatione ſuper dicta portione Nergiæ, prout & ſuper tota Nergia, illam Nobis reſervavimus, hoc etiam adjuncto, quod Magiſter & Ordo nullum caſtrum aut munimentum ſuper dicta portione Nergiæ ſibi

Anno 1466.

bi donatæ ædificare vel ædificari facere, neque novum teloneum, vel gravamen imponere debeat.

Item, ex certis bonis reſpectibus Nos moventibus, & pro præſentis pacis ſtabilimento, Caſtrum & Civitas Mariemburg cum duabus inſulis, magna videlicet & altera parva, quæ dicitur Fiſchan Woyſchowerder, & cum integritate lacus Drauſſen, & cum ſuis omnibus piſcaturis, piſcatoribus & villis, & cum Diſtrictu Szarpaw, & omnibus aliis attinentiis & villis ſuis, eo tamen excepto, quod villæ Aldenoff & Kleppyn, quæ pertinent ad Holandh, Kulborn & Hohendorff, quæ ultima ſola Militarium eſt, & pertinet ad Preuſemerk, habeant facultatem in lacu Drauſſen piſces pro ſuo beneplacito piſcandi juxta morem antiquum. Item Caſtrum & oppidum Sthum cum omnibus antiquis ſuis juribus, cohærentiis & pertinentiis univerſis. Item Civitas Elbing utraque vetus & nova, cum diſtrictu villarum, limitibus & jure, & cum oppido Tholmyth & ejus diſtrictu & ſuo officio ſylvarum & nemorum, alias Valdapth, & cum ſex villis tenutæ & Caſtri Holanth, videlicet Pylonen, Myslothyno, Barthkoin, Kamensdorff, Weklicz, Preuſchenmark, cum quinque villis, quæ ad oppidum & diſtrictum Melchawſze pertinebant, videlicet magna Staban, parva Staban, Schonemor, Pomerendorff & Volſzdorff.

Item oppidum & diſtrictus Kriſchburg alias Dzirgon, cum ſuis libertatibus, Militaribus, Nobilibus, Vaſallis, villis, lacubus, molendinis & caſtro, ita tamen, quod demoliatur caſtrum, & cum pertinentiis ejusdem univerſis, incipiendo ab uno latere oppidi prædicti Krichsburg, & deſcendendo fluvium Szyrgiæ uſque ad lacum Drawſſen, Curia tamen Dolleſtheth cum ipſius molendino apud D. Magiſtrum & Ordinem remanente; ab alio vero latere dicti oppidi aſcendendo & tranſeundo uſque ad finales granicies dicti oppidi Kriſchburg & villæ Huldenſtadt mutuo ſe contingentes: eadem villa a ſiniſtris in ditione noſtra & Ordinis remanente, abinde vero directius eundo ad Eccleſiæ Pomezanienſis fines proximiores, ubi omnia & ſingula ſub dictis finibus ad partem caſtri noſtri Mariemburg conſiſtentia, villa Manſterburg iterum in parte D. Magiſtri & Ordinis remanente cum curiis, allodiis, & quibuscunque aliis pertinentiis ad dictum caſtrum noſtrum Mariemburg ſpectabunt & pertinebunt; cætera vero alia omnia & ſingula ad Cameratum & generaliter ad diſtrictum Kriſchburg usq; in præſens pertinentia pari modo cum oppidis, curiis & allodiis, militaribus, terrigenis, villis, piſcaturis, aquis, nemoribus, & aliis ſingulis pertinentiis ſpectabunt ad caſtrum D. Magiſtri & Ordinis Preuſchenmarck perpetuo & in ævum pro Nobis Regibus & Regno Poloniæ remanebunt, ita, quod caſtra, civitates, oppida, diſtrictusque prædicti ex nunc & de cætero vigore præſentis unionis & fœderis ad jus, proprietatem, ſortem & titulum Regni Poloniæ pertinebunt et ſpectabunt, pertinereque & ſpectare debent perpetuo & in ævum.

Anno 1466.

Dominus quoque Magiſter Ludovicus, Commendatores et Conventus prædicti pro ſe et ſuis Succeſſoribus, caſtris, civitatibus, oppidis, inſulis, lacubus, piſcaturis, piſcatoribus, cameratibus et officiis prædictis, ac illorum diſtrictibus et villis, perpetua et irrevocabili renuntiatione, de certa et expreſſa ſcientia, juri quoque, ſorti, proprietati, titulo et dominio quomodocunque, et ex qualicunq; cauſa, Domino Magiſtro, Commendatoribus, Officialibus et Ordini ſuis in illis competentibus, per ſuas patentes literas, cedet er renuntiabit, et omne jus, quod eidem Domino Magiſtro, Commendatoribus et Ordini ipſius in caſtris, civitatibus, oppidis, inſulis, lacubus, piſcaturis, diſtrictibus et villis prædictis quomodolibet competiit, vel competere potuit, in Nos Casimirum Regem, Succeſſores noſtros Reges et Regnum Poloniæ, ſpontanee et de certa ſcientia, perpetuo transtulit et applicavit.

Milites quoq;, Nobiles, Vaſallos, Terrigenas et Cives, et quoslibet ſubditos Eccleſiaſticos et ſæculares præfatorum diſtrictuum, terrarum, civitatum et locorum ab omni fidelitate, juramento, ſubjectione, homagio et qualibet ſponſione abſolvet, dimittet et relaxabit. Cætera vero caſtra, civitates, diſtrictus, fortalitia, villas et dominia in Terris Pruſſiæ, tam in terris quam in aquis conſiſtentes et conſiſtentia, videlicet Kunygsberg caſtrum cum tribus civitatibus, item caſtra et oppida Lochſteth, Wargien, Gyrmau, Poboton, Rudau, Schoken, Kaimen, Kremiten, Waldau, Tapiau, Tapelauken, Narbeckten, Inſterburg, Allenburg, Wonsdorff, Gyrdauen, Angyrburg, Nordenborg, Labiaw, Laukiſchken, Tylzath, Ragnyth, Roſſipten, Wynthborg, Memel, Brandenborch, Crewczeborgk, Pridelantb, Barthen, Leczen, Balga, Heylygenbeil, Synthen, Landzberg, Preiſcheilau, Bartenſtein, Seſteen, Zegensborg, Rain, Raſtenborg, Lycke, Johannsburg, Holand, Lybeſtath, Molhuſen, Morung, Paſenheym, Orteisburg, Oſterrode, Hoenſteen,

Anno 1466. enſteen, Naydenburch, Soldau, Ligenburg, Dewczeilau, Preuſemarg, Lybemole et Salefelth, quæcunque alia caſtra, civitates, oppida, diſtrictus, territoria et villas cum eorum ſubditis, Militibus, Terrigenis et Vaſallis, aquis, nemoribus, lacubus, et aliis pertinentiis univerſis, quibuscunq; cenſeantur nominibus, Dominus Magiſter, Commendatores, Conventus et Ordo perpetuo et in ævum, quiete et pacifice, abſque omni noſtro et Succeſſorum noſtrorum Regum, et Regni Poloniæ impedimento, perturbatione et moleſtatione, poſſidebit, et illorum plenum habebit uſum et dominium. De quibus quidem caſtris, civitatibus, oppidis, terris, diſtrictibus, villis, militibus, terrigenis et vaſallis, de illorum quoque jure, titulo, proprietate, ſorte et dominio, quod Nobis et Regno noſtro Poloniæ quomodolibet, et ex quacunque cauſa competiit, vel competere potuit, Nos Casimirus Rex præfatus, de certa et expreſſa ſcientia, pro Nobis et Succeſſoribus noſtris Regibus, et Regno Poloniae, ſponte et deliberato animo, praefato Domino Magiſtro, Succeſſoribus ſuis Magiſtris, Commendatoribus, Conventui et Ordini in Terris Pruſſiae cedimus et renuntiamus, ac omne jus, quod Nobis, Succeſſoribus noſtris Regibus et Regno Poloniae, ex emptione, et quibuscunque aliis cauſis in praefatis caſtris, civitatibus, oppidis, terris, diſtrictibus, villis, militibus et vaſallis quomodolibet competiit, in Dominum Magiſtrum, Succeſſores ſuos, Commendatores, Conventum et Ordinem per renuntiationem et ceſſionem perpetuam et irrevocabilem transferimus, et illud ipſis ſponte, libere et de certa ſcientia applicamus, et omnes Milites, Vaſallos, Nobiles, Terrigenas, Cives et quoslibet ſubditos Eccleſiaſticos et ſaeculares terrarum et locorum prædictorum ab omni fidelitate, juramento, ſubjectione, homagio et qualibet ſponſione abſolvimus, dimittimus, et præſentium tenore relaxamus. Epiſcopatus inſuper et Eccleſia Sambienſis cum ſuis caſtris, civitatibus, oppidis, videlicet Fiſchauſen, Tirenberg, Labelau, Powden, Jürgemborg, Zalau et Neuenhauſs, et cum omnibus vaſallis, villis, et pertinentiis ſuis univerſis, ſub ditione Domini Magiſtri et Ordinis ſui perpetuo conſiſtet et remanebit. Item ordinamus et ſtatuimus, quod ſuper omnibus piſcaturis, Cutle vulgariter appellatis, ſub præſentia Capitanei noſtri Mariembergenſis et Factoris Domini Magiſtri ab eo deſtinandi in Caſtro noſtro Mariemborg annis ſingulis in magna Feria quinta debeat fieri arendatio, et literæ ſuper omnibus Cutlis ſub noſtro et Domini Magiſtri Signetis arendatoribus debeant dari, et medietas pecuniarum ex hujusmodi arenda provenientium Nobis debeat cedere, altera vero medietas Domino Magiſtro et Ordini provenire, jure Epiſcoporum Varmienſium, et Sambienſium et Capitulorum eorundem, cæterarumq; perſonarum et locorum, libertatem ex antiquo Cutlorum habentium, per omnia ſalvo; quibus literas ſuper Cutlis præfatis, et quantitate illorum, et abſque omni pecunia libere volumus concedi. Anno 1466.

Item ne pax ipſa, fœdus et unio tanta maturitate concluſa et firmata, poſſit impoſterum humana malignitate infringi, aut aliquibus fallaciis, dolis et ingeniis violari, Nos quoque Casimirus Rex, Succeſſores noſtri et Regnum Poloniæ, Prælati, Principes, Barones et ſubditi Regni ejusdem, de Domino Magiſtro, Commendatoribus et Ordini Pruſſiæ, Prælatis, Militibus et ſubditis ſuis, D. quoq; Magiſter, Succeſſores ſui, Commendatores et Ordo, Prælati, Milites et ſubditi ſui Pruſſiæ de Nobis, Regibus et Regno Poloniæ, Prælatis, Principibus, Baronibus et ſubditis ejusdem, plenam confidentiam et ſecuritatem omni hoſtili reſpectu in praeſens et in poſterum depoſito, teneamus; Nos Casimirus Rex Poloniæ prædictus, præfatum Dominum Ludovicum Magiſtrum, Commendatores ſuos et Ordinem in Pruſſia, omnesq; eorum Succeſſores in noſtrum et Regni noſtri Poloniæ Principem, Conſiliarium perpetuum: Commendatores vero principaliores, quos Dominus Magiſter et Succeſſores ſui pro tempore duxerint deputandos, in Conſiliarios noſtros et Regni noſtri, et in noſtram ac Regni Poloniæ protectionem, ſubjectionem et defenſionem perpetuo duraturam aſſumimus, pollicentes in verbo noſtro Regio, et ſub fide præſtiti juramenti, pro Nobis et Succeſſoribus noſtris Regibus et Regno Poloniæ, quod præfatum Dominum Magiſtrum, Commendatores et Ordinem, Prælatos, Milites, Vaſallos et ſubditos ſuos in Pruſſia, eorumque Succeſſores affectione Regia tractabimus, honorabimus et diligemus, ipſumque Dominum Magiſtrum, Commendatores et Ordinem, Succeſſores, Prælatos, Milites, Nobiles, Cives, ſubditos et terras eorum, velut Principis Conſiliarii et unitorum noſtrorum in eorum juribus, libertatibus, privilegiis, munimentis et limitibus, quæ præſenti unioni et fœderi, aut ejus articulis et conditionibus non contrariantur, conſervabimus, ab univerſis quoque eorum hoſti-

Anno 1466. hoſtibus, vexatoribus et impugnatoribus in Terris eorum prædictis Pruſſiæ tuebimur et defendemus. Tenebitur quoq; præfatus D. Ludovicus Magiſter et quilibet Succeſſor ſuus in Officium Magiſterii aſſumptus et aſſumendus poſt ſex menſes a die aſſumptionis in Magiſterium, ſe Nobis et Succeſſoribus noſtris perſonaliter repræſentare, et illis pro ſe, Commendatoribus et Terris Pruſſiæ, Nobis et Succeſſoribus noſtris Regibus et Regno Poloniæ præſtare debitæ fidelitatis, de obſervanda præſenti pace, ac nunquam petenda abſolutione ſeu relaxatione juramenti, nec uti conceſſa aut concedenda, juramentum, ac in noſtra Casimiri Regis, noſtrorumque Succeſſorum Regum Poloniæ, ſiniſtra parte primarium habere locum et ſeſſionem, quem quidem D. Ludovicum Magiſtrum ſuosque Succeſſores, Commendatores, Prælatos, Milites, Vaſallos, Conventum et ſubditos, Terrasq; omnes Pruſſiæ ab eis nunc poſſeſſas et impoſterum poſſidendas, conquiſitas et conquirendas, etiam in Terris paganorum extra Terras Pruſſiæ, Nobis et Regno noſtro Poloniæ perpetuo connectimus, jungimus, unimus et inviſceramus, ea conditione et reſpectu, ut præfatus D. Ludovicus Magiſter, ſui Succeſſores, Commendatores et Conventus, Praelati, Barones, Milites, Terrigenae et perſonae ſingulae, tam Eccleſiaſticae quam Saeculares, et omnes Terrae eorum atque homines in illis degentes in Pruſſia ſint amplius et de caetero Nobiſcum, Succeſſoribus noſtris Regibus, et cum Regno noſtro Poloniae unum et individuum corpus, una gens, unus populus in amicitia, fœdere et unione, nullum alium, praeter Summum Pontifieem, quam Nos Casimirum Regem, Succeſſores noſtros Reges et Regnum Poloniae pro ſuo Capite et Superiore recognituri. Teneantur inſuper et ſint obligati Nos, Succeſſores noſtros Reges et Regnum Poloniae ſive in proſperis ſive in adverſis nunquam deſerere, ſed Nobis et Succeſſoribus noſtris Regibus et Regno Poloniae contra omnes hoſtes et adverſarios noſtros, et Regni noſtri Poloniae more aliorum Praelatorum, Principum et Baronum Regni aſſiſtere, Noſque et Regnum Poloniae in noſtris guerris, et in adverſitatibus eorum, potentiis, conſiliis, auxiliis et ſuffragiis opportunis adjuvare, nec ſine noſtro et Succeſſorum noſtrorum Regum Poloniae: Nos quoque et Succeſſores noſtri Reges Poloniae ſine Magiſtri, Succeſſorum, Praelatorum, Commendatorum et Militarium ſuorum Pruſſiae, ſpeciali et expreſſo conſilio, voluntate et conſenſu, cum quibuscunq; perſonis, quacunq; praefulgeant dignitate, celebrabimus, ſtatuemus aut firmabimus aliqua fœdera, inſcriptiones vel contractus, publice vel occulte, per ſe vel ſubmiſſas perſonas: Sed nec Dominus Magiſter, Commendatores, eorumque Succeſſores, bella aliqua contra Catholicos ſine noſtro et Succeſſorum noſtrorum Regum et Regni Poloniae ſpeciali movebunt conſenſu. Anno 1466.

Forma autem juramenti, ſub qua Dominus Ludovicus Magiſter, et Succeſſores ſui Magiſtri Nobis Casimiro Regi et Succeſſoribus noſtris Regibus et Regno Poloniae jurare tenebuntur, talis erit:

Ego Ludovicus *Magiſter Generalis Ordinis S. MARIÆ Theutonicorum, Princeps & Conſiliarius Regni Poloniæ, juro, quod ab hac hora & deinceps, fidelis ero Sereniſſimo Principi Domino* Casimiro *Regi, & Succeſſoribus ſuis Regibus & Regno Poloniæ, & profectum illorum fideliter procurabo, & negotiis Regis & Regni fideliter conſulam, & ſecreta, quæ mihi qualitercunque communicata fuerint, in eorum detrimentum nulli pandam; pacem inſuper præſentem in omnibus ſuis conditionibus & articulis obſervabo & cuſtodiam, ſic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta Chriſti Crux.*

Item ut per praeſentis Pacis unionem et fœderis, ſingula odiorum et irritamentorum nubila poſſint funditus evelli, cum praefato Domino Ludovico Magiſtro, Commendatoribus ſuis et Conventu pro bono pacis devenimus, et illud inter Nos concordavimus, quod Epiſcopatus et Eccleſia Culmenſis ad Eccleſiam Gneſnen. redeat, ac a modo et deinceps praefatae Gneſnenſi et Polonae Eccleſiae, ut et tanquam principali, ſit in omnibus obediens et ſubjecta de regulari in ſaecularem, favore et auctoritate Summi Pontificis, ae quod jam Dominus Ludovicus Magiſter, et Commendatores praedicti ſuum expreſſum praeſtiterunt et praeſtabunt conſenſum transferenda, quae etiam cum ſua Diœceſi et omnibus caſtris, civitatibus, oppidis et munitionibus ſuis, videlicet Chelma alias Culmenſch, Lubawa alias Lobaw, Kurzalthnik alias Kurnik, Varmbrzezno alias Fredeke, et omnibus diſtrictibus, Nobilibus, vaſallis, villis, et pertinentiis ſuis univerſis, ſub noſtra, Succeſſorum noſtrorum Regum et Regni Poloniæ conſiſtet perpetua ditione, patrocinio et defenſa.

Item concordavimus de praedicti Domini Ludovici Magiſtri, Commendatorum ſuorum, et Conventus ſpeciali annuentia et expreſſo conſenſu, quod Var-

mien.

Anno 1466. mienſis Eccleſia et ejus Pontifex pro tempore cum ſuo Venerabili Capitulo Varmienſ. ex nunc & de eætero cum omnibus ſuis caſtris, civitatibus, oppidis & munitionibus, videlicet Helsberg, Braunsberk, Varmidth, Szeburg, Vartenberg, Reſzchel, Biſchofsteyn, Aleſteyn, Guthſtath, Melizak, Frawenburg & Biſchofsburg, cum omnibus diſtrictibus, Nobilibus & Vaſallis, villis, pertinentiis & attinentiis ſuis, in noſtra & Succeſſorum noſtrorum Regum & Regni Poloniæ ditione, ſubjectione & protectione conſiſtent, & Dominus Ludovicus Magiſter, ſui Succeſſores, Commendatores & Ordo ejus ditioni, ſubjectioni & protectioni expreſſe renunciant, & omne jus, quod ipſis in prædicta Eccleſia, Epiſcopatu & Capitulo Varmienſi quomodolibet hactenus competebat, in Nos Casimirum Regem, Succeſſores noſtros Reges & Regnum Poloniæ plenarie transfundunt, & transfundere teneantur.

Item concordatum & conventum eſt de ſpeciali præfati Domini Ludovici Magiſtri, Commendatorum ſuorum, & Conventus comprobatione & conſenſu, quod Venerabilis Vincentius Kielbaſa, Conſiliarius & Secretarius noſter dilectus, ad Eccleſiam præfatam Culmen. per Nos nominatus, & ad eandem noſtra interceſſione promovendus, Eccleſiam et Sedem Pomezanienſis Epiſcopatus a deditione Domini Ludovici Magiſtri & ſui Conventus, quamvis hactenus in capite & in membris regularem, in Commendam ad vitæ ſuæ duntaxat tempora per diſpoſitionem & ordinationem Apoſtolicam habeat, & illam cum ſuis caſtris, civitatibus, fortalitiis, videlicet Prabuth alias Reſſenburg, Quidzyn alias Marieverder, Biſkupice alias Byſchowffwerder, Kyſſelicz alias Freyſtadt, Schonenbergk alias Gardzin, & Roſemberg, cæterisque ejus diſtrictibus & pertinentiis obtineat, ipſamque in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtret, Eccleſia prædicta Pomezanien. remanente nihilominus cum ſuis membris interim regulari: præfato autem Vincentio Kielbaſa morte abſumpto, ad præfatam Eccleſiam Pomezanien. regularis perſona dicti Ordinis, in Pontificem eligetur & ſubſtituetur, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ gratia & favore ad id accedente, gaudebitque noſtra protectione, conſiſtens ſub Magiſtri & Ordinis tam religione quam ditione.

Item quoniam poſt ſedatos fluctus bellicæ tempeſtatis, nulli magis Nos primum convenit, quam Eccleſiis & earum Miniſtris compati & commiſereri, quatenus Supremus Sedator uberiorem firmitatem paci conditæ infundat; quocirca ordinamus & decernimus & ſtatuimus, quatenus omnia caſtra, fortalitia, civitates, oppida, caſtella, munitiones, Eccleſiarum loca & villæ, & ſignanter Framburg, Varmyth, Vartemberg, Melzak, Lubaw, Prabuty alias Reſemburg, Gwidzyn alias Mariewerder, & Schomberg, quomodolibet a Nobis & noſtris, ac præfato Domino Ludovico Magiſtro, Commendatoribus & Conventu ſuis poſſeſſa, occupata & incaſtellata, quocunque nomine vocitentur, ſuis Pontificibus, Capitulis, Prælatis, Abbatibus, Monaſteriis, & ſignanter Varmien. Culmen. Pomezanien. & Sambien. Eccleſiis, Epiſcopis & Capitulis, tam Cathedralibus quam Conventualibus, Collegiatis, Hoſpitalibus, absque aliqua contradictione, diminutione, depactatione, ſolutione vel areſto, cum omni ſua ſuppellectili, bombardis, ornamentis & pertinentiis univerſis, infra hinc & Feſtum Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ proxime venturum reddantur viceverſa. Omnesque Pontifices, Abbates, Capitula, Prælatos, Præpoſitos & Canonicos, Curatos, & alios Beneficiatos, qui non ſunt de Ordine prædicto, in eorum loca, jura, libertates & poſſeſſiones, quæ & quas ante motam guerram poſſederant, reſtituimus, & tenore præſentium reintegramus, exceptis caſtris & civitatibus prædictis, iin Feſto prædicto Beati Joannis Baptiſtæ reſtituendis. Quod ſi Curati Nobis aut præfato Domino Magiſtro, aut civitatibus vel oppidis ingrati vel ſuſpecti ſint, permittatur, quod permutent, aut Vicarios idoneos conſtituant, aut penſionem honeſtam, auctoritate Superioris reſervandam, dimiſſo atque renuntiato titulo, ſuſcipiant.

Item omnes captivos in præſenti guerra per Nos Casimirum Regem, Duces Maſoviæ & Stolpen. Epiſcopum & Capitulum Varmien. gentes noſtras, coadjutores & adhærentes captos, ſive ſint depactati ſive non, ab omni captivitate & ſponſione, vigore præſentis fœderis abſolvimus, & tenore præſentium relaxamus, quæ abſolutio & libertas per Dominum Ludovicum Magiſtrum, ſuos Præceptores, Capitaneos & Officiales, noſtris & omnium noſtrorum coadjutorum & adhærentium, & ſignanter captivis Dominorum Ducum Maſoviæ & Stolpen. ac Reverend. Patris Domini Pauli Epiſcopi & ſui Capituli Varmienſis, ſive depactatis ſive non, quocunque vocitentur nomine, nullo excepto, debet præſtari & impendi, nec depactati aut taxati debent obligari ad aliquam ſolutionem promiſſam, quæ nondum eſt ſoluta, etiamſi de-

Anno 1466. depactati dediſſent pro ſe de ſolutione aliquam cautionem. Item ordinamus & ſtatuimus, ut omnes mercatores, tam Regni noſtri Poloniæ, Principatuum, Terrarum & Dominiorum noſtrorum, & Regni ac Epiſcopatus, Capitulique Varmien., quam Terrarum Pruſſiæ in ditione Domini Ludovici Magiſtri & Ordinis ſui conſiſtentes, ſint ubique in terris & in aquis tuti & ſecuri, & nullæ illis moleſtiæ inferantur, nec cogantur, niſi ſolitis & veteribus ſtratis, itineribus & locis ambulare, aut ad aliquam civitatem, caſtrum & locum, ſub prætextu cujuscunque conſtitutionis vel edicti, cum rebus & mercibus ſuis, cujuscunque maneriei exiſtant, de cætero applicari, præterquam in Kynsberg, juxta conventionem deſuper factam, ſuper qua ſpeciales a Nobis literæ emanarunt. Item quoniam per mercatorum induſtriam, & rerum venalium importationem Reſpublica notabile accipere conſuevit incrementum: ſtatuendo decernimus & ſpondemus, quod nulla telonea, depoſita, gabellas, foralia, ſive quaſcunque alias cenſuationes, locis, & perſonis in Regno noſtro, Principatibus & Dominiis noſtris & Regni noſtri imponemus de novo, aut imponi permittemus, tam in terris quam in aquis, ſed tantummodo utemur impoſitis, quod idem Dominus Magiſter Ludovicus, Succeſſores ſui, Commendatores & Conventus in Terris Pruſſiæ ſuis obſervabunt. Item ut charitatis & unionis amplior certitudo inter Nos Casimirum, Succeſſoresque noſtros Reges & Regnum Poloniæ, Principatus, Terras & Dominia noſtra, & Regni ejusdem ſubditos & adhærentes parte ab una, & Dominum Ludovicum Magiſtrum, Succeſſores ſuos, Commendatores atque Ordinem in Pruſſia a partibus altera, jugiter et inconcuſſe perpetuo perſeveret, ſtatuimus et ordinamus, quod deinceps et a modo ad Ordinem S. Mariæ Theutonicorum prædictum in Terris Pruſſiæ conſiſtentem, perſonæ idoneæ et Ordinis capaces etiam ex ſubditis quibuscunque Regni noſtri Poloniæ, Principatuum, Terrarum et Dominiorum ejus aſſumantur, ita tamen, quod ultra mediam partem aſſumere de illis non teneantur, et in diſtribuendis Commendariis et Officiis Ordinis juxta dictam medietatem Magiſter et Commendatores teneantur ad illos bonum habere reſpectum. Magiſter vero eligetur vir magis utilis et idoneus ſecundum Regulam Ordinis et inſtituta. Qui cum ſit noſter et Regni Poloniæ Princeps et Conſiliarius, non debebit ſine ſuo demerito et noſtro ſcitu per Commendatores et Conventum a Magiſtratu amoveri. Item ut hujusmodi pacem perpetuam, unionem et concordiam ſub certiori attentione, firmitate et robore cuſtodiamus, promittimus ſine dolo et fraude, ac ſub onere praeſtiti juramenti, quod ad nullius viventis hominis auctoritatem et poteſtatem, etiam quacunque præfulgeat dignitate, Papali, Imperiali, Regali, Ducali, aut cujuscunque Congregationis legitimae, Perſonarum Eccleſiaſticarum aut ſaecularium ad impetrandum praeſentis pacis, fœderis et contractus, in toto vel in parte, expreſſe, manifeſte vel occulte, per ſe, alium vel alias quascunque ſubmiſſas perſonas, ſpirituales vel ſaeculares diſſolutionem, ruptionem, caſſationem aut irritationem recurrimus, aut recurſum habere poterimus, aut Nos induci, perſuaderi, requiri, vel Nobis mandari ad violationem praeſentis pacis et fœderis per aliquam poteſtatem Papalem, Synodalem, Imperialem, Regalem, Ducalem promittemus, neque impetrabimus abſolutionem aut relaxationem juramenti praeſtiti, neque utemur impetrata, aut etiam motu proprio conceſſa vel concedenda, et ſi contrarium fecerimus, cenſebimur fœdifragi et perjuri. Item, quod ſubditi Domini Ludovici Magiſtri, ac Terrarum praedictarum ſuarum Pruſſiae, undecunque et cujuscunq; gradus, ſtatus et conditionis fuerint, qui cauſa negotiationis, vel alia ad Terras quascunque noſtras, Regni noſtri, Principatuum et Dominiorum praedictorum venerint, per Nos Principes, Barones, ſubditos, ſive etiam extraneos, cujuscunque ſtatus vel gradus fuerint, impediri, conveniri vel arreſtari non debent: Sed in Pruſſia ſi quid actionis habuerint, actores juxta Terrarum jura municipalia illos conveniant, et querelae hujusmodi ſopiantur. Delinquens tamen in loco delicti deprehenſus, et contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri; ſed ſi de loco, ubi contraxit, receſſerit publice vel occulte, coram Judice ſuo conveniatur. Anno 1466.

Item ordinamus, quod ubicunque quis reperiat ruſticos vel colonos ſuos, qui propter guerras aut alias ab eo receſſerunt, poſſit eos repetere, qui et ſibi dimitti et reſtitui debent, cum eos requiſierit.

Item quod nullus mercator ſeu alius homo, cujuscunque conditionis exiſtat, aut bona ipſius propter delictum ſeu debitum alterius areſtentur, moleſtentur, turbentur, nec etiam captivetur.

Item ſi vectores aut aurigae, bona ſeu merces mercatorum pro pretio ducentes, te-

Anno 1466. telonea ſeu datiarum loca praeterierint, ipſi duntaxat in eorum rebus et equis ſuis propriis puniantur, et quod praeterea bona mercatoria non debent occupari nec detineri.

Item ſi per aliquem ſubditum aut indigenam alicujus noſtrum inſcriptioni ſeu paci perpetuae praeſenti fuerit in aliquo derogatum et contraventum, utpote ſi rapinae, ſpolia, incendia, vaſtationes, praedae vel homicidia, vel aliqua maleficiorum genera in terris et dominiis noſtris alterutrum perpetrata fuerint et commiſſa, propterea dicta pax et unio caſſari et irritari non debebit, ſed in ſuo robore et firmitate permanebit. Nec propter hoc Pars, cujus ſubditus hujusmodi maleficium commiſerit, cenſebitur fore dejerans et perjurans; praedicti autem delinquentes et malefactores pro ipſorum exceſſibus per Capitaneum ſive Officiales utriusque noſtrum judicialiter punientur, et ad ſatisfactionem plenam et debitam arcebuntur et compellentur. Item promittimus tenore praeſentium, et ſpondemus in verbo noſtro Regio, et ſub onere praeſtiti per Nos juramenti pollicemus, quod ad occupandum terras, caſtra, civitates, oppida, villas, et quaecunque loca D. Magiſtri et Ordinis, et omnium ſubditorum ſuorum ſub ejus ditione conſiſtentium, tam Eccleſiaſticorum quam ſaecularium, nullo unquam tempore aſpirabimus, quinimo, ſi aliquo caſu per quemcunque hoſtem aut inſidiatorem Magiſtri et Ordinis caſtrum aliquod, civitas vel fortalitium fuerint dolo, fraude vel violentia intercepta, occupata vel incaſtellata, quod Deus auferat, nullatenus debebimus aut poterimus caſtrum, civitatem, fortalitium aut loca ſic intercepta occupata vel incaſtellata, etiamſi ſponte vel ultronee illius vel illorum Nobis offeratur deditio, quomodolibet et ſub quocunque colore ſuſcipere, ſed tenebimur et adſtringemur ad conquiſitionem et recuperationem cujuslibet caſtri, civitatis, et fortalitii ac loci incaſtellati in Terris Culmenſi, Pomeraniae et Pruſſiae, intercepti, occupati, expugnati et incaſtellati, per Nos et noſtras potentias, una cum potentiis D. Ludovici Magiſtri, Commendatorum et Terrarum ſuarum conſurgere, et de manibus hoſtilibus eripere, ac in poteſtatem et ditionem Domini Ludovici Magiſtri et Ordinis reſtituere univerſa.

Item tenebimur Nos Casimirus Rex, caſtra et civitates Hollandt cum diſtrictu et oppido Melhawzen et Cameratu Burdawen, item Paſzencheim et Nindemburg, quae hactenus fuerunt in noſtra poſſeſſione, Domino Ludovico Magiſtro, Commendatoribus et Ordini ſuo dimittere, et illos cum omnibus eorum pertinentiis infra hinc et Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtae proxime venturum tradere in effectualem et expeditam poſſeſſionem, ſex villis de diſtrictu et Capitaneatu Holland, et quinque villis de diſtrictu Melhawſen ſuperius deſcriptis duntaxat exceptis, quae de caetero ad Nos et ad noſtram Regiam Civitatem Elbingenſem perpetuo pertinebunt. Sive autem de manibus noſtris et noſtrorum ex noſtra ceſſione, ſive etiam aliis quibuscunque modis, praefata caſtra et civitates in manus et poteſtatem Domini Magiſtri aut ſui Conventus devenerint, quod per hoc huic articulo Nos Casimirus Rex cenſebimur ſatisfeciſſe. Proviſo et etiam ante omnia ſalvo, quod praedictus Dominus Ludovicus Magiſter, Commendatores ſui et Conventus praedictarum civitatum cives et ſubditos benigne ſuſcipiet et tractabit, et omnem offenſam ex corde illis nunquam verbo vel facto ipſam reminiſcendo dimittet, et de bonis ac vita illos per ſpeciales ſuas Commendatorum et Conventus literas in manus noſtras tradendas aſſecurabit: jura eorum, libertates et immunitates, antiqua et antiquas duntaxat confirmando, quod idem et Nos Casimirus Rex de civibus et ſubditis civitatum et caſtrorum Chelm, Brodnicza, Noviſori, Chriſtburg, Sthum, Brathian, et Althaus alias antiquum Caſtrum, cum univerſis ſuis diſtrictibus et pertinentiis, ſalva diſpoſitione de Criſtburg ſuperius expreſſa, quorum Nobis Dominus Ludovicus Magiſter, Commendatores et Conventus infra hinc et Feſtum S. Joannis Baptiſtae praedictum effectualem et expeditam dimittere tenebitur poſſeſſionem, facere obligamur.

Volumus autem, quod omnes venditiones, donationes, alienationes libertationes et inſcriptiones inde et ſuper oppidis, villis, caſtris, quae Nos Rex Casimirus dicto Domino Magiſtro et Ordini prout ſupra aſſignare tenemur, hujusmodi guerris durantibus, quovis modo factae ſint caſſae, irritae et nullae, quas et ſic ex noſtra certa ſcientia caſſamus, irritamus et annullamus.

Item ordinamus, quod omnes profugi, ſpoliati, exules, militares videlicet Nobiles et Terrigenae, tam de Regno noſtro Poloniae, Ducatibus, Dominiis noſtris et Regni noſtri, et Epiſcopatus Varmienſis, quam de Terris Domini Magiſtri et Ordinis praedicti quibuscunque, poſſint redire ad propria, et de bonis Anno 1466.

Anno 1466. nis ſuis dimiſſis diſponere pro beneplacito ſuae voluntatis, ad quorum quietam et plenam poſſeſſionem tenebimur illos aut proximiores illorum admittere et defendere admiſſos, non obſtante quod hujusmodi bona eorum per Nos aliis quibuscunque perſonis ſint ad vitam, aut ad tempus, vel in perpetuum obligata, donata vel inſcripta, quas quidem obligationes, donationes, venditiones et inſcriptiones caſſamus et irritamus, revocamus et annullamus, nulliusque roboris eſſe volumus per praeſentes. Tenebimurque Nos et Succeſſores noſtri illos habere in gratia et favore, nec unquam verbo aut facto eorum commemorare hoſtilitates, nec de illis unquam aliquam ſumere ultionem, per Nos vel ſubmiſſam perſonam, publice vel occulte, directe vel indirecte, aut quovis quaeſito colore: quibus etiam plenam damus licentiam de terris et dominiis noſtris, ad terras Ordinis ratione incolatus ſe transferre, et bona ſua mobilia et immobilia vendere, donare, commutare, obligare, et de eis libere diſponere pro ſuo arbitrio, beneplacito et voluntate. Cives autem utriusque Partis, qui de civitatibus et oppidis expulſi vel banniti fuerunt, aut alias ab eis publice vel occulte receſſerunt, debent ad illas et illa readmitti, bona quoq; eorum, quae ante inchoationem hujus dietae vendita vel donata aliis non ſunt, debent eis reſtitui. Etſi ad domos vel bona vendita aut donata reditum habere velint, dato pretio per emptorem expoſito, aut quod pro donatis per Conſulatum loci taxabitur, reſtitui debent eisdem, ſalvo etiam eo, quod poſſeſſores in aedificiis vel aliis oneribus occaſione dictorum bonorum expoſuerunt, quod ſimiliter juxta dictamen Conſulatus loci reſtituere debent, antequam hujusmodi domus ipſis vel bona reſtituantur.

Item ut praeſentis pacis, fœderis et unionis concluſio abundantiori cautela cuſtodiatur, per Nos, Praelatos, Duces, Barones, Conſiliarios et ſubditos noſtros ordinamus, quod omnes Epiſcopi, Principes, Palatini, Caſtellani, et caeteri Barones Regni noſtri, officia Magiſtratus et Capitaneatus in Regno noſtro obtinentes, item et Magiſtri civium, Conſules civitatum Regni noſtri praedicti, videlicet Cracovien. Posnanien. Sendomir. Caliſſien. Leopolien. Thorunen. Gdanen. Elbing. Brunsbergen. tam moderni, quam illis in Pontificatibus, Principatibus, Magiſtratibus, Capitaneatibus et Officiis quomodolibet ſuccedentes praeſentem pacem in omnibus ſuis articulis cuſtodire et ſervare per juramentum corporale ſe adſtringant, nec contravenire quacunque occaſione, neque diſpenſationem vel relaxationem juramenti petere, renuntiamus omnibus exceptionibus juris et facti. Anno 1466.

Item ut hujusmodi pacem perpetuam et concordiam ſub certiori attentionis firmitate et robore in omnibus ſuis capitulis, conditionibus, articulis atque punctis cuſtodiamus et obſervemus: et ut pax ipſa, fœdus ac unio ab omni ſuſpicionis genere ſit circumſcripta, pro illius ſubſiſtentia et robore adjicimus, quod Nos Casimirus Rex Poloniae, et praefatus D. Ludovicus Magiſter, Commendatores, Conventus et Ordo, per noſtros hincinde Factores et Procuratores, quos in ſolidum et irrevocabiliter praeſentium tenore conſtituimus, Reverendiſſimum videlicet Patrem Dominum Jodocum Epiſcopum Ozilien. et Magnificum, Venerabiles, Egregios, Nobiles et Circumſpectos Viros Joannem de Oſtrorog Militem, utriusque Juris Doctorem, Caſtellanum Miedzyrzecen. Magiſtrum Sandivogium Theologiae Profeſſorem, Praepoſitum Monaſterii Clodavien. Ordinis Canonicorum Regularium, Antonium de Furlivio Decretorum Doctorem, Camerae Apoſtolicae Clericum, Andream de S. Cruce, Antonium de Kafarellis Sac. Palatii Apoſtolici Advocatos, Bartholomaeum Kielbaſa Canonicum Gnesn. Magiſtrum Henricum Gurdeman Decanum Eccleſiae S. Andreae Colonien. Procuratorem cauſarum, Magiſtrum Fabianum Hanco Decretorum Doctorem, Canonicum majorem et Scholaſticum S. Crucis Vratislavien. Eccleſiarum, coram Summo Pontifice Domino noſtro Sanctiſſimo Papa confitebimur, profitebimur, recognoſcemus, et quilibet noſtrum profitebitur et recognoſcet praefatam unionem, fœdus, pacem et concordiam Nos ſpontanee, libere, ſincera voluntate, ſine dolo et fraude celebraſſe, ordinaſſe, confeciſſe et confirmaſſe, et omnes articulos, capitula, modos et ordinem, quibus pax ipſa et concordia confecta, conſummata, et regulata eſt, ad praefati Reverendiſſimi Domini Patris Rudolphi Epiſcopi Laventini, Apoſtolici Legati exhortationem, perſuaſionem, et mediationem, et de noſtra mente, ſcitu, voluntate, aſſenſu et beneplacito ultroneis proceſſiſſe, inſtabimusque, petemus, laborabimus, inſtareque, petere et laborare debemus et tenebimur ſine dolo et fraude, quatenus Sanctiſſimus Dominus noſter praeſentem unionem, fœdus, pacem et concordiam per interpoſitionem ſui ſpecialis Decreti, de certa Suae Sanctitatis ſcientia emanandi, et per Literas

Anno 1466. teras Apoſtolicas ſive Bullas in omnibus ipſius articulis, capitulis, modis, ordinationibus atque punctis acceptet, ratificet, & ad perpetuam rei memoriam confirmet, pœnam quoque & cenſuram, ad quam Nos ſubmittimus, adjiciat & apponat, in præſentis pacis, unionis & fœderis violatorem & transgreſſorem, & contravenientem, cum ſuppletione defectuum, ſi qui ſunt in præſenti fœdere, ordinatione & inſcriptione commiſſi: & cum derogatione Statutorum & conſuetudinum Ordinis, etiam juramento firmatorum, aut authoritate Apoſtolica vel Legatorum ejus, vel quacunque alia confirmatorum, quibus fortaſſe caveretur, quod in magnis & arduis rebus Ordinis, vocatio & conſenſus Magiſtrorum Alemaniæ & Livoniæ debeat intervenire, ac etiam cum caſſatione allegationis metus, qui per Magiſtrum, Commendatores, Conventum & Ordinem prætendi poſſit, cum ad pacem præſentem conficiendam, ad vocationem præfati Reverendiſſimi Patris Domini Rudolphi Epiſcopi Laventini, Legati Apoſtolici ſponte venerint, & in ſingulos tractatus, conditiones & concluſiones pacis, tanquam Nobis proficuas & utiles, ſuum ultroneum præbuerunt conſenſum.

Quam quidem concordiam, unionem & fœderis perpetui concluſionem Nos Casimirus Rex præfatus pro Nobis, Regni noſtri Succeſſoribus, & Ducibus Maſoviæ & Stolpen. ac Epiſcopo, Epiſcopatu ac Capitulo Varmienſi, adjutoribus, adhærentibus & ſubditis noſtris, de certa ſcientia in omnibus ejus articulis, conditionibus atque punctis approbamus, acceptamus, & præſentium tenore pro ſubſiſtentia perpetua emologamus, ſalvis aliis, quæ contra præſentem pacis & unionis ordinationem, ejus conditiones, articulos & capitula non ſunt præfati Domini Ludovici Magiſtri & ſui Ordinis juribus, libertatibus & privilegiis, quæ Nos Casimirus Rex præfatus pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ approbamus & confirmamus. In cujus rei teſtimonium noſtrum, & præfati Rev. Patris Domini Rudolphi Epiſcopi Laventini & Apoſtolici Legati ſigilla, cum manus propriæ ipſius Domini Rudolphi Legati & Notariorum publicorum ſubſcriptione ſunt appenſa.

Et Nos Joannes S. Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus & Primas, & Regni Poloniæ Cancellarius, Jacobus Vladislavienſis, Paulus Varmienſis eadem Gratia Epiſcopi, Lucas de Gorka Poſnanienſis, Stanislaus de Oſtrorog Caliſſienſis, Stiborius de Bayſen Gubernator Pruſſiæ, Petrus de Oporow Lancicienſ. Nicolaus de Koscielec Breſtenſis, Joannes de Koscielec Junivladislavienſis, Gabriel de Bayſen Culmenſis Palatini; Petrus de Szamotuly Poſnanienſis, Petrus de Gay Caliſſienſis, Joannes de Rytwiany Regni Poloniæ Mareſchalcus, Otho Machwicz Miles, Nicolaus Pilawſki Culmenſis, Petrus de Moſchczona Dobrzynenſis, Dobrogoſtius de Oſtrorog Camenecenſis, Joannes de Oſtrorog utriusq; Juris Doctor Miedzyrzecenſis, Sandivogius de Czarnkow Santhoczenſis Caſtellani; Stiborius de Poniecz Judex Poſnanienſis, Petrus Dunin de Prankowice Sandomirienſis, & Michaël de Laſlotki Lancicienſis, Succamerarii; promittimus & ſpondemus, quod Sereniſſimus Princeps Dominus noſter gratioſiſſimus Dominus Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ & Magnus Dux Litvaniæ, Rusſiæ, Pruſſiæ Dominus & Hæres, & ſui Succeſſores Reges Poloniæ præſentem concordiam & fœdus pacis perpetuæ atque conjunctionis cum Illuſtri & Magnifico Principe & Conſiliario Regni Poloniæ, Domino Ludovico de Erlichshausen, Magiſtro Generali Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum Hoſpitalis Jeroſolimitani prædicto initam, concluſam, affirmatam, cuſtodiet, attendet, obſervabit. Nos quoque Prælati et Barones prædicti cuſtodiemus, attendemus, obſervabimus, & implebimus in omnibus conditionibus, articulis, atque punctis, & in evidentiam præmiſſorum, ſigillorum noſtrorum appenſione præſentem Literam ordinavimus roborare. Actum & datum in Thorun die Solis decima nona Octobris, Anno Domini 1466.

Præſentibus Venerabilibus, Egregiis, Strenuis, Nobilibus & Spectabilibus Viris: Paulo de Glovina Decano Cracov. Petro Pniewy Præpoſito Vladislavienſi & Canonico, Jacobo de Schadek Decretorum Doctore, Præpoſito Premislienſi, & Joanne Długoſz Canonico Cracovienſi, Henrico de Oporow utriusq; Juris Doct. Archidiacono Gneſnenſi, Mathia de Raczanſz Canonico Vladislavienſi, Joanne Vinkler Decretorum Doctoribus, Paulo de Panczluwice, Joanne Offmann Clerico Bambergenſis Diœceſis, Licentiatis in Decretis, Joanne Stankonis Medicinæ Doctore, Canonico Vratislavienſi, Bernardo de Schomberg in Chelm, Joanne Skalſkim in Fravenburg, Georgio Sliven, Przewſchelaw Capitaneis, Joanne Szyling, Joanne Shimonis, & Philippo Vayſel de Sambia, & aliis quam plurimis fide dignis teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis

ANNO 1466. Et ego Rudolphus Dei Gratia Epiſcopus Laventinus, Sacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Sanctiſſimi Domini noſtri D. PAULI Divina Providentia Papæ II. ad Germaniam Legatus miſſus præfatus, quia præmiſſa omnia tractavi, concordavi, & dum per Partes acceptarentur, emologarentur & jurarentur, interfui, ideoque pro majori evidentia ac teſtimonio hic me manu propria ſubſcripſi, hujusmodi concordiam & fœdus perpetuum approbando, atque ratam & gratam habendo.

R. Laventinus Epiſcopus. *manu propria.*

(L.S.)

JOANNES EWICH *Not.*

Et ego Joannes Ewich de Allendar, Clericus Colonienſis Diœceſis, publicus Apoſtolica &Imperiali authoritatibus Notarius, praefatique Rev. in Chriſto Patrjs Domini, Domini Rudolphi Epiſcopi Laventini & Legati Apoſtolici ac coram eo Scriba, quia præinſertis concordiæ & perpetuæ pacis, ac articulorum & capitulorum, in eadem concordia expreſſorum, publicationi & inſinuationi Partium hinc inde, ejusdem concordiæ acceptationi & emologationi, exceptioni, renuntiationi,promiſſioni, & juramentorum præſtationi, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum, ſicut præmittitur, per prælibatum Dominum, Reverendiſſimum D. Rudolphum Epiſcopum Laventinum & Legatum Apoſtolicum, ac coram eo & per Sereniſſimum Principem Dominum Dominum CASIMIRUM Regem Poloniæ &c. & ſuos ex una, ac Magnificum Dominum LULOVICUM de ERLICHSHAUSEN Magiſtrum Generalem Ordinis Beatæ MARIÆ Theutonicorum, & etiam ſuos ab altera partibus, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula, prout in prætactis concordia & articulis continetur, fieri vidi & audivi, ideoque præinſertas Literas concordiæ & perpetuæ pacis, cum earum articulis et capitulis, manu alterius, me aliunde legitime occupato, fideliter ſcriptas atque confect ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis, una cum prænominati Sereniſſimi Domini Regis & dicti Domini Lavantini Legati ſigillorum appenſionibus ac cum Notariis infra ſcriptis ſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

CXXIII.

ANNO 1466.

LUDOVICUS de ERLICHSHAUSEN *Magiſter Generalis Ordinis Theutonicorum remittit culpam ſuis ſubditis, quod belli tempore partibus* CASIMIRI *Regis adhæſerint.* Datum in Thorun die Solis 19. Octobr. An. 1466. *Ex Originali. Sigill. 1.*

NOS Fr. LUDOVICUS de ERLICHSHAUSEN Ordinis B. MRRIÆ Theutonicorum Magiſter Generalis, Princeps & Conſiliarius Regis & Regni Poloniæ. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis, tam præſentibus quam futuris. Quomodo ſummo deſiderantes affectu, ut pacis perpetuæ fœdus & unio inter Nos, & Sereniſſimum Principem Dominum CASIMIRUM Dei Gratia Regem Poloniæ initæ & firmatæ nullis unquam poſſit languidari & conturbari effectibus, ſed ſoliditatem retineat aſſidui roboris atque puritatis, univerſis & ſingulis Militaribus, Nobilibus, Terrigenis & Civibus & quibuscunque ſubditis, qui in guerra transacta præfato Sereniſſimo Domino CASIMIRO quomodolibet adhærebant, & ſingulariter civibus, civitatibus & incolis civitatum Hollandt, Molhauſen, Baſſenheym & Nordenburg, quæ in noſtram ceſſere partem, ſubjectionem & ditionem, omnem hoſtilitatis & diſplicentiæ, et cujuslibet odii offenſam pure, ſincere et ex toto corde perpetue et in ævum dimittimus, permittimus et relaxamus, illorum quoque contra Nos et Ordinem noſtrum transgreſſiones præſentibus abolemus, promittentes in verbo noſtro, et ſub fide præſtiti per Nos juramenti præfatis civibus, civitatibus et incolis Hollandt, Molhauſen, Baſſenheym et Nordenburg, quod illos in eorum antiquis juribus, privilegiis, immunitatibus et libertatibus tenebimus et conſervabimus, nec aliquam occaſionem hoſtilitatis, aut transgreſſionis contra Nos factæ de ipſis,aut aliquo eorum,aut ſucceſſoribus eorum publice vel occulte,directe vel indirecte per Nos, aut ſubmiſſam perſonam quovis quaeſito colore ſumemus', aut ſumi permittemus ultionem, ſed nec eorum hoſtilitatis vel transgreſſionis reminiſcemur unquam, vel reminiſci volumus facto, verbo vel quocunque actu; quinimo Cives et incolas præfatarum civitatum proſequemur gratiis et favoribus, perinde et non ſecus, quam ſi nullas Nobis hoſtilitates, adverſitates et diſplicentias irrogaſſent. In quorum omnium fidem et teſtimonium præmiſſorum ſigillum

ANNO 1466. lum noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum. Datum in Thorun die Solis decima nona Menſis Octobris Anno Domini milleſimo quadringentiſimo ſexageſimo ſexto.

CXXIV.

Casimirus *Rex Poloniæ promittit* Ludovico de Erlichshausen *Magiſtro Teutonicorum in Pruſſia quindecim millia Flor. Hungar.* Datum in Thorun ut ſupra. *Ex Originali. Sigil. 1.*

CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus et Hæres etc. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis. Quod pacis et unionis perpetuæ inter Nos, Regnum noſtrum Poloniæ, Principatus, Terras et Dominia Nobis et Regno noſtro ſubjectos et ſubjecta ab una, et Illuſtrem ac Magnificum Principem Conſiliarium noſtrum Dominum Ludovicum de Erlichshausen, Generalem Ordinis Theutonicorum S. Mariæ in Pruſſia Magiſtrum, Commendatores, Conventum, Ordinem et Dominia ac Terras ſuas Pruſſiæ partibus ab altera, confectæ et firmatæ ſtabilimentum ſatagentes procurare, et robur illi addicere amplioris et celerioris firmitatis, quatenus pacificatio et reintegratio Terrarum Pruſſiæ, longo tempore per bellum vexatarum, proveniat, et Nobis ac Regno noſtro Poloniæ evidentius ac uberius jus in diſtrictibus Mariemburgenſi, Chriſtburgenſi, Elbingenſi et Sthumenſi, qui in noſtram perpetuam vigore fœderis ceſsêre ditionem, accreſcat, præfato Domino Ludovico Magiſtro, Commendatoribus, Conventui et Ordini, ut facilius Terras ſuas ſoluto donativo, in quo ſuis obligatur ſtipendiariis, poſſit in pacificationem plenam reducere, quindecim millia Florenorum Hungaricalium veri et juſti ponderis dare et ſolvere Nos aſtrinximus et promiſimus, et præſentium tenore aſtringimus, obligamus et promittimus, quorum ſeptem millia in Feſto Sanctorum Philippi et Jacobi Apoſtolorum proxime venturo, reliqua vero octo millia minuta centum quinquaginta Florenis, quos jam hodierna die tradidimus, in Feſto Circumciſionis Chriſti per annum revolutum, in quo ſcribetur milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octavo, ſibi aut Succeſſoribus ſuis dabimus, et in Civitate noſtra Thorunenſi reponemus et ſolvemus bona fide, harum, quibus ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum in Thorun die Solis decima nona Octobris Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto. ANNO 1466.

CXXV.

Recognitio Ludovici *Magiſtri de acceptis centum quinquaginta Florenis ex Summa quindecim millium Florenorum Hungaricalium, ſibi & ſuo Ordini a* Casimiro *Rege inſcripta.* Datum in Thorun die Solis 19. Menſis Octobris Anno 1466. *Ex Originali.*

NOS Frater Ludovicus de Erlichshausen Ordinis B. Mariæ Theutonicorum Magiſter Generalis, Sereniſſimi Principis Domini Casimiri Regis et Regni Poloniæ Princeps et Conſiliarius. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quomodo idem Sereniſſimus Rex pacis et unionis perpetuæ inter ipſum, Regnum ſuum Poloniæ, Principatus, Terras et Dominia ſibi et ſuo Regno Poloniæ ſubjectas et ſubjecta ab una, et Nos Magiſtrum Generalem, Commedatores, Conventum, Ordinem, Terras noſtras et Dominia in Pruſſia partibus ab altera, confectæ et firmatæ ſtabilimentum ſatagens procurare, et robur illi adjicere amplioris et celerioris firmitatis, quatenus pacificatio et reintegratio Terrarum Pruſſiæ, longo tempore per bellum vexatarum, proveniat, et ſibi ac Regno ſuo, Succeſſoribusque ſuis Regibus Poloniæ evidentius ac uberius jus in Diſtrictibus Mariemburgenſi, Criſtburgenſi, Elbingenſi et Stumenſi, qui in ejusdem Domini Regis et Regni Poloniæ perpetuam, vigore fœderis, ceſsêre ditionem, accreſcat, Nobis præfato Ludovico Magiſtro, Commendatoribus, Coventui et Ordini noſtris, ut facilius Terras noſtras Pruſſiæ ſoluto donativo, in quo noſtris obligamur ſtipendiariis, poſſimus in pacificationem plenam reducere, quindecim millia Florenorum Ungaricalium veri et juſti ponderis dare et ſolvere per ſuas patentes literas aſtrinxit, promiſit et obligavit. Quorum ſeptem millia in Feſto Sanctorum Philippi et Jacobi Apoſtolorum proxime venturo, reliqua vero octo millia minus centum quinquaginta Florenis, quos jam ab eodem Domino Kazimiro Rege Nobis effectualiter traditos confitemur recepiſſe, in Feſto Circumciſionis Chriſti per annum revolutum, in quo ſcribetur milleſimo quadrin-

Anno 1466. dringenteſimo ſexageſimo octavo, Nobis aut Succeſſoribus noſtris dabit, et in Civitate ſua Thorunenſi reponet et exſolvet bona fide. In cujus rei teſtimonium Sigillum noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum. Datum in Thorun die Solis decima nona Menſis Octobris Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto.

CXXVI.

Magiſter Ordinis Theutonici teſtatur, Pruſſiæ terrigenas per annos viginti quatuor ab oneribus bellicis per Casimirum *Regem Poloniæ eſſe diſpenſatos, niſi eo caſu, quo Turci vel Tartari Regnum Poloniæ infeſtarent: eosque ipſe Magiſter liberat a tributis pendendis ſpatio annorum viginti quinque.* Datum in Thorun die Jovis vigeſima tertia Menſis Octobr. Anno Domini 1466. *Ex Originali. Sigillum 1.*

Nos Frater Ludovicus de Erlichshausen Ordinis B. Mariæ Domus Theutonicorum Magiſter Generalis, Sereniſſimi Domini Casimiri Regis et Regni Poloniæ Princeps et Conſiliarius. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quod quamquam in pace et concordia perpetuis inter Nos et noſtrum Ordinem in Pruſſia, illique ſubjectos, et dictos Regem et Regnum in Civitate Thorunenſi firmatis, eisdem Regi et Regno ſimus conjuncti, uniti, et inviſcerati, cautumque per Nos utrinq; per inſcriptionem inde factam ſit atque promiſſum, quod Nos noſtris potentiis eidem Regi et Regno aliorum Prælatorum et Principatuum more Regni ejusdem aſſiſtere debeamus; viſo tamen et attento, quod civitates, villæ, diſtrictus et alia, unde Nobis, Commendatoribus et Ordini, et ſubditis noſtris fructus et facultates poſſint affluere, deſolata, demolita, et alieno quoque plurimum ære ſunt gravata, idem Sereniſſimus Casimirus Rex de maturo et expreſſo Dominorum Prælatorum, Principum, Baronum, et Terrigenarum ſuorum, et Regni conſilio Nos Ludovicum, Commendatores, Ordinem et ſubditos noſtros quoslibet ad præſtandum, vel mittendum eis aut ſuis Confœderatis, Regi et Regno, et ſuis Succeſſoribus auxilia, vel præſidia quæcunque infra hinc et viginti annorum ſpatium poſt datam praeſentium immediate ſequentium exemit, abſolvit et exoneravit, niſi forte ex benevolentia noſtra, aut pecuniario Regis pro tempore et Regni dono ad id moneamur. Excepto ſolum eo caſu, quem Deus avertat, quo Turci ſeu Tartari Regnum Poloniae aut Terras Maſoviæ vel Pruſſiae invaderent, et ingrederentur, in eo duntaxat caſu Nos Ludovicus et Succeſſores noſtri pro tempore Magiſtri cum noſtris, ſicut et caeteri de Regno, et terris ſingulis inviſceratis concurrere debebimus et teneamur. Praeterea ſingulari conſideratione penſantes, quod poſſeſſiones, villae et bona, quae Milites, Nobiles et Terrigenae ſub ditione Domini Regis et Regni, ac noſtra degentes, et qui in parte eorundem Regis et Regni fuerint vigentibus guerris, quos et quae ſub Nobis in Terris et Diſtrictibus noſtris in Pruſſia habent, exuſta, demolita, minorata et inculta ſunt, volumus, et ex ſpeciali gratia dictis Militibus, Nobilibus et Terrigenis concedimus et indulgemus, quod infra viginti quinque annorum ſpatium Nobis, aut Succeſſoribus noſtris Magiſtris, Commendatoribus et Ordini vigore dictorum bonorum ad ſervitia, tributa, exactiones et alia onera, aut ad veniendum ad judicia noſtra, vel Patriae minime teneantur, ſed ſint et eſſe debent per dictum tempus viginti quinque annorum duntaxat exempti et abſoluti. Excepto dumtaxat caſu, quo Turci ſeu Tartari Regnum Poloniae intrarent, ſeu invaderent, quibus reſiſtendum ac propellendum tanquam hoſtibus fidei nullus eſſe poſſit exemptus; per praemiſſa tamen derogare non intendimus articulo in concordia concepto, videlicet, quod ſi in Terris Pomeraniae, Culmenſis, Michalovienſis, Pruſſiae, et Confœderatorum Regis et Regni, videlicet Maſoviae, Epiſcopi et Capituli Varmienſis, ac etiam in Terris noſtris, Commendatorum et Ordinis in Pruſſia caſtrum aliquod vel alius locus interciperetur, omnes teneantur et teneamur concurrere et juvare, quoad caſtrum et locus recuperetur, et ei, ad quem ſpectat, reſtituatur. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum praeſentibus duximus appendendum. Datum in Conventu Thorunenſi die Jovis viceſima tertia Menſis Octobris, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto.

CXXVII.

1467. *Capitulum Varmienſe, ſpondet ſe pacem Thorunenſem in omnibus punctis & articulis obſervaturum*

Anno 1467. *rum.* Datum in Caſtro Capitulari Allenſtein Anno 1467. die Martis 27. Januarii. *Ex Originali. Sigill. 1.*

Noverint univerſi præſentes pariterque futuri. Quod Nos Arnoldus Sünder Præpoſitus, Nicolaus Tungen Decanus, Criſtianus Tapiaw Cuſtos, Bartholomeus Liebenwald Cantor, Otto Doringſzwald, Marcus Wolkaw Canonici, totumque Capitulum Eccleſiæ Varmienſ. pacem perpetuam, concordiam & unionem inter Sereniſſimum & Excellentiſſimum Principem & Dominum, Dominum Casimirum Divina favente clementia Poloniæ Regem, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominum & Hæredem &c. Dominum noſtrum gratioſiſſimum, & Magnificum Principem Dominum Ludovicum Ordinis B. Mariæ Domus Teutonicorum Hieroſolimitanorum Magiſtrum General. opera, mediatione & interpoſitione Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Rudolphi, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Lavantenſis, & ejusdem Sedis a Sanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino noſtro, Domino Paulo Divina Providentia Sacroſanctæ Romanæ & Univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifice ad Regnum Poloniæ, & Terras Sleziæ, Pruſſiæ &c. Legati miſſi in Oppido Thorun factam, initam & concluſam, prout in Litera pacis plene continetur, in omnibus ſuis articulis, conditionibus, clauſulis atque punctis, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſertæ forent, ſub præſtito noſtro juramento obſervare, cuſtodire, tenere & implere promittimus & ſpondemus. In cujus rei fidem & teſtimonium præſentem Literam ſigilli Capituli noſtri ſubappenſione roboramus & confirmamus Datum in Caſtro Capitulari Allenſtein, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, die Martis viceſima Januarii Menſis.

CXXVIII.

1470. *Teſtimonium* Joannis *Archiepiſcopi Gneſnenſis & Primatis Regni Poloniæ de præſtito per* Henricum Richtenbergium *in Mag. Gen. Cruciferorum noviter electum fidelitatis Juramento.* Actum in Piotrkow tempore Conventionis Generalis 20. Nov. An. 1470. *Ex Originali.*

Joannes Dei Gratia Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis Archiepiſcopus & Primas, ad futuram rei memoriam univerſis & ſingulis, tam præſentibus quam futuris, notitiam præſentium habituris ſignificamus per præſentes. Quomodo Magnificus & Venerabilis Dominus Henricus Rychtemberg, Magiſter Generalis Ordinis Cruciferorum S. Mariæ Theutonicorum de Pruſſia, Princeps & Conſiliarius Regni Poloniæ, noviter ad ipſam Magiſtratus dignitatem ex morte & obitu olim Domini Henrici de Plawen dicti Ordinis Magiſtri Generalis, ſeu Prædeceſſoris immediate vacantem, per Fratres Ordinis ſui electus, receptus & promotus adveniens, & perſonaliter conſtitutus in conſpectu Majeſtatis & Conſilii Sereniſſimi Principis & Domini, Domini Casimiri Dei Gratia Regis Poloniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ Pruſſiæque, ac Culmenſis, Elbingenſis & Pomeraniæ Domini & Hæredis &c. ac in noſtra, Notariorumque publicorum facti hujusmodi coram Nobis ſcribarum et teſtium infra ſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum præſentia non vi, dolo, fraude. metu, neque per errorem aut improvide, ſeu alia quacunque ſiniſtra machinatione circumventus, ſed de certa, mera, libera, ſincera ac ſpontanea voluntate gratoque animo, concordiæ inter prælibatum Sereniſſimum Principem Dominum Regem Poloniæ, ſuæque Majeſtatis Dominos, Prælatos & Barones totius Regni & Coronae Poloniæ, Conſiliarios & Regnicolas, ac Dominum Magiſtrum, Commendatores & Fratres Ordinis Cruciferorum de Pruſſia nuper ante quatuor annos per medium Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Rudolphi Dei Gratia tunc Lavantini, nunc vero Wratislavienſis Epiſcopi, Sedis Apoſtolicæ Legati in Civitate Thorunenſi factæ et celebratæ innitendo, parendo, obediendo & ſatisfaciendo, ac eandem concordiam pacemque perpetuam in omnibus & ſingulis ſuis articulis, punctis, clauſulis, capitulis & conditionibus approbando, ratamque & gratam habendo, juramentum fidelitatis Nobis debitæ corporaliter in manibus noſtris ad Sacramentum Altaris, ſignumque Imaginis & Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti flexis genibus, & tactis ſuis manibus humiliter ac reverenter, fecit ac præſtitit de verbo ad verbum hujusmodi ſub tenore:

Ego Henricus de Rychtemberg *Magiſter Generalis Ordinis S. Mariæ Theutonic. Princeps & Conſiliarius Regni Poloniæ, juro, quod ab hac hora & deinceps. fidelis ero Sereniſſimo Principi Domino* Casimi-

ANNO 1470. MIRO *Regi, & Succeſſoribus ſuis Regibus & Regno Poloniæ, & profectum illorum fideliter procurabo, & negotiis Regis & Regni fideliter conſulam, & ſecreta, quæ mihi qualitercunque communicata fuerint, in eorum detrimentum nulli pandam; pacem inſuper præſentem in omnibus ſuis conditionibus & articulis obſervabo & cuſtodiam, ſic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta Chriſti Crux.*

Eamque juramenti formam Nobis in latino ſucceſſive & clauſulatim pronuntiantibus, Venerabilis Dominus Andreas de Opporow Juris utriusq; Doctor, Archidiaconus noſtræ Gneſnenſis, & Canonicus Vladislavienſis Eccleſiarum in lingua & idiomate Teutonico præfato Domino HENRICO Magiſtro repetebat & interpretatus eſt. Quo quidem juramento, ut præfertur, in Teutonico idiomate peracto, ac ipſo Domino HENRICO Magiſtro de genibus erecto, Magnificus Dominus Jacobus de Dambno Cancellarius Regni Poloniæ & Capitaneus Cracovienſis, nomine prælibati Sereniſſimi Principis Domini CASIMIRI Regis, & totius Coronæ Regni Poloniæ petivit ſibi fieri, confici atque dari opportunas ac neceſſarias literas per Nos Joannem Archiepiſcopum & Primatem Gneſnenſem præfatum, noſtrique ſigilli appenſione communiri, ac per Notarios publicos infra ſcriptos facti præſentis & negotii coram Nobis Scribas ſubſcribi & publicari in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum. Acta ſunt hæc in Piotrkow in Conventione Generali, in Curia præfati Sereniſſimi Domini Regis, ac in Caminata magna lignea inferiori, extra muros oppidi Piotrkovienſis ſita, die Martis Menſis Novembris viceſima, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, Indictione tertia, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini PAULI Divina Providentia Papæ II. Anno ipſius ſeptimo, hora tertiarum. Præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus, nec non Magnificis, Strenuis, Venerabilibus ac Nobilibus Dominis: Alexandro de Forluvio ad Culmenſ. Pontificalis dignitatis Eccleſiæ ibidem Electo confirmato, ac Sedis Apoſtolicæ ad partes Poloniæ Legato, Joanne Cracovienſi, Jacobo Vladislavienſi, & Andrea Poznanienſi D. G. Epiſcopis, Joanne de Pylcza Cracovienſi, Luca de Gorka Poſnanienſi, Nicolao de Cuthno Lancitienſi, Nicolao de Koſczelecz, Joanne de eadem Koſczelecz Junivladislavienſi, Stanislao de Gothecz Ruſſiæ, Groth de Nowemiaſto Ravenſi Palatinis; Petro de Schamotuli Poznanienſi, Hincza de Rogow Sandomirienſi, Bartholomeo de Iwanowicze Caliſſienſi, Dobrogoſtio de Oſtrorog Gneſnenſi, Dobeslao Kmitha de Wysmycze Lublinenſi, Joanne de Kalinowa Siradienſi, Joanne de Tharnow Woynicienſi, Felice de eadem Tharnow Wislicienſi, Stanislao Wantrobka de Strzelcze Sandecenſi, Dobeslao de Zrzawica Premislienſi, Euſtachio de Sprowa Radomienſi, Petro de Branicze Biecenſi Caſtellanis; Alberto de Zychlyn Cuſtode Vicecancellarioque, Joanne Rzeſtewſki Scholaſtico Sandomirienſibus ac Vicetheſaurario Regni Poloniæ, Petro Dunin de Prawkowicze Sandomirienſi, Caſpero de Leſzczno Caliſſienſi, Spithkone de Jaroslaw Premislienſi, Joanne Gola de Dalcow Halicienſi Succamerariis; Sbigneo de Olesnicza Scholaſtico Cracovienſi, Secretarioque Majeſtatis Regiæ, Nicolao de Lanſch Cantore Gneſnenſi, Jacobo de Schaedk Decretorum Doctore & Canonico Cracovienſi, Stanislao de Kuroſzwanki Cracovienſi, Bartholomeo Kielbaſſa de Thymieniecz Poſnanienſ. & Sandomirienſ. Eccleſiarum Canonicis, Joanne Rapſtyńſki, Joanne Synowiecz, Nicolao Sanczygniewſki, Nicolao Dzialińſki Curienſibus Serenitatis Regiæ, & aliis quam plurimis teſtibus ad præmiſſa fide dignis, vocatis ſpecialiter & rogatis. ANNO 1470.

Et Ego Paulus Joannes de Brzeno Clericus Diœceſis Gneſnenſis, Publicus Imperiali authoritate Notarius, factique hujusmodi coram prælibato Reverendiſſimo in Chriſto Patre Domino Joanne Dei Gratia Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis Archiepiſcopo & Primate una cum meis Notariis infra ſcriptis Scriba. Quia prædictis concordiæ & pacis perpetuæ inter præfatum Sereniſſimum Principem Dominum CASIMIRUM Regem Poloniæ, ſuæque Serenitatis Dominos Prælatos, Barones, Conſiliarios & Regnicolas, ac Dominum Magiſtrum, Commendatores & Fratres Ordinis Cruciferorum S. MARIÆ Theutonicorum de Pruſſia, ſic ut præfertur, factæ approbationi & juramenti præſtationi præfui, aliisque omnibus & ſingulis præmiſſis, dum ſic, ut praemittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus et Notariis præſens interfui, eaque omnia & ſingula præmiſſa ſic

ANNO 1470. ſic fieri vidi & audivi, ideo præſens publicum approbationis & juramenti Inſtrumentum manu alterius fidelis ſcriptum exinde confeci, & in hanc publicam formam cum Notariis infraſcriptis, ac Sigilli prædicti *D*omini Archiepiſcopi de ipſius certa ſcientia & mandato appenſione redegi, ſigno & nomine meis ſolitis & conſuetis conſignando, rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

CXXIX.

1473. *Remiſſio indignationis Regiæ Incolis Epiſcopatus Varmienſis.* Datum in Radom Feria 2. proxima poſt Feſtum Aſcenſionis Dom. An. 1473. *Ex Arch. Regni Lib. 5. ſub Lit. E. fol. 137.*

CASIMIRUS *D*ei Gratia Rex Poloniæ, Magnus *D*ux Litvaniæ &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quod licet famoſi & providi cives civitatum Eccleſiæ Warmien. Epiſcopatus Terrarum noſtrarum Pruſſiae, videlicet Branczberg, Reſzel, Fraumberg, Helſperg, Zeeburg, Gutſtath & Warmith, quo ducti ſpiritu neſcimus, Reverendum Patrem Nicolaum Thungen Epiſcopum *C*aminenſem tunc hoſtem noſtrum, ad civitates præfati Epiſcopatus noſtri induxerunt & immiſerunt, qui quidem Epiſcopatus cum ſingulis civitatibus, caſtris et bonis ſuis, juxta pacis perpetuæ diſpoſitionem & ordinationem noſtræ protectioni obediens, & dominationi ſubjacet & ſubditus eſt, in Terrarum præfatarum Pruſſiae jacturam & gravamen, pacisque perpetuae moleſtationem & commotionem, propter quod non immerito noſtram Regiam inciderint indignationem, vindictam pro culpa tandem accepturi; verum quia praefatus Reverendus Pater Epiſcopus Caminenſis noſtram commotionem & indignationem placare ſatagens, cum Reverendo in Chriſto Patre *D*omino Andrea Epiſcopo Warmien. utpote S. Sedis Apoſtolicae ad noſtras interceſſiones proviſo compoſuit, & ſibi de praefatis caſtris & civitatibus ipſius Eccleſiae condeſcendit & reſignavit, de noſtrae Celſitudinis clementia ipſis ipſam noſtram indignationem remittimus & indulgemus, veniamque noſtrae *C*elſitudinis Regiae Majeſtatis concedimus, exceſſum ipſum eorum & culpam nunquam de cetero ulciſci nec vindicare promittentes. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum praeſentibus eſt ſubappenſum. *D*atum in Radom Feria ſecunda proxima poſt Feſtum Aſcenſionis *D*omini, Anno *D*omini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio. ANNO 1473.

Relatio Venerabilis Sbignei de Oleſzhnicza Regni Polon. Vicecancellarii.

CXXX.

Privilegium CASIMIRI *Regis, quo Conſulibus Elbingenſibus datur poteſtas villas eis a ſe donatas jure, quo ipſi velint, regendi.* Datum in Caſtro Marienborg Feria quarta poſt Feſtum Viſitationis B. V. M. Anno 1476. *Ex Archivo Regni Lib. 5. ſub Lit. E. fol. 240.* 1476.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

CASIMIRUS *D*ei Gratia Rex Poloniae, Magnus *D*ux Litvaniae &c. *C*um ex hoc Tronus corroboratur Regius & creſcit, propagaturque in ſubditis devotio, deſideriaque obſequiorum cum incremento fidei adaugentur, dum ſolicitudo Regiae liberalitatis ſuae intendens beneficia, dona gratiae diffundit in eosdem. Proinde ſignificamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis. Quod licet alias ante concordiam ſuper Terris Pruſſiae inter Nos, Magiſtrumq; & Ordinem factam, donando in perpetuum ex liberalitate & munificentia noſtra Regali, civitati noſtrae Elbingenſi, quam ſpecialibus proſequimur favoribus, pro ejus utilitate & commodo certas noſtras villas in diſtrictu Elbingenſi ſitas & jacentes, Jus Lubecenſe eisdem villis, quo gaudere & judicare debebant, conceſſeramus, conſtituti tamen in praeſentia noſtra, Praelatorumque & *C*onſiliariorum noſtrorum lateri noſtro tunc aſſidentium, ſpectabiles & famoſi *C*onſules civitatis Elbingenſis praedictae Nobis humiliter ſupplicaverunt, quatenus ipſis admittere & indulgere dignaremur, quod poſſent & valeant villas easdem, taliter ipſis per Nos donatas, jure ipſis beneplacito, abſque aliqua ipſius limitatione judicare. Nos autem in hoc petitionibus eorundem favorabiliter annuentes, ut exinde villarum praedictarum melior fieret in dies conditio, damus & concedimus ipſis & civitati eorum, tanquam *D*ominis & haeredibus villarum praedictarum, ex nunc & dein-

Anno 1476. deinceps villas praedictas, quarum nomina in Privilegio donationis noſtrae hujusmodi ſunt contenta & expreſſa, ipſarumque habitatores et incolas ſive municipali, ſive Culmenſi, ſive Pruthenicali, ſive quocunque alio jure, quod ipſi pro ipſorum diſcretione & arbitrio elegerunt & conſtituerunt, eosdem regendi, judicandi & gubernandi omnimodam poteſtatem & facultatem, ſecundum quod ipſis melius, utilius & efficacius videbitur expedire, eo non obſtante quod in Privilegio donationis villarum earundem, cui per hanc conceſſionem noſtram nolumus in aliquo praejudicare aut derogare, quin ſemper firmum, illaeſum & illibatum permaneat, jus Lubczenſe expreſſum fuit & deſignatum. In cujus rei &c. Datum in Caſtro noſtro Marienborg Feria quarta poſt Feſtum Viſitationis Glorioſiſſimae Virginis Mariae, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto.

CXXXI.

Casimirus *Rex abrogatis cæteris Juribus Culmenſe Jus per univerſam Pruſſiam ſervari jubet. Præterea in recognitionem dominii ſui quotannis cenſum ſolvi conſtituit. Item ne lacus fiſcales quisquam ſibi uſurpare audeat*, *cavet.* Datum in Caſtro Mariemburg Feria 6. proxima poſt Feſtum S. Jacobi Apoſt. Anno 1476. *Indidem fol. 150.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum inter ea, quae unitatem Domini atteſtantur, juris uniformitas praecipuum habeatur indicium. Proinde Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae ac Culmenſis, Elbingenſis & Pomeraniae Dominus & Haeres &c. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis, praeſentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quod cum poſt bellorum diſcrimina Terras noſtras Pruſſiae ad unitatem dominii noſtri, a quo alias exciderant, favore divino recuperaſſemus, reperimus Magnificos, Strenuos, Generoſos ac Nobiles Terrarum praefatarum Incolas multiplicibus ac diverſis gaudere juribus, quorum quaedam et legitimas negligebant ſucceſſiones, ac juſtitias hominum perturbabant & involvebant, ſaepiusque quod norma debebat eſſe juſtitiae, litigiorum & ſeditionum erat occaſio. Cui malo occurrere volentes, pulſati etiam precibus Magnificorum & Nobilium Palatinorum, Caſtellanorum, Dignitariorum, totiusque Communitatis & Baroniae Terrarum noſtrarum Pruſſiae, et ſignanter de Diſtrictibus Pomeraniae, Mariaeburgenſis et Stumenſis alias Pomezanienſis, omnia jura Pruthenicalia, Magdeburgenſia, Pomeraniae ac feudalia, in quibus alias tempore Magiſtri & Ordinis conſiſtebant, et ipſis regulabantur, ab ipſis removentes, abrogantes et perpetuo abolentes, loco omnium jurium praedictorum unum jus Culmenſe, quo Diſtrictus Culmenſis gaudet et fruitur, ipſis et eorum poſteris, juxta ejus veram naturam, ſubſtantiam, qualitatem et conditionem de conſenſu omnium Praelatorum et Baronum noſtrorum conferimus et largimur perpetuo et in aevum. Quo jure judicari inter ſe debebunt et expediri, omnesque cauſas et controverſias eorum, juxta tenorem juris Culmenſis praedicti, ſecundum quod in ſuis capitulis, punctis et conſuetudinibus ſcriptum et declaratum exiſtit, decident et determinabunt: ab omnibus etiam oneribus ac datiis inconſuetis, quibuscunque appellentur nominibus, quas Magiſtro et Ordini de bonis eorum dare cogebantur, ipſos libertamus. Abrenuntiantes inſuper devolutionem bonorum haereditariorum, quae Nobis et Dominio noſtro jure feudi cedebant et debebantur, ac ab eadem recedentes, ſucceſſionem poſteris eorum in perpetuum donantes: hoc duntaxat pro Nobis et Succeſſoribus noſtris excipiendo et reſervando, quod quilibet Dignitarius et Terrigena Terrarum Pruſſiae ad bellicam expeditionem, quotiescunque neceſſitas exoptaverit, illam per Nos et Succeſſores noſtros indici, in armis et equis decentibus quilibet juxta continentiam Privilegii ſui et tenorem, alias qui careret Privilegio, ſecundum facultatem bonorum ſuorum ſervire erit et eſt obligatus et obſtrictus, prout et alii incolae Regni noſtri ad ipſum obligantur ſervitium. Praeterea volumus, ut omnes et ſinguli praefati ſubditi noſtri in recognitionem dominii, prout etiam prius ſolitum erat, pro quolibet Feſto Sancti Martini denarium Culmenſem, vel loco ejus quinque allenſes Pruthenicales, cum uno talento cerae albae Nobis et Succeſſoribus noſtris ac Officialibus ad exigendum per Nos deputatis dent, ſolvant et conſignent. Anno 1476

Inſu-

ANNO 1476. Inſuper volumus, quod nullus Dignitariorum aut Terrigenarum in lacubus habeat, præter quod antiquitus habuit tempore Magiſtri & Ordinis, neque etiam de illis lacubus ſe intromittat, quorum piſcatura ad Magiſtrum & Ordinem pertinebat, eſto quod lacus prædicti hæreditates antiquorum contingant, vel eis contineantur. Harum, quibus ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum, teſtimonio Literarum. Actum in Caſtro noſtro Marieburgenſi Feria ſexta proxima poſt Feſtum S. Jacobi Apoſtoli, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Præſentibus Reverendiſſimo ac Reverendis in Chriſto Patribus Dominis: Jacobo S. Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo & Primate, Sbigneo Vladislavienſi & Regni Poloniæ Vice-Cancellario, Vincentio Culmenſi Epiſcopis; nec non Magnificis, Strenuis & Generoſis Nicolao de Cuchno Lancicienſ. Andrea de Greczkow Inovladislavienſi, Stiborio de Bayſen Marieburgenſi, Ocha de Machwitz Pomeraniæ, Ludovico de Mortang Culmenſi Palatinis; Joanne de Rytwiany Sandomirienſi, & Regni Poloniæ Mareſchalco, Joanne a Mor de Tarnow Woynicenſi, Joanne de Oporow Breſtenſi, Nicolao de ibidem Brzezinenſi, Mathia de Sluzew Cruſwicienſi, Nicolao Dąmbrowſki Culmenſi, Nicolao Felſtdorff Pomeraniæ, Fabiano de Leyensdorff Elbingenſi, Caſtellanis, & aliis quam plurimis ad præmiſſa teſtibus fide dignis. Datum per manus Reverendi in Chriſto Patris Domini Sbignei Epiſcopi Vladislavienſis & Vice-Cancellarii, nec non Venerabilis Vrielis de Gorka Gneſnenſis & Poſnanienſis Eccleſiarum Præpoſiti, Cancellarii Regni Poloniæ, ſincere Nobis dilectorum.

Sbigneus de Oleſnica E. &c. mpr.

CXXXII.

1477. *Confirmatio Jurium & Privilegiorum Terrarum Pruſſiæ* Datum in Nova Civitate Korczyn Feria 6. proxima poſt Feſtum S. Barnabæ Apoſtoli An. 1477. *Ex Archiv. Regni Lib. 7. ſub Lit. G. fol. 128.*

CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quod quemadmodum anteactis annis certa privilegia & libertates ſubditis noſtris & Terrarum noſtrarum Pruſſiæ incolis, tam Spiritualibus quam Sæcularibus dederamus & conceſſeramus, quæ ANNO 1477. quidem Privilegia & alia, diu & ab antiquo per eos tenta & habita, ipſis ſubditis noſtris in omnibus punctis, conditionibus, articulis & clauſulis tenere & obſervare promittimus præſentibus & pollicemur. Harum, quibus ſigillum noſtrum eſt ſubappenſum, teſtimonio literarum. Datum in Nova Civitate Korczyn, in Feria ſexta proxima poſt Feſtum Sancti Barnabæ Apoſtoli, An. Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

Relatio Venerabilis Stanislai de Kurozwanki R. P. Vice-Cancellarii.

CXXXIII.

Statutum de non faciendis appellationibus a iure civitatis Gedanenſis tam Spiritualium quam ſæcularium Proceſſuum. Actum Cracoviæ Sabbatho ante Feſtum Nativitatis Virg. Mariæ. Anno 1477. *Ex Archivo Regni. Lib. 2. ſub Lit. E. num. 6. fol. 251.*

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Regiæ ſublimitatis ſit curæ & officii novas Leges & Conſtitutiones pro ſubditorum ſuorum augendis profectib us ſtatu in debito & ordine inſtituêre, digne convenit eidem ea, quæ conſuetudine erronea nocumento futura eſſe providentur, abolere & evellere. Proinde Nos CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, nec non Terrarum Kracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lenciciæ, ac Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque, Culmenſis, Elbingenſis & Pomeraniæ Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quomodo animadvertentes pleroſque tam ſpirituales quam ſæculares Civitatis noſtræ Gdanenſis incolas, in dedecus & ignominiam Majeſtatis noſtræ, & juris Civitatis prædictæ in detractionem, ubi juſtitia unicuique parata eſſe dinoſcitur, temerarie & præſumptuoſe conſuetudinem quandam erroneam pro lege inducere volentes, judices foranenſes & exteros inſequi & petere, alioſq;, qui licet coram Nobis aut judicio Civitatis ejusdem ſe juſtificaturos offerant, poſſe trahere & fatigare, appellationibus minus juſtis, & toti Regno noſtro & Civitati prædictæ nocivis, periculoſis, cauſas

ANNO 1477. ſas ipſorum tum ad Imperialem Majeſtatem, tum ad Urbem Romanam deferentes, & inde volentes hanc ipſam conſuetudinem abolere, & Civitatem noſtram prædictam Gdanenſem in ſtatu debito & ordine collocare, de maturo Conſiliariorum noſtrorum lateri noſtro ad præſens aſſidentium conſilio ſtatuimus, & præſenti Statuto edicentes prohibemus, ne aliquis incolarum ſive ſpiritualium ſive ſæcularium quempiam alterum de judicio Civitatis prædictæ ad Imperialem Majeſtatem, aut ad Urbem Romanam pro cauſis quibuscunque, tam magnis quam parvis citare, trahere & evocare aliquatenus audeat, ſub bonorum ſuorum privatione, ſuique de Regno bannitione, & tandem raptione; ſed ſi quiſpiam ſe injuriam aliquam in Jure Civili habere prætenderit, extunc ad Nos, in quantum ſuper re foro ſæculari ſubjecta lis orta foret, & ad Reverendum in Chriſto Patrem *Dominum* Epiſcopum Vladislavienſem ſincere Nobis dilectum, cæterosque Epiſcopos Vladislavienſes pro tempore exiſtentes, in quantum forum ſpirituale res concernit, ſe revocet & appellet, juſtitiam debitam recepturus. Volumus etiam, ut nullus proceſſus qualescunque a Sede Apoſtolica vel aliunde, præter proceſſus Ordinarii, contra quemcunq; incolarum Civitatis prædictæ fulminandos aſſequi præſumat, donec prius allati per Magiſtratum & Conſulatum, & tandem reviſi, ac ad Loci Ordinarium delati forent, ſi ſaltem tunc ipſe Loci Ordinarius a loco abſentiam tenuerit, quo tamen præſente proceſſus hujusmodi immediate ipſi offerri debent. Alias ſi quis præſentis Statuti temerarius transgreſſor compertus fuerit, decernimus eum pœnas ſupraſcriptas irremiſſibiliter incurſurum. Quod quidem Statutum in omnibus punctis, conditionibus & clauſulis ratificamus, approbamus & roboramus, tenore præſentium mediante, decernentes ipſum robur perpetuæ firmitatis obtinere harum, quibus ſigillum noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum, teſtimonio Literarum. Actum Cracoviæ Sabbatho ante Feſtum Nativitatis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Præſentibus Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis: Joanne Cracovienſi & Andrea Varmienſi Epiſcopis, nec non Magnificis & Generoſis Derslao de Rytwiany Caſtellano Cracovienſi, Joanne de eadem Rytwiany Cracovienſi, Jacobo de Dambno Sandomirienſi, Spitkone de Jaroslaw Ruſſiæ Generali, Dobeslao Kmita de Wisnicze Lublinenſi, & Stanislao Wantrobka de Trzelce Bełzenſi Palatinis; Joanne Amon de Tarnow Woynicenſi, Felice de Tarnow Wislicenſi, Dobeslao de Curozwanki Roſpirienſi & Regni noſtri Inciſore, Caſtellanis; Joanne Synowiec de Zadorzyce Succamerario Cracovienſi, & Raphaële de Iaroslaw Capitaneo Leopolienſi, aliisque quam plurimis Officialibus & Curienſibus noſtris. Data per manus Venerabilis Stanislai de Kurozwanki, Cracovienſis, Vladislavienſis Eccleſiarum Canonici, Regni Poloniæ Vice-Cancellarii ſincere Nobis dilecti. ANNO 1477.

CXXXIV.

NICOLAUS *Epiſcopus Varmienſis cum ſuo Capitulo facit obedientiam* CASIMIRO *Poloniæ Regi, Succeſſoresque ſuos ad eam faciendam Regibus Poloniæ pro tempore exiſtentibus aſtringit & obligatos facit: Iuramentorumque modum & formam per eos ipſos Succeſſores ſuos Epiſcopos Prælatoſque & Canonicos ac quamcunque perſonam Eccleſiaſticam beneficiatam Eccleſiæ & Diœceſis Varmienſis circa receptionem beneficii cuiuslibet faciendorum dat & inſcribit, contentaque omnia in Inſcriptione pacis perpetuæ facere promittit.* Datum in Conventione Petricowienſi Generali d. 15. Julii Anno 1479. *Ex Orig.* 1479.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOS NICOLAUS Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Varmien. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quomodo deſtructioni bonorum, ſubditorumque Eccleſiæ noſtræ Varmienſis, quæ per armorum gentes facta eſt, fitque uſque eo, condolentes, ac ipſos ſubditos noſtros paci reddere optatæ cupientes: Recenſentes etiam Epiſcopatum noſtrum & Eccleſiam, vigore perpetuæ pacis, medio Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Rudolphi, Dei Gratia nunc Wratislavienſis, tunc vero Lavantini Epiſcopi, Sacroſanctae Sedis Apoſtolicae Legati, inter Sereniſſimum Principem & Dominum, Dominum KAZIMIRUM Dei Gratia Poloniae Regem Illuſtriſſ. Magnum Ducem

Anno 1479.

Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Dominum &Haeredem &c. Dominum noſtrum gratioſiſſimum ex una, nec non Magnificum & Venerabilem *D*ominum Magiſtrum Generalem Ordinis B. Mariæ Virginis *D*omus Theutonicorum Ieroſolim. in Pruſſia partibus ex altera initae, ordinatae, factae, diſpoſitae et celebratae, literisque ac ſigillis atque juramentis corporalibus hinc inde per partem utramq; munitae & obfirmatae, de corpore incliti Regni Poloniae exiſtere, cui hucuſque reſtitimus, propoſitum noſtrum revocantes praefatum Sereniſſimum *D*ominum Regem Poloniae, ac ſuae Serenitatis Succeſſores Reges Poloniae futuros, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris cum Venerabili Capitulo Eccleſiae noſtrae vigore mandati, in certas perſonas ad hoc plenarie per ipſum Capitulum dati & conceſſi, quod in manibus praememorati Sereniſſimi *D*omini Regis, et ſuae Serenitatis Conſiliariorum reliquimus, recognovimus, recognoſcimusque praeſentibus eſſe *D*ominum et Protectorem Eccleſiae noſtrae cum caſtris, civitatibus ac vaſallis noſtris, gratiaque a ſua Serenitate conquiſita, innitendo praefatae pacis perpetuae diſpoſitioni et ordinationi, et ab ipſa in nullo deſcendendo, Nos, Eccleſiam, Capitulum, ſubditosque noſtros, tam ſpirituales quam ſaeculares, ad corpus et unionem praememorati incliti Poloniae Regni revocamus et reducimus, ſub articulis infra ſcriptis. Ad quorum obſervationem firmiorem Nos, Eccleſiam, Capitulum et ſubditos noſtros ac etiam Succeſſores obligamus, eosdem articulos perpetuo ſervaturos. Quorum quidem articulorum tenor de verbo ad verbum ſequitur et eſt talis:

Inprimis quod quilibet Epiſcopus Varmienſis Succeſſor noſter futurus, ſeu alii omnes pro tempore exiſtentes, in perpetuum infra tres menſes a die receptionis Literarum Apoſtolicarum proviſionis Eccleſiae Varmienſis tenebitur, ſeu tenebuntur perſonaliter venire ad praeſentiam Regiae Majeſtatis et ſuorum Succeſſorum, dummodo in Terris Pruſſiae eſſent conſtituti, aut in illorum abſentia in Caſtro Mariemburg, et ibidem in manibus Epiſcopi, et non alterius, quem ad hoc ſua Celſitudo deſignaverit, in Eccleſia majori ad Altare ſummum ſub praeſentia Palatini Mariemburgenſis et Capitanei, ac etiam Magiſtrorum Civium de Thorun, Elbing et Gdanſk praeſentium et in futurum exiſtentium teneantur juramentum facere. Quod et Nos Nicolaus fecimus, ſub ea quae ſequitur forma, et in caſtrum praefatum deſcendere ſub tempore praeſcripto aviſati: Caſu vero quo unus vel plures deſcriptorum intereſſe impediretur, nihilominus in manibus dicti Epiſcopi coram praeſentibus, qui convenirent, Epiſcopus ſeu Epiſcopi in futurum exiſtentes Varmienſes jurare tenebuntur in haec verba.

Ego N. Epiſcopus Varmienſis promitto & juro, quod ex nunc & in antea fidelis ero Sereniſſimo Domino meo Kazimiro *Regi Poloniæ, eiusque Succeſſoribus Regibus & Regno Poloniæ, tanquam Domino & Protectori Eccleſiæ meæ, ac etiam Capituli, ſuæ Serenitati & Regno aſſiſtam, nec non ejus Succeſſoribus, uti ſuæ Serenitatis Conſiliarius contra quemlibet inimicum, cum quo nullos tractatus, fœdera, aut inducias faciam, ſine ſuæ Majeſtatis conſenſu, inſcriptionemque pacis perpetuæ in omnibus capitulis & punctis, ac etiam inſcriptionem, per meum Anteceſſorem Dominum* Nicolaum *Epiſcopum Varmienſem cum conſenſu Capituli factam, inviolabiliter tenebo, conſilium mihi creditum ad ſuæ Serenitatis damnum non revelabo, omnemque machinationem, quam practicari ſubodoravero, in præiudicium & incommodum Regiæ Majeſtatis, Succeſſorum, aut Regni, Terrarumque & Civitatum Pruſſiæ de corpore incliti Regni Poloniæ exiſtentium, pro quibus fideliter conſulam, præcuſtodiam tempeſtive, & aviſabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Caſu autem quo aliquis Epiſcopus Varmienſis pro tempore exiſtens juramentum fidelitatis juxta formam et tempus praeſcriptum praeſtare non curaret, extunc vaſallis et ſubditis praedictae Eccleſiae Varmienſ. licebit cum honore et impune ab obedientia dicti Epiſcopi vi juramenti firmata reſilire, et R. M. uſquequo juraverit, adhaerere. Item quod hinc et in perpetuum vaſalli et ſubditi Eccleſiae Varmienſis, cujuscunque ſtatus et conditionis exiſtant, de Terris et Civitatibus tam noſtri Epiſcopales quam Capitulares de decennio in decennium juramentum fidelitatis Regiae Majeſtati, Succeſſoribusque et Regno Poloniae, ac etiam de obſervanda pace perpetua, atque articulis in praeſenti inſcriptione contentis renovare tenebuntur, in manibus Conſiliariorum R. M. ad hoc deputandorum temporibus perpetuis et aeviternis. Cujus quidem decennii initium incipiet et tranſibit a die praeſtitionis juramenti per praefatos vaſallos et caeteros ſubditos Eccleſiae praeſcriptae in proximo faciendi. Praeterea ſubmittimus, et praeſentibus obligamus Nos et Succeſſores noſtros,

Anno 1479. Capitulo Eccleſiae noſtrae Varmienſis, quod in futuris electionibus pro tempore exiſtentibus, ſive poſtulationibus Epiſcoporum dictae Eccleſiae Varmienſis Capitulares eidem R. M. et ſuis Succeſſoribus perſonam gratam eligere tenebuntur. Item quod quilibet Praelatus et Canonicus dictae Eccleſiae Varmienſ. infra unum menſem a die receptionis ſuae, ſive repraeſentationis in Eccleſia alias dummodo poſſeſſionem fuerit conſecutus, jurare ſimiliter tenebuntur fidelitatem ſuae Serenitati et obſervantiam perpetuae pacis, juxta tenorem inferius deſcriptum, in manibus Epiſcopi et Capituli Varmienſ. qui per ſuas patentes Literas de cujuslibet Canonici ſeu Praelati juramento ſupremo Dignitario R. M. in Pruſſia plenam fidem facere tenebuntur. Cujus quidem juramenti tenor ſequitur in haec verba:

Ego N. Prælatus vel Canonicus Eccleſiæ Varmienſis juro & promitto, quod ex nunc & in antea fidelis ero Sereniſſimo Domino meo, Domino Kazimiro *Poloniæ Regi Illuſtriſſ. eiusque Succeſſoribus Regibus & Regno, tanquam Domino & Protectori Eccleſiæ Varmienſis, inſcriptionemque pacis perpetuæ & capitulorum per Dominum Nicolaum Epiſcopum Varmienſem de conſenſu Capituli deſcriptorum inviolabiliter tenebo. Sic me Deus adiuvet &c.*

Item quod tam Dominus Epiſcopus. quam Capitulum pro tempore exiſtentes Advocatum, quoties praeficere aut immutare Dominus Epiſcopus velit, ſive Capitulum aut Adminiſtrator Sede vacante non alium deputent, niſi de parte ſubditorum R. M. eorum etiam, qui ſub ditione Ecclaſiae Varmien. conſiſtunt. Qui ſic deputatus jurare ſimiliter tenebitur R. M. modo ſuperius expreſſo, dum talis hoc ipſum prius non juraſſet. Item caſu quo Magiſter Generalis nullo facto juraret, ſive cum Regia Serenitate hinc diſſideret, et ad arma contra eum et Ordinem jam ex nunc, vel in futuris temporibus veniretur, aut cum aliis quibuscunque hoſtibus. Ex tunc Nos Nicolaus Epiſcopus tenebimur, et noſtri Succeſſores tenebuntur eſſe auxilio et conſilio ſuae Serenitati toties, quoties opus fuerit, ſicut Conſiliarius ſuae Serenitatis, cum caſtro, civitatibus et vaſallis, tam noſtris Epiſcopalibus quam Capituli. Ita videlicet, quod ſine omni contradictione caſtra et civitates Eccleſiae praedictae gentibus Regiis pateant & aperiantur, et ſingulis Nos ſubmittemus periculis, noſtrique Succeſſores ſe ſubmittent cum ſua Serenitate. Nec tractatus, fœdera vel ligas aut ullas inducias cum hoſtibus faciemus, ac noſtri Succeſſores facient, absque ſcitu et conſenſu R. M. et Succeſſorum ejus. Item quoties beneficia cum cura, vel ſine cura in Diœceſi noſtra Varmienſi vacare contigerit, ex tunc circa inſtitutionem beneficiati Nos Nicolaus Epiſcopus et noſtri Succeſſores, aut noſter et ipſorum Succeſſorum noſtrorum Vicarius tenebimur ſeu tenebuntur, ſive tenebitur recipere juramentum a quolibet eorum de obſervanda pace perpetua, et tenenda fidelitate R. M. et Regno Poloniae. Poſtremo et finaliter praeſentibus adjicimus, Nosque et Succeſſores noſtros obligamus, quod ſubditis tam noſtris Epiſcopalibus quam Capitularibus omnibus et ſingulis liceat in cauſis militaribus, feudalibus, civilibus et criminalibus, ſive quibuscunque aliis ſaecularibus ad R. M. provocare, in cauſa gravaminis et defectu juſtitiae quaerulari et appellare, ad ſuosque Succeſſores Reges Poloniae temporibus perpetuis. Obſervato tamen prius ordine provocationis in cauſis civitatenſibus ad jus Culmen. Lubicen. Maideburgen. et caeteris, quibus gaudent, in quibus eis non praeiudicabitur. Hoc tamen ſpecialiter expreſſo, quod quoties aliquem ad R. M. provocare contigerit, ex tunc coram Nobis Epiſcopo et Succeſſoribus noſtris cautionem faciet, quatenus caſu, quo appellationem non fuerit proſecutus infra tempus, per Nos Nicolaum Epiſcopum, et noſtros Succeſſores juxta cauſae et circumſtantiarum qualitatem limitandum, aut in cauſa ſuccubuerit, pœnam amiſſionis cauſae et ſolutionis expenſarum parti adverſae incurrat. Quæ omnia et ſingula ſupra ſcripta Nos Nicolaus Epiſcopus Varmienſis praefatus, cum Capitulo, vaſallis et omnibus ſubditis noſtris, firmiter, illaeſe et inconcuſſe tenere, exequi inviolabiliter perpetuo obſervare promittimus, ac Nos, Succeſſoresque noſtros, et Capitulum noſtrum praedictum, cum vaſallis et ſubditis Eccleſiae noſtrae generaliter univerſis, tenore praeſentium obligamus. In quorum omnium fidem et evidens teſtimonium praemiſſorum praeſentes Literas noſtro atque Capituli noſtri ſigillis juſſimus et fecimus communiri. Datum in Conventione Petricovienſi Generali, die Iovis quintadecima Menſis Iulii, alias ipſo Feſto Diviſionis Apoſtolorum Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono.

CXXXV.

ANNO 1479.

CXXXV.

Remiſſio indignationis Regiæ Nobilitati Diſtrictuum Brodnicenſis & Culmenſis, quam incurrerunt bello ultimo ad Ordinem Theutonicum deficiendo. Datum in Korczyn Anno 1479. Feria ſecunda proxima ante Feſtum Sanctæ Hedvigis. *Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

KAZIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ Pruſſiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis. Quomodo etſi rerum, hominumq; Creator & Redemptor, deorum Deus ſicut in cœleſtibus, ſic & in terrenis quosdam præeſſe, quosdamque ſubeſſe providentiæ ſuæ dignatus eſt, præcipuamq; omnium virtutum obedientiam commendans in primis Parentibus ejus prævaricationem adeo corripuit, ut ipſius correctionis pondera usque modo totus terrarum Orbis ſentiat & experiatur, hanc etiam Principibus Gentium Doctor bonis & diſcolis docuit exhibendam. Transgreſſores itaque ejus tanto graviore afficiendi ſunt pœna, quanto divinis factis & dictis ſingularius ipſa virtus exiſtit commendata. Verum cum humanam conditionem tanto procliviorem lapſui animadvertimus, quanto primorum Parentum exceſſu a cœleſtibus longius abductam eſſe experimur. Quoniam & ipſi homo ſumus, plurimumque divina egemus miſeratione, cum ipſe Rex Regum & Dominus Dominantium Pater exiſtens miſericordiarum, nam & miſericordiæ ejus non eſt numerus, miſeretur quotidie & dimittit, dimittereque temporanea præcipit, ut & ipſe dimittat etiam. Tanto magis Nobis miſereri & indulgere convenit, quanto ampliorem indulgentiam egentes expectamus. Proinde precibus Illuſtriſſimorum Natorum noſtrorum KAZIMIRI, ALBERTI & ALEXANDRI, Reverendiſſimorumque & Reverend. in Chriſto Patrum, ac Magnificorum Prælatorum & Baronum noſtrorum, ac Regni noſtri Conſiliariorum ſincere Nobis dilectorum permoti omnem indignationem & exceſſum, quo contra Nos & Regnum noſtrum Nobiles, Terrigenæ, Vaſalli & cæteri incolæ diſtrictuum Brodniczenſis & Culmenſis Nobis noviſſime rebellantes, Magnificoq; & Ven. MARTINO TRUGZES Magiſt. Gen. Ordinis S. MARIÆ in Terris noſtris Pruſſiæ Principi & Conſiliario noſtro hinc Nobis adverſanti adhærentes exceſſerant. Ex quo jam ipſe idem Magiſter, cum Commendatoribus, Ordine & ſubditis ſuis in gratiam & obedientiam noſtram redierit, indulſimus & dimiſimus, indulgemusque & dimittimus tenore præſentium mediante. Promittentes ab ipſis Terrigenis, Vaſallis & cæteris incolis diſtrictuum prædictorum occaſione præmiſſi exceſſus nunquam aliquam accipere ultionem vel vindictam, nec ipſam indignationem ad eos unquam revocabimus, imo verius ipſos circa jura & libertates ipſorum firmiter & illæſe conſervare volumus, & præſentibus pollicemur harum, quibus ſigillum noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum teſtimonio literarum. Datum in Nova Civitate Korcyni Feria ſecunda proxima ante Feſtum S. Hedwigis Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono.

STANISLAUS *Cancellarius ſcripſit.*

Relatio Venerabilis Stanislai de Kurozwanki Regni Poloniæ Cancellarii.

CXXXVI.

1480.

MARTINI TRUCHSES *Magiſtri Pruſſiæ Recognitio de concordia inita cum* CASIMIRO *Rege & de compenſatione damnorum per Polonos illatorum.* Datum in Caſtro Nydenburg ipſo die S. Venceslai Mart. Anno 1480. *Ex Original. Sigillum 1.*

NOS Frater MARTINUS TRUCHSES Ordinis S. MARIÆ Domus Theutonicorum Hieroſolimitan. Magiſter Generalis. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis. Quod dum alias ſuperiori tempore Sereniſſimus Princeps & Dominus D. CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus & Hæres &c. nonnullos Capitaneos cum exercitibus ſuis in Terras Pruſſiæ contra Reverendum Patrem Dominum Nicolaum Epiſcopum Warmienſem & ſubditos Epiſcopatus Warmienſis bellaturos miſiſſet, qui quidem ſtipendiarii ſuæ Majeſtatis, præter ſcientiam ac voluntatem ac contra prohibitionem ſuæ Celſitudinis, Nobis & ſubditis Ordinis noſtri certa & non mediocria dampna intulerant, pro quibus complanandis per medium Conſiliariorum ſuæ Majeſtatis, cum Commendatoribus Ordinis noſtri per Nos ad id deputatis, pro Feſto Sancti Jacobi proxime præ-

Anno 1480. præterito in Civitate Elbingenſi convenientibus hoc modo conventum eſt. Quod ſua Majeſtas tria millia Florenorum Hungaricalium Nobis & Ordini noſtro pro Feſto Nativitatis Chriſti proxime venturo dimidium, videlicet mille & quingentos Florenos, & pro alio Feſto Nativitatis Chriſti proxime inſtanti dimidium ſummæ, videlicet alios mille quingentos Florenos Hungaricales dare, & realiter exſolvere, manualiterq; in civitate Elbing. reponere debebit & tenebitur cum effectu, prout in literis ſuæ Majeſt. deſuper confectis clarius eſt expreſſum. Nos vero hujusmodi compoſitionem & ordinationem gratam & ratam habentes acceptamus, noſtro & Ordinis noſtri nominibus promittentes occaſione omnium præmiſſorum, Nos hujusmodi ſumma eſſe contentos. Harum, quibus ſubappenſum eſt ſigillum noſtrum, teſtimonio literarum. Datum in Caſtro noſtro Nydenburg ipſo die S. Venceslai Martyris, Anno Domini 1480.

CXXXVII.

1494. Joannis Alberti *Regis Confirmatio Jurium & Libertatum Terrarum Pruſſiæ.* Datum in Thorun Sabbatho in Vigilia S. Andreæ Apoſtoli, Anno 1494. *Ex Archivo Regni Lib. 8. ſub Lit. H. fol. 132.*

In Nomini Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam &c.

Nos Joannes Albertus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæq; Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis. Quomodo revolventes in animo, qua, quantaq; puritatis affectione, & integræ fidei conſtantia tam Prælati ſpirituales quam ſæculares, Comites, Barones, Milites, Proceres, Nobiles, Communitatesque Civitatum & Oppidorum, cæterique ſubditi & incolæ Terrarum Pruſſiæ, tam ſpirituales, quam ſæculares, Perſonam noſtram venerati ſunt atque dilexerunt, ut tandem decedente felicis memoriæ Sereniſſimo Principe Domino Casimiro &c. Genitore & Prædeceſſore noſtro chariſſimo, Nos tanquam verum Hæredem & legitimum Succeſſorem, ipſis in Dominum & Regem concordibus voluntatibus, una cum aliis Regni noſtri Conſiliariis, Dignitariis, Officialibus, & cujuscunque ſtatus conditionisque ſubditis & incolis, elegerunt & aſſumpſerunt, ſacro quoque Regni diademate inſigniverunt. Cum igitur, Altiſſimo dirigente, votis eorundem incolarum Regni noſtri, in noſtram Majeſtatem deliberate concurrentibus, paternum ſacri Regni Poloniae nacti ſumus ſolium, dignum ea propter duximus, in ipſos ſubditos incolasque oculos pietatis noſtrae aperire, & eis hanc, quam actu & opere veluti athletae fideles exhibuerunt, ſinceritatem & conſtantiam gratitudine noſtra, ut decet, compenſare, unde ex certa noſtra ſcientia, praehabitaq; ſufficienti deliberatione, animo benivolo, & voluntate noſtra ultronea, ipſis Praelatis, Comitibus, Baronibus, Dignitariis, Officialibus, Militibus, Proceribus, Nobilibus, Civitatibus & earundem Communitatibus, caeterisque ſubditis & incolis Terrarum Pruſſiae, cujuscunque ſtatus conditionisque exiſtant, quaeque ipſorum jura & privilegia, tam Eccleſiaſtica quam ſaecularia, quaecunque a divae memoriae Regibus, Principibus, & ab olim Genitore & Praedeceſſoribus noſtris ſuper quibuscunque bonis & libertatibus habere dinoſcuntur & habent, ſub quibuscunque datis, in vita ipſorum emanatas & conceſſas, emanataque & conceſſa, jura & privilegia in ſe continentes, in omnibus earum poſitionibus, conditionibus, articulis univerſis ratificamus, gratificamus, approbamus, & præſentium literarum patrocinio confirmamus, decernentes easdem eademq; robur habere perpetuæ firmitatis, promittentes inſuper in verbo noſtro Regio, & tenore praeſentium ſpondentes, eadem ipſorum jura, libertates & privilegia per omnia rata grata habere, & inconcuſſe, jugiter, inviolabiliter & perpetuo, juſtitia mediante gratioſe conſervare. In cujus rei teſtimonium &c. Datum in Thorun Sabbatho in Vigilia S. Andreae Apoſtoli, Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto, Regni vero noſtri Anno tertio. Praeſentibus Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Creslao de Kurozwanki Electo confirmato Wladislavienſi & Regni noſtri Cancellario, Uriele Poſnanienſi, Luca Varmienſi Epiſcopis; nec non Magnificis, Generoſis & Nobilibus, Ambroſio Pampowſki Siradienſi, Mathia de Służewo Breſtenſi, Nicolao de Bayſen Mariemburgenſi, Carolo de Felden Culmenſi, Nicolao de Wolikow Pomeraniae Palatinis, Nicolao de Strzezow Viſlicienſi, Johanne Podlodowſki de Przytyk Radomienſi, Petro Myſzkowſki Rozpierienſi, Nicolao Bardzina de Ludbrancz Spiczimirienſi Caſtellanis. Petro Kmitha de Wisnicze Regni noſtri, & Raphaële de Leſzno Curiæ noſtrae Mareſchal- Anno 1464.

ANNO 1494. ſchalcis, caeteriſque Dignitariis, Conſiliariis & Curienſibus noſtris, fide dignis teſtibus. Datum per manus Venerabilis Gregorii de Ludbrancz Scarbimirienſi, & Sancti Floriani in Klepars Eccleſiarum Praepoſiti, Regni noſtri Vicecancellarii ſincere Nobis dilecti.

Relatio eiusdem Venerabilis Gregorii de Ludbrancz Regni noſtri Poloniæ Vicecancellarii.

CXXXVIII.

1502. MAXIMILIANI *Imperatoris ad Gedanenſes Literæ, quibus eos ad generalem contra Turcas expeditionem hortatur.* Datum in Inſprug d. 16. Januarii Anno 1502. *Ex Archivo Regni Lib. Leg. ſub Lit. H. fol. 14.*

MAXIMILIANUS Dei Gratia Rex Romanorum, & Auctor ejusdem Regni perpetuus, noſtris fidelibus Magiſtro Civium & Conſulibus Civitatis Gedanenſis.

Fideles noſtri Chariſſimi!

Eſt vobis ſine dubio notum, quomodo Turci, perfidi hoſtes Chriſtianae Religionis, Imperium Graecorum & multa alia Regna, Poteſtates & Provincias a Chriſtianitate ad ſe traxerunt, & populos pene innumerabiles Chriſtianorum hominum interfecerunt & abduxerunt, & poteſtatem ipſorum ita extenderunt, ut niſi quanto citius eisdem Turcis perfidiſſimis a Nobis repugnatum fuerit, extunc in parvo tempore ad Chriſtianitatem in tantum ſe intromittent, quod tandem perpetuis temporibus Nobis fiet impoſſibile eis iterum dominari & repugnare. Nunc quivis ſua ratione propria diſcernere poteſt, quod ubi Nos cum Rege Franciae totius Chriſtianitatis fortiori diutius contendere et diſſentire debuiſſemus, quod iterum atque iterum ipſi Turci adverſus ipſam Chriſtianitatem magis atque magis conſpirati fuiſſent, quo magis nocumentum eis iterum inferrent. Nos igitur, tanquam Caput et Protector Chriſtianorum, hujusmodi damna mente revolvimus, ad utilitatem principaliter Chriſtianitatis, et Regni protectionem, pacem tandem perpetuam cum eodem Rege Franciae fecimus et concluſimus, et ultra hoc pari voluntate decrevimus, ex innato Nobis deſiderio et diu conſtituta voluntate, contra perfidos Turcos, Chriſtiani nominis hoſtes, Nos ſemel adhuc ituros, una cum Papa Patre noſtro, et praefato Rege Franciae, ſimiliter cum Hiſpaniae et Hungariae Regibus, Venetis item et aliis Communitatibus multa congregavimus, qui ad hujusmodi rem, tam utilem quam neceſſariam, Nobis manus adjutrices dabunt, et auxilium facient. Quocirca amonemus vos circa ſalutem animae veſtrae, honoris et debiti, ſicuti Sanctae Fidei Chriſtianae, et Nobis Regi Romanorum obligati eſtis, quod Nobis ſicut veſtro Domino Capitali et Protectori Chriſtianitatis fideli veſtro iuvamine ſuccurrere debeatis, quantum ratio et ſalus animae veſtrae vobis indicat et praecipit, ut cum hujusmodi juvamine praefato prima die Menſis Junii proxime ventura Nobiscum fore debeatis, ubicunque fuerimus conſtituti, cum quo juvamine Deo volente toti Chriſtianitati viam et introitum praeparabimus, quo audentius et fortius ingreſſum ipſorum ad ſaepedictos Turcos infideliſſimos facere poterunt. Quo ſic multi Reges paganorum, qui nunc temporis cum Turco diſſentiunt, et ei contrariantur, adverſus eundem fortificentur, et ſimiliter aliorum, ad quos noſtra mandata et literas mittimus, qui etiam Turcorum ſunt inimici, pariter Nobiscum contra Turcos commoveantur et incitentur, ita ut hujusmodi Turcorum propoſitum noſtra unitate debilitetur et annihiletur, et noſtra etiam ſanctiſſima fides ſervetur, etiam ut Provinciae Chriſtianorum, qui a Turcis hucuſque ſunt devicti et diſtincti, ſimiliter et homines Chriſtiani a ſua tyrannica fide, ad quam a Turcis compulſi ſunt, rurſus ad fidem noſtram convertantur, faciemus etiam contra Turcum Nobis in adjumentum Crucem Chriſti et Jubilaeum exclamare per Legatum Papalem in tota Chriſtianitate, et pecuniam illam impoſitam per noſtrum et illius Legati conſilium accipere pro conſervatione noſtri exercitus, quam quidem pecuniam etiam poſtulare, emovere et recipere debebit in conſolationem Chriſtianitatis, et Nos non dimittere in hujusmodi propoſito noſtro laudabili, ſicut Deo, ſanctae Chriſtianitati, Nobis item & veſtrae conſcientiae facere teneamini, ſicut de vobis confidimus, pro quo procul dubio ſpecialiter mercedem et laudem ſempiternam recipietis, Nos quoque hujusmodi paratam erga Nos voluntatem in omni bono nunquam obliviſcemur. Datum in Inſprug die 16. Menſis Januarii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſecundo, Anno vero Regni noſtri nono, Regni autem Hungariae duodecimo.

ANNO 1502.

Ad mandatum D. Regis proprium.

 CXXXIX.

Anno 1502.

CXXXIX.

Alexandri *Regis Poloniæ ad præcedentes Literas Reſponſum.* Datum Cracoviæ 24. Aprilis An. 1502. *Indidem fol. 23.*

Sereniſſimo Principi Domino Maximiliano Divina favente Clementia Romanorum Regi ſemper Auguſto, Archiduci Auſtriae etc. Fratri et Conſanguineo noſtro cariſſimo, Alexander Dei Gratia Rex Poloniae etc. ſalutem et plurimam felicitatem. Sereniſſime Princeps, Conſanguinee noſter cariſſime. Exhibuerunt Nobis Literas Veſtrae Serenitatis ſubditi noſtri Cives Gedanenſes Terrarum noſtrarum Pruſſiae, quibus ſcribit Veſtra Serenitas, et eos cohortatur ad parendum, et unanimiter intendendum bello gerendo, pro expeditione, quam parat Serenitas Veſtra contra communes Religionis noſtrae et Crucis Chriſti hoſtes, perfidiſſimos Turcos, una cum caeteris Regibus Chriſtianis et Principibus Germaniae. Quam quidem expeditionem, ſi ſuccedet proſpere tantis rebus gerendis, felicitatem omnem pro tranquillitate ſtatus Chriſtianorum hominum plurimum exoptamus evenire, et non minus favemus, et ſumme cupimus caeteros Reges et Principes conſentire unanimi voluntate ad tam ſalubrem expeditionem, quae profecto ſtatui Chriſtianorum univerſo tam ſalubris eſt quam neceſſaria. Verum quod ſolicitat literis ſuis Veſtra Serenitas noſtros ſubditos ad ejusmodi rerum gerendarum, quam mature parat, expeditionem, Nobis profecto haec res redit in admirationem incredibilem. Novit etiam Veſtra ſemper Serenitas pro ſtatu Regni noſtri et hujus tractu Orbis ſemper, Nos continuis et quotidianis decertare prœliis contra Scythas et Sarmatas genus multipliciter infeſtiſſimum rebus Chriſtianorum, et aetate noſtra invaleſcente hoſtilitate Turcorum cogimur tam Scythis, quam Turcis, tam aeſtivis quam hybernis temporibus noſtrum Regnum oppugnantibus ſemper prompta et parata in armis manu obſiſtere. Quorum tam Barbarorum, quam Maſſagetarum, et reliquorum Schismaticorum ferociam ab Chriſtianorum cervicibus reprimentes, ſemper actiones belli contra eos cogimur reintegrare, et ea in re pariter utimur opera et auxilio noſtrorum ſubditorum, qui ex fide et obedientia Nobis et Regno dedita inviolabiliter eam erga Nos retinent, ſed Nos non aliud intereſſe exiſtimamus alienos ſolicitare ſubditos absque eorum Domini adſenſu, quam permovere animos eorum tentandi gratia ad deſertionem. Quod ſi licitum et fas eſt in rebus humanis, rectius cenſeat Veſtra Serenitas; non exiſtimamus etenim fore incognitum Veſtrae Serenitati, quemadmodum Majores noſtri ſolium Regni Poloniae gubernantes, pro veteri et antiquo jure Terrarum noſtrarum Pruſſiae et Pomeraniae, in cujus territorio Civitas noſtra Gedanenſ. ſituata eſt, judicialiter & jure multo tempore in actione perſtiterunt in audientia Summi Pontificis, ubi ex clariſſimis deductionibus et probationibus tandem pro Rege et Regno Poloniae ſententialiter definitum exiſtit, et Terrae Pruſſiae adjudicatae ſunt, condemnatique Cruciferi occupatores Terrarum ad cedendum injuſte occupatis, et ad perſolvendas ſatis notabiles pecuniarum ſummas pro damnis illatis, et ſceleribus perpetratis. Et cum executio juris contra eos habere non potuit effectum, deventum tandem fuit ad arma, et poſt tanti temporis bellicas actiones, fortuna belli ſecuta eſt juſtitiam, conceſſerunt Terrae illae in ditionem Regis et Regni noſtri. Et Parens Veſtrae Serenitatis olim divae memoriae Fridericus Imperator Auguſtus conſcius actionum et juſtitiae Parentis noſtri Casimiri Regis, et Regni Poloniae juris, quod ipſi ſoli competit ad Terras illas, licet etiam quandoque invitus tractus ad defenſionem rerum Cruciferorum, voluit tamen liberam juris et juſtitiae pro Rege et Regno Poloniae executionem fieri, quo minus impediretur. Non poſſumus et Nos cum Proceribus Regni noſtri univerſis, aequo illud ſuſcipere animo, quod nedum hoc ſtatu rerum ſollicitat, Nobis irrequiſitis Veſtra Serenitas noſtros ſubditos in auxilium ſuarum actionum, ſed quod etiam in vita humanitus exiſtente olim Sereniſſimo Domino Joanne Alberto Rege immediato Anteceſſore noſtro Germano, ipſos Gedanenſes Cives citare voluit Veſtra Serenitas ad Conſiſtorium Imperiale et Principum Germaniae. Cum tamen ſubditi uniuscujusque Regum et Principum profecto nonniſi ad ſuorum jurisdictionem Dominorum jus et judicium ſint evocandi. Hoc igitur habeat pro comperto Veſtra Serenitas, et hac in re jam efficiatur certior, quod nequaquam Nos permittemus ſubditos noſtros parere, quibuscunque citationibus concitatos ad Veſtrae Serenitatis inſtantiam, aut ad Conſiſtorium Imperiale et Principum Electorum Imperii evocari patiemur, ſed apud Nos de ipſis poſtulantibus juſtitiam reddere non dubitamus, neque ſumus adeo rerum ignari, quod per eum ſollicitan-

Anno 1502.

Anno 1502. citandi modum a fide ipſi noſtri ſubditi nunquam deficere comperientur. Ita neque ad hujusmodi requiſitionem expeditionis Veſtræ Serenitatis parere quidquam curabunt. Et profecto his rationibus quærendi auxilii pro expeditione contra rabiem Turcorum, quam mature parat Veſtra Serenitas, pertimeſcendum eſt, ne loco præſidii & auxilii ferat impedimenta, ſi iſta via peragendum putaverit. Valere feliciſſime V. S. exoptamus, & de communi Chriſtianorum hoſte triumphare. Datum Cracov. 24. Aprilis An. Domini milleſimo quingenteſimo ſecundo, Regni vero noſtri Anno primo.

CXL.

1504. Alexandri *Regis Poloniæ Confirmatio Jurium Oppidi Gdanenſis.* Actum in eo ipſo Oppido Feria ſecunda in craſtino Feſti SS. Trinitatis An. 1504. *Ex Archivo Regni Lib. 11. Lit. L. fol. 280.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Celebris ac diuturna Principum conſuetudo hoc inſtituiſſe cernitur a ſæculo, ut quidquid geſtum ſit, confirmationis robore perpetuetur. Id propter ſempiternam rei geſtæ memoriam literarum perhennium tenores commendant. Proinde Nos Alexander Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis. Quomodo attendentes ſingularem egregiamque virtutem, ac fidei et integritatis conſtantiam Famoſorum Proconſulum, Conſulum, & univerſorum oppidi noſtri Gedanenſ. in Terris Pruſſiæ conſiſtentis incolarum in Prædeceſſores noſtros Reges Poloniæ, in Nos quoque ſingulariter ſub Interregno poſt mortem Sereniſſimi olim Joannis Alberti Regis Poloniæ, Germani Prædeceſſorisque noſtri, & poſt felicem Coronationem noſtram cum debita & omnimoda veneratione habuerunt & exhibuerunt, & præſertim dum hoc in præſentiarum ut fideliſſimi & obedientes ſubditi magnifico de univerſis Opidi Gdanenſ. ſtatibus apparatu noſtrum felicem ad Opidum iſtud adventum honorificentiſſime exceperunt, honeſtarunt, & apud eos conſtitutis Nobis fidelitatis, omagii & ſubjectionis juramenta non minus libenter quam officioſe præſtiterunt, propter quod Nos tantæ eorum virtutis & fidei indicium memorabile ac perpetuum efficere, perpetuaque munificentia Regia ipſos ac Opidum prædictum noſtrum Gedanenſe, univerſosque ejusdem incolas complecti volentes, non per errorem vel improvide aut indeliberate, ſed de certa ſcientia & innata Nobis virtute, liberalitate & deliberatione, de conſilioq; Conſiliariorum noſtrorum ipſis omnes & ſingulas libertates, prærogativas, privilegia, indulta, donationes, literas, monumenta, immunitates & quaslibet inſcriptiones, ſub quibuscunque verborum tenoribus, modis atque dictis per Nos, ac per Sereniſſimos Illuſtriſſimosq; Prædeceſſores noſtros Reges, Principes ac Duces Regni Poloniæ & Terræ Pomeraniæ, juſte tamen, rationabiliter & legitime, ſimul aut ſucceſſive datas, donatas, conceſſas & emanatas, ac data, donata, conceſſa & emanata, quorum & quarum tenores hic habere volumus pro inſertis, in omnibus ipſorum & ipſarum modis, punctis & articulis, clauſulis & conditionibus roboranda, confirmanda & gratificanda, ac roborandas, confirmandas & gratificandas duximus & decrevimus, roboramusque, confirmamus & gratificamus, ac præſentis ſcripti patrocinio confirmamus & approbamus, decernentes illas & illa vere, perpetue, indubie & inviolabiliter firmitatis robur obtinere in ævum; promittentes quoque illas & illa, ac quomodolibet illorum illarumque in omnibus prædictis eorum & earum modis & poſitionibus, deſcriptionibus, articulis, punctis & conditionibus firmiter, inconcuſſe & inviolabiliter tenere, habere & obſervare, tenerique, haberi & obſervari facere temporibus perpetuo duraturis, tenore præſentium mediante. Actum in eo ipſo Oppido noſtro Gedanenſi Feria ſecunda in craſtino Feſti Sanctæ Trinitatis Anno Domini milleſimo quingenteſimo quarto, Regni noſtri tertio. Præſentibus ibidem Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis, Magnificis & Venerabilibus Vincentio Vladislavienſi, Joanne Posnanienſi, Luca Varmienſi Epiſcopis, Joanne de Tarnow Sandomirienſi &c.

CXLI.

Idem confirmat Jura Terrarum Pruſſiæ. Actum in Mariemburg, Feria ſecunda poſt Feſtum Sancti Viti, Anno 1504. *Ex Archivo Regni Lib 12. Lit. M. fol. 25.*

Anno 1504.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Acta præſentis temporis ſolent deperire, niſi ſcripturæ præſidio, & adminiculo teſtium ad memoriam futurorum ſempiternam fuerint roborata. Proinde Nos Alexander Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quomodo attendentes ſingularis virtutis, fidei & integritatis conſtantiam Prælatorum, Baronum, & univerſorum Terrarum noſtrarum Pruſſiæ incolarum, quod in Prædeceſſores noſtros Reges Poloniæ, in Nos quoq; ſingulariter ſub interregno poſt mortem Sereniſſimi olim Joannis Alberti Regis Poloniæ, Germani Prædeceſſoriſque noſtri, & poſt felicem Coronationem noſtram cum debita veneratione habuerunt & exhibuerunt, & præſertim dum hic in præſentiarum ut fideliſſimi & obedientes ſubditi Nos in felici noſtro huc in Terras Pruſſiæ adventu honoratiſſime ſuſceperunt, fidelitatiſque, omagii & ſubjectionis juramenta non minus libenter quam officioſe præſtiterunt. Propter quod Nos tantæ eorum virtutis & fidei indicium memorabile ac perpetuum efficere, perpetuaque munificentia Regia ipſos, univerſosque Terrarum noſtrarum Pruſſiæ incolas, ſubditos noſtros complecti volentes, non per errorem aut improvide, ſed deliberate, ſcilicet de certa ſcientia, & innata Nobis virtute, favore & deliberatione Regiis noſtris .... omnia & ſingula privilegia ſpiritualia & ſæcularia, localia, libertates, prærogativas, inſcriptiones, donationes, immunitates, ſtatuta, obſervationes & conſuetudines in gratiam aut in ſpem in publico aut in privato omnibus & ſingulis Terris noſtris Pruſſiæ & earum incolis ſpiritualibus & ſæcularibus, Nobilibus & plebeis cujuscunq; ſtatus, ſexus & conditionis nunc & in futurum exiſtentibus per Nos, aut Sereniſſimos Illuſtriſſimosque Principes, Reges & Duces Regni Poloniæ, Prædeceſſores noſtros Terrarum harum Pruſſiæ legitimos Dominos & Hæredes in diverſis locis & conventibus, ac in conventionibus & ſine conventionibus deliberata, concluſa & conceſſa generalibus & ſpecialibus privilegiis, literis & inſcriptionibus deſcripta, ac univerſa alia ſub quocunque privilegiorum, literarum & inſcriptionum genere ordineque communiter aut diviſim, juſte & legitime data, conceſſa, ſcripta, ac ab aliis emanata, quorum ac quarum tenores, articulos & effectus perinde eſſe ac valere volumus & ſtatuimus, ut præſentibus noſtris originaliter ac de verbo ad verbum inſertæ inſertaque eſſent in omnibus ipſorum ipſarumque punctis, conditionibus & articulis innovandum, roborandum, approbandum, gratificandum, & præſentis muniminis Regii noſtri perpetui patrocinio confirmandum duximus ac innovamus, ratificamus, roboramus, approbamus, gratificamus & confirmamus tenore præſentium mediante in perpetuum, promittentes illos & illa, ac quælibet illorum illarumque in omnibus prædictis eorum & earum modis, poſitionibus, deſcriptionibus, articulis, punctis & conditionibus firmiter, inconcuſſe & inviolabiliter tenere, habere & obſervare, tenerique. haberi & obſervari facere temporibus æviterne duraturis, tenore præſentium mediante. Actum in Mariemburg Feria ſecunda poſt Feſtum Sancti Viti, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quarto. Præſentibus in Chriſto Patribus Dominis Vincentio Vladiſlavienſi, Joanne Poznanienſi, & Luca Varmienſi Eccleſiarum Epiſcopis, nec non Magnificis, Venerabilibus & Generoſis Joanne de Tarnow Sandomirienſi, Nicolao Gazdzyna de Ludbrancz Caliſſienſi, Ambroſio de Pampow Siradienſi & Majoris Poloniæ Capitaneo Generali, Joanne de Dambrowa Culmenſi, Mathia Rabe Marienburgenſi, & Nicolao de Wolikow Pomeraniæ Palatinis, Joanne de Laſko Regni noſtri Cancellario et Joanne Rapſtynſki de Tanczyn Marſalco Sandomirienſi et Plocenſi Capitaneo, cæteriſque Conſiliariis et Curienſibus noſtris ſincere fidelibus dilectis. Datum per manus ejusdem Venerabilis Joannis de Laſko Regni Poloniæ et Eccleſiæ Gnesnenſis Cancellarii ſincere Nobis dilecti.

CXLII.

1505. *Eiusdem Donatio Inſulæ Neringa dictæ Civitati Gedanenſi.* Actum in Conventione Generali Radomienſi, Feria tertia pro Feſto S. Georgii Mart. An. 1505. Anno Regni quarto. *Indidem fol. 171.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Vetuſtis ac diuturnis obſervari conſtat temporibus, ut Actus atque Decreta Imperiali, Regali atque Ducali auctoritatibus promulgata perpetuo duratura, litera-

Anno 1505. literarum apicibus commendentur, quarum tenores geſtæ rei imaginem .... memoratam, aut oculis ſubjectam poſteritati, ſucceſſive innovarent ævo memorandam ſempiterno. Proinde Nos Alexander Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, ac Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniæque Dominus et Hæres etc. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, præſentibus et futuris, harum notitiam habituris. Quomodo dum anno proxime præterito Nobis in Mariemburg feliciter agentibus orta fuiſſet controverſia, ad noſtramque et Conſiliariorum noſtrorum audientiam deducta, inter Famoſos Proconſules et Conſules Civitatum noſtrarum Gedanenſis ex una, et Elbingenſis partibus ex altera, pro proprietate et poſſeſſione inſulæ vulgari almanico Neringa nuncupatæ, cujus occaſione Partibus utrisque juſtitiam miniſtrare cupientes, certum eis præfixeramus terminum ad producendum jura, munimenta et privilegia, quibus viſis, auditisque partium propoſitionibus, deductionibus, allegationibus et reſponſis, de conſenſu Conſiliariorum noſtrorum Terrarum Pruſſiæ tunc Nobis aſſidentium, decreveramus ex eisdem juribus et allegationibus, quæ coram Nobis dicta ac dictæ, productaq; ac productæ erant, nihil juſtitiæ parti utrique ad Neringam competiiſſe, ſic quoque ad Nos, velut Terrarum Pruſſiæ Dominum et Hæredem devolutam eſſe, propterea que partibus utrisque ſuper ea ſilentium impoſuimus perpetuum, duximus tamen Nos contentos fuiſſe, ſi in futurum jura et privilegia ſua coram Nobis potiora producerent, ut tandem illis viſis, iterum iterumque eam controverſiam in futurum noſtro ad Mariemburg adventu cognoviſſemus, et juſtitiam miniſtraſſemus. Verum quia Conſules Gedanenſes a diffinitione et decreto prædictis noſtris ad Conventionem Generalem in Regno proxime futuram appellarant, quibus propterea citationem noſtram contra Elbingenſes dedimus, qua mediante Proconſulibus et Conſulibus Civitatis noſtræ Elbingenſis mandavimus, quatenus in Conventione Generali ubicunque in Regno noſtro proxime futura coram Nobis et Conſiliariis noſtris ad inſtantiam eorundem Proconſulum Gedanenſium, cum omnibus juribus et munimentis ſuper ipſa inſula habitis, aut eorum veris et indubitatis tranſumptis, decima die poſt noſtrum felicem ad illam Conventionem ingreſſum judicialiter comparuiſſent, ubi Nos juribus debite reviſis, et auditis partium propoſitis et reſponſis, id, quod juſtum viſum fuiſſet, cum Conſiliariis noſtris decreviſſemus, et ſi comparere neglexerint, Nos cum parte comparente, abſentia alterius non obſtante, in Conventione ipſa Generali ad ea, quæ juris fuerint, procederemus, et finale ac perpetuum decretum proferre deberemus, de qua re Conſules ipſos Elbingenſes per dictas noſtras citationis literas, horum deſcriptionem continentes, effecimus certiores et aviſatos. Quo citationis noſtræ adveniente termino Conſules Gedanenſes coram Nobis et univerſis Conſiliariis noſtris in præſenti Conventione totius Regni Generali perſonaliter hic comparentes, exhibitis et prius in Mariemburg productis et aliis eorum privilegiis, ab olim Prædeceſſoribus noſtris ſuper eandem inſulam Neringa habitis accuſata contumacia Conſulum Elbingenſium non comparentium, et privilegia munimentaque ſua, vel illa, quæ in Mariemburg producebant, vel potiora, ſi haberent, non producentium, petierunt humiliter id, quod juris eſſet, per Nos, univerſosq; Regni Conſiliarios in hac ipſa præſenti Conventione Generali conſtitutos decerni. Nos vero nolentes cum parte comparente in abſentia partis alterius quid præcipitanter agere, diffinitionem noſtram, ſententiam et perpetuum decretum ad certos alios terminos pro utraque parte, et ordine terminorum uſque ad quartam vicem inſcriptos, prorogavimus, in quorum quolibet Conſules Elbingenſes per Edictum publicum, ut juris eſt, Regni noſtri iterum iterumque ad comparendum vocari mandavimus, prout vocati erant, uſquequo ventum eſſet ad ultimum pro quarta vice diei hodiernæ terminum, in quo cum Proconſules & Conſules Elbingenſes nec per ſe, nec per ſuos legitimos Procuratores comparuiſſent, Gdanenſes vero in quolibet terminorum, accuſando citatorum Elbingenſium contumaciam, pro ſe et pro ſua parte diligentiam feciſſent, et præſertim in termino ultimo diei hodiernæ, quo cum univerſis Prælatis ſpiritualibus et ſæcularibus Regni noſtri Conſiliariis, in præſenti Conventione totius Regni Generali conſtitutis, præſidebamus in judicio ad diffiniendas cauſas ad eam ipſam Conventionem quomodolibet ſuſpenſas, inſcriptas, aut ex more Regni pendentes, ad quam Conventionem etiam univerſos Prælatos ſpirituales et ſæculares, et civitatum Proconſules et Conſules Terrarum noſtrarum Pruſſiæ vocavimus, quibus non venientibus nihilominus, cum ipſi Gedanenſes Conſules petiiſſent, Anno 1505.

Anno 1505. tiiſſent, per Nos et eosdem univerſos Regni noſtri Conſiliarios id, quod juris eſſet, decerni, Nos cum Coſiliariis eisdem univerſis primum approbantes et ratificantes, prout approbamus et ratificamus ſententiam illam in Mariemburg promanatam. Tametſi Elbingenſes Conſules ad inſtantiam partis citantis condemnare potuiſſemus in his, quæ de jure eſſent, ratione non comparitionis eorundem, tamen ex pietate innata decretum condemnationis, quæ de jure ferenda erat, in partem gratiae noſtrae Regiae commutavimus. Nolentes nihilominus Conſulum Gedanenſium, Nos Curiamque noſtram usque ad praeſentem convocationem, juxta exigentiam termini appellationis et citationis praedictorum obſequenter ſequentium, fatigas et diligentias irritum iri, et non minus conſideratis eorum ipſorum Proconſulum et Conſulum Civitatis noſtrae Gedanenſis fidelibus ſervitiis indefeſſaque fidelitate, conſtantia, quibus aſſidue olim divae memoriae Paternae, Fraternae, et ſpecialiter noſtrae Majeſtatibus ſe reddiderunt commendatos; itaque illos ſingulari noſtrae gratiae praerogativa amplecti, et conſolatos reddere cupientes, ut munificentiae et benignitatis Regiae noſtrae, ratione in fidei perſeverantia, et promptitudine ſervitiorum Nobis et Succeſſoribus noſtris exhibendis ferventius permaneant, non per errorem, vel improvide aut indeliberate, ſed de certa ſcientia, virtute et liberalitate Regiis noſtris, nec non de unanimi conſenſu et conſilio univerſorum Praelatorum praedictorum, ſtatus utriusq; Conſiliariorum noſtrorum Regni Poloniae impraeſentiarum hic Nobiscum agentium, imo ad petitiones eorum pro parte praedictorum Proconſulum et Conſulum Gedanenſium Nobis porrectas, præfatis Gedanenſibus fidelibus noſtris dilectis de manibus noſtris damus, et nova donatione donamus, inſcribimus, et liberaliter appropriamus perpetuo totam inſulam praedictam, vocatam Neringa, alias id totum, quidquid in ea ad Nos ex decreto in Mariemborg inter ipſos Gedanenſes et Elbingenſes prolato pertinuit et pertinet, per ipſos Gedanenſes cum omnibus pertinentiis, alias ſic per omnia, ut eam inſulam, vigore literarum per Dominum olim Kazimirum Regem Genitorem noſtrum ipſis inſcriptam, tenere et habere conſueverunt, tenendum, habendum, utifruendum et pacifice poſſidendum, prout antea praefati Gedanenſes ab annis donationum et inſcriptionum olim noſtrorum Praedeceſſorum in eorum poſſeſſione et proprietate erant, illamq; et illa omnia habuerunt et tenuerunt, et hucusque in poſſeſſione ſunt, eamque habent et tenent vigore prioris inſcriptionis, et donationis, per Dominum olim Casimirum Regem Genitorem noſtrum eisdem Gedanenſibus factae, datae, et liberaliter conceſſae, quam inſcriptionem Paternae olim Majeſtatis noſtrae in ſupplementum donationis praeſentis noſtrae ad petita Conſiliariorum eorumdem noſtrorum in omnibus punctis, articulis et clauſulis innovamus, confirmamus, et defectum illius, ſi quis eſt vel eſſet, per praeſentem donationem noſtram ſupplemus, hic quoque eam illiusque literas, habere volumus pro inſertis, et ſicut venationes in inſula praedicta per olim Paternam Majeſtatem conſtat Nobis eſſe reſervatas, ſic Nos etiam eas pro Nobis, Succeſſoribusq; noſtris reſervamus, quae omnia praemiſſa, donationemque praeſentem noſtram decernimus harum ſerie debita, et juſtae firmitatis habere robur in perpetuum, non obſtante inſcriptione per ipſam olim Majeſtatem Paternam Regiam Generoſo et Venerabili olim Ludovico de Erlichshauſen Magiſtro Pruſſiae ad eam arcem inſulae, ſeu ejus partem unam, in donatione Paternae ejusdem Majeſtatis Regiae inſcriptam factae, quam etiam in ſuo robore conſervamus, et ei praeſentibus derogare non intendimus, ſalvis conditionibus eisdem Gdanenſibus pro hac ipſa donatione Magiſtro facta inſcriptis, ac pertinentiis, juribus et conditionibus pro Nobis, alias Regibus Poloniae, in Oppido Gdanenſi inſcriptis et reſervatis ſemper ſalvis. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum praeſentibus eſt ſubappenſum. Actum in Conventione Generali Radomienſi Feria tertia pro Feſto S. Georgii Martyris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinto, Regni noſtri Anno quarto.

CXLIII.

Tranſumptum proteſtationis & informationis coram Summo Pontifice Cardinalibus a Procuratoribus Ordinis factæ, quod non ſit neceſſe mittere Nuntium Apoſtolicum ad Regnum Poloniæ & ad Pruſſiam pro facienda pace, quæ jam facta fuit Thoruniæ. Datum & actum in Caſtro Montis Regii, die quarta Octobr. Anno 1506. *Ex Originali. Sigill. 1.* 1506.

In

ANNO 1506.

In Nomine Domini Amen.

Noverint univerſi hoc præſens publicum Tranſumpti Inſtrumentum inſpecturi, lecturi & audituri. Quod Nos Job Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Pomezanienſ. Epiſcopus ad Illuſtriſſimi Principis & Domini, D. Frederici D. G. Ordinis B. Mariæ Theutonicorum Hoſpitalis Jeroſolimitani Magiſtri Generalis, Ducis Saxoniæ, Lantgravii Thuringiæ, & Marchionis Miſniæ, cæterorumque Præceptorum dicti Ordinis principalium & præſentium inſtantiam & requiſitionem omnes & ſingulos, quorum communiter vel diviſim intereſſe putavimus, eorumque Procuratores, ſi qui tunc adeſſent, pro eisdem ad videndum & audiendum infraſcriptas literas, & Inſtrumenta publica produci, recipi, & poſtquam productæ fuerint ad videndum & audiendum, manus Notariorum recognoſci, ipſasque & ipſa tranſumi, exemplari, publicari, & in publicam formam redigi mandari, auctoritatemque & decretum ordinarium per Nos interponi ad dicendam cauſam, ſi quam habent rationabilem, quare præmiſſa minime fieri debeant, allegandam per edictum publicum, literisque citationis valvis Eccleſiæ Sambienſis, ubi pro tunc reſedimus, expreſſo ad hoc dictæ Eccleſiæ Adminiſtratore Epiſcopo in longinquis agente, accedente conſenſu, affixis, citari fecimus & mandavimus ad certum peremptorium terminum competentem, videlicet ad diem & horam infraſcriptos, quibus advenientibus legitime in præſentia noſtra ſupradictis Principalibꝰ conſtitutis, citra quorumcunque Procuratorum ſuorum, per eos hactenus quomodolibet conſtitutorum, revocationum certas literas citatorias, de quibus ſupra fit mentio, a nobis emanatas debite executas de facto reportarunt, citatorumq; in eadem contentorum non comparentium contumaciam accuſarunt, ipſosque contumaces reputari, & in eorum contumaciam ſupradictas literas & inſtrumenta ſub tenore infraſcripto exhibuerunt atque dederunt, quas & quæ tranſumi, exemplari, publicari & in publicam formam redigi mandari, auctoritatemque & decretum ordinarium interponi per Nos inſtanter poſtularunt. Nos tunc Job Epiſcopus prædictus dictos citatos non comparentes reputavimus non immerito, prout erant quo ad actum & terminum hujusmodi, ſuadente juſtitia, contumaces, & in eorum contumaciam ſupradictas literas ſeu Inſtrumentum publicum ad manus noſtras recepimus, vidimus, legimus, tenuimus, palpavimus & diligenter inſpeximus, ſanumque, integrum & illæſum, ac omni prorſus vitio & ſuſpicione carere reperimus, ſignoq;, nomine, cognomine & manu diſcreti Viri Magiſtri Wilhelmi Hamer de Keyſerswerde, Clerici Colonienſis Diœceſis, ut prima facie apparuit, ſubſcriptum, ipſumque ulterius ad dictorum Dominorum Principalium inſtantiam per diſcretum Virum Notarium publicum infraſcriptum ibi præſentem transſumi, exemplari, ac in publicam Transſumpti formam redigi fecimus & mandavimus, volentes & Auctoritate ordinaria decernentes, quod præſenti noſtro Tranſumpto publico de cætero & in antea tam in Romana Curia, quam extra ubicunque locorum in judicio & extra ſtetur, illique detur & exhibeatur talis & tanta fides, qualis & quanta dictis literis originalibus hic inferius inſertis, & in præſenti Tranſumpto auſcultatis & collationatis, data fuit & adhibita, daturque & adhibetur, ſeu daretur & adhiberetur, ſi in medio exhibita fuiſſent aut oſtenſa; tenor vero dicti Inſtrumenti publici, unde ſupra fit mentio de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis:

„ *In Nomine Domini Amen.*

Anno a Nativitate ejusdem milleſimo quadringenteſimo viceſimo primo, Indictione quarta decima, die vero Jovis viceſima menſis Novembris, hora veſperarum vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Martini, Divina Providentia Papæ V. Anno quinto, coram præfato Sanctiſſimo Domino noſtro in mei Notarii publici & teſtium infraſcriptorum, ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, in præſentia perſonaliter conſtituti Reverendus in Chriſto Pater & Domini Caſpar Epiſcopus Oſilienſis, Jodocus Quedenaw Decretorum Doctor, Frater Ordinis B. Mariæ Theutonicorum Jeroſolimitani Procuratores, & procuratorio nomine Magnifici & Religioſorum Virorum Domini Magiſtri Generalis, & Fratrum Ordinis prædicti, ac Arduinus de Novarra in Romana Curia Advocatus Conſiſtorialis nomine dictorum Dominorum Procuratorum loquendo propoſuit, dixit & allegavit, qualiter ad eorum notitiam nuperrime deveniſſet, quomodo videlicet Sanctitas ſua quendam ſuum Nuntium ad Regni Poloniæ & Pruſſiæ partes ad faciendum & tractandum quandam pacem inter Dominum Regem Poloniæ & ſibi adhærentes ex una, ac Magiſtrum & Ordinem præfatos partibus ex altera, ſi poſſit; alioquin ad recipiendas petitiones & reſponſiones Partium earundem mit-

Anno 1506. tere & deſtinare decreviſſet. Verum Sanctitati ſuæ humiliter ſupplicamus, quatenus cum præfato Nuntio ſic mittendo ſuperſedere dignaretur, quia bonam pacem per ipſos Magiſtrum & Ordinem ac Regem Poloniæ prædictos in Thorun factam, & per Illuſtriſſimi Principis & Domini, D. Sigismundi Romanorum Regis ſententias arbitrales Budæ & Wratislaviæ latas confirmatam haberent, quam Dominus Magiſter & Ordo prædicti tenuerunt & tenent, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervare & tenere intenderunt & intendunt, ac intendere & tenere ac obſervare volunt, & propterea non eſſe expediens aliquem per Sanctitatem ſuam mitti ad illas partes Nuntium. Deinde vero Venerabiles & circumſpecti Viri Dominus Auguſtinus Dellante de Piſis, & Caſpar de Peruſio, dictæ Curiæ Advocati Conſiſtoriales, Veſtræ Sanctitati ſupplicant, quatenus Nuntium præfatum ad partes prædictas mittere & deſtinare pro vera pace inter Partes prædictas habenda dignaretur, qui quidem Domini Auguſtinus & Caſpar Advocati ſupradicti cum a Dominis Procuratoribus Domini Magiſtri & Ordinis præfatorum interrogati fuiſſent, cujus nomine hoc peterent, reſponderunt & dixerunt, quod nomine Regis Poloniæ, eapropter dicti Domini Caſpar Epiſcopus, & Jodocus Doctor Procnratores procuratorio nomine, quo ſupra, coram præfato Domino noſtro verbo proteſtati fuerunt contra dictum D. Regem Poloniæ de pœna in dictis concordiis & ſententiis contenta, quam totiens incurrit, quotiens aliquid contra dictas concordias & ſententias attemptaret, ſeu attemptari faceret, & nihilominus quandam papyri cedulam ad unum de Reverendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis Cardinalibus ſcriptam & loquentem pro quadam ſummarum informatione, ad manus ſuæ Sanctitatis debita cum devotione & humilitate dederunt & aſſignarunt, ſimiliter proteſtantes, prout in eadem cedula plenius continetur. Super quibus omnibus & ſingulis dicti Domini Procuratores procuratorio nomine, quo ſupra, petierunt ſibi a me Notario publico infraſcripto unum vel plura, publicum ſeu publica confici Inſtrumenta. Tenor vero dictæ papyri cedulæ, unde ſupra fit mentio, de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. "

„ *Reverendiſſime Pater.*

Dicitur, quod Dominus noſter intendit mittere quendam ſuum Nuntium ad partes Regni Poloniæ & Pruſſiæ, ad faciendum neſcitur quam pacem inter Regem Poloniæ & Ordinem &c. & ad recipiendum petitiones & reſponſiones Partium &c. ſi hujusmodi pacem facere nequiverit, unde pro parte Ordinis pro quadam ſummaria informatione Domini noſtri & Dominorum Cardinalium, quia hoc fieri non debeat, eſt ſciendum imprimis, quod Sereniſſimus Dominus Rex Romanorum per ſuas arbitrales ſententias, tam Budæ quam Vratislaviæ latas, pacem perpetuam, factam per ambas Partes & omnes eis adhærentes in Thorun, & literas deſuper confectas in omnibus ſuis punctis & articulis confirmavit, & mandavit Partibus ipſam perpetuis temporibus inviolabiliter obſervare, ſub pœna decem millium marcarum argenti puri, declarans, quod hujusmodi pax per nullas diſſenſiones inter Partes in futurum forſan emergendas unquam poſſit quomodolibet violari; Item quod Dominus Magiſter Generalis cum toto ſuo Ordine hujusmodi pacem ſemper ſervavit, & intendit ipſam perpetuis temporibus inviolabiliter obſervare, & ideo non videtur neceſſaria hujusmodi miſſio ad pacem faciendam, ex quo jam eſt pax inter Partes ipſas multis rationabilibus mediis per ipſas Partes facta, & ſolemnibus ſtipulationibus collata, & tot authenticis ſententiis confirmata, ſed potius videtur, quod Dominus noſter, prout ad ſuum ſpectat officium, Dominum Regem Polon. & ſibi adhærentes inducat, ut eandem pacem cum Ordine ſervet, quam Magiſter & Ordo ab ipſo plus quam pro ſumma quingentorum millium florenorum comparavit, & a frivolis & injuſtis moleſtationibus Ordinis abſtineat & deſiſtat, prout ad hoc ſub fide & honore Regiis ſæpe & ſæpiſſime in literis ſuis & compromiſſis extat efficaciter obligatus. Item quod omnes lites, diſſenſiones, differentiæ & diſcordiæ, quæ fuerunt inter ipſas Partes uſque ad tempus ſententiæ ultimo latæ Wratislaviæ, fuerunt per eandem ſententiam ſic extinctæ & ſopitæ, quod neutri Partium licere poteſt quomodolibet quidquam ſuper eis innovare; nam Dominus Rex Romanorum in eadem ultima ſententia remiſit ambabus Partibus omnes hujusmodi diſſenſiones & diſcordias, & abſolvit quaslibet ab impetitione alterius ſuper eis, & nihilominus ſuper ipſis ambabus Partibus impoſuit perpetuum ſilentium, ſub pœna decem millium marcarum argenti puri, quam Pars adverſa totiens incidit, quotiens contra hujusmodi ſententiam hic & alibi fecit & venit, prout coram competente judice ſuis loco & tempore oſtendetur. Item quod hujusmodi ultima ſententia D. Regis Rom. eſt

per

ANNO 1506. per Regem Poloniæ ratificata, approbata & emologata omnibus modis, quibus ipſam ratificare, approbare & emologare potuit & debuit, ita, quod ipſam non poteſt revocare in dubium, nec petere eam reduci ad arbitrium boni viri. Item ex præmiſſis claret, quod ſuper hujusmodi præteritis diſſenſionibus & diſcordiis taliter extinctis & ſopitis Dominus noſter non debet aliquem mittere ad ſuſcitandum eaſdem contra pacem & ſententias ſupradictas. Item quod ſuper aliis diſſenſionibus & diſcordiis, ſi quas D. Rex Poloniæ contra ipſum commiſſas per Dominum Magiſtrum & Ordinem prætenderet, poſt præfatam ultimam ſententiam Domini Regis Romanorum, idem D. Rex Poloniæ etiam non poteſt immediate recurrere ad Dominum noſtrum, ſed debet primo requirere Dominum Magiſtrum & Ordinem pro ſex perſonis adjungendis, ſex aliis per ipſum Dominum Regem Poloniæ ad hoc deputandis &c. juxta formam datam in literis pacis Thorunenſis, & ſententias arbitrales ſupradictas. Item ſi contra hujusmodi noſtram ſententiarum informationem Dominus noſter ad inſtantiam Regis Poloniæ aliquem mittere diſponeret, prout non ſperatur, ad illas partes ad cognoſcendum vel de præteritis, vel etiam præviſis præſentibus hujusmodi differentiis & diſſenſionibus, vel aliquid aliud contra pacem Thorunenſem & præfatas ſententias arbitrales innovandas, pro parte Ordinis publice proteſtamur, primo quod hoc facit ſine conſenſu eorum, qui hic ſunt pro parte Ordinis, imo contra eorum expreſſam & omnimodam voluntatem, ſecundo totiens eundem Dominum Regem Poloniæ de pœna commiſſa per ipſum propter hujusmodi inſtantiam & totiens committenda quotiens per eundem Nuntium Domini noſtri ad aliquos actus ad ſui inſtantiam contra præfatam pacem & ſententias proceſſum fuerit, ſeu aliquid innovatum. Acta ſunt hæc Romæ apud Sanctum Petrum in ſacro Palatio Apoſtolico in Camera Paramenti* Domini noſtri Papæ præfati, anno, menſe, die, hora & Pontificatu quibus ſupra, præſentibus honorabilibus & diſcretis Viris: Magiſtro Bartholomeo della Strata Literarum Apoſtolicarum Scriptore, & Theodorico Stockman Clerico Trajectenſis Diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Deinde vero in continenti & hora proxime dicta vel quaſi, coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino, Domino Antonio miſeratione divina Epiſcopo Portuenſi,

* Camera parata, ſeu Tribunal paratum, *du Cange*.

Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali vulgariter Bononienſi nuncupato in mei ANNO 1506. Notarii publici & teſtium infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia perſonaliter conſtituti Rev. in Chriſto Pater & D. Caſpar Epiſcopus Oſſilienſis, Jodocus Procuratores, & Arduinus præfati nomine procuratorio, quo ſupra, dicentes, proponentes & allegantes, prout ſupra, coram Domino noſtro præfato paullo ante dixerunt, propoſuerunt & allegarunt, quod ad eorum notitiam noviter deveniſſet, qualiter Sanctiſſimus dictus Dominus noſter Papa quendam ſuum Nuntium pro quadam pace & concordia inter Dominum Regem Poloniæ præfatum & ejus adhærentes ex una, ac Magiſtrum & Ordinem prædictum parte ex altera tractanda ad Poloniæ & Pruſſiæ partes prælibatas, alioqui ad recipiendum petitiones & reſponſiones partium earundem mittere deſtinare decreviſſet, qui quidem Domini Procuratores prædicti nomine procuratorio, quo ſupra, præfato Reverendiſſimo Cardinali humiliter ſupplicarunt, quatenus Romanum Summum Pontificem Dominum noſtrum prædictum informare vellet, quatenus Sanctitas ſua Nuntium præfatum nullo modo mittere ſeu deſtinare occaſione præmiſſorum ad partes prædictas dignaretur. Quod bonam pacem et concordiam per Dominum Regem Poloniæ, ac Magiſtrum et Ordinem præfatos in Thorun factam, et per Domini Regis Romanorum prædicti ſententias arbitrales, ut præmittitur, latas confirmatam habent, quem perpetuo et inviolabiliter obſervare intenderunt et intendunt, et propterea nullum Nuntium præmiſſa occaſione per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam prædictum ad partes prædictas expediens mittendum fore, et nihilominus iidem Procuratores nomine procuratorio, quo ſupra, quandam aliam papyri cedulam tenoris de verbo ad verbum cedulæ prioris pro quadam ſummaria informatione præfato Domino Cardinali ad manus ſuas dederunt atque tradiderunt, proteſtantes, prout in dicta cedula plenius continetur, coram præfato Domino noſtro proteſtati ſunt, ſuper quibus omnibus et ſingulis dicti Domini Procuratores nomine quo ſupra procuratorio petierunt ſibi a me Notario publico infraſcripto unum vel plura publicum ſeu publica confici Inſtrumenta. Acta ſunt hæc Romæ in domo habitationis prælibati D. Cardinalis, ſita in ſcalis S. Petri in Camera Paramenti anno, menſe, die et hora ac Pontificatu quibus ſupra, præſentibus ibidem diſcretis Viris Theodorico Stockman ſupra-

Anno 1506. dicto ac Joanne Lucae Clerico Trajectenſis et Pomeſanienſis Diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter et rogatis. Deinde vero et immediate paulo prius actum proxime dictum die et hora proxime dictis coram Reverend. in Chriſto Patribus et Dominis, Dominis primo Franciſco eadem gratia Tituli S. Crucis in Jeruzalem Presbytero, Venetiarum Seniore, conſequenter vero Petro S. Mariae in Dominica Venetiarum Juniore, deinde vero Lucido S. Mariae de Coſmedin Diacono de Comite Cardinalibus vulgariter nuncupatis, in mei Notarii et teſtium immediate ſupra et infraſcriptorum praeſentia perſonaliter conſtituti Domini Caſpar Epiſcopus et Jodocus Doctor Procuratores ſaepe dicti, et nomine Procuratorio, quo ſupra, propoſuerunt, dixerunt, allegarunt, ſupplicarunt, proteſtati fuerunt et fecerunt juxta modum et formam proxime dicta, ſuper quibus omnibus et ſingulis dicti Domini Procuratores nomine, quo ſupra, procuratorio petierunt, ſibi a me Notario publico infraſcripto, unum vel plura publicum ſeu publica confici Inſtrumenta. Acta ſunt haec Romae in domibus habitationum praefatorum Dominorum Cardinalium praeſentibus ibidem diſcretis Viris Theodorico Stockman, Georgio Hoze, Oliverio de Abden, Johanne Lucae proxime dicto, et Bernoino ſupra montem Clerico Trajectenſis, Warmienſis, Culmenſis, Pomezanienſis et Colonienſis Diœceſis, teſtibus ad praemiſſa vocatis ſpecialiter et rogatis. Demum vero Anno, Indictione et Pontificatu quibus ſupra, die vero Veneris viceſima prima dicti Menſis Novembris, hora veſperarum vel quaſi, coram Reverendiſſimis in Chriſto Patribus et Dominis, Dominis: primo Branda eadem gratia Tituli Sancti Clementis Presbytero Placentino, deinde Jordano Epiſcopo Albanenſi de Urſinis, conſequenter vero Angelo Epiſcopo Preneſtrinenſi, Landenſi, poſt vero Johanne Epiſcopo Oſtienſi Vicecancellario Vivarienſi vulgariter nuncupatis Sacroſanctae Romanae Eccleſiae Cardinalibus, in mei Notarii publici infraſcripti teſtiumque proxime ſupraſcriptorum, Domini Caſpar Epiſcopus, Jodocus Doctor Procuratores, et procuratorio nomine, quo ſupra, ac Ardevinus Advocatus praefatus una cum dictis Dominis Procuratoribus coram dictis Dominis de Urſinis et Vivarienſi Cardinalibus perſonaliter conſtituti propoſuerunt, dixerunt, allegarunt, ſupplicarunt, proteſtati fuerunt et fecerunt, juxta modum, viam, formam proxime dictas. Super quibus omnibus et ſingulis dicti Domini Procuratores nomine, quo ſupra, procuratorio petierunt, ſibi a me Notario publico infraſcripto unum vel plura confici Inſtrumenta. Acta ſunt haec Romæ in domibus habitationum praefatorum Domin. Cardinalium, praeſentibus teſtibus quibus ſupra. Die vero Sabbathi viceſima ſecunda dicti Menſis Novemb. coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre et Domino Raynaldo, eadem gratia S. Viti in maccello Sacroſanctae Romanae Eccleſiae Cardinali Diacono de Branchachiis vulgariter nuncupato, in mei Notarii publici et teſtium ſupra proxime ſcriptorum praeſentia conſtituti Domini Caſpar Epiſcopus, et Jodocus Doctor Procuratores praedicti, procuratorio nomine, quo ſupra, propoſuerunt, dixerunt, allegarunt, ſupplicarunt, proteſtati fuerunt et fecerunt juxta modum, viam et formam jam proxime dictas, ſuper quibus omnibus et ſingulis dicti Domini Procuratores nomine, quo ſupra, procuratorio petierunt, ſibi a me Notario publico infraſcripto unum vel plura, publicum ſeu publica confici Inſtrumenta. Acta ſunt haec Romae in domo habitationis praefati Domini Cardinalis, praeſentibus teſtibus quibus ſupra. Proxime demum Anno, Indictione et Pontificatu quibus ſupra, die vero Dominica ultima dicti Menſis Novemb. mane ante horam tertiarum in mei Notarii publici et teſtium infraſcriptorum praeſentia conſtituti coram Domino Anthonio de Mediolano Decretorum Doctore Honorati Viri Magnifici Johannes de Vachtendonck et Nicolaus Friſchtzi in Romana Curia Magiſtri Generalis et Ordinis praedictorum Procuratores et Sindici, ac procuratorio et ſindicario nomine eorundem proteſtati fuerunt, prout in quadam papyri cedula eidem Domino Anthonio tunc ibidem per dictos Procuratores tradita et aſſignata plenius continetur, ipſamque proteſtationem admitti, ab eodem Domino Anthonio inſtanter petierunt, qui quidem Dominus Anthonius dictam proteſtationem, quantum de jure potuit, admiſit, tenor vero dictæ cedulae ſequitur et eſt talis. Coram Vobis Venerabili et Circumſpecto Viro Domino Antonio de Mediolano aſſerto Nuncio ſeu Commiſſario ad partes Regni Poloniae et Pruſſiæ, ad faciendum neſcitur quam pacem inter Illuſtrem Principem Dominum Regem Poloniæ, ac Magnificum & Religioſos Viros Magiſtrum Generalem & Fratres Ordinis B. Mariæ Theutonicorum Jeroſolimit. Hoſpitalis et ad recipiendum petitiones & reſponſiones partium, quod ſi hujusmodi pacem facere

ANNO 1506. facere nequiverit, a Sanctiſſimo in Chriſto Patre Domino noſtro, Domino MARTINO Papa V. ut prætenditur, ſpecialiter deputato, teque Notario publico, tamque authentica perſona, legitime ſtipulante, vobisque teſtibus præſentibus & aſtantibus, Johannes de Vachtendock & Nicolaus Friſchtzi Procuratores & Sindici, procuratorio & ſindicario nomine dictorum Dominorum Magiſtri Generalis & Fratrum Ordinis antedicti proponunt, dicunt, allegant, & proteſtantur infraſcripta, quæ offerunt ſe citra ſuperfluam probationem coram judice competenti legitime ſuo loco & tempore probaturi; Imprimis quod Sereniſſimus Princeps Dominus Rex Romanorum per ſuas arbitrales ſententias tam Budæ quam Vratislaviæ latas pacem perpetuam factam per ambas Partes & omnes eis adhærentes in Thorun & literas deſuper confectas in omnibus ſuis punctis & articulis confirmavit & mandavit Partibus ipſam perpetuis temporibus inviolabiliter obſervare, ſub pœna decem millium marcarum argenti puri, declarans, quod hujusmodi pax per nullas diſſenſiones inter Partes in futurum forſan emergendas nunquam poſſet quomodolibet violari. Item quod Dominus Magiſter Generalis cum toto ſuo Ordine hujusmodi pacem ſemper ſervavit, & intendit ipſam perpetuis temporibus inviolabiliter obſervare, & ideo non videtur neceſſaria hujusmodi miſſio ad pacem faciendam, ex quo jam eſt pax inter Partes ipſas multis rationabilibus mediis per ipſas Partes facta, & ſolempnibus ſtipulationibus vallata & tot authenticis ſententiis confirmata, ſed potius videtur, quod Dominus noſter Papa, prout ad ſuum ſpectat officium, Dominum Regem Poloniæ & ſibi adhærentes inducat, ut eandem pacem cum Ordine ſervet, quam Magiſter & Ordo ab ipſo plus quam pro ſumma quingentorum millium florenorum comparavit, & a frivolis & injuſtis moleſtationibus Ordinis abſtineat & deſiſtat, prout ad hoc ſub fide & honore Regiis ſæpe & ſæpiſſime in literis ſuis & compromiſſis extat efficaciter obligatus. Item quod omnes lites, diſſenſiones, differentiæ & diſcordiæ, quæ fuerunt inter ipſas Partes usque ad tempus ſententiæ ultimo latæ Vratislaviæ, fuerint per eandem ſententiam ſic extinctæ & ſopitæ, quod neutri Partium licere poteſt, quomodolibet quidquam ſuper eis innovare. Nam Dominus Rex Romanorum in eadem ultima ſententia remiſit ambabus Partibus omnes hujusmodi diſſenſiones & diſcordias, & abſolvit quamlibet ab impetitione alterius ſuper eis, & nihilominus ſuper ipſis ambabus Partibus impoſuit ſilentium ſub pœna decem millium marcharum argenti puri, quam Pars adverſa totiens incidit, quotiens contra hujusmodi ſententiam hic & alibi fecit & venit, prout coram competente judice ſuis loco & tempore oſtendetur. Item quod hujusmodi ultima ſententia Domini Regis Romanorum eſt per Regem Poloniæ ratificata, approbata & emologata omnibus modis, quibus ipſam ratificare, approbare & emologare potuit & debuit, ita quod ipſam non poteſt revocare in dubium, nec petere eam reduci ad arbitrium boni Viri. Item ex præmiſſis claret, quod ſuper hujusmodi præteritis diſſenſionibus & diſcordiis taliter extinctis & ſopitis præfatus Dominus noſter Papa non debet aliquem mittere ad ſuſcitandum easdem contra pacem & ſententias ſupradictas. Item ſuper aliis diſſenſionibus & diſcordiis, ſi quos forte Dominus Rex Poloniæ contra ipſum Dominum commiſſas per Dominum Magiſtrum & Ordinem prætenderet, poſt præfatam ultimam ſententiam Domini Regis Romanorum, idem Dominus Rex Poloniæ etiam non poteſt immediate recurrere ad Dominum noſtrum, ſed debet primo requirere Dominum Magiſtrum & Ordinem pro ſex perſonis adjungendis, ſex aliis per ipſum Dominum Regem Poloniæ ad hoc deputantis, juxta formam datam in literis pacis Thorunenſis, & ſententias arbitrales ſupradictas. Item ſi contra præmiſſa præfatus Dominus noſter Papa ex officio ſuo, vel ad inſtantiam Regis Poloniæ aut alterius cujuscunque, Vos Dominum Anthonium prædictum in hoc negotio Nuntium vel Commiſſarium ſpecialiter deputaverit ad recognoſcendum vel de præteritis, vel etiam præſens præſentibus hujusmodi differentiis & diſſenſionibus, vel aliquid aliud contra pacem Thorunenſem & præfatas ſententias arbitrales innovandum, quod tamen non creditur, ex tunc Procuratores & Sindici prædicti nomine quo ſupra, et pro parte dictorum Magiſtri & Ordinis publice et ſolempniter proteſtantur, primo videlicet, quod in hujusmodi veſtram aſſertam miſſionem, delegationem vel deputationem minime conſentiunt, quodque idem Dominus noſter Papa hæc facit ſine Procuratorum prædictorum, et omnium conſenſu eorum, qui ſunt in dicta Curia pro parte Ordinis prædicti, imo contra eorundem expreſſam et omnimodam voluntatem. Item contra eundem Dominum Regem Poloniæ dicti Procuratores et Sindici proteſtantur de pœna commiſſa per ipſum propter hujusmodi inſtantiam et totiens

Anno 1506. totiens committenda, quotiens per Vos aſſertum Nuntium vel Commiſſarium Domini noſtri, aut per quemcunque alium, per eundem Dominum noſtrum in hac cauſa forſan deputandum, ad aliquos actus ad ſui inſtantiam contra præfatam pacem et ſententias proceſſum fuerit, ſeu aliquid innovatum. Super quibus omnibus et ſingulis dicti Procuratores nomine procuratorio, quo ſupra, ſibi a me Notario publico infraſcripto unum vel plura, publicum ſeu publica petierunt confici Inſtrumentum et Inſtrumenta. Acta fuerunt hæc in domo habitationis præfati Domini Anthonii, Anno, Menſe, Indictione, die, hora et Pontificatu quibus ſupra. Præſentibus ibi diſcretis Viris Gotfrido Caſper Henrico Mele de Kreynelt, et Bonifacio de Alemania Clericis Leodienſis, Colonienſis et Trajectenſis Diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter et rogatis. Et ego Vilhelmus Hamer de Keyſerswerde, Clericus Colonienſis Diœceſis præfatæ, publicus Imperiali auctoritate Curiæque cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius, qui præmiſſis omnibus et ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fierent et agerentur, una cum prænominatis teſtibus praeſens interfui, eaque omnia et ſingula ſic fieri vidi et audivi, ideoque hoc praeſens publicum Inſtrumentum per alium, me aliis occupato negotiis, fideliter ſcriptum ſubſcripſi, publicavi, et in hanc publicam formam redegi, ſignoq; et nomine meis ſolitis et conſuetis, in evidens teſtimonium omnium et ſingulorum praemiſſorum, rogatus et requiſitus ſignavi."

Quibus omnibus et ſingulis rite et legitime factis auctoritatem et decretum noſtrum ordinarium duximus interponendum, et interpoſuimus, prout interponimus praeſentium per tenorem. In quorum omnium et ſingulorum fidem et teſtimonium praemiſſorum praeſentes literas atque praeſens publicum Transſumpti inſtrumentum exinde fieri fecimus, noſtrique ſigilli appenſione ac infraſcripti Notarii ſubſcriptione juſſimus communiri. Datum et actum in Caſtro Montis Regii Sambienſis Diœceſis, in Aula ſolitae Reſidentiae dicti Illuſtriſſimi Principis Magiſtri Generalis, Anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo ſexto, Indictione nona, die vero quarta decima Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris et Domini noſtri, Domini Julii Divina Providentia Papae II. Anno tertio. Praeſentibus ibidem Michaële Pett et Jeorgio de Watt Scribis dicti Principis, Scholaribus Miſnenſis et Conſtantienſis Diœceſis, teſtibus ad praemiſſa vocatis et rogatis. Anno 1506.

Et Ego Jacobus Choppe de Tonitz, Clericus Gneſnenſis Diœceſis publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, dictique Reverendi Patris Domini Epiſcopi Pomezanienſis in hujusmodi negotio Scriba, quia præinſerti Inſtrumenti publici exhibitioni, productioni, transſumptioni, auſcultationi, collationi, conſenſus Adminiſtratoris Eccleſiæ Sambienſis prædictæ interventioni, decreti & auctoritatis ordinariae interpoſitioni, omnibusque & ſingulis aliis praemiſſis, dum ſic, ut praemittitur, per praefatum Dominum Epiſcopum et coram eo fierent, et agerentur, una cum praenominatis teſtibus praeſens interfui, eaque omnia et ſingula ſic fieri vidi et audivi, ideoq; praeſens publicum Transſumpti Inſtumentum, manu alterius fideliter ſcriptum, exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, et in hanc publicam redegi formam, quam ſigno, nomine et cognomine meis ſolitis et conſuetis una cum praefati Domini Epiſcopi ſigilli appenſione roboravi & ſignavi, in fidem evidensq; teſtimonium omnium praemiſſorum rogatus et requiſitus.

CXLIV,

Bulla Leonis X. *qua ſuadet* Sigismundo *Polonorum Regi, ut cauſſam cum Cruciferis Lateranenſi Concilio ſubjiciat dijudicandam.* Datum Romæ Anno 1513. die 18. Martii. 1513.

Intelleximus quidem magna cum moleſtia inter Te atque Albertum Marchionem, ut appellant, Brandeburgenſem, Societatis Marianorum Theutonicorum in Pruſſia Magiſtrum, plurimas atque maximas jam inde a veſtris Majoribus ortas atque traditas diſſenſiones extitiſſe, eamque ob rem omnes homines, quibus veſtræ utriusque rationes atque cauſæ cognitæ eſſent, magnopere vereri, ne poſt eum diem, qui erit pridie Id. Majas, magnum atque apertum bellum inter vos commoveatur, maximisque cum gentium & populorum, qui veſtro in Imperio ſunt, detrimentis atque cladibus exer-

ANNO 1513. exerceatur: qui dies præſtitutus a vobis fuit, quo die ille ſtatueret, utrum a te imperata faceret, an ſe in libertatem vendicaret. Itaque vel pro noſtra in omnem Chriſti populum cura & ſtudio, vel maxime pro ea voluntate, quam quidem erga te benevolam & propenſam in primis habemus, graviter tulimus hoc ingreſſu atque initio noſtri Pontificatus certiores Nos fieri, nova jam jamque a vobis bella imminere, novos armorum motus, nova incendia excitari: cum illud in primis cupiamus, eique rei omnem noſtram curam & cogitationem adhibendam ſtatuerimus, ut ea, quæ dudum ſuccenſa ardere adhuc flagrareque videntur, bella inimicitiæque magnorum Principum modis omnibus reſtinguantur. Quod quidem Dei Opt. Max. auxilio, qui ad ſe tendentes, ſeque unum reſpicientes conatus hominum conſiliaque non deſerit, brevi fore confidebamus. Quamobrem paterno Te & amore & ſtudio eſſe hortandum putavimus, ut curſum atque impetum irarum tuarum tantiſper ſuſtineres, dum a Nobis Legatus ampliſſima cum poteſtate iſtuc venit, qui veſtris cauſis & controverſiis cognitis, quæ æqua ſint, amice ſtatuat, concordesque vos, ſi fieri poteſt, & pacatos reddat. Decrevimus enim noſtros Legatos magnos Viros ad plurimas quamprimum nationes mittere. Vel Tu, ſi id Tibi erit antiquius, rem totam integrasque partes tuas Lateranenſi Concilio jam incepto agi remittas atque rejicias: a quo porro maxime convenit Regum & Ducum & magnorum Principum contentiones controverſiasque terminari. Quod & Nobis erit gratius, ut cauſa ipſa, cujus nonnullas ſæpius partes aliquot ante Nos Romani Pontifices recte utrique veſtrum conſulentes attigerunt, Romæ per Concilium tranſigatur: & Tibi certe cum ad rerum tuarum ſtatum ſecuritatemque conducibilius, tum ad animi Tui quietem & tranquillitatem longe aptius; non unum modo Romanum Pontificem, ſed una cum ipſo etiam reliquos omnes univerſamque Rempublicam veſtrarum litium, expoſtulationum, discordiarum disceptatricem extitiſſe: cum exiſtimandum ſit, quæ totius Reipublicæ oculis perſpecta decernuntur, ea & rectiſſime confici, & firma atque ſolida plane fore. Iniquum eſt etiam & profecto miſerum, optimas populoſiſſimasque nationes, quæ ad Chriſtianæ ditionis atque gloriæ terminos propagandos, vel propter fortitudinem animorumq; robur omnium aptiſſimæ, vel propter locorum naturam opportuniſſimæ videantur eſſe, ſuis inter ſe odiis conteri, ſuis ipſarum ſimultatibus infringi & debilitari. Tum illud vehementer timemus, ne ſi vos magnos Principes hoſtes perpetui noſtri Turcae, quos habetis finitimos, converſis contra vos armis concurrere male animatos ſenſerint; magna ipſi ex ea re laetitia voluptateque percepta opperientes, dum veſtris cladibus vires opesq; veſtræ fractae ac debilitatae ſint, unanimes atque integri vos adoriantur, & magno veſtro cum malo, quod *D*eus omen obruat, Chriſtiano nomini notam aliquam inſignem atque perpetuam inurant. Hoc cavere ipſi, quibus quidem univerſi gregis mandata cura atque ſanatio eſt, maxime omnium debemus, & profecto cavebimus, ſi Te de Nobis, deque Re Chriſtiana publica bene merendi ſtudium cogitatioque excitabit, qua nulla eſſe Regibus magis propria, nulla honeſtior ac plane laudabilior poteſt. Quod quidem Te facturum Tua virtute atque prudentia freti ſane confidimus. Atque id quo lubentius facias, ſcire Te volumus, eadem Nos de re ad ALBERTUM literas daturos, ab eoque poſtulaturos, ut ſe contineat. Verum quo Tu propter Regiam dignitatem atque amplitudinem apud omnes homines major excelſiorque es, eo Te cupimus priorem facilioremque noſtris hortatibus praeſto eſſe. Quanto enim Te ipſe leniorem & placabiliorem Nobis & Reipublicae praeſtiteris, tanto ſe Deus omnibus Tuis aggrediendis tractandisque rebus magis benivolum atque propitium adjunget *D*at. XV. Cal. April. MDXIII. Ante coronat. Roma.

CXLV.

1515. *Articuli pro Parte Sereniſſimi Principis Domini* SIGISMUNDI *Regis cum Reverendiſſimo Domino* MATTHÆO *Cardinali Gorcenſi, Oratore Imperiali concordati in Conventu Poſoniano.* d. 20. Maji An. 1515. *Ex Archivo Regni Lib. 9. ſub Lit. I. fol. 24.*

Cum Sereniſſimus *D*ominus Rex Poloniae in ea ſemper voluntate fuerit, ut cum Sacra Imperiali Majeſtate in optima amicitia & benivolentia fraterna vivat & maneat, ſuamque Majeſtatem, tanquam Fratrem majorem & Conſanguineum chariſſimum etiam obſervet ac veneretur; placeat igitur Majeſtati ſuae Caeſareae, ut res & negotia inter eundem Sereniſſimum Poloniae Regem, & Magiſtrum Pruſſiae ac Ordinem ſuum in ea forma et modo remaneant, quemadmodum

Anno 1515. modum erant, & obſervabuntur ab Anno Domini 1467. tempore felicis memoriæ Friderici imperatoris, & Sereniſſimi Domini Regis Casimiri, nec Magiſtrum Pruſſiæ ejusque Ordinem ſubtrahere velit ab his, quæ debent ſuæ Serenitati & Regno Poloniæ, & quæ Prædeceſſores ejus Magiſtri faciebant, neque auxilium, neque conſilium ei præſtet in damnum & detrimentum ſuæ Serenitatis & Regni ſui.

Quodſi poſthac aliquæ novæ differentiæ & controverſiæ inter Sereniſſimum Dominum Regem Poloniæ, & Magiſtrum atque Ordinem infra quinquennium exoriantur, idem Magiſter ſive Ordo in Pruſſia prius Regiam Majeſtatem Poloniæ ſuper inde amicabiliter requirat, & prius tentetur, ſi hujusmodi differentiæ & controverſiæ inter ſe ipſos amicabiliter & per bona media componere poterint, ſin minus, quod illæ ipſæ controverſiæ ad amicabilem compoſitionem ſacratiſſimi Imperatoris Maximiliani moderni, & Sereniſſimi Domini Vladislai Regis Hungariæ, ac Reverendiſſimorum Dominorum Thomæ Strigonenſis, Sedis Apoſtolicæ Legati, & Matthæi Gorcenſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, concordari debeant, & ſi quis eorundem Dominorum ad componendas hujusmodi controverſias deſignatorum intra ſpatium ſupraſcripti temporis ab hac vita diſcederet, tunc tres reliqui cum aſſenſu & voluntate Sereniſſimi Domini Poloniæ Regis in locum demortui alium ſurrogare & ſufficere poterint, cum quo earundem controverſiarum componendarum habebunt facultatem.

Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ mox poſt victoriam de Duce Moſchorum habitam potuit cum eo habere inducias, & nunc poſſet, ſi vellet, ſed in hoc ſtatu rerum non cenſet id eſſe e re ſua, & Dominiorum ſuorum. Si tamen Cæſarea Majeſtas habet mandatum ad plenariam concordiam perficiendam, aut ſi Oratores ejusdem Moſchi plenaria poteſtate fulti hic aderunt, Regia Majeſtas cum conſilio Sereniſſimi Germani ſui non recuſabit eandem concordiam æquis & juſtis conditionibus inire, quam ſi Moſchus detrectaret, aut initam obſervare nollet, extunc Majeſtas Cæſarea illi contra Sereniſſimum Regem Poloniæ, & Regna & Dominia ſua amplius nullum auxilium vel favorem præſtare debebit directe vel indirecte, per ſe vel ſubmiſſas perſonas.

Item pro bono pacis, & amicitiæ firmandæ Sereniſſimus D. Rex Poloniæ eſt contentus, ut ſoli Germani ad Ordinem in Pruſſia ſuſcipiantur.

Item quod ad ſubditos Sereniſſimi Domini Poloniæ Regis Civitatum Gedanenſis & Elbingenſis attinet, qui bannis Imperialibus, & aliis modis juri Regni Poloniae noxiis moleſtari & gravari ſolent, in Conventu Sereniſſimorum Dominorum Hungariae & Poloniae Regum cum Sacra Caeſarea Majeſtate quaeretur modus, quo res haec juſtis & aequis mediis terminetur. Anno 1515.

Item Sereniſſimus Rex Poloniae contentatur, quod Caeſar in hoc conventu poſſit ſimul cum Sereniſſimo Rege Hungariae, & Reverendiſſimis Dominis: Strigonienſi & Gorcenſi Cardinalibus videre et ſe informare de differentiis inter eundem Sereniſſimum Regem Poloniae, & Magiſtrum atque Ordinem Pruſſiae, & illos omnes ſtudere amicabiliter concordare, quod ſi non fieret, nihilominus articuli ſupraſcripti in ſuo maneant vigore.

Acta ſunt haec Poſonii, & prolocuti, concordati & concluſi ſupraſcripti articuli inter Sereniſſimum Principem & Dominum, Dominum Sigismundum Regem Poloniae, Magnum Ducem Litthvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeq; &c. Dominum & Haeredem, ac Reverendiſſimum Dominum Matthæum S. Angeli Diaconum Cardinalem Gorcenſem, Coadjutorem Saltzburgenſem, ac Sacratiſſimi Principis & Domini D. Maximiliani Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti in Italia Locum tenentem Generalem, & ad ſupraſcripta Mandatarium & Procuratorem ſpecialem. Praeſentibus Sereniſſimo Principe & Domino, Domino Vladislao Hungariae & Bohemiae Rege, & Conſiliariis praefatarum trium Majeſtatum. In quorum fidem & teſtimonium Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Gorcenſis ſupradicti hos articulos ſubſcripſerunt manibus propriis, & ſigillis ſeu ſignetis conſuetis muniri fecerunt, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinto decimo, die viceſima menſis Maji.

CXLVI.

Maximilianus *Imperator declarat ſe nolle Magiſtrum & Ordinem Teutonicum in Pruſſia ſubtrahere ab obſervantia Pactorum cum* Casimiro *Rege Poloniæ initorum, debitaque Regibus Poloniæ fidelitate, ſimulque Gedanum & Elbingam ex banno dimittit.* Datum in Civitate Viennenſi die 22. Menſis Julii, An-

ANNO 1515.

Anno 1515. *Ex Archivo Theſauri Regni.*

MAXIMILIANUS Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Germaniae, Hungariae, Dalmatiae &c. Rex, Archidux Auſtriae, Dux Bnrgundiae, Brabantiae &c. Comes Palatinus &c. tenore praeſentium recognoſcimus & profitemur, quod cum inter alia, quae Nobis curae cordique ſunt, ſummopere cupiamus vera, ſincera atque fraterna unione caeteris Principibus Chriſtianis conjungi, ac quantum in Nobis eſt, omnes ad Sanctae pacis & concordiae fœdera reducere & cohortari: ut tandem concordibus armis & viribus Chriſtianis ferociſſime ejusdem nominis hoſtes debellari & exterminari poſſent: ut hinc quieti, tranquillitati ac ſtabilimento univerſae Religionis ad incrementum & propagationem Chriſtiani nominis conſuleretur. Cumque Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae in ea ſemper voluntate fuerit, ut cum Sacra Imperiali Majeſtate in optima amicitia & benevolentia fraterna vivat & maneat: Suamque Majeſtatem tanquam Fratrem majorem & Conſanguineum chariſſimum etiam obſervet ac veneretur, placuit ergo Majeſtati noſtrae Caeſareae, ut res & negotia inter eundem Sereniſſimum Poloniae Regem et Magiſtrum Pruſſiae ac Ordinem ſuum, in ea forma et modo remaneant, quemadmodum extant utrinque conſcripta, et obſervabantur ab annis retroactis tempore felicis memoriae FRIDERICI Imperatoris, et Sereniſſimi Domini Regis KAZIMIRI, nec Magiſtrum Pruſſiae ejusque Ordinem ſubtrahere volumus ab his, quae debent ſuae Serenitati et Regno Polon. et quae Praedeceſſores ejus Magiſtri faciebant, neque auxilium, neque conſilium ei praeſtabimus in damnnm et detrimentum ſuae Serenitatis et Regni ſui. Item quod ad Civitatem Gedanenſem et Elbingenſem attinet, quae hactenus bannis et aliis modis juri Sereniſſimi Regis et Regni Polon. noxiis gravabantur, Nos ex nunc jam easdem bannis abſolvimus, et liberas eſſe decernimus, ac id ipſum Judicio Camerae noſtrae Imperialis literis noſtris denuntiabimus. Mandabimusque, ut easdem Civitates a præteritis bannis abſolutos dimittat, et in futurum ex quibuscunque cauſis ad cujuscunque inſtantiam nunquam eas audeat bannire, vel quovis modo infeſtare: nullumque judicium contra easdem Civitates et earum ſimiles a noſtra Imperiali Judicii Camera deinceps inſtitui et fieri permittemus. Quos duos articulos Nos ſumma fide promittimus inviolabiliter obſervare, adimplere et exequi, neque illis quoquo modo contravenire. Harum teſtimonio Literarum noſtrarum, Sigilli noſtri Imperialis munitione roboratarum. Datum in Civitate noſtra Viennenſi die 22. Menſis Julii Anno Domini 1515.

ANNO 1515.

CXLVII,

Kayſer MAXIMILIANUS ſpricht die Inwohner derer Städte Dantzig und Elbingen vom Reichs-Bann, und andern ihnen vom Kayſerlichen Reichs-Kammer-Gericht auferlegten Strafen frey und los, befiehlet auch, hinführo gegen ſolche auf keine Weiſe mehr gerichtlich zu verfahren. *Gegeben in Wien den 4. Auguſt im Jahr* 1515. Aus dem Original.

Wir MAXIMILIANUS *von Gottes Gnaden Erwelter Römiſcher Kayſer, zu allen Gezeiten Merer des Reichs, in Germanien, zu Hungern, Dalmatien, Kroatien König, Ertzhertoge zu Burgundien undt Brabandt; Wir enbieten den Edlen Erſamen unſeren andechtigen, undt des Reichs lieben getreuen Sigmunden Graffen zu Hochhauſen gegenwertigen, undt*

CXLVII.

MAXIMILIANUS *Electus Imperator abſolvit Gedanenſes & Elbingenſes a banno & aliis pœnis Cameræ Imperialis, vetatque, ne contra ipſos ullo modo procedatur.* Datum Viennæ d. 4. Auguſti Anno 1515. *Ex Originali.*

NOS MAXIMILIANUS Dei Gratia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hungariae, Dalmatiae Croatiaeque Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae et Brabantiae, Nobili, honeſto, noſtro devoto et Imperii dilecto fideli Sigismundo Comiti de Hochhauſen in praeſenti et futuro Caeſareae Camerae noſtrae Judici, nec non Nobilibus

Anno 1515. *undt einen deren künftigen, unſern Cammerichter, undt von den Beyſitzern unſers Käyſerlichen Kamersgerichts unſer Gnadt undt alles gutt. Edlen Ehrſamen, Andechtigen, undt lieben Getreuen. Wir haben auſs trefflichen Urſachen Uns darzu bewegnet, damit die Burgermeiſter, Stadt undt Gemein der Stadt Tantzigen undt Elbingen, von unſer undt des Heiligen Reichs Acht undt Aberacht, anneben andern Straffen undt . . . . . ., darein durch euch erkannt ſein, abſolwiret und entlediget, undt widerumb in unſere undt des Heiligen Reichs Gnadt undt Huldt genohmen werden, Recht und Gerechtigkeit, ſo ſey vorgehabt, geſetzt, und darzu geſagt, unſer lebenlang nichts wider bey pretendiren zu laſſen, undt anzubefehlen euch ernſtlich daſs wir gegen den Gemeinten von Tantzigen undt Elbingen undt andern angeleibten Güttern . . . erſt der obbeſtimbten Urteilen oder . . . . . ., ſondern gantz ſtil ſeyt. Daran thut Ihr unſer ernſtliche Meynung. Geben in unſer Stadt Wien an dem vierten Tag des Monats Auguſti, nach Chriſti Geburth funfzehen hundert, und im funfzehenden, unſers Reichs des Römiſchen dem dreyſsigſten, undt des Hungeriſchen im ſechs undt zwantzigſten Jahr.*

Ad Mandatum Domini Imperatoris

libus, honeſtis, devotis et dilectis fidelibus Aſſeſſoribus ſalutem. Permoti graviſſimis rationibus decrevimus ac ſtatuimus, tibique exequendum mandamus, quatenus Conſules, Status ac Communitas Civitatis Gedanenſis et Elbingenſis a noſtro Sacrique Imperii tam inferiori quam ſuperiori banno, nec non aliis pœnis, quas per veſtram ſententiam inciderunt, liberi et ſoluti ſint, ac iterum in noſtram Sacrique Imperii gratiam et favorem recipiantur, ſuisque priſtinis juribus, quae prius habuerunt, reſtituantur. Praeterea promiſimus, Nos toto noſtro vitae tempore nullas unquam contra ipſos habere praetenſiones, ſerioque mandavimus, ne contra Communitates Gedanenſem et Elbingenſem, caeteraque eis annexa oppida ſecundum ſupra memoratam ſententiam ullo modo, ſed in ſilentio procedatur. Quae omnia tibi exequenda committimus. Datum Viennae d. 4. Menſis Auguſti Anno Chriſti 1515. Romani Imperii noſtri 30. et Hungarici 26. Anno 1515.

Ad Mandatum Domini Imperatoris.

CXLVIII.

1517. *Commiſſio S. R. Maieſtatis in Cauſa Epiſcopi Varmienſis ratione Diſtrictus Scharfaw. Lib. Leg. Lit. E. fol. 248.*

Sigismundus etc. Cum nuper Nobis queſtus eſſet Reverendus Pater D. Mauricius Epiſcopus Varmienſis, quod ipſo ob publica terrarum Pruſſiae negotia in publicis Regni conſiliis apud Nos conſtituto, Proconſules et Conſules Gedanenſes moderni ipſum diſtrictum Scharfaw, quem una cum Praedeceſſoribus ſuis felicis recordationis Fabiano et Luca Epiſcopis quiete et pacifice eousque poſſediſſet, non citatum, nec cauſa illi intentata, ſed praeter juris ordinem, et de facto, duabus villis duntaxat relictis, auſu temerario ſpoliaſſent, ſubditos ſibi, tanquam legitimis Dominis, jurare compuliſſent, et praeterea retia, cymbas, aliamque ſuppellectilem piſcatoriam, una cum captis aliquot ſturionibus violenter abſtuliſſent; Nos quosdam ejus cauſae Judices delegavimus, committentes, ut, cum de ſpolio hujusmodi ſufficienter edocti eſſent, ipſum Epiſcopum et Eccleſiam ejus in priſtinam et integram poſſeſſionem ejusdem Diſtrictus, et bonorum ademptorum, cum refuſione damnorum et expenſarum reſtituerent. Cum autem, ut idem Nobis expoſuit Epiſcopus, Commiſſarii praedicti, ſpolio comperto, ipſum Epiſcopum et Eccleſiam ejus, per ſententiam definitivam ac etiam corporaliter, ad praefatum Diſtrictum Scharfaw reſtitui et intromitti ſub earundem pecuniarum, quibus praefatus Diſtrictus Scharfaw redemptus eſt, amiſſionis pœna, auctoritate noſtra Regia mandaſſent, cauſa injuriarum, damnorum, expenſarum, et turbatae publicae pacis, propter ejus magnitudinem ad Nos noſtramque cognitionem rejecta, ac deinde pro parte Gedanenſium a ſententia ſupradicta ad Nos appellatum, Judices appellationi hujusmodi ea conditione, ut reſtitutio primarium ſuum ſortiretur effectum, detuliſſent, dicti Gedanenſes, his minime attentis, priſtinas violentias et injurias novis ſubinde cumulando, eundem Dominum Epiſcopum et Eccleſiam Varmienſem de novo ſpoliarunt, incolis Scharfaw ſub gravibus pœnis prohibentes, ne ipſi Domino Epiſcopo aut ejus 1517.

Prae-

Anno 1517. Praefectis, ſed ſibi Gedanenſibus duntaxat obedirent. Adjecit praeterea in querela memoratus *Dominus* Epiſcopus, quod cum trecentas marcas Pruthenicales per Georgium Rewſz Proconſulem Gutſtatenſem apud Henricum Kromer Civem Gedanenſem relictas, et proximo bello confiſcatas Praedeceſſori ſuo, deinde etiam ſibi Regali benignitate donaſſemus, eamq; aliquoties extradi mandaſſemus, et Judices propterea delegaſſemus, coram quibus licetProconſules etConſules Gedanenſ.ejuscemodi pecuniam a praedicto Henrico Kromer ſe exegiſſe, et percepiſſe judicialiter confeſſi ſint, eam tamen hactenus detineant, et ſolvere recuſent, cum magno praejudicio, injuria et jactura ipſius Epiſcopi et ejus Eccleſiae. Qui idcirco Nobis ſupplicavit, ut ei in praemiſſis omnibus de remedio juris opportuno auctoritate noſtra Regia, quo tandem finalem juſtitiae adminiſtrationem conſequi poſſet, providere dignaremur.

Nos itaque juſtis ac ſaepius repetitis ſupplicationibus praefati *Domini* Mauritii Epiſcopi inclinati, Vobis committendum duximus, et praeſentibus committimus, firmiter mandantes, et omnino habere volentes, ut, vocatis loco et tempore opportuno Partibus praedictis, cauſam damnorum, expenſarum et injuriarum ad Nos, ut praefertur, remiſſam, quam dudum commiſeramus decidendam, rurſum audiatis, cognoſcatis, et ſine ulteriori dilatione decidatis, et indiscuſſam non relinquatis. Et ſi prӕterea compereritis memoratum *D.* Epiſcopum a Commiſſariis noſtris prioribus reſtitutum, et contra eorum prohibitionem cum pœnarum comminatione factam, denuo a Conſulatu Gedanenſi ſpoliatum eſſe, et res per vim ablatas adhuc detineri, ipſum et ejus Eccleſiam in priſtinam et integram poſſeſſionem ejusdem *Diſtri*ctus Scharfaw, juriumque et pertinentiarum omnium, cum ſufficienti damnorum et expenſarum refuſione ante omnia reſtituatis, et in corporalem poſſeſſionem ejusdem *Diſtrictus* auctoritate noſtra Regia inducatis, ſeu induci faciatis, inductumque defendatis, ipſumque Conſulatum Gedanenſem ad rerum violenter ablatarum reſtitutionem remediis opportunis compellatis, et, ut deinceps a ſpoliationibus abſtinere diſcant, in pœna a Commiſſariis noſtris praefatis decreta condemnetis. Novam etiam pœnam amiſſionis Neringae, quam a Praedeceſſoribus noſtris donatam poſſident, cujus limitum praetextu hanc moleſtationem excitaſſe dicuntur, ipſis auctoritate noſtra ſtatuatis. Volumus enim, et decernimus ſuper proprietate dicti *Diſtrictus* nullam judicialem inquiſitionem a vobis, aut aliis noſtris Commiſſariis fieri debere, niſi praefato Epiſcopo ad omnia praedicta, quibus ſpoliatus eſt, integre reſtituto, ac damnorum et expenſarum articulo usque ad plenam executionem diſcuſſo. Si demum dictus Conſulatus Gedanenſis ſuper proprietate et jure, ſeu etiam limitibus dicti *Diſtrictus* Scharfaw praefato Epiſcopo et Eccleſiae actionem movere voluerit, ſeu ipſe Epiſcopus eos ſuper jactitationibus et moleſtationibus juris et proprietatis hujusmodi impetierit, illam, nec non praedictam trecentarum marcarum cauſam ſimiliter audiatis, utriusque Partis propoſitiones, allegationes et reſponſiones, jura, munimenta, probationes et documenta utrinque producta ſuſcipiatis. Teſtes ſuper praemiſſis et eorum dependentibus ſeorſum ſecundum formam juris diligenter examinetis, et, ſi opus fuerit, rem, de qua agitur, Partium expenſis oculis ſubjiciatis, et in cauſis hujusmodi de ſimplici et plane, ſine judiciario ſtrepitu, temerariis litibus, ac frivolis et captioſis dilationibus et appellationibus amputatis, uſque ad ſententiam definitivam, quam Nobis reſervamus, excluſive procedatis, omniaque in ſcriptis redacta et obſignata ad Nos remittatis, Partibus coram Nobis comparendi, et ſententiam noſtram definitivam, decretumque executionis audiendi competentem terminum ſtatuentes. *Duorum* abſentia non obſtante, pro gratia noſtra aliter non facturi. Anno 1517.

CLIX.

Sigismundi I. *Regis Poloniæ Sententia, qua Epiſcopus Varmienſis in poſſeſſionem Diſtrictus Scharfaw reſtituitur.* Datum Cracoviæ die S. Auguſtini Epiſcopi An. 1517. *Lib. Leg. ſub Lit. E. fol. 223.*

Sigismundus etc. Magnificis et Generoſis: Capitaneo Marienburgenſi, ac Joanne Baliński Caſtellano Gdanenſi, ac Terrarum noſtrarum Pruſſiae Theſaurario, aliisque noſtris Capitaneis, Praefectis, et Officialibus quibuscunque, praeſentibus requirendis, ſincere Nobis dilectis, gratiam noſtram Regiam. Significamus vobis, quod comparentibus coram Nobis Cracoviae judicialiter in palatio noſtro praeſidentibus Nuntiis Reverendi in Chriſto Patris Mauritii Epiſcopi Varmienſis pro ejus Paternitate agentibus ex una, et Nuntiis Conſulatus et Communi-

ANNO 1517. munitatis Civitatis noſtrae Gdanenſis ex altera partibus, oblata quadam ſententia nuper per te praedictum Caſtellanum, et Generoſos: Jacobum Roſsnowſki, et Melchiorem Glaubicz Advocatum Marienburgenſem, Commiſſarios noſtros, pro parte dicti *D*omini Epiſcopi, contra ipſos Gedanenſes latae, per quam ipſum *D*ominum Epiſcopum et ejus Eccleſiam ad realem et priſtinam poſſeſſionem certae partis *D*iſtrictus Scharffaw, qua Paternitatem ejus a dictis Gedanenſibus temere ſpoliatam eſſe evidenter compererant, reſtituendum eſſe decreverant, ac etiam reſtituerant. Ipſisque Gdanenſibus, ne deinceps ipſum *D*ominum Epiſcopum in pacifica et quieta ejusdem *D*iſtrictus poſſeſſione perturbarent, ſeu moleſtarent, ſub certa pœna pecuniaria mandaverant, cauſa damnorum, expenſarum et turbatae publicae pacis ad noſtrum judicium remiſſa, uti in ipſius ſententiæ literis latius conſtat, cum præfati nuntii & geſtores negotiorum præfatorum Gedanenſium affirmaſſent ſe a ſententia prædicta, tanquam iniqua, legitime appellaſſe, ac pendente ipſa appellatione, cui etiam reverenter delatum extitit, non ſine ipſorum gravamine, Dominum Epiſcopum præfatum per ipſos Commiſſarios in poſſeſſionem hujusmodi bonorum reſtitutum eſſe, quamvis ipſi nihil, quod ad Diſtrictum Scharffaw pertineat, ſed quod Civitati Gdanenſi, pro ejus bene meritis olim per Prædeceſſores noſtros donatum fuerit, in ſuum jus & poſſeſſionem receperint, petentes a Nobis, ut reprobata ſententia prædicta, cauſam ſuper jure & proprietate illorum bonorum aliquibus noſtris Commiſſariis audiendam & decidendam committeremus. Ex adverſo vero prædicti agentes nomine Domini Epiſcopi Varmienſis replicarunt, quod, quamvis ab adverſo a dicta ſententia appellatum fuerit, tamen dicti Judices illi appellationi, quoad articulum ſpolii & reſtitutionis, non detulerunt, ſed ſententiam ipſam ac mandatum noſtrum, ut debebant, exequentes, ipſum Dominum Epiſcopum & ejus Eccleſiam in realem poſſeſſionem bonorum ſpoliatorum praedictorum, ac omnium pertinentiarum eorum reſtituerunt, addentes in querela, quod dictus Conſulatus Gedanenſis in contemptum ſententiæ ſupradictæ & auctoritatis noſtræ, ipſum Dominum Epiſcopum & ejus Eccleſiam in realem poſſeſſionem bonis eisdem, in quæ judicialiter reſtitutus fuerat, vim vi cumulando, de novo ſpoliavit, eaque de præſenti retinet occupata. Quapropter petierunt a Nobis, ut approbata ſententia praedicta, ac revocato ſpolio denuo temerario auſu facto. Adverſarios in pœna a Commiſſariis noſtris ſtatuta condemnare, ac ipſum Dominum Epiſcopum in realem & actualem poſſeſſionem ſpoliatorum bonorum iterum reſtituere, nec non ſuper articulis ad Nos remiſſis juſtitiam ei debitam miniſtrare dignaremur. Allegant iniquum eſſe, ut ſuper principali proprietatis cauſa, ante ſpoliatorum reſtitutionem, ac refuſionem damnorum & expenſarum propterea factarum, quas ad mille Florenos auri Ungaricales æſtimabant, judicium aliquod inſtituatur. Et quamvis negent adverſarii dicta bona ſpoliata ad Diſtrictum Scharfaw pertinere, tamen cum ſuper hoc vertatur controverſia, & nomine Scharffaw hactenus a multis annis poſſeſſa ſint, non licuiſſe eis propria auctoritate quocumque nomine illa ſibi cum vitio ſpolii uſurpare. Nos igitur auditis his & aliis Partium allegationibus & propoſitionibus, viſaque ſententia prædicta una cum ejus proceſſu, ex quo clare conſtabat, præfatum Conſulatum Gedanenſem aut ejus Procuratores coram dictis Commiſſariis ad quæſtionem ſpolii nihil allegaſſe, neque contradixiſſe; conſiderato quoque, quod neque coram Nobis dicti Nuntii Gdanenſes ad impetitionem novi ſpolii aliquid negando exceperunt, niſi quod ea pars ad Diſtrictnm Scharfaw non pertineret. Habita ſuper his cum noſtris Conſiliariis matura deliberatione, ac omnibus pro juſtitia utriusque Partis ultro citroque perpenſis, noſtram diffinitivam tulimus & pronuntiavimus ſententiam. Per quam, Chriſti nomine invocato, cognovimus & decrevimus, ac cognoſcimus, decernimus & declaramus per præſentes, ſententiam prædictorum Commiſſariorum noſtrorum in hac cauſa latam, tanquam juſtam & legitimam, per Nos approbandam eſſe, prout eam approbamus & confirmamus, dictumque ſpolium poſt latam eandem ſententiam & ejus executionem, per ipſum Conſulatum denuo commiſſum fuiſſe, & eſſe temerarium, iniquum & injuſtum, præfatumque Dominum Epiſcopum & ejus Eccleſiam ad bonorum ſpoliatorum hujusmodi, nec non retium, cymbarum, ſuppellectilis & inſtrumentorum piſcatoriorum ablatorum omnium, realem & actualnm poſſeſſionem reſtituendum & reponendum eſſe, prout reſtituimus & reponimus, ac reſtitui cum effectu mandamus. Iterum ipſis Gedanenſibus et Conſulatui, quo ab amicorum, & vicinorum injuria manus temperare diſcant, ſub tanta pecuniarum ſumma, ANNO 1517.

pro

ANNO 1517. pro quanta ipſe Diſtrictus Scharffaw redemptus eſt, diſtricte inhibentes, ne ipſum D. Epiſcopum in aſſecutione ſpoliatorum, poſſeſſione hujusmodi quomodolibet impedire, ſeu eum in illa deinceps temere & de facto inquietare ſeu perturbare præſumant, uſque ad cauſæ principalis ſuper proprietate bonorum prædictorum legitimam deciſionem, cujus cognitionem ipſis Conſulibus, ſi id petierint, facta reſtitutione prædicta, non negabimus. Cauſam vero damnorum & expenſarum, tam in proximi ſpolii, quam in hujus poſtremi deductione factarum & paſſarum, nec non violatæ publicæ pacis, ac fructuum perceptorum, uſque ad petitorii ſeu principalis cauſæ cognitionem, reſervamus. Quapropter veſtris S. ac aliis Officialibus noſtris ſupradictis committimus & mandamus, ut cum pro parte dicti Domini Epiſcopi præſentibus noſtris literis fueritis requiſiti, ipſum, ſeu ejus Procuratorem, ad realem & actualem priſtinam poſſeſſionem Diſtrictus Scharffaw, ac bonorum & rerum ſpoliatarum ſupradictarum auctoritate noſtra inducatis & reſtituatis, aut reſtitui faciatis, facientes ei per colonos & incolas eorundem obedientiam & ſubjectionis debitæ fidelitatem præſtari, ac ipſum Dominum Epiſcopum in poſſeſſionem hujusmodi inductum defendatis, contradictores auctoritate noſtra opportuna coërtione compeſcendo. Pro gratia noſtra aliter non facturi. Datt. Cracoviæ die S. Auguſtini Epiſcopi, Anno Domini 1517.

CL.

1519. CAROLUS V. *Imperator hortatur* ALBERTUM *Magiſtrum Pruſſiæ, ut iuramentum fidelitatis Regi Poloniæ præſtet. Lib. Leg. Lit. E. fol. 141.*

Venerabilis Princeps, Conſanguinee Chariſſime.

Cum Nos nutu DEI Optimi Maximi, a quo omnia fiunt, communibus Principum Electorum ſuffragiis in Regem Romanorum, futurumque Imperatorem electi ſimus, noſtri officii eſſe duximus, pacem& concordiam Chriſtianorum Principum procurare, quo facilius concordibus armis atque animis expeditio contra Chriſti nominis hoſtes ſuſcipi poſſet. Et cum intelligamus, inter Sereniſſimum Regem Poloniæ Fratrem noſtrum chariſſimum, & Devotionem tuam ſuper juramento quodam præſtando, nonnihil differentiæ adeſſe, cuperemus plurimum hujusmodi diſcordiam ſedari, præſertim cum edocti fuerimus, Cæſaream Majeſtatem præclariſſimæ memoriæ, Dominum atque Avum noſtrum colendiſſimum, ad te quoque ſuper ea re literas dediſſe. Quapropter hortamur Devotionem tuam magnopere, ut dicto Sereniſſimo Fratri noſtro debitum, & praeſertim quod Prædeceſſores tui Regibus Poloniæ præſtare ſoliti ſunt, etiam præſtes, & te ita erga eum exhibeas, ut junctis armis iſthic fidei hoſtibus occurrere, & terrori eſſe poſſitis. Et ſi quid forſan diſſidii inter eundem Regem & te adhuc remanſerit, daturi ſumus operam, cum primum in Germaniam venerimus, quod Deo dante propediem futurum ſperamus, ut hujusmodi inter vos quæſtio amice & pro dignitate utriusque componatur. Quare Nobis pollicemur, ut pro tua, & Fratrum tuorum in Nos obſervantia, Nobis in hac re ſatisfacias, quoniam hoc erga Devotionem tuam, univerſumque iſtum Ordinem benigne & omni gratitudine recognoſcemus. ANNO 1519.

CLI.

Idem Præſidentibus Cameræ Imperialis inhibet, ne contra civitates Pruſſiæ in Judicio Imperiali procedere audeant. Ibidem.

Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Amice chariſſime, ſalutem & omnis boni incrementum, ac Venerabiles, Nobiles, Spectabiles, Fideles Nobis dilecti.

Scripſerunt ad Nos Oratores Sereniſſimi Regis Poloniæ circa nonnulla, quæ a Nobis pro Rege ſuo fieri debeant, præſertim cum Duce Moſcoviæ pertractanda, & Magno Magiſtro Pruſſiæ perſcribenda, ac etiam ne certæ urbes in Pruſſia Imperiali Judicio vexari debeant, quemadmodum ex incluſo Memoriali videre poteritis. Et quoniam eidem Regi in omnibus, quibus poſſumus, gratificari velimus, ſcripſimus ipſi Magno Magiſtro Pruſſiæ opportune. Sed cum vos melius cognoſcatis, quo pacto reliqua pertractanda ſint, mittimus ad vos in præſenti Literas Credentiales, in Albo ad eundem Moſcoviæ Ducem, quibus, quem volueritis inſcribere, & ad præfatum Ducem mittere, poteritis, cum inſtructionibus & mandatis, quibus illa, quæ petuntur, tractari poſſint, & debeant. Quamobrem curabitis hanc rem ita fieri, ut in rem noſtram, & præfati Sereniſſ. Regis eſſe putaveritis, & præſertim juxta formam Tractatuum a Cæſarea Ma-

Anno 1519. Majeſtate præclariſſimæ memoriæ Domino atque Avo noſtro colendiſſimo initorum. Quo omnes favores eidem Sereniſſimo Poloniæ Regi exhibeantur. Reliqua autem in adventum noſtrum in Germania poſtea plenius fieri & expediri poterunt. Quod vero ad urbes in Pruſſia attinet, vobis committimus, ut nihil in hac re ultra antiquum morem fieri patiamini. Verum quidquid ſine præjudicio jurium Imperialium usque in adventum noſtrum in Germaniam ſuſpendi poterit, id differri curabitis; nam in omnibus, quibus commode poſſumus, cuperemus voto & deſiderio Sereniſſimi Regis Poloniæ ſatisfacere, in eo executuri eſtis voluntatem noſtram.

CLII.

1520. Sigismundi I. *Regis Poloniæ ad* Leonem X. *Literæ, in quibus de* Alberto *Magiſtro in Pruſſia & Ordine Cruciferorum conqueritur.* Datum in Civitate Torunenſi d. 21. Auguſti. *Ibidem fol. 160.*

Sanctiſſime in Chriſto Pater & Domine, Domine Clementiſſime.

Poſt humilem mei, Regnique & Dominiorum meorum commendationem, ac oſcula pedum beatorum. Superioribus diebus deſcripſi Veſtræ Sanctitati cauſas, quæ me diu multumque renitentem coëgerint ad tuendos ſubditos & jura Regni mei, arma contra Illuſtrem D. Magiſtrum Ordinis Theutonicorum in Pruſſia ſumere, & quæ conditio belli hujus, mea modeſtia & pietate in rem Chriſtianam fuerit: cum enim dudum conficere illum ac Ordinem ipſum, & quidem parvo negotio potuiſſem, tractavi illum per hoc omne tempus lenius, quam hoſtem conveniebat, habita ratione non ſolum neceſſitudinis noſtræ & illius juventutis, ſed etiam Veſtræ Sanctitatis, quæ cauſam illius neſcio cur adeo complectendam ſibi putat, cum nuſquam appareat, Ordinem iſtum vel meritum eſſe aliquid de Eccleſia & Religione Chriſtiana, vel unquam in hoc angulo mereri poſſe, qui ad hoc unum inſtitutus eſſe videtur, ut ubi ubi ſit, miſceat & perturbet omnia. Non ignorat Veſtra Sanctitas, quomodo ſe geſſit Ordo ipſe in Regnis Angliæ & Hiſpaniæ, & quid illi meritis ſuis acciderit, quo ſalutari exemplo, poſſem quidem perfacile inſiſtere, & me Regnumque meum hac moleſtia & calamitate liberare, niſi eſſet majoris penſi apud me quies communis ſtatus rei Chriſtianæ, & mea exiſtimatio hactenus illibata, quam id, quod cum motu & excidio alterius conſultiſſimum mihi & Regno meo putarem. Quare Beatiſſime Pater, cum, ut ante ſcripſi Veſtræ Sanctitati, Oratores tam Sereniſſimi Nepotis mei, Domini Hungariæ & Bohemiæ Regis, quam etiam Principum Germanorum a me rebus infectis diſceſſiſſent, quod Magiſter nihil eorum acceptare voluit, quæ ipſis etiam Oratoribus acceptanda videbantur, & ego meum exercitum ejus ſedi & loco primario admoveri feciſſem, quo ille conſternatus peteret facultatem tuto ad me veniendi, non ſolum eam illi præbui, ſed etiam inducias belli circiter unum menſem cum magno meo diſpendio & jactura temporis illi conceſſi, ſperans eum hac mea benignitate ad æquam & honeſtam concordiam reduci poſſe. Verum ille veniens ad me, licet exceſſus ſui veniam petierit, conjunctionem indigniſſimam cum Sciſmatico, meo & Eccleſiæ Romanæ inimico confeſſus fuerit, & in ſumma, licet poſt multos tractatus, quibus me eo duxit, ut interim ſubſidia aliqua nanciſceretur, ad extremum pollicitus fuerit, ſe facturum omnia, quæ ex fœderibus & pace perpetua deberet, tamen accepto nuntio de adventu ad ſe quarundam gentium ex Germania, omnibus in irritum verſis diſceſſit, nihil ſpei mihi relinquens eorum, quæ mihi & Regno meo debet, & quæ ut miſſa faciam, nec licitum eſt mihi ullo modo, nec integrum commemorare, & poſt diſceſſum ſuum, ut majus incendium belli excitet, ut cœptum ſuum infeſtum & indignum perficiat, ſatagit in ſcribendo milite, in cogendis undique ſuppetiis, quæ ſibi palam cum in plerisque aliis locis, tum maxime in Germania colliguntur. Quapropter ſignificare volui hanc rem totam Veſtræ Sanctitati, ut cognita illius pertinacia & hoſtilitate in me, cognita item tam longa tolerantia & modeſtia mea, quam etiam Nuntii ejusdem Sanctitatis Veſtræ, ut hic probe ſunt experti, ita coram ipſi clarius referre poterunt, commendatam habere dignetur apud ſe magis hanc meam & Regni mei cauſam, & ſi quid ejusmodi accidet, quod adeo Magiſter ipſe & ejus Ordo ſibi ſtruit, & ego profecto non cupio, Veſtra Sanctitas boni conſulere, & mihi merito adeſſe debebit. Cui etiam, ut Patri meo Clementiſſimo, ſignificandum duxi, qua me lætitia & conſolatione Deus Optimus Maximus inter hanc turbam & moleſtiam bellicam affecit, quod natus ſit mihi commodum Calendis præſentis Menſis Filius optatiſſimus, quem ſi Divina Benignitas ſuperſtitem eſſe voluerit, ut

Anno 1520.

Anno 1520. ut veſtigiis Majorum ſuorum inſiſtere poſſit, futurum ſpero & obſervantiſſimum Sedis Sanctitatis Veſtræ, & Chriſtianæ Reipublicæ non vulgare columen & ornamentum. Quare commendo illum mecum pariter, Regnumque & Dominia mea, Veſtram Sanctitatem quam diutiſſime ſanam, ſoſpitem & felicem eſſe ex corde deſidero. Datum in Civitate noſtra Thorunenſi XXI. Auguſti.

CLIII.

Mandatum Caroli V. *Imperatoris Oratoribus ſuis datum ad tractandum de pace inter* Sigismundum *Regem &* Albertum *Magiſtrum.* Datum in Civitate Imperiali Colonia die 14. Novembr. An. 1520. *Ex Archivo Regni L. ſub Lit. BB. fol. 118.*

Carolus Divina favente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Recognoſcimus & notum facimus; Cum noſtri potiſſimum officii eſſe duximus, ut Reipublicæ Chriſtianæ otium & quietem totis viribus procurare debeamus, quo tandem expeditio in Chriſtianæ Fidei hoſtes communibus armis atque animis commodius ſuſcipi poſſit, & edocti ſumus, crudele bellum inter Sereniſſimum Principem Dominum Sigismundum Regem Poloniæ &c. Fratrem & Conſanguineum noſtrum chariſſimum ex una, & Venerabilem Magnum Magiſtrum Pruſſiæ S. Mariæ Ordinis Theutonicorum, Principem & Conſanguineum noſtrum chariſſimum ex altera partibus exortum eſſe, quod Nos pro hoc bello ſedando & extinguendo Oratores, Commiſſarios & Mandatarios noſtros fecimus, conſtituimus, ordinavimus & deputavimus, & tenore præſentium conſtituimus, facimus & deputamus Nobilem, Honorabilem, Fideles, Devotos Nobis dilectos: Georgium de Rogendorff Baronem in Molenburg, Sebaſtianum Sperantium Præpoſitum Brixinenſem, ac Joannem Maraſch Conſiliarios noſtros abſentes tanquam præſentes, omnes ſimul vel duos, aut unum eorum in ſolidum ſpecialiter & expreſſe noſtro nomine vices ſuas, tam apud Sereniſſimum Regem Poloniæ &c. quam Magnum Magiſtrum & alios quoscunque Potentatos & Principes interponentes ad pacem, ſive inducias faciendas inter dictum Regem & Magnum Magiſtrum, nec non, ſi opus fuerit, Magnum Ducem Moſchorum, & quoscunque alios hujus belli complices, & omnia & ſingula circa præmiſſa neceſſaria & opportuna, dicenda & agenda ſimiliter ad inhibendum Partibus, quatenus de jure poſſumus, ut arma deponant, & per viam juſtitiæ cauſas eorum dirimi patiantur, nec non etiam promittentes aſſiſtentiam, auxilium & favorem noſtrum, & alia omnia facienda, quæ ipſi pro hujusmodi pace & induciis faciendis facere poſſemus, ſi perſonaliter præſentes eſſemus, etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum, promittentes in verbo & fide Cæſarea, Nos ratum, gratum & firmum perpetuo habituros omne id, quidquid per præfatos Oratores noſtros actum, factum, dictum, geſtum, tractatum & promiſſum fuerit, harum teſtimonio Literarum ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datum in Civitate noſtra Imperiali Colonia, die XIV, Menſis Novembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo, Regnorum noſtrorum Romani ſecundo, aliorum vero omnium quinto. Anno 1520.

CAROLUS.

Ad Mandatum Cæſareæ Catholicæ Majeſtatis proprium.

CLIV.

Idem Sigismundo *Regi ſignificat miſſos eſſe ad eum Oratores ſuos, eumque ad pacem hortatur.* Datum Coloniæ d. 15. Novembris eod. an. *Ibidem. fol. 115.*

Carolus Divina favente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, utriusque Siciliæ, Hieruſalem &c. Rex, Archidux Auſtriæ &c. Sereniſſimo Principi Domino Sigismundo Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ, Fratri & Conſanguineo noſtro chariſſimo ſalutem, & omnis boni incrementum. Sereniſſime Princeps, Frater & Conſanguinee chariſſime. Scripſimus jam ſæpius Serenitati Veſtrae, quam Nobis grave atque moleſtum eſſet bellum illud pernicioſum, quod inter eandem & Venerabilem Albertum, Magnum Magiſtrum Pruſſiae, Ordinis S. Mariæ Theutonicorum, Principem & Conſanguineum devotum Nobis dilectum, jam dudum exortum eſſet, & jam multos dies gereretur, utq; pro debito officii noſtri Oratores miſſuri eſſemus,

ANNO 1520. mus, qui nomine noſtro huic bello ſedando tam apud Serenitatem Veſtram, quam ipſum Magnum Magiſtrum & alios vacarent, & ideo mittimus in praeſenti ad hunc effectum, una cum Oratoribus Sereniſſimi Regis Hungariae, Nobilem, Honorabilem, devotum, & fideles Nobis dilectos: Georgium de Rogendorff Baronem in Mollenburg, Sebaſtianum Sperantium Praepoſitum Brixinenſem, & Joannem Maraſchi, Conſiliarios & Oratores noſtros, quibus commiſimus, ut nonnulla Serenitati Veſtrae, & praeſertim hanc rem congruentiae referre debeant. Quamobrem rogamus eandem Serenitatem Veſtram etiam atque etiam, ut dictis Oratoribus noſtris in his, quae eidem nomine noſtro narrabunt, fidem indubiam, & non ſecus, atque ſi praeſentes eſſemus, habere velit, & ſe in hoc negotio conficiendo eum praeſtaret, ut univerſo Orbi palam fiat, Serenitatem Veſtram nihil tam unquam deſideraſſe, quam otium & tranquillitatem Reipublicae Chriſtianae, & arma illa ſua potius in Chriſti fidei hoſtes convertere voluiſſe, utque Nos cognoſcamus Serenitatem Veſtram ad arma deponenda maxime authoritate & gratia noſtra motam eſſe. Quod erga eandem fraterno amore & benevolentia libenter ſumus recognituri. Quam feliciter valere cupimus. Datum in Civitate noſtra Imperiali Colonia die XV. Menſis Novemb. An. Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo, Regnorum noſtrorum Romani ſecundo, aliorum vero omnium quinto.

CLV.

Legatio Oratorum Sacrae Caeſareae & Catholicae Majeſtatis ad SIGISMUNDUM I. *Regem de componenda pace cum Magiſtro & Ordine Cruciferorum in Pruſſia. Indidem.*

Sereniſſime Rex.

Cum Majeſtas Caeſarea non ignoret, quanto ſtudio & amore Majeſtas Veſtra quondam felicis memoriae Divum Caeſarem MAXIMILIANUM Avum ſuum colendiſſimum, ipſamque inclytam Domum Auſtriae ſit proſecuta, inſuper quam ſolidiſſimi nexus verae amicitiae, unionis atque affinitatis inter utramque Auſtriacam & Hungaricam immo & Majeſtatis Veſtrae Domum nuper auctrice Majeſtate Veſtra firmati fuerint, cupiatque ſua Caeſarea Majeſtas in hac vera amicitia, fraternitate atque affinitate & cum Majeſtate Veſtra, & cum Sereniſſimo Principe & Domino, Domino LUDOVICO Hungariae & Boëmiae Rege Fratre ſuo chariſſimo & Majeſtatis Veſtrae Nepote perſiſtere, & ſi fieri poſſit, etiam arctioribus vinculis eis conjungi, ob eam rem jam pridem in Civitate Colonienſi cum ejusdem Sereniſſimi Ungariae Regis Oratoribus, pleno ad hoc mandato inſtructis Majeſtas ſua Caeſarea haec duo matrimonia ſcilicet inter memoratum Sereniſſimum Dominum Regem LUDOVICUM, & Sereniſſimam Dominam MARIAM Majeſtatis ſuae Caeſareae Sororem, & alterum inter Sereniſſimum Dominum FERDINANDUM Hiſpaniarum Infantem, & Archiducem Auſtriae, Majeſtatis ſuae Caeſareae Fratrem, & Sereniſſimam Dominam ANNAM, Majeſtatis Veſtrae Neptem de novo ratificavit, concluſit ac roboravit, & illa deinde in oppido Inſpruk coram iſtis Sereniſſimis Reginis, et praeſentibus utrorumque Principum abſentum Procuratoribus et Mandatariis in facie et forma Eccleſiae ſolemnizari procuravit. Quod felix fauſtumque ſit ad perpetuam utriusque Domus, Regnorum, Dominiorum, ac ſubditorum earundem amicitiam, unionem et tranquillitatem, de quibus omnibus Majeſtas Caeſarea Serenitatem Veſtram per nos reddi voluit certiorem, nihil ambigens ea omnia Majeſtati Veſtrae fore gratiſſima, quae alias auctoritate et auſpiciis ſuis feliciter fuiſſent inchoata.

Audivit praeterea nuper Caeſarea Majeſtas laetisſimum iſtum nuntium de Filio ac Regni Succeſſore Majeſtati Veſtrae ex Serenisſima ejus Conthorale nato, quod eo jucundiori animo Majeſtas ſua Caeſarea accepit, quo ſolet ea omnia, quae ex uſu et dignitate Majeſtatis Veſtrae cognoſcit, ex animo ſemper deſiderare, deq; hac felicisſima Prole Majeſtati Veſtrae, Regnis, Dominiis ac ſubditis ſuis plurimum congratulatur, optatque, ac ſic Deum Optimum Maximum votis omnibus precatur, ut hanc Prolem diu dignetur conſervare incolumem, atque poſt longaevam Serenitatis Veſtrae vitam ſuperſtitem, et Regni ſibi conſtituere Succeſſorem ea felicitate, ut dignitatem, ſplendorem, fortunas, et perſonales Majeſtatis Veſtrae virtutes nedum aequare, ſed et (ſi modo humanis viribus id datum eſt) tranſcendere et ſuperare posſit, neque quicquam gratius, aut jucundius Majeſtati Caeſareae obvenire poterit, quam ſi omnia ex animi ſententia Majeſtati Veſtrae contingere intelligat. Nam cum Majeſtas ſua Caeſarea rerum ac dignitatis ſuae Majeſtatem Veſtram apprime ſtudioſam cognoſcit, non poteſt, niſi

eam

Anno 1520.

eam viciſſim fraterno illo amore proſequi, quem Serenitas Veſtra erga ſe tot ſignis & argumentis apertiſſime demonſtravit, & præſertim nuper, cum de Majeſtatis ſuæ Cæſareæ Electione Imperiali ageretur, ubi Majeſtatis Veſtræ auctoritatem, ſtudium & favorem uſque adeo ſibi profuiſſe ſenſit, ut, quantum a Majeſtate Veſtra amaretur, in hujus rei diſcrimine & difficultate Majeſtati Veſtræ non ignota, re ipſa tunc palpaverit, de quibus omnibus fraternis erga ſe ſtudiis & officiis Majeſtati Veſtræ cumulatiſſimas atque debitas agit gratias, nullo viciſſim ſtudio vel officio his, quæ Majeſtatis Veſtræ rerum ac dignitatis incrementa concernunt, defutura, ſic etiam Majeſtatis ſuæ Cæſareæ gratitudinem fraterna ejus atque promptiſſima in Serenitatem Veſtram ſtudia in omni occaſione locupletiſſime ſemper teſtari debebunt.

Præterea non ſine gravi animi diſplicentia & conturbatione Majeſtas Cæſarea accepit pernicioſum iſtud bellum inter Majeſtatem Veſtram, & Illuſtrem Principem Magnum Pruſſiæ Magiſtrum nuper exortum, cum ob ejus fraternum in Majeſtatem Veſtram amorem, & cujus felicitatem & proſperitatem haud ſecus atque propriam ſemper exoptat, tum quod Magno Magiſtro, ſine Principum & totius Nobilitatis Germaniæ offenſa, qui illi atque ejus Ordini plurimum ſunt affecti, atque ex debito officii ſui penitus deeſſe vix poſſent, quibus accedit hujus belli immanitas, atque crudelitas inter Chriſtianos Principes, & eos, qui tam arctiſſimo ſanguinis vinculo ſunt conjuncti, præcipue deteſtanda, & hoc magis altero illorum exeunte quaſi Eccleſiaſtico & Religioni addicto, quibuscum eo gravius bellum geritur, quod vix tuto, & abſque periculo impugnatur & occupatur, quod ſemel Deo dicatum, & Eccleſiaſticæ Ditioni legitime fuerit adjectum. Nec minus etiam (quod non poſtremo loco Majeſtas Cæſarea penſitat) Reſpublica Chriſtiana ex hoc bello patitur diſpendii ac detrimenti. Quippe cum in occulto non ſit, quam late hinc Moſci & Thartari, illinc Turcæ & Valachi ampliſſimam Maj. Veſtræ ditionem ambiant, ejusque fines contingant, ſitibundis faucibus illis perpetuo inhiantes immaniſſime, atque inſatiabiles beſtiæ omnibus mortalibus infenſi, ac perpetui Chriſtiani nominis hoſtes, cum quibus quam ſtrenue atque feliciter Majeſtas Veſtra ſæpenumero ſit congreſſa, tam potentiſſimis hoſtibus ſeſe Regnique ſui vires, veluti totius Chriſtiani Orbis antemurale & unicus propugnator, objecerit, eos non ſine ſuorum ſanguine fuderit, & parvis copiis innumeros illorum exercitus Chriſto Duce proſtraverit & profligaverit, tot inſignes Majeſtatis Veſtræ victoriæ, non ſine ejus celeberrima fama & nomine, atque immortali gloria, late per univerſum Orbem ſparſæ uberius teſtantur, talem ac tantum Principem de Republica Chriſtiana optime meritum, a tam honeſtis & felicibus rerum publicarum ſtudiis atque ſucceſſibus ad privata atque inteſtina bella trahi, univerſorum ſalutem & commodum privatis contentionibus turbari atque impediri, Chriſtianorum arma, paulo ante hoſtibus ſuis formidabilia & pernicioſa, nunc inter ſeſe dimicare, & quæ prius in hoſtem exercebantur, nunc in Fratrem Chriſtianum ſævire. Quis non doleret, quis non deteſtaretur, quis Reipublicæ Chriſtianæ caſum in tanto diſcrimine ſatis deplorare poſſet? Arrectis auribus & votis intentus nunc eſt Tartarus veteris cladis a Majeſtate Veſtra receptæ haud immemor, atque ultionis ſitibundus, exitum rei cautius obſervat Moſcus. Expectat hoc idem Turca & Valachus, ut conciſis ac debilitatis inteſtinis inter ſe bellis Chriſtianorum viribus infuſa barbarorum multitudine fractos & invalidos obruant, & majore ſpe ac minore ſui periculo penitus exeindant. Hic bellorum Chriſtianorum tam expectatus finis, hæc illa inſignis, pro qua certatur, gloria: hæc tam opima Chriſtianis detracta ſpolia, paulo poſt etiam hoſtibus ſuis præda futura, quamvis Deus ſua miſericordia (ut precamur) hæc mala longius abeſſe faciat, de humanis tamen caſibus humano more loqui aliquando præſtat. Nec ſatis probe rebus ſuis conſulunt, qui arridentis fortunæ & potentiæ ſuæ fiducia freti, ac tutiores ſibi viſi, cujusvis periculi contemptores adverſantis fortunæ impetum, quæ dicto citius ſubinde mutatur, non formidant, non obſervant, non late proſpiciunt, quod ſæpe cum multorum pernicie bellorum docent eventus, quorum ut initia fervida, & ſpe victoriæ tumida, ita exitus ſolent eſſe varii, & incertiſſimi. Hæc apud ſe Majeſtati Cæſareæ altius penſanti, & perniciem, quæ & privatis & publicis rebus ex hoc bello oriri poſſet, accuratius animo verſanti, viſum eſt, & pro fraterno ſuo in Majeſtatem Veſtram amore, & qua in Rempublicam afficitur ſollicitudine, poſteaquam nunc Deo aſpirante Imperii Coronam & moderationem feliciter ſuſcepiſſet, nihil amplius temporis prætermittere, ſed præſenti malo auctoritate ſua interpoſita occurrere, & ad hujus belli incendia reſtinguenda omnem curam impen-

Anno 1520.

Anno 1520. pendere ſeſe debere, ne recens malum longius ſerpat, & gravior vis belli ingruat, quandoquidem ſero adhibita remedia nonnunquam ſoleant eſſe difficiliora & minus utilia, voluitque ejus rei cauſa nos ad Majeſtatem Veſtram proficiſci, ut una cum Sereniſſimi Hungariæ & Bohemiæ Regis Oratoribus etiam ad hunc finem ad Majeſtatem Veſtram deſtinatis, negotium iſtud ſuæ Cæſareæ Majeſtatis nomine ſolliciti curaremus, &, quantum per Nos fieri poſſet, Deo annuente, ad tranquillos exitus, & honeſta media pacis vel induciarum reduci ſtuderemus. Hortatur igitur eam ob rem Majeſtas Cæſarea, quo majore ſtudio poteſt, Serenitatem Veſtram, velit ſuæ Cæſareæ Majeſtatis & Reipublicæ contemplatione arma deponere, & his tractatibus locum dare, publicumque commodum ſuo privato anteferre, utcunque etiam juſta forte cauſa ad hoc bellum ſuſcipiendum ſibi videatur provocata, plus etenim gloriæ & laudis apud univerſos ſibi pariet, quod veluti Chriſtianiſſimus Princeps, quod nomen etiam uſque nunc immaculatum apud cunctos retinuit, ab his, quæ forte ſibi licere exiſtimabat, Reipublicæ amore abſtinuerit, omnes Majeſtati Veſtræ plurimum debebunt, quod omnium commodis ſua poſthabuit. Erit quoque iſtud perpetuum virtutum ſuarum etiam apud poſteros monumentum, quando honeſtis conditionibus inita cum Magno Magiſtro pace, ad priora & intermiſſa bellorum ſtudia contra inimicos fidei revertetur, in quibus arcendis & ſubigendis plus ad victoriam procul dubio a Deo auxilii, & favoris a Chriſtianis Principibus eſt habitura. Talis triumphus Majeſtatem Veſtram adhuc manet. Hæc erit victoria Majeſtate Veſtra & tam Chriſtiano Principe digna, quæ non Chriſtianorum, ſed eorundem hoſtium ſanguine fuſo apud cunctos mortales clara ac celebris habeatur, & a Deo in hac vita felicem Regni moderationem conſequatur, & alibi æternis præmiis & perpetua immortalitatis corona donetur. Dabitque Majeſtas Veſtra majorem ac certiorem Majeſtati Cæſareæ de ſe ſpem atque expectationem, quodvis fraternum officium ab ea poſſe impetrari, quando in hac re, qua nihil optatius nunc habet, honeſtis ac fraternis votis ſuis ſe videbit minime fruſtratam. Hoc tametſi Majeſtati Veſtræ, Principi alioquin & pace & bello clariſſimo atque expertiſſimo, & cui divina quædam inſita eſt prudentia, omniumque virtutum conſummata integritas, a Majeſtate Cæſarea Principe adoleſcente perſuaderi forte ſupervacaneum videri poſſit, fraternus tamen amor, & vehemens in Majeſtatem Veſtram ſtudium diutius ſilere non potuit, atque ſollicita in Rempublicam cogitatio Majeſtatem ſuam Cæſaream impulit, ut ei conſilium daret, a quo accipere & petere deberet, atque ea ſuaderet, quæ non tam exiſtimaret eſſe ex Majeſtatis Veſtrae re & dignitate, quam ex totius Reipublicæ Chriſtianæ ſalute, neceſſitate & tranquillitate. Ad hæc ſi, uti Maieſt. Cæſareæ eſt firma ſpes, atque expectatio, Maieſtas Veſtra animum applicare, & fraternis ſuæ Cæſareæ Maieſtatis exhortationibus acquieſcere voluerit, nunc, aut quocunque alio tempore opportuno, quæ ad præſens negotium ſpectabunt, juxta commiſſionem noſtram Maieſtati Veſtræ latius declarabimus & exponemus, intellectaque circa hæc Maieſtatis Veſtræ deliberatione, ad Magnum Magiſtrum Pruſſiæ Nos recipiemus, pariter huic Maieſtatis Cæſareæ mandata, voluntatem, & in reſcindendo hoc bello deſiderium declaraturi, & alia juxta Commiſſionem noſtram acturi, ſperantes Excellentiam ſuam & Majeſtatis Cæſareæ voluntatem, & honeſta media pacis & induciarum nequaquam ſpreturam. Anno 1520.

Quantum vero ad nos attinet, etſi cognoſcamus hanc rem gravem atque difficillimam ingeniorum noſtrorum vires longe excedere, poſtquam tamen Majeſtati Cæſareæ nobis hanc Provinciam imponere placuit, eo alacriore animo hanc utcunque gravem ſuſcepimus, quo ſervitutis noſtræ devotionem Maieſtati Veſtræ in hac re oſtendere ex animo deſideramus, nihil ſtudii & laboris, quantum ingenium noſtrum conſequi poteſt, & negotia ipſa admittent, prætermiſſuri, quo Maieſtatis Veſtræ dignitati & commodo quam maxime conſulatur. Deum Optimum Maximum omnibus votis precamur, dignetur huic negotio ſua miſericordia aſpirare, & felicibus auſpiciis feliciores tribuere ſucceſſus & exitus, ut tandem concordibus armis & animis Chriſtiani Principes inter ſe conveniant, in exterminium & perniciem hoſtium ſui nominis, atque ſtabilimentum, incrementum & perpetuam tranquillitatem ſuæ Reipublicæ Chriſtianæ.

Poſtremo Maieſtas Cæſarea nuper inter alia cum Sereniſſimi Hungariæ & Boëmiæ Regis Oratoribus concluſit, ut ſua Cæſarea Maieſtas, & praefatus Sereniſſimus Rex in Oppido Weid ſupra Danubium, aut Civitate Auguſtenſi circa medium Quadrageſimæ convenire deberent, præſentibus etiam ibidem Sereniſſimo Domino Ferdinando Maieſtatis ſuæ Caeſa-

reae

Anno 1520. reae Fratre, ac Sereniſſimis Dominis Reginis ad perficienda ea, quae circa haec matrimonia adhuc ſupereſſe viderentur, & ad tractanda etiam ea omnia, quae ad bonam amicitiam & unionem inter eos, atque eorum ſubditos poſſent ſtabilienda ſpectare. Et quamvis Conventus iſte nonniſi ſub beneplacito præfati Regis Ludovici fuerit per Oratores ſuæ Regiæ Majeſtatis concluſus, omnino tamen ſperabat, & Majeſtas Cæſarea ſibi pollicebatur, Sereniſſimum Hungariæ Regem hunc Conventum libenter amplexurum eo, quod in ejus commodum atque dignitatem non minus, atque propriam Maieſtas ſua Cæſarea illum propoſuiſſet, & obtuliſſet. Cumque Maieſtas ſua Cæſarea non minore deſiderio teneatur viſendæ Maieſtatis Veſtræ, ut eius fraterna præſentia atque dulciſſimis colloquiis frui poſſet. Iccirco ſi Conventus iſte effectum ſortietur, & negotium iſtud pacis vel induciarum, Deo annuente, per nos confectum fuerit, Maieſtas ſua Cæſarea omni ſtudio Maieſtatem Veſtram hortatur, velit, rebus ſuis domi compoſitis, ad hunc Conventum ſe recipere, & in hoc fraternis Maieſtatis ſuæ Cæſareæ deſideriis non obſiſtere, ſed ſui copiam præbere, atque ſponſalitiis Nepotis & Neptis ſuæ intereſſe, ut etiam ibidem non ſolum ea, quæ in omnium Maieſtatum ac Serenitatum Veſtrarum, Regnorum ac ſubditorum ſuorum rem, dignitatem atque tranquillitatem ſpectabunt, inter ſe tractare, ſed & quæ ad univerſæ Reipublicæ utilitatem & ſalutem neceſſaria erunt, deliberare & perpendere poſſint, factura eſt in eo Maieſtas Veſtra rem Deo acceptam & dignam, Chriſtianæ Reipublicæ utilem, & Maieſtati Cæſareæ usq; adeo gratam, ut gratius aut jucundius in præſentiarum obvenire ſibi poſſet nihil.

CLVI.

Leonis X. *ad* Carolum V. *Imperatorem Breve in eodem negotio.* Datum Romæ d. 26. Decembr. An. 1520. *Indidem fol. 60.*

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem.

Non dubitamus Maieſtatem tuam ſcire, quod atrox & crudele bellum jam pridem inter chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Sigismundum Poloniæ Regem, Illuſtrem & dilectum Filium Albertum Marchionem Brandeburgenſ. Magiſtrum Hoſpitalis Domus S. Mariæ Theutonicorum in Pruſſia eſſe cœperit, pro quo ſedando, & penitus extinguendo quantum Nos laboravimus, non ſolum literis, ſed propriis etiam Nuntiis, utrumque eorum pie hortando, monendo & rogando, ut ab armis diſcedere, ac pro diſcordiis inter eos exortis via juris, aut amicabilis compoſitionis, non autem de facto procedere vellent, Omnipotentem Deum (cui nota ſunt omnia) teſtem habemus. Ipſaque Maieſtas tua alia ex parte conſcia Nobis eſſe poteſt, ad quam pro huiusmodi bello ſedando nonnunquam ſcripſimus. Meminimus etiam ad inclytæ memoriæ Maximilianum in Imperatorem electum, Avum tuum patruum, dum in humanis ageret, ſæpius ſcripſiſſe, ut, conſideratis periculis & ſcandalis, quæ ab hujusmodi diſſenſione oriri poſſent, auctoritatem ſuam interponere, ac Sigismundum Regem, & Albertum Magiſtrum præfatos amicabiliter componere vellet, quod ipſum, ſi diutius ſupervixiſſet, omnino facturum fuiſſe credimus. Cum nuper autem intellexerimus, inter eosdem bellum prædictum adeo recrudeſcere cœpiſſe, ac tantos utrinque apparatus fieri, ut inde maximum, ac univerſæ Chriſtianitati pernicioſum timeatur incendium, ipſumque Albertum Magiſtrum complures Germaniæ tuæ populos fœdere ſibi conjunxiſſe, ac magnum exercitum comparaſſe, eundem vero Sereniſſimum Regem, qui hactenus Thartarorum bellum magnis laboribus & impenſis ægre ac difficulter ſuſtinuit, eorumque, ne in Germaniam & alias Chriſtianorum Provincias irrumperent, impetum ac furorem repreſſit; Nunc, ut eidem Alberto Magiſtro magna & dira in eum molienti reſiſtat, invitum cogi, civitates & loca, quæ Thartaris & Moſcovitis perpetuis hoſtibus ſuis confinia ſunt, ſolido præſidio quaſi denudare, & fere omne virium, & copiarum ſuarum robur in unum colligere, ut Chriſtianis, a quibus atrociora & magis crudelia, quam ab ipſis infidelibus timet, obſtare, ac ſe Regnumque ſuum tutari valeat. Vix cogitari, nedum ſcribi, enarrarique poſſet, quantum animi dolorem ſenſerimus, & quam gravi cura continue afficimur, conſiderantes præſertim, ac memoria repetentes, quam gravia & pernicioſa illa ſcandala fuerint, quæ pluribus abhinc annis propter eadem ipſa bella contigerunt, qualia (quod Deus avertat) noſtris temporibus, quibus eorundem infidelium & ſciſmaticorum vires & opes plurimum auctæ multiplicatæque ſunt, acciderunt. Nos itaque animo noſtro perpendentes, quid in re hac tanti ponderis & momenti facere Nos oporteat, qui nec in minimis quidem abſque nota negligentes eſſe poſſumus, ac Anno 1520.

 etiam

Anno 1520. etiam conſiderantes, quam parum literis ac Nuntiis noſtris pro pace inter Sereniſſimum Regem, ac Albertum Magiſtrum præfatos componenda profecerimus, oculos in Maieſtatem tuam direximus, quæ tantis malis auxilium & remedium aliquod afferre poteſt ac debet, quippe quæ S. R. E. Advocatus exiſtit, eundemque Sereniſſimum Regem benivolentia exorare, Albertum vero Magiſtrum auctoritate inclinare ac flectere poteſt, ut bello abſtineant, &, ſi quas inter ſe controverſias vel differentias habeant, eas Nobis, qui æqua lance omnibus miniſtramus, moderandas remittant. Debet & Maieſtas tua illud attente conſiderare, quod ſi dictum bellum curabit extinguendum, omnium Chriſti fidelium paci & quieti conſulet, providebitque, ne mali contagio in Chriſtianorum Provincias ſerpere vagarique poſſit. Deinde prædictum Sigismundum Regem, pacis erga Chriſtianos cupidum, maximo beneficio ſibi in perpetuum devinciet, eique cauſam dabit, ut relicto bello, quod invitus contra Chriſtianos agere, vel potius a ſe Regnoque ſuo defendere ac propulſare cogitur, vires & arma ſua contra Thartaros & alios infideles ac ſcismaticos convertat, eosque, ne in Chriſtianos impetum faciant, ſtrenue prohibeat, & ſic Principum Chriſtianorum tutelæ ac defenſioni propriis laboribus, impenſis atque periculis ſuis, ut hactenus fecit, libere vacare poterit. Quare Maieſtatem tuam hortamur, atque paterna charitate requirimus, ut, cum opus hoc pacis inter Sereniſſimum Regem & Albertum Magiſtrum præfatos componendæ ſit adeo pium, laudabile & honeſtum, eidemque Majeſtati tuæ ac univerſæ Chriſtianitati utile ac neceſſarium, ei totis viribus incumbere velit, ac Oratores ſuos ad utrumque illorum mittere, qui una cum noſtro ac aliorum Regum ac Principum Nuntiis & Oratoribus ibidem exiſtentibus, eos ipſos ad arma deponendum, ac pacifice, ut fideles Chriſtianos decet, inter ſe degendum inducant. Datt. Romæ XXVI. Decemb. MDXX.

CLVII.

1521. *Articuli inter Majeſtatem Regiam Poloniæ, & Dominos Oratores tam Cæſareæ Majeſtatis, quam Sereniſſimi Domini Hungariæ, & Bohemiæ Regis in negotio conficiendæ pacis cum Magiſtro & ejus Ordine acti & concluſi.* Die penultima Februarii Anno 1521. *Lib. 26. n. 26. fol. 99.* Anno 1521.

In primis Maieſtas Regia habita ratione Cæſareæ Maieſtatis, & Sereniſſimi Domini Hungariæ & Bohemiæ Regis, ac rei Chriſtianæ, nec non etiam utriusque illius Maieſtatis tam inſignium Oratorum, qui tractandæ pacis cauſa huc ad ſe venerunt, & pro illa conficienda nomine Principum ſuorum omni cura & ſtudio apud ejus Maieſtatem egerunt, conſentire dignata eſt Maieſtas ſua in concordia & conditionibus pacis perpetuæ dudum factæ conſiſtere, mediantibus tribus infra ſcriptis articulis.

Videlicet, ut conditio de recipiendis ad Ordinem Polonis tollatur, ipſeque Ordo non ſit obligatus alios quam Germanos ad poſſeſſionem ſuam recipere.

Ut Dominus Magiſter, & eius Ordo non ſit deinceps aſtrictus Regibus, & Regno Poloniæ ſubſidium facere adverſus Romanorum Imperatores, Sacrum Romanum Imperium, & alios Chriſtianos Reges & Principes, ſed duntaxat contra infideles, viciſſimque ipſe, Succeſſores & ejus Ordo adverſus Reges & Regnum Poloniæ, neque Romanis Imperatoribus, Sacroque Romano Imperio, ac aliis Regibus & Principibus Chriſtianis, hoſtibusque Sacræ Romanæ Eccleſiæ, nec cuivis alteri inimico Regum & Regni Poloniæ occulte vel manifeſte, via juris vel facti, conſilio vel auxilio, in quantum Magiſter ex Terris Pruſſiæ adeſſe debet.

Quia vero Magiſter & Ordo ſuus per bellum modernum gravem bonorum ſuorum jacturam ſubiit, quo videtur minus ſufficiens ad ſubſidium ferendum Maieſtati Regiæ, bellum aſſidue cum infidelibus agenti, obtulit ſe Majeſtas ſua ſe præfinituram tempus ipſi Domino Magiſtro & ejus Ordini, quod videbitur congruum, intra quod non erit obligatus, etiam adverſus infideles eius Maieſtati & Regno ſuo ullum ferre ſubſidium.

Item quod attinet ad captivos, arces & oppida, quæ ſub hoc moderno bello ſunt ex utraque parte intercepta, Maieſtas ſua quando Dominum Magiſtrum cognoſcet a cœpto ſuo hoſtili deſiſtere, & ſe Maieſtati ſuæ reconciliari velle, præſtito eius Maieſtati debito ſuo, dignabitur eius Maieſtas ſe ita illi benignam & tractabilem in his & aliis omnibus exhibere, ut magis fieri poterit, & ut ipſimet Domini Oratores probabunt.

CLVIII.

Anno 1521.

CLVIII.

Summarium Relationis Dominorum Oratorum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis & Sereniſſimi Hungariæ Regis factæ coram Maieſtate Regia de his, quæ cum Illuſtri Domino Magno Magiſtro egerunt. Indid.

Inprimis Domini Oratores Illuſtri Domino Magno Magiſtro declararunt, Majeſtatem Regiam (ſicuti eis aperuerat) nihil ab Excellentia ſua exegiſſe, nec adhuc requirere, niſi ut juramentum, quod circa pacem perpetuam Majeſtati ſuæ, & Regno Poloniæ facere teneretur, præſtaret, quod ſi Excellentia ſua, ſicuti et Anteceſſores ſui feciſſent, præſtare velit, Majeſtatem Regiam velle eam omni benignitate amplecti, & in cæteris, quæ in præſenti bello emerſerunt, cum illa facile concordare.

Ad quod Excellentia ſua reſpondit, ſe juramentum iſtud juxta pacem perpetuam, ſalvo honore & conſcientia ſua, nequaquam præſtare poſſe, eo, quod Anteceſſores ſui ad hujusmodi pacem ineundam vi fuiſſent compulſi, in maximum præjudicium & jacturam Ordinis ſui contra quandam aliam pacem perpetuam, prius in Breſcie de conſenſu Sanctæ Sedis Apoſtolicæ concluſam, quodque pax illa facta fuiſſet in grave præjudicium auctoritatis Cæſareæ Majeſtatis, & Sacri Romani Imperii, ac Sedis Apoſtolicæ, cui Ordo ejus immediate eſſet ſubjectus, & a qua alias, ne juramentum iſtud præſtaret, fuiſſet prohibitus, & poſtremo in perpetuam divulſionem Ordinis a natione germanica; & præſertim cum Illuſtr. felicis memoriæ Fridericus Dux Saxoniæ Anteceſſor ſuus juramentum iſtud non feciſſet, neque ad hæc a Majeſtate ſua, neque ab Anteceſſoribus ſuis compulſus fuiſſet, ſperans Majeſtatem Regiam pari erga ſe uſuram fuiſſe clementia.

Deinde DD. Oratores Excellentiæ ſuae propoſuerunt moderationem juramenti, & aliquorum articulorum veteris pacis, adhortantes illam efficacius, ut ſaltem ad iſta inclinaretur. Ad quæ Excellentia ſua reſpondit, ſibi quidem articulos moderatos non diſplicere, tamen his ſibi & Ordini ſuo nequaquam eſſe ſatisfactum & conſultum, eo, quod per pacem perpetuam tot loca fuiſſent Ordini ſuo adempta, & nunc per præſens bellum tanta damna illata, & Ordo ad eam deveniſſet exiguitatem, ut non ſolum in longiſſimo tempore, ſicut juxta unum ex articulis modificatis teneretur, Majeſtati Regiæ nullum auxilium contra infideles præſtare, ſed neque Profeſſioni & Inſtitutioni Ordinis ſui ſatisfacere, videlicet contra infideles pugnare, imo vix ſtatum ſuum decenter manutenere poſſit.

Si autem Majeſtas Regia de ſua clementia contentaretur, ut, quæ Ordini fuiſſent adempta, ad illum redirent, tunc Excellentia ſua Majeſtatem Regiam non ſolum potenti auxilio contra quoscunque infideles adjuvare, ſed & Profeſſioni & Inſtitutioni Ordinis ſui (quod maxime cupiebat) ſatisfacere, puta contra infideles pugnare, & Religionem Chriſtianam propagare & tueri poſſet, quemadmodum Anteceſſores ſui ſtrenue ac laudabiliter alias feciſſent.

Et quia in tali caſu Excellentia ſua tam circa ferendum auxilium Majeſtati Regiæ contra quoscunq; infideles, quam circa omnia alia, quæ ad veram, perpetuam ac ſtabilem pacem, bonamque vicinitatem inter Majeſt. Regiam & ſe faciendam pertinere viderentur, ea omnia præſtare, & ad illa ſe ſubmittere vellet, quæcunque per Majeſtatem Cæſaream, & Sereniſſimum Hungariæ & Boëmiæ Regem, aut illorum Oratores ſibi & Ordini ſuo poſſent imponi.

Ut autem Domini Oratores nihil intentatum relinquerent, & tempus ſine fructu perderent, ſi forte Majeſtas Regia hanc viam præfatam amplecti nollet.

Ultimo loco, juxta mandata Principum ſuorum, Illuſtri D. Magno Magiſtro propoſuerunt, Excellentiam ſuam exhortati fuerunt, ut ſaltem inducias ad certum tempus cum Majeſtate Regia ſervandas firmaret, & in Majeſtatem Cæſaream, & Sereniſſimum Hungariæ Regem, tanquam in arbitros, conſentiret & compromitteret, ut hæ Majeſtates has differentias inter Majeſtatem Regiam & ſe verſatas amicabiliter componere, aut, ſi fieri non poſſet, infra tempus induciarum, juſtitia mediante, decidere poſſent. Cui medio Excellentia ſua ad multam Dominorum Oratorum exhortationem tandem conſenſit, & dummodo a Majeſtate Regia etiam ſuſcipiatur, ad hoc Compromiſſum faciendum ſe obtulit, rogando, ut Domini Oratores apud Regiam Celſitudinem omni ſtudio laborare & efficere velint, ut Majeſtas ſua unam ex iſtis viis amplecti dignaretur.

Quocirca Domini Oratores mentem Regiam nomine Principum ſuorum cum omni inſtantia, ut ſæpe alias rogarunt, & in perſonis ſuis eidem humiliter ſupplicarunt, ut Majeſtas ſua, conſiderata hujus belli pernicie, & Reipublicae Chri-

ANNO 1521.

Chriſtianæ ſalute dignaretur, ad tantorum Principum gratificationem animum ſuum ad unam iſtarum viarum amplectendam clementer accommodare. Quod ſi in illis aliquam difficultatem, & ſe quovis modo gravatum ſentiret, Domini Oratores ſe obtulerunt omni fide ac ſtudio laboraturos, ut hujusmodi difficultates tollerentur, & omnia, quantum fieri poſſet, concordarentur.

Poſtremo Domini Oratores retulerunt, Illuſtrem Dominum Magnum Magiſtrum velle acceptare armorum ſuſpenſionem, ſive inducias ad tempus præſentis tractatus duraturas ea lege, ut contra oppida & arces nihil hoſtiliter intentaretur, & ab incendiis abſtineretur utrinque. Quærere tamen victualia utriq; Parti permitteretur, ſicuti etiam in prioribus induciis permiſſum fuiſſet. Et quia Domini Oratores incertum habuerunt, ſi Majeſtas Regia ad hoc eſſet inclinatura, iſtud tandem apud Dominum Magnum Magiſtrum effecerunt, quod Excellentia ſua Capitaneis ſuis ſcripſerit, ut nihil de facto contra arces & oppida Majeſtatis Regiæ tentarent, neque igne quicquam devaſtarent. Quærere tamen victualia illis liberum eſſet uſque ad aliquam ſuam commiſſionem, dummodo tamen etiam a ſubditis Majeſtatis Regiæ ſic fiat. Quare etiam Domini Oratores apud Majeſtatem Regiam circa hoc inſtiterunt, ut Majeſtas ſua vel præfatis modis inducias ſanciret, vel ſaltem ſimili modo ad Capitaneos ſuos ſcribere dignaretur.

Sereniſſima Majeſtas Regia Poloniæ ad inſtantiam Summi Pontificis, Sacræ Cæſareæ & Catholicæ Majeſtatis, ac Sereniſſimi Domini Hungariæ & Boëmiæ &c. Regis, tanquam Fratrum ſuorum, & ob ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ contenta eſt arma deponere, & cum Illuſtri Domino Magno Magiſtro inducias & pacem inire infra ſcriptis modis.

Primo quod inter Majeſtatem Regiam, & præfatum Dominum Magiſtrum, eorumque, cujuscunque ſtatus & præeminentiæ, etiam Ducalis, Eccleſiaſticos & ſæculares ſubditos fiant induciæ quatuor annorum ſe continue ſequentium, a prima Dominica poſt Feſtum Paſchae proxime nunc inſtante, ita, quod intra hoc tempus quadriennii ab omni hoſtilitate & via facti, ac quorumvis inſidiarum utrinque abſtineatur. Quodque etiam inter hoc tempus quadriennii nulla Partium in ſuis locis & ditionibus homines, furta, latrocinia, aut praedationes publice vel occulte committentes fovere, aut foveri etiam publice vel occulte permittere debebit in damnum alterius Partis.

Secundo, quod Majeſtas ſua, interveniente Nuntio & Oratore Sanctiſſimi Domini noſtri Papae, conſentit in Sacram Caeſaream Majeſtatem, vel loco & in abſentia ſuae Caeſareae Majeſtatis in Sereniſſimum Dominum Regem FERDINANDUM, & Sereniſſimum Dominum Hungariae et Boëmiae Regem in hunc effectum, quod ſua Majeſtas Regia Poloniae quoad juramentum & debitum, quod Dominus Magiſter cum ſuo Ordine, juxta continentiam pacis perpetuae, Majeſtati ſuae & Regno Poloniae facere recuſat, contentatur ferre cognitionem praefatarum Majeſtatum cum adjunctis Caeſareae Celſitudini Reverendiſſimo D. Cardinali Salzburgenſi, & illuſtriſſimo Domino Duce GEORGIO Saxoniae, & pariter adjunctis Sereniſſimo Domino Hungariae & Bohemiae Regi Reverendiſſimis Dominis: Cardinali Strigonenſi & Epiſcopo Quinque Eccleſiarum, quam cognitionem Majeſtas ſua Regia praefatis Majeſtatibus plenarie & inviolabiliter defert, & quam facere & pronuntiare debebunt ante lapſum terminum ſupra ſcriptarum induciarum, loco & tempore eis opportuno.

Si autem unus ex ſupraſcriptis Caeſareae Majeſtati adjunctis (quod Deus avertat) ex humanis decederet, Majeſtas Caeſerea, aut Sereniſſimus Dominus Frater ſuus, una cum alio adjuncto de conſenſu Illuſtris Domini Magiſtri alium in defuncti locum ſubſtituere valeat; ſimiliter ſi ex adjunctis Sereniſſimi Domini Hungariae & Boëmiae Regis unus e vivis excederet, poterit Majeſtas ſua Regia de conſenſu Regiae Majeſtatis Polon. etiam alium in locum demortui deputare.

Item tertio, quod milites mercenarii Parte ex utraq;, quibus locis & itineribus ingreſſi ſunt in Pruſſiam, per eadem loca et itinera diſcedere debent hinc ad Dominicam Jubilate proximam, hoc eſt intra ſpatium trium ſeptimanarum a Feſto Paſchae proximo, ſine alicujus Partis damno.

Item quarto, quod ſpectat ad caſtra & oppida ab utraque Parte intercepta, & damna etiam perpeſſa, Majeſtas Regia poteſt ferre, ut praedicti Arbitratores etiam deſuper decernant.

Item

Anno 1521. Item quinto, quod captivi utrinque abſque aliquo onere debeant eſſe liberi ex nunc jam.

Item ſexto, quod utraque Pars deinceps ſimul pacifice vivere, & praedictum Decretum Arbitratorum finaliter expectare, & ſecundum hoc ſe ſervare debebit.

Poſtremo, ut praemiſſa omnia per auctoritatem ad hoc negotium congruentem ita firmentur, quod in futurum nulla eventuum novitate irritarentur. Summus Pontifex iſtis Reverendiſſimis duobus Dominis Cardinalibus committere dignabitur, quatenus nomine Sanctitatis ſuae inter iſtos Principes concordiam iſtam tractantes diligentiam adhibeant, ſicque concordent, ut concordia integre fieret, utque ipſi duo Domini Cardinales, & in eventum mortis alterius eorum, alter vivens cum illo, qui in demortui locum eſſet delectus, confirment concordata, & decernant auctoritate Apoſtolica perpetuo duratura, adjiciendo comminationem pœnarum & cenſurarum ſic, ut ipſis duobus Dominis Cardinalibus videbitur.

Zacharias *Epiſcopus Gardienſis, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ ſpecialis Nuntius & Orator ad concordiam inter ſuprasciptos Principes pertractandam. mppr,*

Sebastianus Sperantius *Brixenſis Præpoſitus, S. Cæſareæ & Catholicæ Majeſtatis ad ſupra dicta agenda Orator. manu propria.*

Fredericus *Dux Lignicenſis. mppr.*

Ambrosius Sarkan *de* Anshasa. *mppr.*

Actum Thorunii 22. Martii Anno Domini MDXXI.

CLIX.

Literæ Univerſales poſt ſuſpenſionem armorum reſtitutam ad Capitaneos & cæteros incolas Terrarum Pruſſiæ, ut denuntient inducias & armorum ſuſpenſionem inter Regiam Majeſtatem & Magiſtrum Pruſſiæ. Indid.

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeq; &c. Dominus et Haeres. Univerſis & ſingulis Capitaneis & Praefectis gentium noſtrarum equeſtrium & pedeſtrium, & caeteris ſubditis noſtris in Terris Pruſſiae exiſtentibus fidelibus noſtris dilectis gratiam noſtram. Manifeſtum vobis facimus, quia nulla ſuſpenſio armorum & induciae factae ſunt inter Nos, & Dominum Magiſtrum ac ſuum Ordinem, excepto, quod Domini Oratores tam Sacrae Caeſareae Majeſtatis, quam Sereniſſimi Domini Hungariae & Bohemiae &c. Regis, nuper ab ipſo Domino Magiſtro ex Riſemberg redeuntes, a Nobis obtinuerunt, ut ſaltim utrinque ab omni hoſtili & violenta invaſione, Civitatum & Caſtrorum oppugnatione, expugnatione, interceptione, & quibuslibet ſtratagematibus, captione eorundem caſtrorum, civitatum, oppidorum & villarum, praediorum & poſſeſſionum conflagratione, & quibusvis incendiis temperaretur: Narrantes & Nos aſſecurantes, quod ſimiliter Dominus Magiſter jam fecit, & literis Capitaneis demandavit. Quare vobis mandamus & committimus praeſentibus, ut deinceps ad ulteriorem noſtram doctrinam ab hujusmodi hoſtili & violenta invaſione civitatum, oppidorum & caſtrorum oppugnatione, expugnatione, intercaptione, ac quibusvis ſtratagematibus, captione eorundem caſtrorum, civitatum & oppidorum, & villarum conflagratione, & quibusvis incendiis temperetis, & abſtineatis uſque ad aliam noſtram informationem. Tamen nihilominus habeatis vos in bona proviſione & ita in praecinctu, & parati maneatis, ut, ſi adverſa Pars in terras & ſubditos noſtros aliquid hoſtilis moliri curaret, id vos etiam in poteſtate habeatis. Si vero adverſa Pars ſe ab hujusmodi actione abſtineret, extunc vos etiam ſitis quieti, et aliter facere non auſuri pro gratia noſtra. Datum Thorunii Feria tertia proxima poſt Dominicam Palmarum, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, Regni vero noſtri quinto decimo. Anno 1521.

Ad Mandatum Sacræ Regiæ Majeſtatis propr.

CLX.

Oratores Sacræ Cæſareæ, & Regiæ Hungariæ ac Bohemiæ Majeſtatis teſtantur ſe impetraſſe a Sigismundo I. *Rege Poloniæ ſuſpenſionem armorum contra Magiſtrum Ordinis Teutonici. Indidem.*

Nos Caeſareae et Catholicae Majeſtatis Domini mei Clementiſſimi Oratores:

Anno 1521. tores: Georgius Baro de Rogendorf et Melenburg, Sebaſtianus Sperancius Eccleſiae Brixenſis ſummus Praepoſitus etc. Et Nos Georgius Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, Stetinenſis, Pomeraniae, Caſchubarum ac Sobanorum Dominus, Burgrabius Nurimberg. Rugiaeq; Princeps, Fredericus eadem Gratia Dominus Legnicenſis et Brigenſis, Supremus inferioris Sleziae Capitaneus, Ambroſius Scharkan de Akoſchaza, liber Dominus de Ormod et Comes Zaladienſis, Sereniſſimi Principis Hungariae et Bohemiae etc. Regis, Domini et Avunculi, et Domini gratioſiſſimi, etiam ad praeſens Oratores, tenore praeſentium notum facimus univerſis. Quod cum Nos a Sacra Caeſarea et Catholica Maieſtate, et a Sereniſſimo Principe Domino, Domino Lodovico Hungariae et Bohemiae etc. Rege, Dominis noſtris clementiſſimis et obſervandiſſimis, ad Sereniſſimum Principem et Dominum, Dominum Sigismundum Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Dominum et Haeredem, Dominum noſtrum obſervandiſſimum, et Conſanguineum chariſſimum, et ad Illuſtr. Principem et Dominum Albertum Pruſſiae, et Ordinis Beatae Mariæ Virginis Theutonicorum Magnum Magiſtrum, Marchionem Brandeburgenſem etc. Dominum noſtrum obſervandiſſimum, Fratrem et Affinem noſtrum chariſſimum eſſemus deſtinati, ut bella, diſcordias ac differentias inter praefatas Partes ad praeſens verſantes honeſtis mediis componi, eosque ad tranquillitatem reduci omni ſtudio curare deberemus, ut tanto commodius hujusmodi tractui concordiae inſiſtere poſſemus, ab eodem Sereniſſimo Rege Poloniae poſtulavimus, ut in armorum ſuſpenſionem, ſive inducias, donec actiones noſtrae durarent, erga praefatum Illuſtr. Dominum Magnum Magiſtrum conſentire dignaretur. Quod Serenitas ſua intuitu Principum noſtrorum Sacrae Caeſareae Majeſtatis, et Sereniſſimi Hungariae et Bohemiae Regis benigne annuit, atque hujusmodi inducias, ſive armorum ſuſpenſionem (ea lege, ut itidem Illuſtris Dominus Magnus Magiſter illas erga Serenitatem ſuam, terras ac gentes ſuas ſervet) nobiscum in hanc, quae ſequitur, formam concluſit, videlicet:

Quod induciae iſtae et armorum ſuſpenſio incipiant a Feria quarta proxima poſt Feſtum S. Matthiae Apoſtoli nunc inſtans, et durare debebunt continuo ad Dominicam Palmarum proxime venturam excluſive, intra quod tempus induciarum nihil prorſus hoſtile ex utraque Parte agatur. Item ut civitates utriusque Partis in nullo commercium inter ſe habeant, ut arces et oppida uniuscuiusque Partis non provideantur commeatu, niſi ex terris et ſolo ſuo, quod quaeque Pars tenet, ſi autem temerarie, aut caſu, unius Partis ſubditus terras, ſeu loca alterius Partis terra vel mari ingrederetur, commeatum ad illas inferre, aut aliquid in alterius Partis detrimentum moliretur, quod tamen ambae Partes, ne fiat, pro viribus prohibere debebunt, non cenſeantur propter temeritatem unius privatae perſonae haec publica armorum ſuſpenſio ſive induciae eſſe violatae, et haberi pro ruptis aut violatis, ſed debent hujusmodi transgreſſores digna animadverſione puniri, juxta qualitatem demeriti ad cognitionem atque arbitrium noſtrorum Oratorum ſupra nominatorum. Ubi vero poſt diſceſſum noſtrum ad notitiam alterius Partis veniret, quod aliquis temere contra ſupraſcriptas conditiones exceſſiſſet, talem temerarium unaquaeque Pars ad requiſitionem et delationem alterius juxta culpae exigentiam punire debet. Poſtremo ut homines utriusque Partis, ſi qui in campo ſunt, mox in principio induciarum ad arces et oppida ſua deducantur, et ubi a principio collocati fuerint, illic ad finem induciarum permaneant. Et quia etiam a praenominato Domino Sereniſſimo Poloniae Rege poſtulavimus, ut Salvum Conductum Illuſtri Domino Magiſtro, et vivum teſtimonium veniendi in Prubuti, alias Rizemburg dare dignaretur, Serenitas ſua eidem Magiſtro conceſſit Salvum Conductum ſpecialibus literis ad hunc locum Rizemburg veniendi, et pro vivo teſtimonio illi Generoſum Martinum Zborowſki Capitaneum Odolanovienſem Aulicum ſuum dedit, qui tamen Illuſtrem Dominationem ſuam in Morang expectabit, et illic excipiet, et uſque in Probuti conducet. Ut autem Generoſus Jacobus Sanczygnyowſki Regius Campiductor, et aliarum copiarum ſuae Majeſtatis Praefecti has ipſas inducias et armorum ſuſpenſionem obſervent. Debet Illuſtris Dominus Magiſter, in quantum has inducias acceptaverit, ſimiles literas publicas ſub titulo et ſigillo ſuis, in manus praefati Jacobi Sanczygnyowſki celerrime mittere, de quibus ipſe ſine mora aliis copiarum Praefectis et ſubditis Regiis ſignificabit, et inducias ab ipſa Feria quarta proxima poſt Feſtum S. Mathiae Apoſtoli obſervare ordinabit. In quorum omnium etc. Acta ſunt haec in Civitate Thorunenſi Feria ſexta ante Dominicam Invocavit 1521.

CLXI.

Anno 1521.

CLXI.

Sigismundi I. *Regis literæ ſuſpenſionis armorum & induciarum* Alberto *Magiſtro Ordinis Teutonici a Feria quarta poſt Feſtum S. Mathiæ Apoſtoli ad Domin. Palm. excluſive conceſſarum.* Datum Thorunii Feria quarta ante Dominicam *Invocabit*, Anno 1521. *Lib. 26. ſub Lit. BB. fol. 64.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiae, Pruſſiaeque etc. Dominus et Haeres. Manifeſtum facimus per praeſentes univerſis et ſingulis. Quia poſtulantibus a Nobis DD. Oratoribus S. Caeſareae Majeſtat. et Seren. D. Hung. et Bohemiae Regis, nunc apud Nos exiſtentibus, ſuſpenſionem armorum et induciarum erga illuſtrem Dominum Albertum Marchionem Brandeburgenſem, Magiſtrum Ordinis Theutonicorum S. Mariæ in Pruſſia, et terras ſuas fecimus et dedimus, facimus et damus praeſentibus ea lege, ut ibidem Dominus Magiſter illas pariter ſervet erga Nos, et gentes atque terras noſtras. Quae quidem induciae et ſuſpenſio armorum incipient a Feria quarta proxima poſt Feſtum Sancti Mathiae Apoſtoli nunc inſtans, et durabit continue ad Dominicam Palmarum proxime venturam excluſive, intra quod tempus induciarum nihil prorſus hoſtile ex utraque Parte agatur.

Item ut civitates utriusque Partis in nullo inter ſe commercium habeant, ut arces et oppida uniuscuiusque Partis non provideantur commeatu, niſi ex terris et ſolo ſuo, quod quaeque Pars tenet; ſi autem temere aut caſu unius Partis ſubditus terras ſeu loca alterius Partis terra vel mari ingrederetur, commeatum ad illas inferret, aut aliquid in alterius Partis detrimentum moliretur, quod tamen ambae Partes, ne fiat, pro viribus prohibere debebunt, non cenſeatur propter temeritatem unius privatae perſonae haec publica armorum ſuſpenſio ſive induciae eſſe violatae, aut pro ruptis et violatis haberi, ſed debent hujusmodi transgreſſores digna animadverſione puniri, juxta qualitatem demeriti, cognitionem atque arbitrium Illuſtrium Dominorum Oratorum tam Sacrae Caeſareae et Catholicae Majeſtatis, quam Sereniſſimi D. Hungariae et Bohemiae Regis; ubi vero poſt abitum Dominorum Oratorum ad notitiam alterius Partis veniret, quod aliquis temere contra ſupra ſcriptas conditiones exceſſiſſet, talem temerarium ſubditum noſtrum Nos ad delationem Domini Magiſtri juxta culpae exigentiam puniri faciemus. Et ſimiliter Dominus Magiſter ad requiſitionem noſtram hunc, qui delatus fuerit praemiſſis contraveniſſe, puniet.

Poſtremo, ut homines utriusque Partis, ſi qui in campo ſunt, mox in principio induciarum ad arces et oppida ſua deducantur, et ubi a principio collocati fuerint, illic ad finem induciarum permaneant. Et quia iidem Domini Oratores obtinuerunt a Nobis, ut Salvum Conductum D. Magiſtro, et vivum teſtimonium in Prubuthi, alias Rezemburg, daremus, ideo conſenſimus ipſo Domino Magiſtro ſpecialibus literis Salvum Conductum in Prubuti veniendi, ac pro vivo teſtimonio illi Generoſum Martinum Zborowſki Capitaneum Odolanovienſem Aulicum noſtrum dedimus, qui tamen ſuam Illuſtritatem in Morang expectabit, et illic excipiet, et uſque ad Prubuti conducet. Ut autem Generoſus Jacobus Sanczygniowſki Campiductor noſter, et aliarum copiarum noſtrarum Praefecti has ipſas inducias et ſuſpenſionem armorum obſervent, debet Dominus Magiſter ſimiles literas publicas ſub titulo et ſigillo ſuo in manus praedicti Jacobi Sanczygniowſki celerrime mittere, de quibus ipſe ſine mora aliis copiarum Praefectis ſubditis noſtris ſignificabit, et inducias ab ipſa Feria quarta poſt Feſtum S. Mathiae obſervare ordinentur. His ſupra ſcriptis conditionibus Nos promittimus et pollicemur inducias ſuſpenſionemque armorum erga praedictum Dominum Magiſtrum et terras ſuas tenere et obſervare, quibus in fidem et teſtimonium ſigillum noſtrum praeſentibus eſt impreſſum. Actum et datum in Civitate noſtra Thorunenſi Feria ſexta ante Dominicam *Invocabit* proxima, Anno Domini MDXXI.

CLXII.

Ejusdem Salvus Conductus Alberto *Magiſtro Ordinis Teutonici datus. Indidem fol. 66.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque etc. Dominus et Haeres. Manifeſtum facimus tenore praeſentium quibus expedit univerſis. Quia poſtulantibus a Nobis Dominis Oratoribus Sacrae Caeſareae et Catholicae Majeſtatis, et Sereniſſimi Domini Hungariae et Bohemiae etc. Regis, nunc apud Nos exiſtentibus, ut Salvum Conductum noſtrum

ANNO 1521. ſtrum Regium Illuſtri et Venerabili Domino ALBERTO Marchioni Brandeburgenſi, Ordinis Theutonicorum in Pruſſia Magiſtro Generali concederemus veniendi ad arcem et oppidum Prubuti, alias Rizemberg, ubi commodius cum illo tractare poſſent. Nos poſtulationibus eorundem dictorum Oratorum annuentes Salvum Conductum noſtrum Regium Chriſtianum, et perfectam ſecuritatem ſupra nominato Illuſtri Domino ALBERTO Magiſtro in Pruſſia, cum ducentis equis et totidem perſonis humanis ad arcem et oppidum praedictum Rizemburg veniendi, et illic ſtandi, morandi, negotia, quae ad pacem ſunt, tractandi et diſponendi, quibus diſpoſitis vel indiſpoſitis libere ad propria redeundi, ſalvis rebus et perſonis ſuis, a Feria quarta proxima poſt Feſtum Sancti Mathiae Apoſtoli nunc inſtans ad Dominicam Palmarum proxime venturam excluſive, de certa ſcientia et voluntate noſtra dandum et concedendum duximus, damusque et concedimuſ praeſentibus promittentes verbo noſtro Regio, hunc Salvum Conductum et ſecuritatem firmiter et inviolabiliter tenere et obſervare. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum praeſentibus eſt impreſſum. Datum in Civitate noſtra Thorunenſi Feria ſexta proxima ante Dominicam *Invocabit*, Anno Domini 1521.

CLXIII.

Mandatum Magiſtri Ordinis Teutonici Nuntiis ſuis datum ad tractandam pacem cum Regia Majeſtate Poloniæ. Datum Vieſemburgi d. 19. Martii An. 1521. *Indid. fol. 121.*

ALBERTUS Dei Gratia Ordinis Theutonicorum B. MARIÆ Virginis Magiſter Generalis, Marchio Brandeburgenſis, Stetinenſis, Pomeraniae, Caſchuborum et Sclavorum Dux, Princeps Rugenſis etc. Manifeſtum facimus per praeſentes literas noſtras univerſis et ſingulis, praeſentibus et futuris, cujuscunque ſtatus, ordinis, praeeminentiae et conditionis exiſtentibus. Quomodo Nos pro noſtra et totius Ordinis noſtri Parte, omnibus melioribus modo, via, forma et ſtylo, quibus melius et efficacius potuimus et debuimus, et prout de jure convenit, cum plenaria et irrevocabili facultate, et omnimoda poteſtate, Reverend. in Chriſto ſincere Amicum noſtrum dilectum, Dominum Job Epiſcopum Pomeſanienſem, atque Venerabilem, Religioſum, Nobilem et Famoſum Henricum de Miltiz Praefectum Domus Nidenburgenſis, ANNO 1521. Georgium de Kinheim, et Joannem de Faederaw, Nuntios et Commiſſarios, Mandatarios, Conſiliariosque noſtros, et Ordinis noſtri devotos, fideles noſtros dilectos conjunctim, et quemlibet eorum ſeorſum hic apud Nos praeſentes, et munus hoc atque officium Commiſſionis et Mandatorium in ſe ſponte et libere ſuſcipientes, miſimus ad tractatus per Sacrae Caeſareae et Catholicae Majeſtatis Oratores: Nobilem videlicet, ac Generoſum atque Venerandum Dominum Georgium de Rogendorff, et Dominum Sebaſtianum Sperancium Praepoſitum Brixienſem, et Illuſtr. Principes: Dominum Georgium Marchionem Brandenburgenſem etc. et Dominum Fredericum Ducem Legnicenſem etc. ſupremum Capitaneum inferioris Sleſiae, et Magnificum Dominum Ambroſium Scharkan, Comitem et liberum Dominum Sereniſſimi Domini Hungariae et Bohemiae etc. Regis, pro depoſitione erroris et belli deſignatos, quod accidit inter Sereniſſimum Principem et Dominum, Dominum SIGISMUNDUM Regem Poloniae, Magnum Ducem Litthvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque etc. Dominum et Haeredem, et ejusdem inclytum Regnum Poloniae ab una, et inter Nos, militaremq; noſtrum Ordinem parte ab altera, et ad omne id, quod per praedictos Caeſareae et Catholicae Majeſtatis, et Sereniſſimi Domini Hungariae et Bohemiae etc. Regis Oratores tractatum, ordinatum, conſtitutum et concluſum fuit, et circa praeſentem actum pacis concludendae in loco et nomine noſtro, et Ordinis militaris noſtri conſentirent, ſuſciperent, acceptarent et approbarent, verbo noſtro, tanquam legalis Principis, promitterent, literisque ſub titulo et ſigillo noſtro, quod eisdem Conſiliariis et Mandatariis noſtris ad praeſentem actum commiſimus, et ſponte tradidimus, datis firmarent, et caverent, etiam ſub data et die quocunque in literis noſtro nomine conficiendis expreſſis, quas Nos ita ratas, gratas et firmas habere volumus, ac ſi praeſentibus Nobis confectae et conſcriptae atque ſigillatae fuerint, et generaliter praeſentis, et actus pacisque negotia tractanda et gerenda, et omnia et ſingula facienda et peragenda, quae circa praedicta per dictos Dominos Oratores ſupra ſcriptorum Majeſtatum ordinata, concluſa et diffinita fuerint. Unde quicquid hoc modo a dictis Nuntiis et Mandatariis, Conſiliariisque noſtris, plenariam a Nobis facultatem habentibus, conſenſum, ſuſceptum, approbatum, et literis ſub titulo et ſigil-

lo

Anno 1521. lo noſtro, vigore praeſentis mandati noſtri, confectis firmatum et roboratum fuerit, promittimus et pollicemur pro noſtra Perſona et toto noſtro Ordine, ſub noſtro, tanquam boni Principis, vero verbo, ſine omni fraude et dolo, firmiter et inviolabiliter, atque irrevocabiliter tenere et obſervare, nec concluſis et concordatis, atque literis noſtris firmatis via juris aut facti contravenire, acſi per Noſmetque ipſos ea omnia et ſingula acta, facta, ordinata et concluſa forent. Harum teſtimonio literarum, quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum. Datum Vieſemburgi decima nona Menſis Martii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo.

CLXIV.

Induciae quatuor annorum inter ALBERTUM *Magiſtrum Ordinis Teutonici &* SIGISMUNDUM I. *Regem Poloniae concluſae.* Datum Torunii 7. April. 1521. *Indidem fol. 122.*

ALBERTUS Dei Gratia Ordinis Theutonicorum B. MARIÆ Virginis Magiſter Generalis, Marchio Brandemburgenſis, Stetinenſis, Caſſuborum et Sclavorum Dux, Burgrabius Nurembergenſis, et Princeps Rugenſis. Manifeſtum facimus per praeſentes univerſis. Quia cum ortum eſſet bellum inter Sereniſſimum Principem et Dominum, Dominum SIGISMUNDUM Poloniae Regem, Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque etc. Dominum et Haeredem, Dominum et Conſanguineum noſtrum obſervandiſſimum, et Nos atque Ordinem noſtrum. Et in primis Sanctiſſimus Dominus noſter Papa, iteratis literis, ac per Nuntium ſuum Reverendiſſimum Dominum Zachariam Epiſcopum Gardienſ. dignatus eſt ſalutaribus, atque paternis exhortationibus ſuis Nos crebrius ſollicitare et monere, et deinde etiam Sacratiſſimus Princeps et Dominus, Dominus CAROLUS Romanorum Imperator electus et Hiſpaniarum, utriusque Siciliae, ac Hieruſalem Rex Catholicus, Dominus noſter Clementiſſimus, Magnificum Dominum Georgium Baronem de Rogendorff et Mollenburgk, ac Reverend. Sebaſtianum Sperancium Eccleſiae Brixenſis Praepoſitum, nec non Sereniſſimus Princeps et Dominus, Dominus LUDOVICUS Hungariae et Bohemiae Rex etc. Dominus et Conſanguineus noſter obſervandiſſimus, Illuſtriſſimos Principes: Dominum GEORGIUM Marchionem Brandemburgenſem, Stetinenſem, Pomeraniae, Caſſuborum et Sclavorum Ducem, Burgrabium Nurembergenſem, et Principem Rugenſem etc. et Dominum FREDERICUM in Sleſia Ducem Legnicenſem et Brigenſem, inferioris Sleſiae Capitaneum ſupremum, Fratrem et Sororium noſtrum chariſſimum, ac Magnificum Dominum Ambroſium Sarkan de Akoſchaſa, liberum Dominum in Ormed, et Comitem Saladienſem, Oratores ſuos inſignes ad Nos deſtinare dignati ſunt, qui omni ſtudio apud Nos praedictorum Principum ac Majeſtatum nomine egerunt, ut arma haec Reipublicae Chriſtianae noxia deponeremus, et animum ad pacem et concordiam induceremus. Ne igitur Nos, qui alioquin bellum hoc cum Chriſtiano Rege et Conſanguineo noſtro nonniſi inviti gerimus, hujusmodi paternis Sanctiſſimi Domini noſtri exhortationibus, tanquam verus Sedis Apoſtolicae obedientiae filius, ſimiliter monitionibus atque deſideriis Sacrae Caeſareae Majeſtatis, et Sereniſſimi Domini Hungariae et Bohemiae Regis, tanquam obſequentiſſimus Sacri Romani Imperii Princeps, et illarum Majeſtatum obſervandiſſimus, deeſſe, ac etiam bono ſtatui et tranquillitati Reipublicae Chriſtianae obſiſtere videremur, praeſertim quod pro illius amplitudine et incremento, juxta Profeſſionem noſtram, atque Anteceſſorum noſtrorum exempla, potius contra infideles et Chriſtiani nominis hoſtes pugnare in animo ac deſiderio Nobis ſemper fuerit. Idcirco ad hanc ſanctam concordiam perficiendam et concludendam ad ſupra nominatam Regiam Celſitudinem Reverendiſſimum in Chriſto Patrem et Dominum, Dominum Job Epiſcopum Pomezanienſem, Amicum noſtrum chariſſimum, Venerabilem, Nobiles et Famatum, fideles dilectos ſubditos noſtros, Dominum Henricum de Miltitz Praefectum in Neidenburgk, Georgium de Kinheim, et Joannem Federau, Conſiliarios et Oratores noſtros, pleno ac ſufficienti mandato a Nobis ſuffultos deſtinavimus, qui in vim praefati mandati noſtri, in praeſentia ſupraſcripti Nuntii Apoſtolici, et intervenientibus memoratis nomine praedictarum Majeſtatum Oratoribus, cum Sereniſſimo Poloniae Rege hos infra ſcriptos articulos conſtituerunt et concluſerunt. Quorum tenor de verbo ad verbum hic ſequitur. Sereniſſima Majeſtas Regia Poloniae ad inſtantiam Summi Pontificis, Sacrae et Catholicae Majeſtatis Caeſareae et Sereniſſimi Hungariae et Bohemiae Regis, tanquam Fratrum ſuorum, et ob ſalutem Reipublicae Chriſtianae, contenta Anno 1521.

Anno 1521.

eſt arma deponere, et cum Illuſtriſſimo Domino Magno Magiſtro inducias et pacem inire infraſcriptis modis. Primo, quod inter Majeſtatem ſuam Regiam, Illuſtresque Dominos: Stanislaum et Janussium Duces Maſoviae, et praefatum Dominum Magiſtrum, eorumque cujuscunque ſtatus & praeminentiae, Eccleſiaſticos et ſaeculares ſubditos, ac hujuſce belli complices diffidatores, fiant induciae quatuor annorum ſe continue ſequentium, a Feria quarta proxima poſt Dominicam *Quaſimodogeniti*, quae erit decima Aprilis praeſentis menſis incipientis, ita, quod per hoc tempus quadriennii ab omni hoſtilitate et via facti, ac quarumvis inſidiarum utrinque abſtineatur, quodq; etiam nulla Partium in ſuis locis et diſtrictibus intra hoc tempus quadriennii homines furta, latrocinia aut praedationes publice vel occulte committentes fovere, aut foveri etiam publice vel occulte permittere debebit in damnum alterius Partis. Secundo quod Majeſtas ſua conſentit in Sacram Caeſaream Majeſtatem, vel loco et in abſentia ſuae Caeſareae Majeſtatis in Sereniſſimum Dominum Regem Ferdinandum, et Sereniſſimum Dominum Hungariae et Bohemiae Regem in hunc effectum, quod ſua Majeſtas Regia quoad juramentum et debitum, quod Dominus Magiſter cum ſuo Ordine, juxta continentiam pacis perpetuae, Majeſtati ſuae et Regno ſuo Poloniae facere recuſat, contentatur ferre cognitionem praefatarum Maieſtatum, cum adjunctis Caeſareae Celſitudini, Reverendiſſimo Domino Mattheo Cardinali Salzburgenſi et Illuſtriſſimo Domino Duce Georgio Saxoniae, et pariter adjunctis Sereniſſimo Domino Ludovico Hungariae et Bohemiae Regi Reverendiſsimis Dominis: Thoma Cardinali Strigonenſi, et Georgio Epiſcopo Quinque Eccleſiarum, quam cognitionem Majeſtas ſua Regia praefatis Majeſtatibus plenarie et irrevocabiliter defert, et quam facere et pronuntiare debebunt ante lapſum terminum ſupra ſcriptum induciarum, loco et tempore eis opportuno. Si autem unus ex ſupraſcriptis Caeſareae Majeſtati adjunctis (quod Deus avertat) ex humanis decederet, Majeſtas Caeſarea, aut Sereniſſimus Frater ſuus, una cum alio adjuncto de conſenſu Illuſtris Domini Magiſtri alium in defuncti locum ſubſtituere valeat; ſimiliter ſi ex adjunctis Sereniſſimi Hungariae & Boëmiae Regis unus e vivis diſcederet, poterit Majeſtas ſua Regia de conſenſu Regiae Majeſtatis Polon. etiam alium in locum demortui deputare. Tertio, quod milites mercenarii Parte ex utraque diſcedere debeant intra ſpatium quatuor ſeptimanarum, a Feſto Paſchae proxime effluxo immediate ſequentium, ſine alicuius Partis et ſubditorum illius injuria et damno. Et praeſertim milites Illuſtris Domini Magni Magiſtri ſive ex Kinspergk, ſive ex Belga, ſive Branſpergk, ac aliis locis et civitatibus recto itinere ire debent in inſulam Nergiam, et deinde per terram uſque ad portum maris Minde nuncupatum, et inde ductu et navibus civium Gedanenſium Viſtula fluvio ſuperato, recto itinere pergere in Pomeraniam abſque damno et injuria ſubditorum Majeſtatis Regiae, neq; caſtrametari, aut pernoctare in civitatibus et oppidis, ſed ſolum in campis et villagiis, ſimiliter ſubditi Majeſtatis Regiae providebunt praefatis militibus de navibus pro tranſitu inſulae, etiam de victualibus, pro juſto tamen pretio et moneta bona et ante bellum uſitata. Si autem milites mercenarii unius Partis ſubditis alterius Partis in hoc tranſitu et diſceſſu ſuo vim, injuriam, aut damnum ullum inferrent, debet hujus rei cognitio ſuper hujusmodi transgreſsione et de reſarciendo damno etiam ſtare penes ſupra ſcriptas Majeſtates et Principes Arbitros. Quarto, quod ſpectat caſtra & oppida ab utraque Parte intercepta, & damna etiam perpeſſa, Majeſtas Regia poteſt ferre, ut praedicti Arbitratores etiam deſuper decernant. Quinto quod captivi generaliter omnes utrinque abſq; aliquo onere debeant ex nunc eſſe liberi. Ut praemiſſa omnia per auctoritatem ad hoc negotium congruentem ita firmarentur, quod in futurum nulla eventuum novitate irritarentur. Summus Pontifex iſtis Reverendiſſimis duobus Dominis Cardinalibus committere dignabitur, quatenus nomine Sanctitatis ſuae inter iſtos Principes concordiam iſtam tractantes diligentiam adhibeant, ſicque concordent, ut concordia integre fieret, utque ipſi duo Domini Cardinales, & in eventum mortis alterius eorum alter vivens cum illo, qui in demortui locum electus eſſet, confirment concordata, & decernant auctoritate Apoſtolica perpetuo duratura, adjicientes comminationem pœnarum & cenſurarum ſic, ut ipſis Dominis duobus Cardinalibus videbitur. Quos articulos ſupra ſcriptos in omnibus punctis, verbis et clauſulis, ut jacent, Nos Albertus Magnus Pruſsiae Magiſter de certa noſtra ſcientia laudamus et approbamus, et quantum Nos, Ordinem ac ſubditos noſtros concernunt, ratificamus et confirmamus, et in ſupradictorum majorem efficaciam et evidentiam tenore praeſentium

Anno 1521.

tium conſentimus, & compromittimus in præfatas Majeſtates cum adjunctis Principibus ſupra in ſecundo articulo expreſſis, tanquam in Arbitros, ut, ſi negotium inter Nos, & ſupradictam Regiam Celſitudinem amicabiliter componere non poſſent, plenam & omnimodam facultatem habeant ferendi cognitionem, & pronuntiandi circa juramentum & debitum, quod Nos cum Ordine noſtro juxta continentiam pacis perpetuæ Regiæ Celſitudini præfatæ facere recuſamus, ſimiliter circa omnes alios articulos ſupra dictos ſimpliciter & de plano, abſque ſtrepitu juris, juxta vim articulorum ſupra dictorum. Promittentes in verbo ac fide legalis Principis omnia & ſingula in eisdem articulis concluſa, & ſimiliter quicquid per ſupraſcriptos Principes & Arbitros cognitum, deciſum & laudatum fuerit, ſecundum modum & continentiam articulorum ſupra dictorum, firmiter & inviolabiliter obſervare, & illis nequaquam contravenire directe vel indirecte, abſque omni dolo & fraude, harum teſtimonio literarum, ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datum Thoruniæ ſeptimo die Aprilis, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo.

JOB *Epiſcopus Pomeſanienſ.*

CLXV.

Ratificatio earundem Induciarum ex parte SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ.* Datum ut ſupra die Dominico *Quaſimodogeniti*, An. ut ſupra. *Indidem fol. 120.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque etc. Dominus et Haeres. Manifeſtum facimus per præſentes univerſis: Quia cum ortum eſſet bellum inter Nos, & Illuſtrem Dominum ALBERTUM Marchionem Brandeburgenſem, Ordinis Theutonicorum in Pruſſia Magiſtrum Generalem, & ad illud tollendum & componendum miſiſſet ad Nos imprimis Sanctiſſimus in Chriſto Pater & *D*ominus noſter, Dominus LEO Papa X. Nuntium ſuum, Reverend. in Chriſto Patrem Dominum Zachariam Epiſcopum Gardienſem, cum poteſtate Legati de Latere. Et deinde Sereniſſimus ac Excellentiſſimus Princeps *D*ominus CAROLUS, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, & Hiſpaniarum &c. Rex Catholicus, Frater & Conſanguineus noſter chariſſimus, Magnificum Georgium Baronem de Rogendorff & Mollenburg, ac Reverendum Sebaſtianum Sperancium, Eccleſiæ Brixienſis Præpoſitum, nec non Sereniſſimus Princeps Dominus LUDOVICUS Dei Gratia Hungariæ & Bohemiæ &c. Rex, Nepos noſter chariſſimus, Illuſtres Principes: Dominum Georgium Marchionem Brandeburgenſem, Stetinenſem, Pomeraniæ, Caſſuborum & Sclavorum Ducem, Burgrabium Nurembergenſem, Rugiæque Principem, Dominum Fredericum Docem Legnicenſem & Brigenſem, ſupremum inferioris Sleſiæ Capitaneum, & Magnificum Ambroſium Sarkan de Akoſchaza liberum Dominum de Ormod, & Comitem Zaladienſem, Oratores ſuos pariter miſiſſent, qui omni ſtudio apud Nos nomine Principum ſuorum egerunt, ut arma hæc Reipublicæ Chriſtianæ noxia deponeremus, & animum ad pacem & concordiam induceremus. Ne Nos, qui alioquin bellum hoc cum Chriſtiano Principe & Conſanguineo noſtro inviti gerimus, huic curæ, & optatis tam Sanctiſſimi Domini noſtri, quam prædictarum Majeſtatum, ac etiam bono ſtatui Reipublicæ Chriſtianæ deeſſe videremur, pro quo etiam aſſidue cum infidelibus ſummo labore & impendio noſtro decertamus, articulos infra ſcriptos in præſentia Nuntii Sanctiſſimi Domini noſtri ſupra nominati, cum eisdem Dominis Oratoribus ſupra dictarum Majeſtatum, pariterque cum Nuntiis & Mandatariis dicti Domini Magiſtri conſtituimus, quorum hic tenor ſequitur.

Sereniſſima Majeſtas Regia Poloniae ad inſtantiam Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, Sacrae et Catholicae Majeſt. Cæſareæ et Sereniſſimi D. Hungariae et Bohemiae Regis, tanquam Fratrum ſuorum, et ob ſalutem Reipublicae Chriſtianae, contenta eſt arma deponere, et cum Illuſtriſſimo Domino Magno Magiſtro inducias et pacem inire infraſcriptis modis. Primo, quod inter Majeſtatem ſuam Regiam, Illuſtresque Dominos: STANISLAUM et JANUSSIUM Duces Maſoviae, et praefatum Dominum Magiſtrum, eorumque cujuscunque ſtatus & praeeminentiae, Eccleſiaſticos et ſaeculares ſubditos, ac hujuſce belli complices diffidatores, fiant induciae quatuor annorum ſe continue ſequentium, a Feria quarta proxima poſt Dominicam *Quaſimodogeniti*, quae erat decima Aprilis praeſentis menſis incipiendo, ita, quod per hoc tempus quadriennii ab omni hoſtilitate et via facti, ac quarumvis inſidiarum utrinque abſtineatur, quodq; etiam nulla Partium in ſuis locis et ditionibus intra hoc tempus quadriennii homines furta, latrocinia aut praedationes

ANNO 1521. nes publice vel occulte committentes fovere, aut foveri etiam publice vel occulte permittere debebit in damnum alterius Partis. Secundo quod Majeſtas ſua conſentit in Sacram Caeſaream Majeſtatem, vel loco et in abſentia ſuae Caeſareae Majeſtatis in Sereniſſimum Dominum Regem FERDINANDUM, et Sereniſſimum D. LUDOVICUM Hungariae et Bohemiae Regem in hunc effectum, quod ſua Majeſtas Regia quoad juramentum et debitum, quod Dominus Magiſter cum ſuo Ordine, juxta continentiam pacis perpetuae, Majeſtati ſuae et Regno ſuo Poloniae facere recuſat, contentatur ferre cognitionem praefatarum Maieſtatum, cum adjunctis Caeſareae Celſitudini, Reverendiſſimo Domino Mattheo Cardinali Salzburgenſi et Illuſtriſſimo Domino Duce Georgio Saxoniae, et pariter adjunctis Sereniſſimo Domino LUDOVICO Hungariae et Bohemiae Regi Reverendiſsimis Dominis: Thoma Cardinali Strigonenſi, et Georgio Epiſcopo Quinque Eccleſiarum, quam cognitionem Majeſtas ſua Regia praefatis Majeſtatibus plenarie et irrevocabiliter defert, et quam facere et pronuntiare debebunt ante lapſum terminum ſupra ſcriptum induciarum, loco et tempore eis opportuno. Si autem unus ex ſupradictis Caeſareae Majeſtati adjunctis (quod Deus avertat) ex humanis decederet, Majeſtas ſua, aut Sereniſſimus Frater ſuus, una cum alio adjuncto de conſenſu Illuſtris Domini Magiſtri alium in defuncti locum ſubſtituere valeat; ſimiliter ſi ex adjunctis Sereniſſimi Hungariae & Boëmiae Regis unus e vivis diſcederet, poterit Majeſtas ſua Regia de conſenſu Regiae Majeſtatis Polon. etiam alium in locum demortui deputare. Item Tertio, quod milites mercenarii Parte ex utraque diſcedere debeant intra ſpatium quatuor ſeptimanarum, a Feſto Paſchae proxime effluxo immediate ſequentium, ſine alicuius Partis et ſubditorum illius injuria et damno. Et praeſertim milites Illuſtris Domini Magni Magiſtri ſive ex Kinſpergk, ſive ex Belga, ſive ex Branſpergk, ac aliis locis et civitatibus recto itinere ire debent in inſulam Nergiam, et deinde per terram uſque ad portum maris Minde nuncupatum, et inde ductu et navibus civium Gedanenſium Viſtula fluvio ſuperato, recto itinere pergere in Pomeraniam abſque damno et injuria ſubditorum Majeſtatis Regiae, neq; caſtrametari, aut pernoctare in civitatibus et oppidis, ſed ſolum in campis et villagiis, ſimiliter ſubditi Majeſtatis Regiae providebunt praefatis militibus de navibus pro tranſitu inſulac, etiam de victualibus, pro juſto tamen pretio et moneta bona et ante bellum uſitata. Si autem milites mercenarii unius Partis ſubditis alterius Partis in hoc tranſitu et diſceſſu ſuo vim, injuriam, aut damnum ullum inferrent, debet hujus rei cognitio ſuper hujusmodi transgreſsione et de reſarciendo damno etiam ſtare penes ſupra ſcriptas Majeſtates et Principes Arbitros. Item quarto, quod ſpectat caſtra & oppida ab utraque Parte intercepta, & damna etiam perpeſſa, Majeſtas Regia poteſt ferre, ut praedicti Arbitratores etiam deſuper decernant. Item quinto quod captivi generaliter omnes utrinque abſq; aliquo onere debeant ex nunc eſſe liberi. ANNO 1521.

Ut autem praemiſſa omnia per auctoritatem ad hoc negotium congruentem, & neceſſariam ita firmarentur, quod in futurum nulla eventuum novitate irritarentur, Sanctiſſimus Dominus noſter iſtis Reverendiſſimis duobus Dominis Cardinalibus committere dignabitur, quatenus nomine Sanctitatis ſuae inter iſtos Principes concordiam iſtam tractantes diligentiam adhibeant, ſicque concordent, ut concordia integre fieret, utque ipſi duo Domini Cardinales, & in eventum mortis alterius eorum alter vivens cum illo, qui in demortui locum electus eſſet, confirment concordata, & decernant auctoritate Apoſtolica perpetuo duratura, adjicientes comminationem pœnarum & cenſurarum ſic, ut ipſis Dominis duobus Cardinalibus videbitur.

Quos articulos in omnibus punctis, verbis et clauſulis, ut jacent, Nos SIGISMUNUS Rex prædictus de certa noſtra ſcientia laudamus, approbamus, et quantum Nos, ac præfatos Illuſtres Dominos Duces Maſoviæ, noſtros & illorum ſubditos concernunt, ratificamus et confirmamus, et in ſupradictorum majorem efficaciam et evidentiam tenore praeſentium conſentimus, & compromittimus in præfatas Majeſtates cum adjunctis Principibus, ſupra in ſecundo articulo expreſſis, tanquam in Arbitros, ut, ſi negotium inter Nos, & ſupra dictum Dominum Magiſtrum amicabiliter componere non poſſent, plenam & omnimodam facultatem habeant ferendi cognitionem, & pronuntiandi circa juramentum & debitum, quod dictus Magiſter cum ſuo Ordine juxta continentiam pacis perpetuæ Nobis facere recuſat, ſimiliter circa omnes alios articulos ſupra ſcriptos, ſimiliter & de plano, abſque ſtrepitu juris, juxta vim articulorum ſupra dictorum. Promittentes in verbo noſtro Regio, omnia et ſingula in eisdem articulis concluſa,

Anno 1521. cluſa, & ſimiliter, quicquid per ſupradictos Principes & Arbitros cognitum, laudatum & deciſum fuerit, ſecundum modum & continentiam articulorum ſupra ſcriptorum firmiter & inviolabiliter obſervare, & illis nequaquam contravenire directe vel indirecte, abſque omni dolo & fraude, harum &c. Datum in Civitate noſtra Thorunenſi, die Dominico *Quaſimodogeniti*, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, Regni vero noſtri Anno decimo quinto.

CLXVI.

Albertus *Magiſter Ordinis Teutonici confirmat Articulos a ſuis Nuntiis cum Conſiliariis Regiæ Majeſtatis concluſos de captivorum ex utraque Parte dimiſſione.* Datum Thoruniæ Feria tertia proxima poſt Dominicam *Quaſimodogen.* Anno ut ſupra. *Ex Originali. Sigill. 1.*

Albertus Dei Gratia Ordinis Theutonicorum B. Mariæ Virginis Magiſter Generalis, Marchio Brandeburgenſis, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſuborum & Sclavorum Dux, Burgrabius Norimbergenſis, ac Princeps Rugenſis. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis: Quia poſtquam factæ & concluſæ fuerunt induciæ, die dati præſentium Nuntii & Mandatarii noſtri: Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Job Epiſcopus Pomeſanienſis, Venerabilis, Nobilis & Famatus Henricus de Milticz Domus Neidenburgenſis Præfectus, Georgius de Kinheim, & Joannes Federaw, cum Reverendiſſimis ac Magnificis Sereniſſimi Principis & Domini, Domini Sigismundi Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque &c. Domini & Hæredis, Domini noſtri obſervandiſſimi Conſiliariis per ſuam Majeſtatem ad infraſcripta ſpecialiter deſignatis convenerunt, & ſequentes Articulos in præſentia Magnifici & Reverendi Dominorum Georgii Baronis de Rogendorff & Mellenburg, Sebaſtiani Sperancii Eccleſiæ Brixienſis Præpoſiti, Sacræ Cæſareæ & Catholicæ Majeſtatis, nec non Illuſtriſſimorum & Magnifici Dominorum: Georgii Marchionis Brandeburgenſis, Stetinenſis & Pomeraniæ Ducis &c. Fratris noſtri chariſſimi, & Friderici in Sleſia Ducis Lignicenſis & Brigenſis, inferioris Sleſiæ Capitanei ſupremi, Sororii noſtri amantiſſimi, atque Ambroſii Szarkan de Akoſchaza liberi Domini in Ormed, Comitis Zaladienſis, Sereniſſimi Domini Hungariæ & Bohemiæ Regis Oratorum ſuſceperunt, laudaverunt, approbaverunt & confirmarunt, quorum tenor ſequitur, & eſt talis:

Inprimis quod Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ &c. omnes & ſingulos captivos, tam ſpirituales quam ſæculares Domini Magiſtri, & fidei ſponſione obligatos, qui ſui honoris & datæ fidei memores extiterunt, & ſe Majeſtati Regiæ, vel illi, qui hoc a Majeſtate ſua in commiſſis habuerunt, debitis & ſtatutis temporibus ſtatuerunt & repræſentarunt, liberos & abſolutos, ſine omni onere vel pecuniarum penſione promiſſa & non ſoluta, ab omni hujusmodi captivitate, fidei & honoris devinctione dimittit præſentibus, & liberos reddit, & pariter D. Magiſter, & ſui Capitanei & Officiales, ac omnes ſuæ Illuſtritati adhærentes, omnes & ſingulos captivos, ſpirituales & ſæculares regnicolas, & Dominorum Illuſtrium Ducum Maſoviæ, ac omnes alios exteros, qui ex parte Majeſtatis Regiæ capti, & fidei ſponſione obligati, & ad redimendum ſe pecunia coacti ſunt vel fuerunt, liberos & abſolutos, ſine omni onere vel pecuniarum penſione promiſſa & non ſoluta, ab hujusmodi captivitate, fidei & honoris devinctione dimittit, & liberos reddit tenore præſentium, & quod Sereniſſimus Dominus Poloniæ Rex dat plenam & omnimodam facultatem Illuſtri Domino Magiſtro, aut illi, quem Illuſtritas ſua ſpecialiter deputaverit, ore & manu, vice & nomine Majeſtatis ſuæ abſolvendi & dimittendi, ex hujusmodi captivitate & fidei ſponſione, omnes ſingulos in hoc bello ex parte Domini Magiſtri captos, ut ſupra ſcriptum eſt, & viciſſim ſimilique modo etiam Illuſtris D. Magiſter Sereniſſimo Domino Poloniæ Regi, aut illi, quem Majeſtas ſua ad id ordinaverit, eandem plenariam dat facultatem his literis, omnes & ſingulos captivos, qui ex parte Majeſtatis Regiæ per Dominum Magiſtrum & ejus Campiductores & Militares ac adhærentes capti, & fidei devinctione obligati ſunt, ut præmittitur, vice & nomine Illuſtritatis ſuæ ore & manu dimittendi et abſolvendi, prout dimittit & abſolvit præſentibus, ſine cujuslibet honoris & bonæ famæ diſpendio, quod vero ſpectat utriusque Partis ſubditos, qui forſan Dominis ſuis de bonis ſuis in hoc bello non ſervierunt, aut a Dominis ſuis quocunque defecerunt, hoc modo concluſum eſt, quod quilibet talis infra hoc tempus, & Feſtum proximum S. Jacobi Apoſtoli debet & poſſit libere & ſecure ad Dominum

 ſuum

Anno 1521. ſuum ire & redire, & cum eo deſuper tractare & componere, ac negotia ſua diſponere; & ſi cuipiam neceſſarius eſſe Salvus Conductus videretur, ab utriſq; Dominis dari & concedi debet, quod ſi intra tempus præfixum hujusmodi compoſitio fieri non poſſit, Conſiliarii Sacræ Majeſtatis Regiæ, & Illuſtris Domini Magiſtri Nuntii & Mandatarii ſupra ſcripti ſtatuerunt & poſuerunt Conventum in Oppido Grudziącz, ad quem utraque Pars Conſiliarios ſuos mittere debet, pariter & Duces Maſoviæ, pro Feſto Sancti Jacobi proximo, & in craſtino ac diebus ſequentibus deſuper tractare & concludere; & ſi hujusmodi negotia ibidem per dictos utriusque Partis Conſiliarios confici non poſſunt, debent una cum capitali cauſa per Cæſaream & Regiam Hungariæ Majeſtatem, ac alios Principes deputatos Arbitros, juxta tenorem literarum ſpecialiter deſuper confectarum decerni & finiri, poſtremo quod ruſtici & ſubditi ab utraque Parte in hoc bello capti atque profugi, dum ab aliqua Partium requirentur, cum eorum bonis & rebus, quæ haberi poſſunt, cuilibet requirenti debent reddi, & nequaquam detineri. Quos quidem Articulos Nos ſupra nominatus Magiſter, in omnibus punctis, clauſulis & articulis, ut ſcripti & poſiti ſunt, ex certa noſtra ſcientia acceptamus, laudamus & ratificamus, præſentibus decernentes eos, & quemlibet eorum vim debitæ firmitudinis obtinere, tenore præſentium mediante. Harum teſtimonio literarum, quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum. Actum et datum Thoruniæ Feria tertia proxima poſt Dominicam *Quaſimodogeniti*, Anno Domini 1521.

Job *Epiſcopus Pomeſanienſis ſe ſubſcripſit.*

CLVII.

Sigismundi I. *Regis Confirmatio Jurium, Privilegiorum & Libertatum Terrarum Pruſſiæ.* Datum Thorun. Anno ut ſupra. *Lib. 26. ſub Lit. BB. fol. 152.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium rerum, quæ ſempiternæ memoriæ commendari debent, nulla certior firmitudo inveniri poteſt, quam ut literis poſteritati mandentur. Cætera enim facta, quantumvis memorabilia, aliis modis æternitati dicata, aliquot quidem ſæculis durare poſſunt, ſed quæ literis memoriæ conſervantur, nunquam intereunt, ipſaque vetuſtate fiunt auguſtiora. Atque ita Nos Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Culmen. Elbingen. Pomeraniæque etc. Dominus et Hæres. Manifeſtum facimus his literis noſtris univerſis et ſingulis, tam præſentibus quam futuris: Quod ad conſpectum noſtrum Domini Prælati Terrarum noſtrarum Pruſſiæ, Spirituales et Saeculares, Barones et Nobiles, principalium Civitatum noſtrarum, videlicet, Thorunenſis, Elbingenſis et Gedanenſis Proconſules et Conſules, ac apud Nos eorundem Civitatum nominibus Nuntii, ſincere et fideles Nobis dilecti, Nobis humiliter ſupplicarunt, ut eos circa jura, libertates, prærogativas, conceſſiones, donationes et exemptiones per clariſſimae memoriae Dominum Casimirum Regem, Parentem noſtrum deſideratiſſimum conceſſa et conceſſas conſervare, manutenere, tueri et defendere, ac illa et illas confirmare, approbare, ratificare, laudare, ac demum renovare dignaremur. Quorum jurium et privilegiorum, praerogativarum et exemptionum tenor ſequitur et eſt talis: Anno 1521.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae &c. Vid. pag. 145. num. CVII.

Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae, etc. Vid. pag. 156. num. CXIV.

Nos igitur Sigismundus Rex ſupra ſcriptus, qui naturae benignitatisque noſtrae inſtituto ea, quae ad ornamentum, dignitatem, amplitudinem atque conſervationem Dominiorum et ſubditorum, quibus divina diſpenſatione ſumus praefecti, ſpectare Nobis videntur, grati, libentiſſimique concedimus, ac praeſertim cum ipſi Domini Praelati et Barones, et tota ferme Nobilitas, et ſupradictarum Civitatum Cives, & alii multi incolae et ſubditi noſtri, (quamvis ſemper antea, ut ſub imperium et protectionem Divi Parentis noſtri Casimiri redierunt) nunc tamen maxime, cum hoc bellum, quod nuper cum Illuſtri Domino Alberto Marchione Brandenburgenſi, Magiſtro Ordinis S. Mariæ in Pruſſia geſſimus, injurias, damna, caedes eorundem ſubditorum noſtrorum propulſando, conſtantiſſimi et integerrimi perferentes manſerunt. Auditis itaque et bene intellectis hodie ſupra ſcriptis privilegiis et juribus ac praerogativis, conceſſionibus et donationibus, ad laudem et gloriam imprimis Dei Opt. M. omniumq; Sanctorum

Anno 1521. rum ejus, & ad univerſarum Terrarum noſtrarum Pruſſiæ incrementum, tranquillitatem, quietem, ſtabilitatem, atque conſervationem, ſupraſcripta privilegia ac jura, prærogativas, conceſſiones, donationes & exemptiones, ac omnia & ſingula in ipſis contenta, cum omnibus & ſingulis eorum punctis, clauſulis & continentiis, prout jacent, ex certa noſtra ſcientia & voluntate, ex conſilioque Conſiliariorum noſtrorum, ad præſens in hoc noviſſimo Conventu Nobiſcum exiſtentium, pro ſolita benignitate noſtra Regia approbamus, ratificamus, renovamus & acceptamus laudamus & confirmamus, ipſaque & ipſas perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus. Promittentes inſuper in verbo noſtro Regio, ac ſub fide boni, legalis & ingenui Principis, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris, Nos omnia ſupraſcripta in præinſertis Privilegiis expreſſa firmiter & inviolabiliter obſervare, tenore præſentium mediante. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus appendi juſſimus, & ad meliorem cau telam Nos manu noſtra propria ſubſcripſimus. Actum & datum in Civitate noſtra Thorunenſi Feria ſexta proxima ante Dominicam *Jubilate*, An. D. milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, Regni vero noſtri Anno decimo quinto. Præſentibus Reverendiſſimis & Reverendis in Chriſto Patribus Dominis, Joanne de Laſko Archiepiſcopo Gneſnenſi & Primate, & Sedis Apoſtolicæ Legato nato, Matthia de Drzewica Vladislavienſi Epiſcopo, Raphaële de Leſzno Eccleſiæ Premislienſis, & Laurentio Miedzieleſki Eccleſiæ Camenecenſis deſignatis & electis Epiſcopis, nec non Magnificis Nicolao de Dambrowica Caſtellano Cracovienſi & Regni noſtri Campiductore ſupremo, Chryſtophoro de Szydlowiec Palatino & Capitaneo Cracovienſi, ac Regni noſtri Cancellario, Joanne de Lubrancz Poſnanienſ. Joanne de Kalinowa Caliſſienſi, Stanislao de Kościelec Breſtenſi, & Capitaneo Mariæburgenſi, Nicolao de Kościelec Junivladislav. & Capitaneo Breſtenſi, Palatinis; Luca Gorka Poſnanienſ. & Majoris Poloniæ Capitaneo Generali, Nicolao de Szydlowiec Sandomirienſi, & Regni noſtri Theſaurario, Joanne Wietwinſki & in Carniſchin Plocenſi, Stanislao de Sprowa Zarnovienſi, Caſtellanis; ac Venerabilibus Joanne Lataſki Gneſnenſi, Cracovienſis ac Lancicienſis Eccleſiarum Præpoſito, Andrea Erzycki Poſnanienſ. & S. Floriani in Kleparz extra muros Civitatis noſtræ Cracovienſis Præpoſito, Nicolao Oleſnicki Canonico Cracovienſi, Paulo Graſſowſki Præpoſito omnium Sanctorum in Cracovia, & aliis quam plurimis Dignitariis, Officialibus & Curienſibus noſtris, ad præmiſſa teſtibus fide dignis, ſincere & fidelibus dilectis. Datum per manus præfati Magnifici Chriſtophori de Szydlowiec, in Smielow & magna Opatow, Palatini & Capitanei Cracovienſis, ac Regni Poloniæ Cancellarii, tum Siradienſis, Sochaczovienſis, Goſtinenſis &c. Capitanei, ſincere Nobis dilecti.

SIGISMUNDUS Rex.

CHRISTOPHORUS de S. *Palatinus & Capitaneus Cracovienſis, ac Regni Polon. Cancellarius ſubſcripſit.*

CLXVIII.

1525. *Pax perpetua inter* SIGISMUNDUM I. *Regem & Regnum Poloniæ, ac* ALBERTUM *Magiſtrum Pruſſiæ, qua Ordo Hoſpitalis B.* MARIÆ *Virginis proſcribitur, & penitus aboletur;* ALBERTUS *Pruſſiæ partem titulo Ducis obtinet, & Regis Poloniæ imperio ſimul cum Provincia ſubjicitur, eique primus locus in Senatu conſtituitur.* Datum Cracoviæ die Dominica Palmarum Anno 1525. *Collatum cum Originali. Extat in Archivo Cancellariæ Regni Lib. 27. ſub Lit. CC. num. 28. fol. 178.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium rerum, quæ ſempiternæ ſunt futuræ, nulla firmitudo certior excogitari poteſt, quam ea, quæ ſit literarum monumentis prodita ad memoriam poſteritatis. Cætera enim facta humana, quantumcunque memorabilia, aliis modis quam literis æternitati conſecrata, aliquot quidem ſæculorum decurſu durare poſſunt: quæ vero literarum officio memoriæ mandantur, nunquam intereunt, ipſaque vetuſtate fiunt auguſtiora. Proinde Nos SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, ac omnium Terrarum Pruſſiæ, Pomeraniæ &c. Dominus & Hæres. Manifeſtum facimus univerſis: Quia cum acta eſſent plurima bella inter Prædeceſſores

Anno 1525.

res noſtros Reges & Regnum Poloniæ, ac Magiſtros & Ordinem dictum S. Mariæ Theutonicorum in Pruſſia; de proprietate ipſarum Terrarum Pruſſiæ certantes, eaque non penitus extincta inter Nos & Illuſtrem Dominum Albertum Marchionem Brandeburgenſem, & Magiſtrum ipſius Ordinis recruduiſſent, cum magno Reipublicæ Chriſtianæ incommodo & detrimento: Proindeque & Summus Pontifex & Cæſarea Majeſtas, Sereniſſimusque Nepos noſter D. Ludovicus Hungariæ & Bohemiæ Rex, Nos ad ineundas quadriennales inducias, & arbitralem cognitionem ſubeundam hortati eſſent & induxiſſent: Qua demum magnis impedimentis non ſecuta, & tempore induciarum expirante, veniſſent ad Nos Illuſtres Principes: D. Georgius Marchio Brandeburgenſis, in Sileſia Ratiborienſis, Jagensdorffenſis, in Pruſſia, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſubarum, Sclavorum Dux, Burgrabius Nurembergenſis, & Princeps Rugiæ, & Fridericus Dux Legnicenſis & Brigenſis, ac inferioris Sileſiæ Capitaneus, Neceſſarii & Affines noſtri chariſſimi, de pace & concordia ſtabili ac firma ſedulo agentes. Tandem poſt multos tractatus & rationes utrinque expenſas ad infraſcriptas conditiones & capitula ipſius pacis & concordiæ devenimus, omniaque & ſingula condiximus, & utrinque firmavimus in hunc qui ſequitur modum.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen.

Nos Georgius Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, in Sileſia Ratiborienſis, Jagendorff, in Pruſſia, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſubarum, Sclavorum &c. Dux, Burgrabius Nurembergenſis, & Princeps Rugiæ. Et Nos Fridericus eadem Gratia Dux Legnicenſis & Brigenſis, ac inferioris Sileſiæ Capitaneus, recognoſcimus & ſignificamus omnibus & ſingulis præſentem concordiam ſeu contractum viſuris, audituris ſive lecturis. Quia Nos ex infraſcriptis ſequentibus rationibus, quæ Nos tanquam Principes Chriſtianos permoverunt, eandem ſequentem concordiam & contractum inter Sereniſſimum & Excellentiſſimum Principem & Dominum, Dominum Sigismundum Regem Poloniæ, & ſuæ Majeſtatis Hæredes & Succeſſores Regni Poloniæ ex una, & Illuſtriſſimum Principem & Dominum, Dominum Albertum Marchionem Brandeburgenſem, Theutonici Ordinis Generalem Pruſſiæ Magiſtrum, & ejus Ordinem, militarem, terrigenas & civitatenſes, ex altera partibus, concepimus, tractavimus & compoſuimus. Et inprimis id præcipue ac potiſſimum conſiderantes, omnes diſſenſiones, bella, contentiones & conflictus inter Regiam Majeſtatem & Dominum Magiſtrum, ejusque Terrarum Incolas hinc ortas & emanatas eſſe, eo quod non unus Princeps hæreditarius omnium Terrarum Pruſſiæ Gubernator hucuſque extitiſſet, dictaque Pruſſia diverſorum Procerum capitibus gubernata eſſet, unde Terrarum ipſarum incolæ pernicioſis inter ſeſe bellis & contentionibus digladiabantur, & prælia commovebant, ex quibus magna effuſio Chriſtiani ſanguinis, damnaque & nocumenta incolis, orphanis & viduis plurima ſunt illata. Similiter conſiderantes, quod præfatus D. Magiſter, Frater & Avunculus ac Sororius noſter, retroactis temporibus, quando officio Magiſterii fungeretur, multifarias fatigas & labores hucuſq; ſubivit apud omnes Status Chriſtianorum Principum, videlicet Summos Pontifices & Cæſaream Majeſtatem, Sacrum Romanum Imperium & Electores Imperii, nec non apud Nobilitatem Germaniæ, eosdemque omnes ſæpius requirendo operam diligentem impendit, ſperans eosdem invigilaturos, quo ipſæ ſeditiones & controverſiæ ac diſſenſiones ſecundum continentiam infraſcriptæ perpetuæ pacis per Sereniſſimam Maieſtatem felicis recordationis Kazimiri Regis olim Thoruniæ confectæ, & juxta compromiſſum in proximo quadriennio per Cæſareæ Majeſtatis & Regiæ Serenitatis Ungariæ Oratores, in præſentia Sanctiſſimi Domini Leonis Papæ Legati &c. Thoruniæ factum componerentur & concordarentur, id tamen ex intervenientibus bellorum motibus, & cæteris variis admodum arduis negotiis, quibus Cæſarea Majeſtas & Sereniſſimus Dominus Rex Hungariæ hactenus impliciti atq; diſtracti fuerunt, huc uſque impeditum & indiſcuſſum permanſit. Nos tamen conſiderantes hujusmodi ordinationem optimam fuiſſe, Compromiſſum paucis diebus ad finem & terminum ultimum deducere ſtuduimus. Nam ubi negotia indiſcuſſa permanſiſſent, formidandum fuit, ne Regia Majeſtas ac Regnum Poloniæ, ac Magiſter cum Terris Pruſſiæ iterum ad maiores armorum tumultus, prœlia & contentiones, ac humani ſanguinis effuſionem redirent, in damnum & jacturam totius Reipublicæ Chriſtianæ. Ad præcavendum igitur huiuſmodi mala & incommoda, pacisque ſtudio intendentes, quo in futurum perpetua Chriſtiana pax inter Regiam Majeſtatem, & ejusdem Maje-

ſtatis

Anno 1525. ſtatis Hæredes, Succeſſores Regni Poloniæ Reges, & inter Magiſtrum Pruſſiæ & ejusdem Terrarum incolas utrinque intervenire ac diſponi poſſit: conſiderantes etiam, quia & nunc Reverendus Dominus Statilius Præpoſitus Veſprimienſis, Sereniſſimi Regis Hungariæ Domini Domini noſtri clementiſſimi, tanquam dicti Compromiſſi Arbitri Internuntius pacis, ac miſſus Orator ad Sacram Majeſtatem Regiam Poloniæ ac Magiſtrum Pruſſiæ, Fratrem & Avunculum ac Sororium noſtrum, quo ſe ad concordiam & ipſum contractum per Nos factum benevole ſubmitterent, & gratioſe ac benigne eidem conſentirent, rogavit & requiſivit: Nos tanquam Mediatores, Reconciliatores pacis, ex ſupra dictis cauſis & rationibus ſequentes Articulos, quos ſalubri viæ concordiæ intendentes, Chriſtianos decentes, idoneos cognovimus, inter Sacram Maieſtatem Regiam, & Dominum Magiſtrum, utriusque accedente conſenſu fecimus & diſpoſuimus, &, prout infra continetur, ordinavimus & confecimus.

Inprimis, quod omnes diſſenſiones in iis bellis inter Regiam Maieſtatem, Dominum Magiſtrum, Duces Mazoviæ. Epiſcopos Varmienſem & Culmenſem, & cæteros omnes, eorumque ſubditos exortæ, per ſequentem transactionem in univerſum ſublatæ ſint, & neutri Partium in malo reminiſcendo imputari debent.

Item, quod loca, caſtra & oppida cum omnibus attinentiis & pertinentiis in his bellis utcunque alias utrinque intercepta cum bombardis majoribus, quemadmodum in prima occupatione arcium & oppidorum inventæ ſunt, reſtitui, bombardæ etiam uncales, quas Hokenbuchs vocant, eo pacto, ut penes modernos Officiales reſtabant, ſimiliter reddi debent. Si vero quicquam bombardarum majorum deeſſet, debent Officiales per juramenta interrogari, ut mediis eorum juramentis dicant, quid illic invenerint. Quod autem bombardas in Caſtro Hollando demolito inventas attinet, debent ſine diminutione ad manus Illuſtris Domini Marchionis Alberti reſtitui.

Præterea debent omnes & ſinguli ex Nobilitate, civibus & colonis omnis promiſſionis & juramenti, quibus præſentibus bellis, aut citra alias circa hæc tempora, a ſuis ad alienos Dominos ſe contulerunt & obligarunt, liberi & ſoluti eſſe & reputari.

Cæterum quod ad neglecta ſervitia attinet, debet a Regia Majeſtate & Duce de Pruſſia illis, qui ea neglexerint, ex gratia condonari, & bona ſeu poſſeſſiones eorum reddi. Cæterum quod liberos eorum attinet, qui condemnati ob perpetratum facinus pœnas dederunt, bona immobilia utrinque reddantur, & patrum facinus honori puerorum nihil noceat, nec apud quempiam in aliquo præjudicet. Anno 1525.

Item debet Regia Majeſtas illis de Neumarkt, ſimiliter Marchio Albeetus Gilczenburgen. & Hoenſteinen. nec non omnibus Civitatibus, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, Nobilibus & plebeis utriusq; Partis ſubditis, qui ex timore defecerint, parcere & condonare, nullaque indignatione reminiſci, nec cuiquam, ut hoc vindicet, permittere: ſed ex clementi voluntate ſub utriſque hinc inde ſigillis & literis ſententiam ferre, quod hoc ipſis & liberis eorum in nullam dehoneſtationem aut incommodum vergere debeat.

Item, quod ad Eccleſiaſticorum bona & juriſdictionem attinet, debet Dux Pruſſiæ ad requiſitionem Eccleſiaſticorum unicuique juſtitiam, ut chriſtianum, æquum & juſtum eſt, adminiſtrare. Cæterum bona, reditus & cenſus ſub Duce Pruſſiæ ſiti, Epiſcopatum Varmienſ. vel eosdem Eccleſiaſticos attinentes, debent viciſſim ex omni parte reſtitui. Si vero Dux vel Nobiles ſui Curatos, vel alios in Eccleſiaſtica Beneficia collocare vellent, qui hominibus chriſtiane providerent, eos Epiſcopus juxta antiquam conſuetudinem inſtituere ac inveſtire debet.

Item, ſi poſſent Domini Pontifices conſtanter docere, quod Eccleſiaſtici in Terris Domini Ducis commorantes, ſecus, quam Chriſtiani, ac contra ordinationem & conſtitutionem univerſalis Sanctæ Eccleſiæ Chriſtianæ ſe gererent: debet Dominus Dux una cum Dominis Epiſcopis iuvare, ut tales debita caſtigatione emendentur.

Item ſi quiſpiam civium aut ruſticorum duos annos ante proxime geſtum bellum uſque huc Domino ſuo ſe ſubduxiſſet, & abſque voluntate ejus aufugiſſet, repetiti debent Dominis ſuis ſine omni medio reſtitui, & exinde nulla Partium alterutri ſuos detinere. Qui autem vi ab utraque Parte abacti ſunt, ii debent publicis mandati literis ad Dominos ſuos dirigi ſeu remitti.

Item debet Dominus Albertus Marchio Regiæ Majeſtati & Regno Poloniæ juramentum, uti naturali & Hæreditario Domino ſuo, præſtare, & ſe inpoſterum erga ejus Regiam Majeſtatem in omnibus, ſicut Principem Vaſallum erga Dominum ſuum hæreditarium de jure decet, obedientem exhibere. Debet præterea Marchio

ANNO 1525. chio Georgius ſuo & Fratrum nomine Vexillum contingere. Debent ſimiliter Marchiones Kazimirus & Johannes ſigillis & literis ſuis intra annum hujusmodi contractum agnoſcere & acceptare.

Item debet Regia Maj. ex adverſo Marchioni Alberto infraſcriptas Terras, Civitates, Caſtra et Vicos, videlicet tria oppida & Caſtrum Konigsbergk, Lochſteten, Vargen, Girmaw, Pubetten, Rudaw, Schokken, Kaymen, Kremitten, Valdaw, Tapiaw, Tapelawken, Narbetten, Inſterburgk, Allenburgk, Venſterau, Gordauen, Angerburgk, Mordenburgk, Labiaw, Lawkiſten, Tilſeth, Ragnet, Roſſiten, Vinthergk, Mymel, Brandemburg, Krewczburgk, Fredlant, Demenaw, Bartten, Letzen, Balge, Heilige Beyhell, Zintlen, Lawdsbergk, Preuſchewlaw, Bartenſkyn, Scheſten, Saynsburgk, Reyna, Raſtenburgk, Lieck, Jehansburgk, Hollandt, Liebſtadt, Mulhauſen, Mormige, Paſſenheym, Ortelsburgk, Oſterode, Hogenſtayn, Neidenburgk, Soldaw, Ilgenburgk, Schippenbeil, Tewſchſtheylaw, Prewſchmargk Lubemul, Salffelt, Riſemburgk, Marienwerder, Tirembergk, Labtaw, Schonbergk, Bouunden, Jorgenburgk, Reſenburgk, Gordenſche, Newhaus, Freyenſtadt, Solaw, Viſſchhauſen, Biſſchovwerder, Medenaw, tanquam Duci in Pruſſia in legitimum & hæreditarium feudum conferre, & ejusmodi infeudationis literas ab uno Fratre ad alium & eorum Hæredes, tanquam ſuper indiviſo feudo, juxta tenorem tranſactionis conficere.

Item ſi quando memorati quatuor Principes & Marchiones, Albertus, Georgius, Kazimirus, Johannes, & eorundem legitimi feudi Hæredes omnes ſine legitimis feudi hæredibus decederent, tunc & non antea debent ſupra ſcriptæ Terræ Pruſſiæ ad Regiam Majeſtat. & Regnum Poloniæ hæreditarie redire & recidere. Si vero Filiæ ſupereſſent, hæ debent Ducalis dotis pecunia a Regia Majeſtate abſolvi & provideri.

Item debet Regia Majeſtas Marchionem Albertum, ſuos Hæredes, & omnes incolas ſupra ſcriptarum Terrarum Pruſſiæ in eorum privilegiis, huic transactioni & ſuperioritati Regiæ Majeſtatis non repugnantibus, conſervare, & alias ab iniqua violentia defendere & manutenere.

Item debent tam Ordinis, quam Nobilitatis & Civitatum prædictarum Terrarum Pruſſiæ Mandatarii, Nuntii pro ſe, hæredibusque & ſucceſſoribus ſuis conſentire & inſcribere, quod ſe ipſos, hæredesque & ſucceſſores ſuos poſt obitum quatuor prædictorum Ptincipum & ſuorum legitimorum feudi Hæredum ad Regiam Majeſtatem & Regnum Poloniæ ac ipſius Hæredes debita fidelitate & ſubjectione, uti ad eorum naturalem ac hæreditarium Dominum, & nullum alium tenere debeant & velint. Ita denique, quod Regia Majeſtas ſupra ſcriptas Terras Pruſſiæ cum aliquo linguam Germanicam callente, & in eodem Ducatu bene poſſeſſionato, qui omnia officia adminiſtret, procurare debeat. Et ſi Majeſtas Regia Conſiliarios ſuos deputaverit, quod Nobiles & Civitates, Eccleſiaſtici & Sæculares omnium Ordinum Terrarum Pruſſiæ Duci ex Pruſſia juramentum præſtare debeant, quod tunc ex ſingulis diſtrictibus duo ex Nobilitate ac Civitatibus nomine aliorum omnium, quemadmodum hic præſentes ſe inſcripſerunt, literis quoque & ſigillis ſuis hujusmodi concordiam recognoſcere debebunt, & quum Principi de Pruſſia juramentum præſtabunt, quod tunc, medio hujusmodi eorum præſtito juramento, etiam hanc concordiam ſe ſervaturos promittant. ANNO 1525.

Item quod Princeps de Pruſſia primum & proximum locum in Conſiliis Terrarum, Comitiis, & publicis Conventibus apud Regiam Majeſtatem habere debet.

Item quod Princeps ex Pruſſia, Hæredesque & Succeſſores Principes ex Principatu & Terris Pruſſiæ prædictis nihil vendant: verum ſi ad hoc ingens urgeret neceſſitas, debebunt hoc Regiæ Majeſtati, tanquam Domino ſuo hæreditario ante unum annum prius denuntiare. Quod ſi Maj. ſua emere nollet, extunc ipſe Princeps vendendi habeat poteſtatem: Regalibus tamen Regiæ Maj. feudis & obſequiorum juribus ſalvis. Et præterea ſi Dux ipſe Pruſſiæ urgente neceſſitate premeretur, poterit arces & oppida ſua Vaſallis ſuis locare & impignorare, ut eaedem Terrae unitae et indiſciſſae, quemadmodum nunc ſunt, permaneant.

Item quod ad obſequium attinet, ex quo Terra Pruſſiae in magnum detrimentum pervenit, promiſit Regia Majeſtas Marchioni Alberto ſex annorum libertatem ſe ex gratia daturam. Ubi autem Regia Majeſtas et Regnum Poloniae a quibuslibet, cujusvis dignitatis aut conditionis illi fuerint, occaſione hujus transactionis et conceſſionis feudi impugnaretur, extunc Dux in Pruſſia cum Succeſſoribus in propria perſona, una cum omnibus ſuis ſubditis, pro ſummis viribus Regiam Majeſt. etiam intra hoc ſex annorum libertatis ſpatium adjuvare, et illi conſulere ſit obligatus. Similiter Regia

ANNO 1525. gia Majeſtas & Regnum Poloniæ erga Ducem in Pruſſia & ipſius Terras in hoc caſu facere debebit.

Si autem contingeret, quod Regia Majeſtas aut Regnum Poloniæ extra hunc contractum ab infidelibus & alias urgeretur, & Regia Maj. Poloniae in propria perſona cum omnibus ſuis ſubditis in caſtra proficiſceretur, tunc Dux in Pruſſia cum Succeſſoribus ſuis obligatus eſſe debet, Regiam Majeſtatem cum centum inſtructis equis uſque ad terminos Terrarum Pruſſiæ inſequi.

Si vero Dux in Pruſſia a Regia Majeſtate ultra fines tranſire requiſitus fuerit, extunc hujusmodi centum equites inſtar aliorum Majeſtatis ſuæ equeſtrium militum Regiis ſtipendiis militare debebunt. Caſu autem quo Regia Majeſtas urgente neceſſitate plures quam centum equites a Duce in Pruſſia educi deſideraret, quotquot centenarium numerum exceſſerint, a tempore exitus domiciliorum ſuorum Regio ſtipendio, ut præmiſſum eſt, militabunt. Si vero in facultate Ducis ex Pruſſia non fuerit plures quam centum equites educendi, non debet propterea ipſum Regia Majeſtas ulterius urgere.

Item quod ad jurisdictionem inter Regiam Majeſtatem & Principem Pruſſiæ attinet, ita obſervandum eſt, ſi contingat, quod Regia Majeſtas Principem, aut viciſſim Princeps ipſe Regiam Majeſtatem in cauſis perſonas utriusque Partis concernentibus convenire vellet, debet Majeſtas Regia Conſiliarios ſuos Marienburgi aut Elbingi collocare, juramentisque, quibus ſuæ Majeſtati obnoxii ſunt, abſolvere, & rurſum ad juſte judicandum obligare. Et quidquid tunc a prædictis Conſiliariis Regiæ Majeſtati & Principi pronunciatum & decretum fuerit, ratum eſſe debebit, & ſine contradictione ſervari.

Si vero quiſpiam de ſorte ſeu conditione Principis ſæcularis aut Eccleſiaſtici ſtatus in Pruſſia ſupradictum Principem de Pruſſia ſuper quavis re convenire prætenderet, debebit Majeſtas Regia ſex ex Conſiliariis ſuis, & Princeps in Pruſſia totidem ex ſuis ad Judicium, ut præmittitur, obligare, & juramentis aſtringere: & quidquid ipſi æquum eſſe decreverint & pronunciaverint, ei utraq; Pars acquieſcere, & ſine ulla tergiverſatione id ratum habere debebit.

Si autem aliquis, qui de ſorte Principum non fuerit, contra Ducem in Pruſſia quampiam actionem inſtituere vellet, hoc coram Vaſallis Principis facere debebit, quos Princeps ipſe collocare, & ad Judicium obligare tenebitur. Si quis autem occaſione hujusmodi Judiciorum in caſibus Principis perſonam attingentibus ſibi injuriam factam, aut ſe gravatum exiſtimaret eſſe, poterit ad Conſiliarios (quos Regia Majeſtas & Dux in Pruſſia quotannis ad Feſtum S. Franciſci, cum id neceſſitas exegerit, Marienburgum mittere debebunt) provocare, qui ſuper ea re cognoſcendi poteſtatem habere debent. Quod ſi ibi cognitum fuerit, appellationem provocantis frivolam & illicitam eſſe, debebit illa Pars Judicio decem marcas Pruthenicales pendere, & Parti adverſæ ad refundendum expenſas litis, & ad parendum priori ſententiæ obligata eſſe. ANNO 1525.

Ubi vero actiones emergerent, incolas Terrarum Pruſſiæ & eorundem poſſeſſiones utrinque contingentes, unusquiſque in eo Judicio, ubi bona ſeu poſſeſſiones ſitæ fuerint, aut reus domicilium habuerit, conveniri, & ad extranea Judicia trahi non debet.

Item neutrius Partis ſubditi, nec etiam eorum bona, ex quo in locis, ad quæ ſpectant, juſtitia obtineri poſſit, in alienis Judiciis arreſtari aut detineri debent.

Item quod deinceps omnes incolæ Terrarum Pruſſiæ utrinque reciproca viciſſitudine in terra & mari ſine impedimento negotiationes exercere, veteribus ſtratis proficiſci, & curribus tranſire, nec non in privilegiis ſuis hoc caſu permitti debent.

Cæterum fora in villis contra fas & antiquam conſuetudinem inſtituta deinceps ubique aboleri, & in civitates, ad quas ſpectant, reponi debebunt.

Item quod profundum Balgen ad mare recens Haeb, & ubicunque alias profunda id eſt oſtia maris fuerint, caput Viſlæ, & omnia flumina omnibus Pruſſiæ incolis, ut in ipſis navigare & trajicere poſſint, libera ſint. Et peregrini mercatores nec in Konigsberg, nec Brunsbergk, Elbingum, Gedanum, aut in ullam aliam civitatem proficiſci cogantur, ſed debent libere, non coacti, prout ipſis placuerit, velificare & navigare. Attamen ſine antiquorum teloneorum & privilegiorum detrimento.

Item nulla telonea, depoſitiones, vel alia gravamina in Terris Pruſſiæ contra antiquam conſuetudinem & Privilegia ab ulla Partium inſtitui debent, ſed vetera telonea permanere. Si autem ab alterutra Partium a tempore transactionis Regis CAZIMIRI telonea eſſent inſtituta, ea quoque hinc inde abrogari debent. Si vero ſucceſſu temporis contingeret, quod Regia Majeſtas & ſimiliter Dux in Pruſſia ad requiſitionem utriusq; ſubditorum ſuo-

Anno 1525. ſuorum alicubi nova telonea, aut emporia ad utilitatem Terrarum Pruſſiæ inſtituere deſtinarent, tunc debet Majeſtas Regia Ducem Pruſſiæ vocare in locum opportunum, & ambæ Partes ſuper ea re concordandi & tranſigendi poteſtatem habere. Si etiam aurigæ vel nautæ hujusmodi telonea præterirent, non debent eis bona adimi, ſed tantum naves currusque auferri.

Cæterum quod ad bona naufragantium attinet, debebit id cum iisdem ſecundum veterem introductam conſuetudinem, ex quo idem in Zelandia, Holandia & Brabantia conſuetum eſt, etiam obſervari, ita tamen, quod a nautis nihil plus extorqueatur.

Item debet utraque Partium adverſus alterum nunc & deinceps publicarum ſtratarum prædones, fures, & alios terris perniciem invehentes ad receptandum & promovendum abſtinere. Sed qui unius Partis profeſſus hoſtis ſit, debet etiam ab altera Parte pro ejus diffidato hoſte & damnificatore cenſeri.

Item quævis Partium poteſtatem habere debet, hoſtes & noxios ſuos in bonis alterius Partis perſequendi, & in quibus judiciis apprehendentur, in illis ſiſti, & juxta ipſorum demerita juſtificari debent.

Item Dux in Pruſſia, præterea Elbingenſes, Gedanenſes & Thorunenſes omnem monetam cudere abſtineant, ita, quod Regia Majeſtas intra hinc & Feſtum Pentecoſtes ſequentis anni diem ſtatuat, ſe ratione hujuſmodi monetæ clare concordandi.

Item quod Dux Pruſſiæ omnibus privilegiis & juribus huic contractui repugnantibus, ſeu ea ſint a Pontificibus Maximis, Imperatoribus, Principibus, vel Regibus Poloniæ profecta, nunc & in perpetuum renuntiare, & ea in manus Regiæ Majeſtatis conſignare debet. Si autem quicquam in ejusmodi privilegiis contineretur, quod huic transactioni non repugnaret, ſed Duci Pruſſiæ & Terris occaſione finium, & aliorum jurium & privilegiorum neceſſarium eſſet, debebit Majeſtas Regia ejusdem tenoris ſub literis & ſub ſigillo Majeſtatis ſuæ ea denuo concedere.

Item quod Regnum Pol. & Terræ Pruſſiæ pro ſe et eorum ſucceſſoribus ſufficienter ſe inſcribere debent, quod hanc inſtitutam tranſactionem in omnibus ſuis partibus, punctis et articulis fideliter, perpetuo et irrevocabiliter ſervare, nec unquam contravenire aut agere debeant aut velint: hoc puncto ſingulariter adjuncto, ſi caſus mortis Principum, quos Deus pro ſuo arbitrio conſervet, ſe offerret, quod Terræ Pruſſiæ Majeſtati Regiæ et Regno Poloniæ, et nulli alteri adhærere debent. Anno 1525.

Poſtremo ſi quisquam, cujusquam dignitatis aut conditionis exiſteret, huncque contractum impugnare vellet, debent tres Marchiones, quos hæc concordia pariter attingit, una cum Duce de Pruſſia cum omnibus, quos ad hoc permovere poterunt, Regiam Majeſtatem juvare, et ſuper hoc reſpondere.

Huic ſupraſcriptæ Chriſtianæ concordiæ et unitati Regia Majeſtas Poloniæ, et Dux Pruſſiæ in omnibus articulis, clauſulis, conditionibus, punctis ſuperius expreſſis Regiam ac Ducalem dignitatem, Chriſtianamque bonam fidem perpetuo et fideliter interponentes, inviolabiliter pro ſe, et ſucceſſuræ poſteritatis eorum hæredibus, Succeſſores Reges Poloniæ et Duces Pruſſiæ ratam et firmam habere et obſervare polliciti ſunt, ac promiſerunt. Pro majori præfatorum fide et ſecuritate Regia Majeſtas, ſimiliter Dux Pruſſiæ hujusmodi pactum, concordiam et unionem manu eorum propria ſubſcripſerunt, et ſigilla ipſorum noſtris adhærentia ſubappendi fecerunt, et hujusmodi contractus binæ literæ concordationis ſeu unionis ſub eodem verborum tenore confectæ cuilibet Parti unæ præſentatæ ſunt. Datum et actum Cracoviæ Sabbato in Vigilia Palmarum, quae fuit 8. Menſis Aprilis Anno Domini 1525.

Nos itaque Sigismundus Rex Poloniae de conſilio et conſenſu Conſiliariorum noſtrorum Regni Poloniae omnes et ſingulos memoratos articulos, ut praemittitur, medio Illuſtrium Principum praenominatorum Georgii Marchionis Brandeburgenſis, et Friderici Ducis Legnicenſis inter Nos et Illuſtrem Dominum Albertum Marchionem Brandeburgenſem, Magiſtrum ac Ordinem eius in Pruſſia actos, condictos et concluſos in omnibus et ſingulis eorum punctis, clauſulis, continentiis, prout jacent, acceptamus, ratificamus, approbamus, laudamus et confirmamus, ipſosque perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus. Promittentes in verbo noſtro Regio, ac ſub fide boni ac legalis et ingenui Principis pro Nobis atque Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniae, ac Regno et dominiis noſtris, quantum Nos et illa concernunt, Nos omnia ſupraſcripta in praeinſertis literis atque articulis condictis et concluſis expreſſa firmiter et inviolabiliter obſervare, exequi, et adimplere, neque illis quoquo modo contravenire de jure vel de facto, directe vel indirecte, omni

Anno 1525.

omni dolo et fraude penitus ſecluſis. In quorum omnium et ſingulorum fidem, robur et teſtimonium praemiſſorum praeſentes literas manu noſtra propria ſubſcripſimus, illasque ſigillo noſtro Regio et Conſiliariorum noſtrorum ſigillis communiri fecimus. Datum Cracoviae die Dominico Palmarum Anno Domini 1525. Regni vero noſtri Anno 19. Praeſentibus Reverendiſſimis ac Reverendis in Chriſto Patribus Dominis: Joanne de Laſko Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato nato et Primate, Petro de Thomice Cracovienſi et Poſnanienſi, ac Regni noſtri Vicecancellario, Mathia de Drzewica Vladislavienſi, Raphaële de Leſzno Plocenſi, Mauritio Warmienſi, Andrea Krycki Premiſlienſi, Joanne Culmenſi, Jacobo Chelmenſi, Laurentio Camenecenſi, Epiſcopis; ac Magnificis, Generoſis, Venerabilibus, Nobilibus, Strenuis ac Famatis, Nicolao Firley de Dąbrowica Caſtellano Cracovienſi, et Exercituum Regni noſtri Capitaneo Generali, Chriſtophoro de Szydlowiec Palatino et Capitaneo Cracovienſi, et Regni noſtri Cancellario, ac Siradienſi, Goſtinenſi, novae Civitatis Corczyn, et Sochaczovienſi Capitaneo, Andrea de Thanczyn Sandomirienſi ac Belzenſi, Chelmenſi et Rathnenſi Capitaneo, Jaroslao de Laſko Siradienſi, Andrea de Opporow Breſtenſ. Georgio de Bayſen Palatino Marienburgenſi, et Capitaneo Mevenſi, Georgio de Konopat Pomeraniae, et Capitaneo Swecenſi Palatinis; Nicolao de Szydlowiec Sandomirienſi, Regni noſtri Theſaurario, ac Radomienſi, Zatorienſi, Oswiecimenſi Capitaneo, Joanne Comite de Tarnow Woynicenſi, Joanne Wieczwieński Plocenſi, et Capitaneo Bratianenſi, Joanne de Tarnow Biecenſi, et Capitaneo Pilſenſi, Nicolao Czykowſki de Woyslawice Polanecenſi, et Burgrabio Cracovienſi, Stanislao de Chodecz Marſchalco Regni noſtri, et Capitaneo Leopolienſi, Petro Kmita de Wisnice Mareſchalco Curiae noſtrae, ac Scepuſienſi et Premiſlienſi Capitaneo, Nicolao Ruſocki Biechovienſi ac Lancicienſi, Predecenſi Capitaneo, Caſtellanis; Achatio Czerna Succamerario Pomeraniae, Capitaneo Schlochovienſi, Joanne Latalſki Gneſnenſi, Cracovienſi, Poſnanienſi et Lancicienſi, Joanne Karnkowſki Skarbimirienſi, Stanislao Gorecki Caliſſienſi, et Cuſtode Plocenſi, Praepoſitis; Joanne Gojeński Cracovienſi, Joanne Gorſki Poſnanienſi, Stanislao Tarło de Szczekarzowice Lublinenſ. Archidiaconis; Staniſlao de Olesnica Cantore Gneſnenſi, Canonico Cracovienſ. Secretariis noſtris; Nicolao Tomicki Praefecto Stabuli noſtri, ac Coſtenſi, Pisdrenſi et Conicienſi Capitaneo, Sylveſtro Ożarowſki Succamerario noſtro, et Capitaneo Zavichoſtenſi, Stanislao de Pilcza Capitaneo Grodecenſ. Joanne Tarło Structore Menſae noſtrae, Simone Chlewicki Magiſtro Coquinae noſtrae, Martino Wolſki Theſaurario Curiae noſtrae et Burgrabio Cracovienſi, Conrado Hilfeldt Proconſule, et Joanne Lisman Conſule Thorunenſ. Joanne de Loe Proconſule, et Joanne Alexuange Conſule Elbingenſi, Eberhardo Ferber Cive Gedanenſi, Capitaneo Dirſchovienſi, caeterisq; Dignitariis, Officialibus, Proceribus, et Aulicis noſtris Teſtibus circa praemiſſa fide dignis, ſincere Nobis fidelibus dilectis. Datum per manus praefati et Reverendi in Chriſto Patris Domini Petri Tomicki Cracovienſis et Poſnanienſis Epiſcopi, et Regni noſtri Vice-Cancellarii ſincere Nobis Dilecti.

Anno 1525.

CLXIX.

Approbatio eorundem Pactorum per Proceres & incolas Ducatus Pruſſiæ. Datum Cracoviæ 1525 die 9. Apr. ipſa Dominica Palmarum. *Ibidem fol. 192.*

Nos infra ſcripti Erhardus electus Pomeſanienſis, Fridericus Dominus de Heydeck, nomine Ordinis Theutonicorum in Pruſſia, Heynrichus Dominus de Kittlicz, Georgius de Kimheim nomine Nobilium, Nicolaus Richam Magiſter civium civitatis antiquae, Criſpinus Schonberk Conſul in Knybhoff nomine majorum et minorum civitatum in Pruſſia, palam facimus et recognoſcimus. Cum retro temporis multa graviaque bella inter Sereniſſimos Poloniae Reges, et Inclytos Theutonici Ordinis Magnos Magiſtros tantis odiis, inveteratisque diſſidiis in utriusque populi et Polonici et Prutenici calamitatem geſta ſint, ut parum hactenus profuerint contractus et pacis fœdera, Summorum Pontificum, Imperatorum, Regumque auctoritate ſæpe interpoſita. Cujus mali origo hinc dimanavit, quod Pruſſiæ Terra, nam de hujus proprietate tantopere pugnatum eſt, Rectore hæreditario caruit, cum hinc Reges Poloniæ illinc Magni Magiſtri et militaris Ordo jus ſuum prætenderent, mallentque armis, quam pia Chriſtianaque concordia negotium transfigere, pervenit eorum malorum non parva portio ad noſtram uſque ætatem; ſiquidem paucis abhinc annis, oborto iterum ea de re bello, concurrentibusque infeſtis ſignis, Sereniſſimo Rege SIGISMUNDO, et Illuſtriſ-

Anno 1525. ſtriſſimo Alberto M. Magiſtro, quanta vaſtitate utraq; Terra affecta ſit, oſtendunt ipſæ ruinæ, et calamitas miſerorum, ſunt vaſtati agri, abducti coloni, effuſus ſanguis Chriſtianus, vim paſſæ mulieres, ſtupratæ virgines, profanatæ ſacræ ædes, prætereaque alia ſcelera, et bellorum incommoda perpetrata, quæ turpe eſt audiri, nedum fieri in pópulo Chriſtiano. Cujus belli immanitate moti, et miſerorum fortunam miſerti, Summus Pontifex, Sacratiſsima Caeſarea Majeſtas, Sereniſsimus Hungariæ et Bohemiæ Rex ad inducias quadriennales utramque Partem piis rationibus flexerunt, eo propoſito, ut quadriennio illo induciarum veterem diſcordiam omnino tollerent, et firmam pacem inter nos finitimas gentes componerent. Erat ſpes nobis bona fore, ut aliquando concordia pro diſcordia veniret. Cæterum cum Chriſtianus orbis undique bellorum tumultu, variisque perturbationibus vexaretur, factum eſt, ut tam pium conſilium tantorum Rectorum Rerumpublicarum de concordia ſtatuenda impediretur, quandoquidem quadriennium induciarum irritum abiit, ut ejus fine pro pace bellum videretur renaſci, quod ſane ita erat in manifeſto, ut aut ipſum nova cum Chriſtianorum calamitate fuiſſet ſuſcipiendum, aut in Contractum Torunenſem, cui titulus eſt *Perpetuæ Pacis*, conjurandum. Quando igitur verſaremur inter duo ejusmodi pericula, ut aut arma Patriæ noſtræ intoleranda deinceps fierent capeſſenda, aut neceſſe eſſet conſentire in Concordiam, et prædictum Contractum perpetuæ pacis, nec in aliam partem ſe flecti permitteret Sereniſsimus Rex Poloniæ et Inclytum ejus Regnum. Reſpexit Deus propitiis oculis in pias preces calamitate afflicti populi, deditque ex improviſo pios ac prudentes pacis per alium modum Procuratores, Illuſtriſsimos Principes et Dominos: Dominum Georgium Marchionem Brandeburgenſem etc. et Dominum Fridericum Ducem Legnicenſem etc. quos vetus diſcordia et periculum redeuntis belli non minus movit, quam ſi eorum res ageretur, cum ſint utrique Partium ſanguine et affinitate conjunctiſſimi. Hi divina inſpiratione invenerunt Articulos Transactionis et Pacis cum juſtos, tum Chriſtianos, qui ſi bona fide cuſtodiantur, non erit amplius timor de periculo renaſcituri belli. Inprimis autem ſua providentia curarunt, quî præſtingueretur fons, unde hactenus tot mala fluxerunt, ſcilicet ut habeat Terra Pruſsiæ Principem haereditarium, qui juſtis de cauſis Superiorem recognoſcat Sereniſsimum Regem Poloniae, et Inclytum ejus Regnum, quandoquidem certis indiciis et argumentis haud fallacibus jam tandem evidenter cognovimus fundum et ſolum Terrae Pruſsiae intra fines, limites, et in circulo ditionis inclyti Regni Poloniae contineri et concludi. Quando autem nihil potius eſſe debet Chriſtianis pectoribus, quam cum omnibus, ſi fieri poſsit, inprimis vero cum vicinis in pace et tranquillitate vivere, quam nobis Magiſter noſter chariſsimus, et ejus *D*iſcipuli tanta cura et ſtudio commendarunt, volentes accurrimus ad per tam pios Principes oblatas conditiones pacis, qua hactenus indigere viſi ſumus, et nunc divina commiſeratione donamur. Idque eo libentius fecimus, quod nos ad eandem Transactionem amplectendam clariſsimus Vir *D.* Joannes Statilius Praepoſitus Curſienſis, Secretarius et Orator, Ludovici Hungariae et Bohemiae Regis Sereniſsimi, Domini noſtri gratioſiſsimi adhortabatur duplici nomine, tum quod ad percutiendum fœdus pacis miſſus eſſet, tum quod propoſiti Articuli Transactionis juſti ac Chriſtiani a praefato Sereniſsimo Rege judicarentur, qui, ceu alter ſummorum Arbitrorum Concordiae ſtatuendae in quadriennalibus induciis, nihil aeque ad ſe pertinere affirmavit, quam vel in ipſis induciis, vel poſt finem earum inter Principes utrinque ſibi conjunctiſsimos, et populos vicinos pacem procurare. Ideo conſenſimus et conſentimus in Tranſactionem et Concordiam inter Sereniſsimum *D*ominum Sigismundum Regem, et inclytum Regnum Poloniae ex una, et Illuſtriſsimum Principem *D*ominum Albertum Marchionem Brandeburgenſem etc. Haeredem et Succeſſorem ex altera partibus ſuper feudo, juribus et proprietate praedictae Terrae Pruſsiae, ac aliis punctis, articulisque per praefatos Illuſtriſsimos Principes: *D*ominum Georgium Marchionem etc. et *D*ominum Fridericum *D*ucem Legnicenſ. etc. pacis Mediatores Anno *D*omini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, die nona Menſis Aprilis Cracoviae ad noſtram petitionem et placitum conceptam et confectam, ipſamque in omnibus punctis et articulis, perinde ac ſi inſerta hic eſſet, noſtro conſtituentium, haeredum et ſucceſſorum nomine, laudamus, adprobamus, et cum magna hilaritate, animique gratitudine ſuſcipimus et amplectimur, pro nobis praefatis conſtituentibus, haeredibus et ſucceſſoribus noſtris, ſincera ac Chriſtiana fide, et ſub honore noſtro, nec non jurisjurandi ſacramento firmiter et conſtanter promittentes, et effica- Anno 1525.

ANNO 1525. efficaciter nos obligantes, quod eandem Concordiam, Tranſactionemque, ut praefertur, in omnibus et ſingulis articulis et conditionibus fideliter et irrevocabiliter, ſine fraude et dolo, ratam et gratam habere, et perpetuo obſervare, nec unquam per nos, aut ſubmiſſas perſonas quovis prætextu ſive colore, publice vel occulte ipſi contravenire volumus, nec debemus. Renuntiatis praeterea omnibus et ſingulis juribus, privilegiis et exceptionibus, quibus eandem concordiam impugnare, infringere poſſemus. Porro ſi Illuſtriſſimus Princeps et Dominus ALBERTUS Marchio Brandemburgenſis etc. in Pruſſia Princeps etc. quem de voluntate praefati Sereniſſimi Regis Poloniae SIGISMUNDI in haereditarium Dominum ſuſcepimus, et praeſentibus ſuſcipimus, nec non Illuſtritatis ſuae veri et legitimi Feudi Haeredes maſculi, et ſubinde Illuſtriſſimi Principes et Domini GEORGIUS, CASIMIRUS et JOANNES, una cum omnibus ſuis legitimis feudi Haeredibus e vita migraverint, et praefata Terra Pruſſiae ipſis in feudum conceſſa juxta inſcriptionem praedictae Tranſactionis ad Sereniſſimos Reges et Regnum Poloniae devoluta fuerit, quod nos Sereniſſimis Regibus eisdem, et Regno Poloniae, cui nos unanimiter, ſponte, et ex certa ſcientia, una cum praedicto Principe noſtro, tanquam ſuperiori Domino, ſubjiciemus, et ex nunc ſubjicimus, nec cuiquam alteri adhaerebimus, obediemus et ſubjecti erimus, ſed eosdem Sereniſſimos Reges, et inclytum Regnum pro Dominis noſtris, quoad utile et directum dominium, merum et juſtum imperium, in perpetua ſubjectione profitebimur et recognoſcemus, ſalvis tamen ſemper manentibus omnibus et ſingulis Tranſactionis articulis, quibus in hoc caſu Terrae Pruſſiae cautum eſt. In quorum omnium fidem et robur Nos ſupra ſcripti Oratores, nomine conſtituentium et noſtro, has literas ſigillorum noſtrorum adpenſione munivimus, datas Cracoviae Anno Domini milleſimo, quingenteſimo vigeſimo quinto, die vero nona Menſis Aprilis, quae erat dies Dominica Palmarum.

CLXX.

Diploma SIGISMUNDI I. *Regis, quo Terræ Pruſſiæ* ALBERTO, *atque deficiente ejus Prole maſcula, tribus ejus Fratribus,* GEORGIO, CASIMIRO & JOANNI *in Feudum traduntur.*

Datum Cracoviæ Feria ſecunda post Dominicam Palmarum Anno 1525. *Indidem fol. 202.* ANNO 1525.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOS SIGISMUNDUS D. G. Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, nec non Terrarum Cracoviae etc. Dominus et Haeres, univerſis et ſingulis, praeſentibus et futuris, harum ſeriem inſpecturis, manifeſtum facimus. Quia cum olim multae et graves controverſiae, multaque, et Reipublicae Chriſtianae pernicioſiſſima bella geſta fuiſſent inter Praedeceſſores noſtros Reges Poloniae, ac Magiſtros et Ordinem dictum S. Mariae Teutonicorum ſuper proprietate in Terris Pruſſiae, Regibus et Regno Poloniae jus ſuum haereditarium pro virili tuentibus, Magiſtris vero ac Ordine ſuis veris ac legitimis Hæredibus et Dominis parere recuſantibus, atq; iis tantis controverſiis, tantisque bellis eo res deducta fuiſſet, ut divino favore juſtitiae Regni noſtri opitulante, et pax confecta, et Magiſtri et Ordo, totaq; ipſorum ditio in ſubjectionem et homagium Regibus et Regno Poloniae deveniſſet, idque longiſſimo tempore tentum et obſervatum eſſet, ſucceſſu vero temporis novae controverſiae de ipſa proprietate, ac demum bellum inter Nos, Regnumque noſtrum, et Illuſtrem Dominum ALBERTUM Marchionem Brandeburgenſem, Magiſtrum Generalem, ac Ordinem ejus ſuſcitatum eſſet, cum maximo Reipublicae Chriſtianae incommodo ac detrimento. Proinde Summi Pontifices, videlicet LEO decimus, ADRIANUS ſextus, et modernus CLEMENS ſeptimus, demum invictiſſimus CAROLUS Romanorum Imperator, et Hiſpaniae Rex Catholicus, nec non Sereniſſimus Nepos noſter Dominus LUDOVICUS Hungariae et Bohemiae Rex, ac plerique Germaniae Principes ſummo ſtudio apud Nos egiſſent de concordia et pace componenda. Quae denique concordia cum medio Illuſtrium Principum Dominorum GEORGII Marchionis Brandeburgenſis, in Sileſia Ratiborienſis, Jagerndorffenſis, in Pruſſia, Stetinenſis, Pomeraniae, Caſſubarum, Sclavorum etc. Ducis, Principis Rugiae, ac Burgravii Nurembergenſis, et FRIDERICI Ducis Legnicenſis et Brigenſis, et Capitanei inferioris Sileſiae, tractata et concluſa eſſet, veniſſetque ad Nos ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio Brandemburgenſis, et Magiſter Generalis cum nonnullis Membris Ordinis et ſubditis ſuis, plenam et omni-

Anno 1525. omnimodam facultatem ab Ordine et univerſis ſubditis ejus habentibus, ſe Nobis, uti vero et legitimo Haeredi et Domino ſuo, ac Terrarum omnium Pruſſiae ſubjicientibus, ac easdem Terras ſibi in Feudum dari enixe et ſuppliciter, primum ejus Conſiliarii Proceres et ſubditi, demum ipſe Illuſtris Dominus Albertus Marchio a Nobis petiviſſent, declarans ſe Nobis et Reipublicae Regni noſtri hoc pacto magis ex uſu fieri poſſe, pacemque firmiorem futuram. Nos rationem habentes imprimis utilitatis ipſius Reipublicae Chriſtianae, quae in tanta infidelium tempeſtate non niſi pace et concordia inter ſe Chriſtianorum Principum ſervari poteſt, demum obaudire nolentes, ut poſtulata Sanctiſſimi Domini noſtri Papae, Caeſareaeque et Catholicae Majeſtatis, ac Sereniſſimi Domini Nepotis noſtri, D. Ludovici Hungariae et Bohemiae Regis, aliorumque Principum Chriſtianorum, qui hactenus omni conatu hanc differentiam et bellum ſiſtere et componere inter Nos ſtuduerunt, ac deniq; gratificari et commodare volentes dicto Illuſtri Principi Domino Alberto Marchioni Brandeburgenſi, uti Nepoti noſtro ex Sorore chariſſimo, ejusque Domui de Onſpach annuimus non gravatim precibus ejus Illuſtritatis, et ſubditorum ipſius, illique, et ejus veris maſculini generis, et legitimis Feudi Haredibus, ex lumbis eius procedentibus, terras, civitates, oppida et arces infraſcriptas in perpetuum et indiviſum Feudum dedimus et conceſſimus, et ipſum de illis per Vexilli noſtri traditionem inveſtivimus, harumque ſerie literarum damus et concedimus: videlicet arcem Konigsberg cum tribus civitatibus, item arces et oppida Lochſtete, Vargen, Girmaw, Pubetten, Rudaw, &c. ut in praecedentibus Concordiae literis ſunt deſcripta, cum omnibus et ſingulis ſubditis, vaſallis, fructibus, dominiis, ſuperioritatibus, libertatibus et juribus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, manſis, curiis, molendinis, molendinorum locis, cenſibus, vectigalibus, reditibus, teloneis, ſervitiis, feudis ſpiritualibus et ſaecularibus, lacubus, fluminibus, piſcationibus, aquis, aquarum decurſibus, ferarum venationibus, ſylvis, nemoribus, paſcuis, pratis, actibus etiam, cum omnibus metallis, quae modo ſunt, ſeu in futuro fieri poſſunt, auro, argento, cupro, ſtanno, plumbo, ſalinis ſupra et ſubtus terram, ſimiliter una cum omnibus et ſingulis eminentiis, juribus, et pertinentiis univerſis, nullis exceptis, ſicuti ejusmodi terras priores Magiſtri Generales et idem Ordo habuêre, et uſque ad praeſens noviſſimum bellum geſtum uſu et fructu tenuerunt, in poſterum perpetue et haereditarie in commune et indiviſum Feudum tenendum, habendum, fruendum, utendum et poſſidendum. Ubi vero ipſe Illuſtris Albertus Marchio et Dux in Pruſſia ſine legitimis maſculis Feudi Haeredibus, vel ejus legitimi maſculi Feudi Haeredes non relicta prole virili deficerent, extunc ſupradictae terrae, civitates, et oppida, et arces in omni forma et modo, quemadmodum eas ſupradictus Illuſtris Albertus Marchio habuit, ad Illuſtrem Principem Dominum Georgium Marchionem Brandeburgenſem, et ipſius legitimos ſexus maſculini Feudi Haeredes venire et devolvi debent. Si vero etiam Marchio Georgius ſine legitimis Feudi Haeredibus maſculis, vel ejus Haeredes poſt ejus obitum ſine legitimis maſculini generis Feudi Haeredibus ex humanis decederent, dictae terrae, civitates, oppida et arces ad Illuſtrem Principem Dominum Casimirum, et ejus maſculos Feudi Haeredes derivari ac devolvi debent. Si autem praedictus Marchio Casimirus ſine prole maſcula Feudi Haerede decederet, aut ejus Feudi Haeredes poſt ipſius mortem liberos maſculos Feudi Haeredes poſt ſe non relinquerent, tunc nominatae terrae, civitates, oppida et arces in Pruſſia ad Illuſtrem Principem Dominum Joannem Marchionem Brandeburgenſem, et ejus veros legitimos maſculini generis Feudi Haeredes devolvi debent, ita, quod dictae terrae, civitates, oppida et arces, ubi divina ordinatione hujusmodi caſus futuris temporibus accideret, de Fratre in Fratrem praedictos, et eorum legitimos Feudi Haeredes maſculos cedant et devolvantur, ſine noſtro, Haeredumq; et Succeſſorum noſtrorum Regum, ac Regni noſtri Poloniae impedimento. Ita tamen, cum et quoties ſe obtulerit ejusmodi caſus devolutionis de uno in alterum, praedictos Fratres, et eorum legitimos Feudi Haeredes maſculos, debebunt illi, et quisque eorum debebit Nobis et Succeſſoribus noſtris Regibus, ac Regno Poloniae infra tempus debitum ac legitimum debitam ſubjectionem, et Feudi obligationem, ac homagium praeſtare. Quodſi praedicti quatuor Fratres de Domo Onſpach, divina voluntate ſic diſponente, ſine maſcula prole Feudi Haerede legitima, ex lumbis eorum ordine ſupraſcripto procedente, aut eorum hujusmodi proles ſimiliter ſine maſculo Feudi Haerede legitimo, ex lumbis eorum

Anno 1525. rum procedente, decederet, tunc omnes et ſingulae terrae, civitates, oppida, bona et arces ſupra ſcriptae ad Nos et Succeſſores noſtros Reges, et Regnum *Po*loniae ſine omni impedimento ac contradictione devolvi ac redire debent.

Debebit item ipſe Illuſtris Dominus Albertus Marchio, & Dux in Pruſſia, eiusque prænominati Succeſſores, & Feudi Hæredes pro hac noſtra in ſe beneficentia Nobis & Regno noſtro tale obſequium præſtare, quod ubi ratione huius Concordiae, & Conceſſionis Feudi a quocunque cuiusvis eminentiæ, & conditionis Principe, ſeu Potentatu impeteremur, aut Succeſſores noſtri impeterentur, tenebitur ipſe Illuſtris Dominus Albertus Marchio, aut eius prædicti Succeſſores Duces in Pruſſia in propria perſona Nobis, & Regno noſtro ubique una cum omnibus ſuis ſubditis, & pro ſummis viribus ſuis adeſſe. Quod viciſſim Nos, & Succeſſores noſtri Reges, ac Regnum Poloniæ in eodem caſu facere debebimus, & debebunt.

Ubi autem contingeret, quod Nos, vel Succeſſores noſtri, Regnum Poloniæ altera quavis ex cauſa tam ab infidelibus quam ab quocunque alio hoſte impeteretur, & ipſi in perſona propria ad bellum cum ſubditis noſtris proficiſceremur aut Succeſſores noſtri proficiſcerentur, debebit Illuſtris Dominus Albertus Marchio, & Dux in Pruſſia, aut ejus prænominati Succeſſores Duces in Pruſſia Nobiſcum cum centum equitibus armatis proficiſci, & intra limites Terrarum Pruſsiæ Nobis ſervire. Quod ſi educere extra terminos Pruſſiæ illum, aut ejus Succeſſores Nos & Succeſſores noſtri vellemus, extunc ad eoſdem centum equites ſtipendium tale præbere, quale dari aliis noſtris mercenariis equitibus eſt ſolitum, tenebimur. Ubi vero Nos, vel Succesſores noſtri vellemus ipſum Dominum Albertum Marchionem, aut ejus nominatos poſteros Nobis & Succeſſoribus noſtris maiori comitatu ſervire, debebimus Nos & Succeſſores noſtri iis omnibus militibus, quos ultra centum prædictos conducere poſſet, mox poſt egresſum a domibus ipſorum ſtipendium, quod noſtris militibus dabitur, illis, quamdiu ſervierint, perſolvere. Si autem plures quam centum praedictos equites ipſe Illuſtris Dominus Albertus Marchio, aut ejus Succeſſores *D*uces in Pruſſia educere non poſſent, non debebimus Nos aut Succeſſores noſtri ab illo & eius poſteris Ducibus in Pruſſia plura exigere.

Præterea non debebit ipſe Illuſtris Dominus Albertus Marchio & ejus nominati Feudi Hæredes, Succeſſores *Du*ces in Pruſſia, quidquam ex terris, civitatibus, oppidis, arcibus & bonis prædictis vendere. Verum ſi ad hoc illum, & ejus Succeſſores ingens urgeret neceſſitas, tenebitur Nobis & Succeſſoribus noſtris, tanquam Dominis ſuis hæreditariis, ante omnia denunciare. Quod ſi Nos ipſi emere non curaverimus, aut Hæredes & Succeſſores noſtri non curaverint, in hoc caſu ipſe Dominus Albertus Marchio & Dux in Pruſſia, aut ejus legitimi Feudi Hæredes ſeu Succeſſores, cuicunque voluerint, vel potuerint, liberam vendendi habebunt facultatem. Regalibus tamen noſtris Feudi, & obſequiorum iuribus ſemper ſalvis permanentibus. Anno 1525.

Poterit etiam ipſe Dominus *D*ux in Pruſſia, & eius Feudi Hæredes, ubi eos neceſſitas urgens premeret, ex bonis ſuis prædictis, quantum opus foret, impignorare, ſuis duntaxat ſubditis, & vaſallis ut eadem bona unita & indiviſa permaneant. Quae etiam omnia, & ſingula ſupraſripta, & quæcunque alia, quæ Vaſallus, & feudalis Princeps erga ſuum naturalem *D*ominum hæreditarium, & ſuperiorem *D*ominum obſervare, ac præſtare tenetur, debebit ipſe Illuſtris *D*ominus Albertus Marchio & *D*ux in Pruſſia, ac ejus Feudi Hæredes legitimi Succeſſores firmiter, & inviolabiter adimplere. Nosque viciſſim illum, & Succeſſores ejus omni gratia, & favore Regio complecti, ac illos in juribus & immunitatibus ipſorum conſervare pro Nobis & Succeſſoribus noſtris Regiis, & Regno Poloniæ pollicemur. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Cracoviæ Feria ſecunda poſt Dominicam Palmarum proxima. Anno Domini 1525. Regni vero noſtri Anno 19.

CLXXI.

Sigismundus I. *aſſignat penſionem annuam* Alberto *Duci Pruſſiæ quatuor millium florenorum Rhenenſium ad vitæ ejus tempora.* Datum Cracoviæ Feria IV. poſt Dominicam Palmarum, quæ fuit 11. Apr. Anno Domini 1525. *Ex Archivo Regni ſub Litt. CC. fol. 191.*

Sigismundus etc. Significamus tenore præſentium univerſis. Quia cum divino favore Illuſtris Princeps *Do*mi-

Anno 1525. minus Albertus Marchio Brandeburgenſis, ac in Pruſſia, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſubarum, Sclavorum &c. Dux, Burgravius Nurembergenſis, & Princeps Rugiæ, Nepos noſter chariſſimus, poſt controverſiam, ad quam Nobiſcum devenerat, tandem ad Nos veniens medio Illuſtrium Principum Dominorum Georgii Marchionis Fratris germani, ac Friderici Ducis Legnicenſis Sororii ſui, ſe Nobis reconciliaverit, magnaque, ac evidentia teſtimonia, & indicia de ſua erga Nos fide, ac propenſione exhibuerit, volentes ejus Illuſtritatem in Terris Pruſſiæ, quas illi in Feudum dedimus, & quæ bellica ſævitia magnum detrimentum ſunt paſſæ, relevare, ac illum Nobis, & Regno noſtro maiori beneficentia devincere, dandum & donandum illi duximus annuum ſtipendium 4000. florenorum Rhenenſium in auro, vel pro ſingulis aureis XXVIII. groſſos integros, monetæ & numeri Regni noſtri præſentis, harumque ſerie litterarum damus, donamus, & aſſignamus, qui ad terminos vitae Illuſtritatis ſuæ per Nos, & Succeſſores noſtros quotannis ſolventur, ita videlicet, quod primam ratam anni huius ſolvere debebimus ad feſtum Sancti Michaelis proxime futurum, alteram vero ratam ad Feſta Paſchæ Anni Domini 1527. & deinceps ſingulis annis ſequentibus ad Feſta Paſchæ dictam ſummam quatuor millium florenorum Rhenenſium ſolvere Nos & Succeſſores noſtros Reges Poloniæ ſubmiſimus, & præſentibus ſubmittimus, ac obligamus, promittentes in verbo noſtro Regio pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ, quod eam donationem & firmam habebimus, & illi ſemper, quoad ſua Illuſtritas vixerit, ſatisfaciemus, & Succeſſores noſtri Reges Poloniæ ſatisfacient. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum eſt præſentibus appenſum. Datum Cracoviæ Feria IV. poſt Dominicam Palmarum, quæ fuit XII. Aprilis 1525. Regni noſtri 19.

CLXXII.

Literæ Sigismundi I. *Regis Poloniæ ad* Clementem VII. *P. quibus ei de negotiis cum* Alberto *Duce tranſactis ſignificat. Ex Archivo Regni Lib. N. R. fol. 350.*

Sigismundus I. *Rex Poloniæ. Summo Pontifici* Clementi VII.

Sanctiſſime. Quod erat jam pridem in votis, cum Veſtrae Sanctitatis ejusq; Prædeceſſorum, tum omnium ferme Principum Chriſtianorum, ut bellum, quod inter me & Magiſtrum Pruſſiæ interceſſerat, compoſitum eſſet utpote univerſæ rei Chriſtianæ noxium & perniciosum, id tandem divino favore factum, Veſtra Sanctitas non ignoret, cum enim induciæ expirarent, neque ulla eſſet ſpes, tantæ controverſiæ per Arbitros dirimendae, venit ad me Magiſter Pruſſiae, condicitis prius, medio Illuſtrium Principum Georgii Marchionis Brandeburgenſis & Friderici Ducis Legnicenſis, communium Conſangvineorum noſtrorum, conditionibus pacis et concordiae, quae pro tempore fieri potuerunt, et quales mutua neceſſitudo noſtra poſtulavit; praeſtititque Magiſter ille mihi debitum ſuum, quod et Maiores mei, et ego juſtiſſime exigebam, praeſtiti et ego viciſſim erga illum, quae jure meo potui, praeſertim deſciſcente a Profeſſione ſua Ordine illo, et Terris omnibus Pruſſiae juſtiſſima haereditate Regni mei in poteſtatem meam redactis, unde ſperem tanta bella et diſſidia non ſopita ſolum et compoſita, ſed etiam radicitus ſublata et extincta, alioquin tragaedia haec nullum unquam finem habere potuiſſet, praeſertim cum ſubditi mei omnes exegerint a me modis omnibus, neque ab hoc inſtituto ullo modo demoveri potuerint in Conventu Generali Regni mei noviſſimo, vel cogendum tandem Magiſtrum Pruſſiae ad praeſtandam obedientiam et Omagium, mihi et Regno meo debitum, vel illum ac Ordinem ex terris illis exturbandum. Videns autem ego, quantam perniciem afferret, non iis regionibus ſolum, ſed etiam univerſae rei Chriſtianae, bellum reſuſcitandum, a quo me ſemper et Veſtra Sanctitas et ferme omnes Chriſtiani Principes dehortabantur, elegi potius etiam pacem, quae pro ratione temporis contingere potuit, et viſa eſt ſolidior, quam omnino neceſſitate et furore bellico terras et haereditatem meam et Regni mei repetendo, omnia vaſtare et deſtruere. Conſiderans jam pridem in Pruſſia non de Ordine ſolum, ſed de tota prorſus Religione actum eſſe, cui errori nullam adeo penitus occaſionem unquam praebui, ut etiam in hac pace conficienda nihil tentaverim, quo omnia acta fuiſſent, juxta obſervationem Sanctae Religionis Catholicae, prout omnes actus, et tractatus noſtri teſtari potuerunt. Inter quos tamen multa offeruntur cum Conſiliariis meis commoda, pro juriſdictione Eccleſiaſtica, et reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum in illis terris, quae acta et deplorata videbantur. Et ſpero ſubinde, Deo propitio, et Veſtra Sanctitate

ANNO 1525. tate mihi aſſiſtente, reliqua ſine magno ſtrepitu ad normam & debitum modum per me reduci poſſe, qui cupiam & paratus eſſem ſemper, pro bono ſtatu rei Chriſtianæ, & iſtius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ non modo ſtudium, operam & facultates meas omnes, ſed & ſanguinem & vitam meam, ſi ita res poſtulet, exponere & profundere. Nec unquam Sanctitas Veſtra aliter ſibi de me & ſubditis meis perſuaderi patiatur; nam & peſtem iſtam Luteranam, pernicioſiſſimumque incendium eius, quo Regni mei proximus & major ardet paries, quanto labore & ſolicitudine extinguere, & a Regno meo arcere nitor, ſatis cum Edicta & Legationes meæ, tum vel Nuntii vel Legati Sanctitatis Veſtræ teſtimonio eſſe poſſunt. Significandum autem duxi hunc ſucceſſum rei Prutenicæ Veſtræ Sanctitati, tum quia ſciam, illam omni ſtudio ad communem pacem Chriſtianorum incumbere, tum etiam quod non ignorem, qua cura & benignitate me & res meas omnes complecti dignatur. Proindeque ſpero, non mediocrem inde lætitiam & voluptatem Veſtram Sanctitatem habituram eſſe. Cui me etiam atque etiam humiliter commendo, & opto, ut diu vivat incolumis, Eccleſiæ S. Catholicæ & Reipublicæ Chriſtianæ bono.

CLXXIII.

1526. *Reſponſum nomine* SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ Epiſcopo Pomeſanienſi datum contra novatores fidei.* Datum in Marienburg die 5. Aprilis 1526. *Ex Archivo Regni. Lib. Legation. ſub Lit. E. fol. 273.*

Ea, quæ Veſtra Paternitas nudius tertius coram Sacra Majeſt. Regia partim ab Illuſtri Principe in Pruſſia, partim etiam ſuo nomine retulit, hæc in ſumma continebant.

Declaravit imprimis Veſtra Paternitas ſponſalia inita per ejus Illuſtritatem cum Filia Sereniſſimi Domini Regis Daniæ, & poſtulavit nomine Illuſtritatis ſuæ, ut ejus Majeſtas has nuptias illius ſua præſentia honorare dignaretur.

Recenſuit inde Paternitas Veſtra nonnulla in excuſationem ſui, ex literis Majeſtatis ſuæ ad ſe datis, & quod attinet eos concionatores, quos Majeſtas ſua comprehendi fecit, quemadmodum eos ipſa hic conſtituerit, commiſeritque, ut nihil niſi Verbum Dei prædicarent, quod ſi fecerint, ut ejus Majeſtas innocentiam ipſorum tueretur, ſin aliter, non contradicere ſe quin punirentur, & de hoc paratam eſſe Paternitatem Veſtram, & reſpondere, & audire melius docentem. ANNO 1526.

Ad ea Majeſtas ſua Regia Veſtræ Paternitati reſpondere mandavit: Satis compertum eſſe poteſt unicuique, quantis negotiis ejus Majeſtas involuta ſit hoc tempore in Regno & aliis dominiis ſuis, ita ut vix ad componendos motus & negotia harum Terrarum eripere ſe ad hoc exiguum temporis ſpatium, quo hic immorabitur, potuerit.

Et proinde nequaquam id præſtare poterit ejus Majeſtas, quod ipſe Illuſtris Princeps & Nepos ſuus chariſſimus poſtulat, cui Majeſtas ſua libenter in omnibus gratificaretur, & illi omnem honeſtatem exhiberet, optatque Majeſtas ſua, ut Veſtra Paternitas ejus Majeſtatem ita, ut audivit, & ut res eſt, excuſet.

Quod ad Prædicatores iſtos Paternitatis Veſtræ attinet, Majeſtas ſua Regia, poſtquam intellexit eos hic prædicare, ubi & Plebanus eſt legitimus, & alii Prædicatores ab eo conſtituti, prædicare vero nomine quidem & prætextu verbum Dei, re autem ipſa meram doctrinam apoſtaticam, & ſeditionem adverſus mandata & edicta Maj. ſuæ Regiæ, illos comprehendi fecit Majeſtas ſua, & caſtigari delato modo conſtituit.

Quæ res merito nihil ad Veſtram Paternitatem attinere debet, cum nondum a Sede Apoſtolica, ut mos eſt, in Univerſali Eccleſia ſit confirmata; hæc enim eſt vera vocatio a Deo, ſicut vocatus eſt Aaron, ab his, quibus Deus hoc munus commiſit, ungendus & ſanctificandus.

Quando vero Veſtra Paternitas poteſtatem habebit legitimam officium Pontificis exercendi, tum demum illud juxta Divina & Eccleſiaſtica inſtituta exercere poterit. Nam quod ad Verbum Dei attinet, illud Majeſtas ſua, tanquam Chriſtianus Rex, & omnes ſubditi ejus venerantur quidem & obſervant, ſed illud operculum fieri ſcelerum & inſolentiarum, ut nemo non videt, nequaquam Majeſtas ſua tolerare poteſt.

Et proinde ipſum Verbum Dei prædicari vult, non ut Apoſtatæ vel hi novi Evangeliſtæ ſuo ſenſu ac libidine exponunt, ſed ut illud intellexerunt Patres & Majores noſtri, a quibus illud per manus accepimus, & qui eidem Verbo fidem omnem fecerunt, vitaque & miraculis doctrinam ſuam confirmarunt, & illam tot ſæculis approbatam Nobis reliquerunt.

De quo neque Paternitas Veſtra, ut litterata, doceri opus habet, cum ſcri-

ANNO 1526.

ptum ſit, *ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui, & non plus ſapere quam oportet;* neque cenſet Majeſtas ſua ſatis pium & Chriſtianum diſputare, & pro libitu ſuo pronuntiare unumquemque de his, quæ dudum Univerſalis Eccleſiæ Decretis ſtatuta, & ab univerſis accepta ſunt & approbata, ita enim nihil unquam certi haberi poſſet, eſſetq; Eccleſia Dei ipſa Babylone confuſior, ut ſatis apparet in his locis & civitatibus, in quibus hæc peſtis radices ſuas egit, quæ ne dominia Majeſtatis ſuæ, ita ut alibi indigniſſime videt, occuparet, nullo modo pati nec admittere vult, ut quicquam tam in divinis, quam etiam humanis rebus hic & alibi in dominiis ſuis aliter, quam antiquitus traditum eſt, & quam omnes Reges & Principes Chriſtiani obſervant, innovari deberet. Et hæc eſt Majeſtatis ſuæ perpetua voluntas & reſponſionis ſumma.

CLXXIV.

Reſponſum nomine SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ*, ALBERTO *Duci Pruſſiæ datum de reſtituendis munimentis Ordinis Theutonici, de finium ordinatione, & de cudenda moneta.* Datum 23. Maji Anno 1526. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. ſub Lit. E. fol. 307.*

De literis Ordinis, quas Illuſtriſſima D. Veſtra attulit & legi fecit, gratias habet Majeſtas ſua Regia, & rogat Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, ut eas, quæ adhuc ſuperſunt, juxta inſcriptionem tradendæ, opportuno tempore mittere velit, ne quid eorum reliqui ſit, ex quibus difficultates aliquæ ſuboriri poſſent.

Verum quod Illuſtriſſima Dominatio Veſtra optavit addi in ſuis Literis feudalibus, & illas juxta neceſſitatem ſuam extendi, non eſt in præſens ejus Majeſtati ullo pacto integrum id facere, cum ejusmodi negotia pertineant ad Conventum Generalem Regni, quæ ſeorſum Majeſt. ſua nequaquam tranſigere poteſt. Verum in ipſo Conventu Generali, qui primum fuerit, curabit ejus Majeſtas his poſtulatis Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ ſatisfacere.

De ordinatione, quam Illuſtriſſima Dominatio Veſtra fecit, ſimul ac de moneta cudenda committere dignata eſt Majeſtas ſua Dominis Conſiliariis harum terrarum, cum Illuſtriſſima Dominatione Veſtra ſimul conſtituere, ita, ut melius videbitur communibus terris & ſubditis expedire.

Deſignabit etiam Majeſtas ſua Commiſſarios, ad revidendos & rectificandos fines & limites cum alibi, tum verſus Terram Samogitiæ, & tam de villa Coadjutenſi, quam etiam de aliis injuriis ac differentiis tranſigendum, quod negotium cenſet Majeſtas ſua eo lenius futurum, quod ad limites ipſos ſufficientes extant literæ & monumenta.

Quod autem Illuſtriſſima Dominatio Veſtra commemoravit debita, impenſas, & diminutionem proventuum ſuorum, meminit ejus Majeſtas idem fuiſſe per Illuſtriſſimos Dominos GEORGIUM Marchionem, & FRIDERICUM Ducem Lignicenſem anno ſuperiore Majeſtati ſuæ declaratum, & propterea ejus Majeſtatem conſenſiſſe ad pendenda quotannis Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ quatuor millia Florenorum ad ſtatum ejus relevandum, quæ Majeſtas ſua, licet alias graviſſimis ſumptibus & impenſis onerata ſit, ſolvere non prætermittet, & quidquid præterea favoris & beneficentiæ in Veſtram Illuſtriſſimam Dominationem præſtare poterit, id ſemper eſt quam libentiſſime factura: ſpem hanc habens, quod & illa ita ſe geret, & conſervabit erga eius Majeſtatem & Regnum ſuum, quemadmodum & decet, & ſe facturam Illuſtriſſima Dominatio Veſtra pollicetur.

CLXXV.

Aliud nomine SIGISMUNDI I. *Regis* ALBERTO *Duci Pruſſiæ Reſponſum, quo illum ab Hæreſi Lutherana dehortatur.* Datum 25. Maji 1526. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. ſub Litt. F. fol. 311.*

Illuſtriſſime Princeps.

Credit abunde S. Majeſtas Regia nonnihil eſſe de his, quæ adverſus Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram in Germania Dominus Magiſter Livoniæ indicavit. Nam & Majeſtas ſua certiſſimum habet documentum, & Urbe Roma, & Aula Cæſaris omnes indigno animo ferre, & peſſime interpretari ubique in Regnis & Dominiis Chriſtianis hanc cum Illuſtriſſima Dominatione Veſtra concordiam, quaſi adverſus Religionem Catholicam factam, ſugillatamque a pleriſque Majeſtatem ſuam, tanquam jam ab unitate Eccleſiæ divulſam, & labe hæretica contaminatam. Et cum Regum & Principum nulla ſit dos & felicitas major, quam

Anno 1526. quam gloria & fama inculpata, non libenter hanc de ſe exiſtimationem ejus Majeſtas audivit.

Non veretur tamen Majeſtas ſua notam, aut difficultates aliquas ratione Ordinis, qui jam prius alibi excludi & extingui ſolebat, Summo Pontifice & Cæſare ferente, ſperaretque Majeſtas ſua, ſi de illo ſolo ageretur, effici poſſe, ut & ipſe Pontifex & Cæſar ratum haberent ſucceſſu temporis.

Verum ſi quid erit difficultatis, erit magis cauſa & prætextu hæreſis, quæ tolerari diutius a Chriſtianis Principibus, & homines in ea inſolentia tanquam equos excuſſo fræno relinqui non poterint, ſine communi omnium errore & pernicie. Et proinde ſi quid agent cauſa Religionis adverſus Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, præſertim ex communi Decreto Summatum & Principum Chriſtianorum, quam in hoc caſu Majeſtatem ſuam adeſſe illi conveniret adverſus Religionem, poteſt ipſa ſecum ſatis conſiderare.

Propterea rogat plurimum ejus Majeſtas Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, & illi tanquam Pater Filio conſulit, ut ſpes ſuas non ædificet ſuper hoc fundamento, quod jam dudum, & nunc eſt ab univerſis tam Eccleſiaſticis quam Sæcularibus Poteſtatibus, Regnis, Dominiis & Univerſitatibus Chriſtianis damnatum & exploſum, ſed contineat ſe in his terminis fidei, quos Nobis Majores noſtri reliquerunt, donec Univerſalis Eccleſia de his diſſenſionibus, quas ſeditioſi homines excitarunt, diſpiciat. Sic enim & notam ignominiæ, & multas alias difficultates Illuſtriſſima Dominatio Veſtra declinare poterit, & facilior erit omnis cum Pontifice & Cæſarea Majeſtate actio, & apud illos impetratio.

Scripturam & Verbum Dei nec Majeſtas Regia, nec quiſquam Chriſtianus damnat vel oppugnat, ſed oppugnantur interpretationes Apoſtatarum, & abuſus Verbi Dei. Et ut non nova res ſit hæreſis, ita nulla fuit doctrina adeo inepta & impia, quæ non Scripturis niteretur, ſed ſuo ſenſu interpretatis, quæ ſi Eccleſia non moderaretur & dijudicaret, quid certi in fide haberi poſſet? Sed et Verbum Dei non Deus ſed homines ſcripſerunt, nec omnes ſunt recepti, homines etiam ipſum Verbum Dei tenere, & illi credere ſtatuerunt, & ſi Eccleſiæ Traditiones, ut humanæ, auctoritatem non haberent, nec Scriptura aliquam fidem habere poſſet, & proinde abſque conſenſu & unitate Eccleſiæ vera Fides & Religio conſtare non poteſt. Non conſiſtit Religio in hujus vel illius diſputatione, in qua ſibi quisque victor eſſe videtur, ſed in determinationibus eorum, qui in Cathedra Moyſi ſedent, & quibus Chriſtus obediendum præcepit. Nixi ſunt innumeri jam Hæretici, nixi & Reges ac Imperatores adverſus ipſam Cathedram, & authoritatem Eccleſiæ, quid tandem effecerunt? quam ſibi memoriam & utilitatem compararunt? manifeſtius eſt, quam oporteat explicari. Omnes enim, quicunque ab unitate Eccleſiæ defecerunt, vel ab infidelibus abſorpti ſunt, vel domeſticis ſaltem turbis & calamitatibus ſeſe confecerunt, & ignominioſiſſime perierunt. Anno 1526.

Et proinde rogat Majeſtas ſua Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, ut potius et de Scripturis aliisque rebus cum Sede Apoſtolica, cum Cæſarea Majeſtate, & Regibus Chriſtianis, cumque tot ſæculis approbatis moribus & conſuetudinibus, quam cum Apoſtatis, & nullius pretii hominibus congruat & conveniat.

CLXXVI.

Sigismundus I. *Rex Poloniæ ratam habet Inveſtituram Terrarum Pruſſiæ per Legatos Ejus* Alberto *factam.* Datum Gedani Anno 1526. Sabbatho ante Feſtum SS. Trinitatis. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Litt. NR. fol. 332.*

Manifeſtum facimus tenore præſentium, quia cum Anno ſuperiore miſiſſemus Mandatarios & Oratores noſtros Magnificum & Generoſos Georgium de Bayſſen Palatinum Margenburgens. & Neuens. Capitaneum, Joannem de Wieczwna Caſtellanum Plocenſem & Capitaneum Bratianenſem, & Achacium Czerne Succamerarium Pomeraniæ, ac Schlochovienſem Capitaneum ad tradendam noſtro nomine Inveſtituram ac poſſeſſionem Terrarum quarundam Pruſſiæ, quas in Feudum conceſſimus Illuſtriſſimo Principi Domino Alberto Marchioni Brandeburgenſi, & Duci in Pruſſia &c. ac illi retuliſſent ad Nos, Teſtimonium ipſius Inveſtituræ ac poſſeſſionis traditæ & juramenti ſubditorum illi præſtiti, Nos quoque teſtandum & declarandum duximus, ac præſentibus Literis noſtris teſtamur & declaramus, quod ipſam Inveſtituram & poſſeſſionem per præfatos Oratores noſtros traditam noſtro nomine, eidem Illuſtri Domino Alberto Duci & juramentum illi a ſubditis eius præſtitum ratum, gratum & firmum habemus, ac in poſterum & Nos, & Succeſſores No-

Anno 1526. ſtri Reges Poloniæ habituri ſumus eandem Inveſtituram & poſſeſſionem tenore præſentium confirmantes. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum eſt præſentibus appenſum. Datum in Civitate noſtra Gedanenſi Sabbatho proximo ante Feſtum Sanctæ Trinitatis, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, Regni noſtri Anno vigeſimo.

CLXXVII.

Auctio Privilegiorum Alberto *Duci Pruſſiæ per* Sigismundum I. *Regem Poloniæ conceſſa.* Datum Gedani ut ſupra. *Ex Archivo Regni Lib. DD. folio 818.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus *D*ux Lithvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, totiuſque Pruſſiæ, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniæ &c. *D*ominus, & Hæres, manifeſtum facimus tenore præſentium. Quia licet quaſdam Terras noſtras hæreditarias in Pruſſia Illuſtri Principi Domino Alberto Domino Marchioni Brandenburgenſi, & *D*uci in Pruſſia &c. jure feudali conceſſimus, in earumque poſſeſſionem illum per Conſiliarios noſtros induci fecimus, & ejus conceſſionis, ac articulorum & conditionum inter Nos tranſactarum illi ſufficientes noſtras litteras dedimus, in quibus præter alia etiam immunitates illi a Nobis conceſſæ ſunt deſcriptæ, tamen cum contractus cum illo per Nos factus velit, ut, ſi quidpiam in privilegiis illis contineretur, quæ Nobis reſtituit, & quibus renunciavit, quod huic ipſi contractui, & tranſactioni non repugnaret, ſed quod ipſi *D*uci ex Pruſſia, & terris ejus occaſione finium, & aliorum jurium & privilegiorum neceſſarium eſſet, quod id Nos ſub litteris & ſigillo noſtro denuo concedamus: ideo nonnullas infra ſcriptas, praerogativas & immunitates, prioribus litteris contentas, ejus Illuſtritati renovandas, addendas, & denuo concedendas duximus, & tenore præſentium concedimus, ita ſane, ut ipſe Dux Albertus ſimiliter, & Hæredes ejus terram conceſſam ab omni exactione & ſervitio, exceptis his, quæ nominatim in contractu concordiæ expreſſa ſunt, liberam teneat, ac immunem & coram nullo alio, ſi ratione ipſius terræ impeteretur, quam coram Nobis, aut Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ reſpondere teneatur, atque ut liceat eidem una ac hæredibus ſuis per totam terram nunc conceſſam, ad commodum ſuum paſſagia & telonea ordinare, ſecundum contractus præſcriptum, nundinas & fora ſtatuere, monetam cudere pro contractus formula. Talia, & alia jura taxare, directuras per terram in fluminibus, & in mari, ſicut utile viſum fuerit, ſtabilire. Denique juriſdictionem, poteſtatemque illam habeat & exerceat in terris ſuis, quam aliquis Princeps Regni noſtri melius habere dignoſcitur in terra, quam habet. Quatenus tamen id initæ concordiæ & contractui non adverſetur, ut bonos uſus & conſvetudines ponat, aſſiſias faciat, & ſtatuta, quibus omnes ejus ſubditi pace tranquilla gaudeant & utantur. Poſtremo concedendam etiam duximus & concedimus tenore præſentium ejus Illuſtritati, atque Nobilibus ſuis omnibus libertatem ducendi & tranſvehendi per Regnum & dominia noſtra terra vel aqua omnes & ſingulas res, quæcunque ad uſum & neceſſitatem propriam ejus Illuſtritatis atque eorundem Nobilium, non autem ad mercaturam exercendam, opportuna & neceſſaria fore videbuntur & his pariter omnibus, qui ex alienis provinciis commigrare vellent in terram & ditiones ejus Illuſtritatis, equeſtris duntaxat conditionis ſeu Nobilibus, liberam damus res omnes illorum proprias ſecum transferendi per Regnum & dominia noſtra, abſque ſolutione cujuslibet telonei, & citra ullum impedimentum, facultatem & prærogativam. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum eſt præſentibus appenſum. Actum & datum in Civitate noſtra Gdanenſi, Sabbato proximo ante Feſtum S. Trinitatis. Anno Domini 1526. Regni vero noſtri anno 22. Anno 1526.

CLXXVIII.

Sigismundus I. *Rex Poloniæ confirmat Privilegia Civitatis Gdanenſis.* Datum Gedani Anno D. 1526.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia inter egregia Regum & Principum facta ea potiſſima cenſentur, quæ de clementia & liberalitate proficiſcantur, ac ea, uti reliqua temporalia ſunt & fluxa, niſi literarum monumentis fuerint memoriæ commendata. Proinde Nos Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, nec non Terrarum &c.

Domi

ANNO 1526. Dominus & Hæres. Manifeſtum facimus tenore præſentium univerſis & ſingulis, præſentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quia cum Nos omnibus ſubditis noſtris iura, privilegia & immunitates eorum juſtas & legitimas manutenere conſuevimus, & Civitatem noſtram Gdanenſem pro ejus in Nos obſequiis & meritis cupimus non ſolum in ſtatu & regimine ſuo conſervare, verum etiam majori favore & beneficentia noſtra Regia ſemper augere & promovere, omnia & ſingula ejusdem Civitatis Gdanenſis vetera jura, privilegia, munimenta, libertates, immunitates, plebiſcita, ſtatuta, & quaſcunque alias conſuetudines laudabiliter introductas, & a Divis olim Regibus Poloniæ, cæterisque retroactis Principibus, Ducibus, & aliis Prædeceſſoribus noſtris, tam ſpiritualibus quam ſæcularibus, quibuſcumque titulis & dignitate inſignitis, & ſub quibuscunque verborum formis conceſſa ac impetrata, in omnibus & ſingulis ſuis punctis, clauſulis & articulis, quorum omnium & ſingulorum tenorem & ſeriem pro ſufficienter hic expreſſis habere volumus, confirmamus, ratificamus, approbamus & integramus, omniaque & ſingula in ipſis privilegiis & immunitatibus eorum contenta robur & firmitatem perpetuam obtinere volumus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum. Actum & datum in Civitate noſtra Gdanenſi Sabbatho proximo ante Feſtum Sanctæ ...... Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, Regni vero noſtri Anno vigeſimo.

CLXXIX.

Donatio perpetua oppidi & bonorum Hela Civitati Gedanenſi una cum vectigali, quod a mercatoribus in Portu Gdanenſi exigitur, facta per SIGIMUNDUM I. *Poloniæ Regem, ubi quoque de mercibus per naufragium ad littus delatis, & de bonis, quorum nulli extent hæredes, diſponitur in rem fiſci Regii.* Datum ut ſupra Anno eodem. *Ex Archivo Regni ſub Litt. DD. fol. 848.*

In Nomine Domini Amen.

Quia illa, quæ perpetua futura ſunt, literarum monumentis commendari ſolent; ideo Nos SIGISMUNDUS &c. manifeſtum facimus univerſis, præſentibus & futuris, quod cum in Civitate noſtra Gdanenſi primum ſeditiones inteſtinæ, deinde omnium divinarum & humanarum rerum perturbationes exortæ eſſent, & ob id in ſummo diſcrimine Civitas ipſa conſtitueretur, Nosque ad illam liberandam, & in priſtinum ſtatum reducendam, non ſine gravi incommodo & difficultate noſtra huc veniſſemus multoque labore & cura omnia divina & humana in veterem conditionem & ordinem gratia Omnipotentis Dei ad plenum reſtituiſſemus, cujus beneficentiæ noſtræ ſpectabiles Proconſules, Conſules, Scabini, ac tota Communitas Gdanenſis ſingularem rationem habentes, & ſuæ gratitudinis erga Nos perpetuum teſtimonium extare volentes, Nobis & poſteris noſtris omnibus Regibus Poloniæ, ultra hæc duo millia Florenorum Hungaricalium boni auri & juſti ponderis, quæ Nobis quotannis, vigore privilegiorum ſuorum, a Divo olim CASIMIRO Rege, Genitore noſtro chariſſimo dictæ Civitati conceſſorum, ſolvere tenentur, ſine quavis derogatione eorundem privilegiorum atq; jurium ſuorum, ſe ad quatuor millia marcarum Prutenicalium levis monetæ annuo ſolvenda obligaſſent, prout harum ſerie literarum mediante ſe obligant. Nos viciſſim ejus gratitudinis & obſequii erga Nos exhibiti grati exiſtentes, & dictorum Civium Gdanenſium bonum ſtatum ac continuum incrementum promovere, eosque de noſtra clementia conſolatiores reddere cupientes, præfatis Proconſulibus, Conſulibus, Scabinis, & univerſis Civibus Gdanenſibus oppidum & bona noſtra Hela nuncupata, quæ hactenus ſine privilegio Prædeceſſorum noſtrorum, tamen, ut aſſerebant in compenſationem aliorum bonorum ſuorum, quæ Sereniſſimus olim Genitor noſter Dominus Rex CASIMIRUS tunc Magiſtro Generali, ac ejus Ordini Theutonicorum in Pruſſia dederat, tenuerunt cum omnibus & ſingulis eorundem bonorum, juribus, proprietatibus judiciis, utilitatibus, proventibus, fructibus & emolumentis, quibuſcunque nominibus appellentur, quæ ſunt, aut etiam in poſterum fieri poſſunt, nullis exceptis, de certa noſtra ac Conſiliariorum noſtrorum, tam Regni noſtri Poloniæ, quam harum Terrarum ac Civitatum noſtrarum Pruſſiæ ſcientia, conſiiio & conſenſu, donanda & inſcribenda duximus, donamusque & inſcribimus jure perpetuo & hæreditario poſſidenda, tenenda, habenda et utifruenda. Præterea eidem Civitati noſtræ Gdanenſi ejusque univerſæ Communitati, eam pecuniam, quam ab omnibus et ſingulis mercatoribus ac negotiatoribus, undecun-

Anno 1526. cunque in portum Gdanenſem cum navibus et mercibus ſuis cujuscunque generis applicantibus, pro reſtauratione, conſervationeq; ejusdem portus ſui Gdanenſis antiquitus ſub vulgari eorum vocabulo pfœlgelt exigere et ſublevare conſueverunt, ex Regia munificentia noſtra et conſenſu prædictorum Conſiliariorum noſtrorum perpetuo conceſſimus, dedimus, donavimus, et per præſentes literas noſtras concedimus, damus, inſcribimus et approbamus, ita, ut a qualibet marca de omnibus et ſingulis navibus, rebus ac mercibus per hunc portum dictæ Civitatis, hinc quocumque mittendis et huc adducendis avehendisque duos denarios Prutenicales exigere, ſublevare, et in uſus ſuos beneplacitos nunc et inpoſterum convertere, ac pro Civitatis ſuæ commodo et utilitate applicare valeant. Prædicta vero quatuor millia marcarum, quæ ſolvenda Nobis perpetuo ſe obligarunt, hoc modo Nobis ſolvere tenebuntur, videlicet duo millia marcarum Pruthenicalium pro Feſto Annuntiationis S. Mariæ Dominæ noſtræ, alia duo millia marcarum pro Feſto S. Michaëlis, incipiendo primam ſolutionem a proximo Feſto Annuntiationis B. Mariæ, de anno futuro videlicet milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo, et deinceps ſingulis annis in perpetuum. Hanc præterea animi noſtri perpetuam voluntatem et deliberationem adjicientes, ut ſi quæ res, ſive merces, ex quocunque naufragio ad univerſum ejusdem Civitatis littus pervenerint, quas diſpoſitioni noſtræ et Succeſſorum noſtrorum reſervatas eſſe volumus et reſervamus, quod illæ res in fideli cuſtodia Burgrabii ac totius Magiſtratus Gdanenſis conſerventur tamdiu, quoad dominus aut hæres earundem rerum et mercium ex naufragio provenientium comparuerit, et illas jure repetierit, et dum cognoſcitur, quod hujusmodi merces in ſuo valore durare nequeant, habebit Burgrabius noſter Gdanenſis cum ipſo Magiſtratu poteſtatem eas vendere, et pecuniam inde provenientem aſſervare. Caſu vero quo tractu convenienti temporis nemo compareret, qui hujusmodi jus ſuum et res illas ad ſe pertinere poſſit docere, exnunc ipſe Burgrabius Gdanenſis ſimul cum Magiſtratu ibidem Nos de eis ipſis rebus informare, et certiores reddere tenebitur, ut Nos et Succeſſores noſtri de illis diſponere valeamus. Idem per omnia obſervari debet in bonis caducis ſine legitimis hæredibus poſt obitum relictis, et ad Nos ex Superioritate noſtra devolutis, quæ pariter fidei et curæ Burgrabii ac totius Magiſtratus Gdanenſis committimus, et diſpoſitioni noſtræ et Succeſſorum noſtrorum reſervari volumus, et reſervamus modo præmiſſo. Reliqua omnia, quæ alias ipſi Civitati Gdanenſi per Prædeceſſores noſtros donata ſunt, et ei provenire ſolebant, eisdem ſubditis noſtris Gdanenſibus pleno jure relinquentes. In quorum fidem etc. Datum præſentibus etc. Anno 1526.

CLXXX.

Edictum Sigismundi I. *Regis, quo Gedanenſibus prohibetur lectio librorum hæreticorum.* Datum Gedani Anno 1526. infra Octavam Viſitationis B. V. M.

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae &c. manifeſtum facimus per præſentes univerſis. Quia innitentes tum noſtris prioribus, tum etiam aliorum Regum & Principum Chriſtianorum Edictis ac Decretis mandamus omnibus & ſingulis in hac Civitate noſtra Gdanenſi exiſtentibus, vel in poſterum futuris, ſub pæna exilii & confiſcationis bonorum omnium, ut libros omnes Lutheranos, & aliorum hujus farinæ, nec non picturas, cantilenas & libellos famoſos in ignominiam & ſugillationem Eccleſiaſticorum vel ſæcularium, a ſummo ad infimum inſolenter emanatos, per quos potiſſimum, tam in divinis quam etiam humanis rebus, tot ſeditiones excitatæ & mala perpetrata ſunt, prout in multis regionibus Germaniæ cum maximo & inæſtimabili rerum & hominum damno eſt comprobatum, quilibet id, quicquid eorum habeat, ad officium Magnifici Petri Kmitha de Viſznice Mareſchalci Curiæ noſtræ & Scepuſcienſis atque Premiſlienſis Capitanei, cui provinciam hanc demandavimus, intra ſex dies videlicet ad Feriam ſextam proximam apportet, & illi, aut cui ipſe commiſerit, fideliter tradat, neque deinceps talibus libris, aut picturis vel cantilenis uti quispiam audeat, aut illa apud ſe retineat, ſub pæna prædicta. Datum in Civitate noſtra Gdanenſi intra Octavam Viſitationis Dominæ noſtræ Sanctæ Mariæ. Anno Domini MDXXVI. Regni noſtri Anno vigeſimo.

CLXXXI.

Conſtitutiones a Sigismundo I. *Rege pro Prutenis latæ.* Actum Gedani Anno Dom. 1526. Feria tertia poſt Feſtum Diviſionis Apoſtolorum. *Ex Archivo*

ANNO 1526.

vo Regni Lib. ſub Litt. SS. fol. 136.

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis. Quia conſulere volentes multiplicibus erroribus & abuſibus, qui cum in divinis, tum etiam humanis rebus inoleverant in Terris & Civitatibus noſtris Pruſſiæ venimus huc ad eaſdem Terras, omnibus aliis negotiis noſtris intermiſſis, & Auſpice D. Deo recte omnia, quæ reformatione indigebant, confecimus. Præterea etiam ad futurum deinceps bonum regimen, Conſtitutiones & Ordinationem opportunam in ipſis Terris relinquere operae pretium eſſe duximus. Proinde de conſilio & conſenſu omnium Conſiliariorum & Nunciorum Communitatis tam Militaris, quam etiam Civilis Ordinis, infraſcriptas Conſtitutiones edidimus & promulgavimus.

Inprimis quisque Palatinus habeat apud ſe exemplum ſeu copiam Privilegii Terrarum Pruſſiæ, & illud unicuiq; petenti oſtendat, & coram eo legi faciat, quod Nos manutenere, & ſecundum ipſius tenorem, Dignitates, Officia, & Capitaneatus ſolis indigenis conferre dignabimur.

Cæterum cum Jus Culmenſe, quo potiſſimum Pruſſia utitur, ſcripturis ſaltem autenticis nusquam reperiatur eſſe ſancitum, multaque propterea oriantur incommoda, Venerabiles, & Egregios devote Nobis Dilectos Tidemannum Giſe Cuſtodem & Canonicum Varmienſem, Matthiam Slewniczki, Canonicum Gneſnenſem, Achatium Frenut Canonicum Varmienſem, Franciſcum Soldaw & Philippum Holkner deſignavimus, ut hoc anno ad Calendas Octobris Mariemburgi conveniant, & ejusmodi Ius cum ejus Conſtitutionibus paſſim colligant diligenter, conſcribantque, ut deinde Typis excuſſum & evulgatum ad omnium notitiam perveniat, firmiterque a cunctis obſervetur.

Judicia autem Terreſtria in ſingulis Palatinatibus quotannis bis ſerventur, ita ut in Palatinatu Culmenſi primum Iudicium Feria 3. poſt Dominicam Quaſimodogeniti, ſecundum autem Feria 3. poſt Lamperti celebretur. In aliis autem Palatinatibus juxta veterem conſvetudinem celebretur, ex quibus quidem Judiciis Terreſtribus Appellationes ordinarie fiant ad Conventus Generales Terrarum Pruſſiæ. A Conventibus autem Generalibus ad Regium Tribunal noſtrum, donec alterutra partium conformes ſententias obtinuerit.

Ut autem frivolæ, & temerariæ Appellationes nonnihil cohibeantur, quisquis a Iudicio Terreſtri ad Conventum Generalem appellaverit, tres Marcas ad Iudicium reponat. Si vero a Conventu Generali ad Nos appellatum fuerit, ſex Marcæ deponantur & ſi appellans coram Iudice appellato ſuccubuerit, in uſum publicum Iudicii, in quo erant repoſitæ, cedant; alioquin parti reſtituantur. ANNO 1526.

Nec Palatini judicent cauſas ad Jus Terreſtre ſpectantes, niſi de conſenſu partium, et provocantes ad Iudicium Terreſtre remittant; exceptis cauſis jeiunioribus, quæ videlicet valorem decem marcarum non excedant. Hæc quidem ſine ſtrepitu judicii de ſimplici & plano ab eis componi poſſunt. In cauſis autem ſanguinis, & de facto recenti deprehenſis, indilatam juſtitiam miniſtrent: nec Partes contendentes ad componendum amice inter ſe controverſiam cogant, nec exigant ullas poenas, niſi per Iudicium decretas. Quarum poenarum tertia pars Iudicio Terreſtri, reliquæ duæ partes Palatino loci cedant.

Palatini, & Capitanei citati tam in Iudicio Terreſtri, quam Conventuum publicorum reſpondere ſunt obligati, exceptis actionibus ſuper bonis noſtris Regalibus emergentibus. Capitanei autem juxta continentiam Privilegii Terrarum Pruſſiæ ſint Indigenæ Poſſeſſionarii, ratione quarum poſſeſſionum ſuarum ſint Iudicio Terreſtri ſubiecti.

Statuimus præterea, ut communibus Conſiliariorum votis Notarius Terreſtris Nobilis poſſeſſionatus, linguas neceſſarias callens, & alias ad hoc Officium eligatur, qui, cum juratus fuerit, excluſis tam Eccleſiaſticorum Prælatorum, quam Civitatum ac aliorum Notariis, ſolus ſecretorum conſiliis & Conventuum publicorum Iudiciis interſit, literas, & acta judicialia diligenter conſcribat ac jura partium in Iudicio producta fideliter cuſtodiat.

Ut autem temerariæ lites amputentur, Commiſſarios ſive Judices delegatos non deputabimus in cauſis ad Judicium Terreſtre ſpectantibus, & minus in eo jam pendentibus, niſi per Appellationem ordinariam, de qua ſuperius dictum eſt, a ſententia definitiva ſeu interlocutoria jam lata ad Tribunal noſtrum devolutæ fuerint; exceptis cauſis limitum bonorum noſtrorum Regalium, nec Iudices delegatos, ſeu Commiſſarios, a quibus ſemel appellatum eſt, in eadem cauſa denuo deputabimus, aut cauſam ad illos remittemus. Non enim veri ſimile aut honeſtum videbatur, quod Iudex priſtinam

ſuam

ANNO 1526. ſuam ſententiam retractet, aut aliter judicet, quam ante judicaverat.

Conventus autem publici ſeu generales juxta proximam Ordinationem noſtram in Pruſſia quotannis celebrentur. Verno videlicet tempore Derſaviæ ad diem S.Staniſlai, tempore Autumni in Graudenz, ad diem S. Michaëlis. Conventus autem peculariter per Nos inſtituendus, locum & diem ex noſtro arbitrio ſortietur.

Ad prædictos Conventus omnes cauſæ tam ex Civitatibus, quam Judiciis Terreſtribus per Apellationem devolvantur, et etiam ſine ſpeciali Commiſſione noſtra judicentur. Deinde vero, et non antea, ad Supremum Tribunal noſtrum remittantur, parte provocante, cui ad proſequendam Apellationem a Judicibus legitimus terminus præfigatur. Quam Appellationem, ſi intra unius anni ſpatium non proſequeretur, prior ſententia juxta juris diſpoſitionem in rem tranſeat judicatam, et executioni demandetur.

Ante Conventum vero publicum, per Nos et Succeſſores noſtros ſingulariter inſtituendum, in ſingulis Palatinatibus, Culmenſi videlicet, Mariæburgenſi et Pomeraniae, fiat Nobilitatis conventio particularis, ad quam ſecundum morem antiquum Palatini ex ſingulis diſtrictibus Palatinatus ſui ad aliquem locum convenient, ut Nuntii ad hujusmodi Conventum mittendi eligantur. Qui autem vocatus non comparuerit, duarum marcarum pretium pendet, cujus medietas Palatino ejus loci, altera vero medietas aerario publico proveniat.

At cum fruſtra ferantur judicia, niſi legitimae executioni demandentur, volumus, et irrefragabili conſtitutione ſancimus, ut deinceps unusquiſque, cujusvis conditionis vel eminentiae fuerit, rei judicatae ſine omni contradictione cum effectu pareat et obſequatur. Alioqui locorum Palatini, nullo alio a Nobis mandato expectato, legitimam executionem faciant, adjuncto ſibi, ubi cauſae conditio poſtulaverit, Capitaneo et Nobilibus illius Diſtrictus, aut etiam, ſi neceſſitas exegerit, omnibus et ſingulis noſtris Vaſallis ſeu Nobilibus illius Palatinatus, quos ad aſſiſtendum illi ſub jurisjurandi debito, et amiſſione Feudorum obligatos eſſe decernimus. Si vero majori potentia ſit opus, negotium ad Nos referri volumus, ut opportunis rationibus rebus provideamus. Palatinos ſimiliter ad hujusmodi executiones faciendas, juſtitiamque oppreſſis adminiſtrandam, jusjurandum Nobis praeſtitum adigat. Quos etiam, ſi remiſſiores fuerint, 50. Florenorum Hungaricalium pœna plecti volumus. Cujus mulctae medietas parti, cui juſtitia denegata eſt, altera vero medietas aerario publico Terrarum Pruſſiae cedat. Ubi autem quis executioni reſiſtere convictus fuerit, pœna banni ſive proſcriptionis ac bonorum confiſcatione puniatur, ex quibus bonis parti laeſae primum fiat ſatis, quod reliquum fuerit, Fiſco applicetur. ANNO 1526.

Statuimus praeterea, ut nullus Capitaneus, Nobilis, Civis, aut quivis alius, cujuscunque conditionis exiſtat, perſonis, caſtris, domibus, aut poſſeſſionibus alicujus ullam violentiam inferre, incurſiones facere, in publicis ſtratis inſidias ponere praeſumat. Alioquin ſuper his convictus, juxta antiquum Plebiſcitum Terrae Culmenſis capitali pœna puniatur.

At cum aliquis Nobilis Decreto publici Conventus, Judicio Palatinorum, aut Terreſtri capitur: ſub certis pœnis in poteſtatem aut carcerem civilem non tradatur, ſed ad manus Palatinorum. Si quis autem in civitate, ubi nulla arx eſt, capiatur, et authoritate Conventus, Palatinorum, Judicii, in carcerem civilem conjiciatur; in poteſtate eorundem, et non civitatis, permaneat. Fidejuſſoria tamen cautione a carcere hujusmodi liberetur, niſi cauſa fuerit criminalis; alioquin ſub pœna viginti Florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti laeſae cedat, abſque ulla remiſſione perſolvenda. Nobiles et eorum ſubditi authoritate ſeu poteſtate civili non capiantur, detineantur, aut arreſtentur: nec viciſſim Nobiles authoritate propria capiant aut detineant cives, aut eorum ſubditos: ſed unusquiſque eorum Judicio ſuo ordinario conveniatur, et juſtitiam requirat.

Praeterea ne in fluminibus Pruſſiae, praeſertim navigabilibus, et item Fethes, Brce et Bda, ac etiam Redae in Diſtrictu, Puczkovienſi obſtacula fiant: ut tam piſcibus, quam navibus et lignis liber tranſitus permittatur, niſi quis ſpeciale privilegium ſuper hoc habuerit.

Nobiles autem, qui habent privilegium piſcandi in lacubus noſtris Regiis, & teſtibus fide dignis probare poſſunt ſe fuiſſe in poſſeſſione piſcandi, & quorum vel limites, aut ager ſtagnis noſtris Regiis adjacet; his quidem piſcatio permitti debet, ſed parvis retibus duntaxat ad uſum, & menſam eorum propriam: non autem ad vendendum. Ea tamen conditione, ut retia caſtrenſia primos in hyeme habeant tractus, & quod tempore, quando piſces, qui Germanice Breſſen, Polonice vero Leſzcz

ANNO 1526. Leſzcz vocantur, ſemen aut fœtum emittunt, nulli liberum ſit in lacubus noſtris Regiis piſcari, ne hujusmodi piſcium fœtura in augmentando impediatur.

Præterea ut Eccleſiaſtici bona terreſtria, Eccleſiis adſcribenda & approprianda, ſive incorporanda, abſque ſpeciali conſenſu noſtro, a modo nonniſi a ſuis Vaſallis emant, nec obſequia Nobis ex ipſis debita intereant, pro ſe vero privatim illa emere poſſunt, quæ ſi in vita ſua non alienaverint, aut cuipiam non donaverint, ad eorum propinquos & conſanguineos devolvantur.

Similiter nec civis aut ignobilis quiſpiam bona terreſtria emat. Si vero jam empta poſſideat, non per conductitias perſonas, ſed propria ſervitia, ſeu obſequia debita, ad bellicam expeditionem de ipſis ſub eorundem amiſſione præſtet.

Nec omnino liceat a modo ruſticis feras in nemoribus venari, nec laqueos in ſylvis & agris ponere, canes aut retia venatoria habere: alioquin in poteſtate Dominorum ſit, bombardas, canes & retia hujusmodi auferre, & pro qualitate exceſſus mandatum prævaricantes in decem marcas pecuniæ Domino fundi applicandis, toties, quoties punire, exceptis foſſis pro luporum captura, quas tamen ſine præjudicio cujusvis quilibet cum conſenſu Dominorum ſuorum habere poteſt. Simili modo nec Palatini, Capitanei, aut Nobiles alter in alterius fundo, absque voluntate Domini fundi, venari, nec in ſylvis feras domare, aut cicurare debet, quod Klopſen vocant, ſub amiſſione retium, equorum & curruum. Bombardis nemo omnino nec in propriis, nec in alienis ſylvis ſub pœna 100. Florenorum Hungaricalium, irremiſſibiliter ſolvendorum, a modo utatur. Cujus mulctæ medietas Nobis, altera ærario publico Terrarum Pruſſiæ proveniat.

Volumus item, ut in Conventu Generali proximo per univerſos Conſiliarios harum Terrarum omnium rerum vendibilium æſtimatio & juſti pretii conſtitutio fiat: utque diligentior reſpectus ad menſuras & omnia pondera habeatur, ut dolus ac deceptiones malitioſæ vitari poſſint.

Item ut Palatini & Capitanei diligenter fines terrarum obſervent, ne prædones et graſſatores ingrediendo & egrediendo impune graſſentur.

Item, ne ruſtici cum cuſpidibus, lanceis, gladiis, aut ſimilibus armis publice aut privatim incedant, easque deferant, niſi a Dominis ſuis ad venationem vocati fuerint.

Diſtrictius etiam inhibemus, ne Poloni a modo ab opificiis civitatum quarumlibet arceantur: ſed pari conditione cum Germanis & aliis Nationibus admittantur, non obſtantibus hujusmodi opificiorum contrariis conſtitutionibus, ſub pœna 50. Florenorum Hungarical. qui eos non receperint infligenda, perque loci Capitaneum pro fiſco Regio exigenda. ANNO 1526.

Ex quo item multorum querimoniis accepimus, quosdam Officialium noſtrorum, præſertim Tucholienſis, prætextu Mandati prohibitorii de invectione ſalis peregrini in Poloniam, innocentibus, ſi quando finibus terræ appropinquent, ſalem adimere. Quod, quia iniquum eſt, ſub gravi indignatione noſtra prohibemus, ne de cætero cuipiam adimatur, niſi ultra fines transgreſſo.

Nobiles præterea Diſtrictus Słochow inſtar ruſticorum, ut ligna ad arcem ducant, aut alia ſervitia ruſticalia faciant, cogi nolumus, ſed antiquam conſuetudinem ſervandam eſſe decernimus.

Ad præcludendas autem varias hinc inde obloquendi vias & controverſiarum occaſiones, quæ ſolent oriri a civitatibus & oppidis contra Nobiles, & tabernatores tam ſæcularium quam ſpiritualium, qui coquunt, & aliis per tunnas vendunt cereviſiam, ita ordinatum eſt, quod Nobiles pro utilitate eorum propria coquere libere poſſunt ipſam cereviſiam. Et ſi quid ex illa eis ſuperabundaverit, id vendent ad ſuas tabernas, verum negotiationem cereviſiæ non exerceant, quod ſtatui eorum foret indignum. Tabernatores vero, qui ultra milliare diſtent ab oppidis vel civitatibus, & qui habent in ſuis privilegiis facultatem coquendi cereviſiam, coquere illam poſſunt, quantum ad propinandum in eorum tabernis ſufficiet, nequaquam tamen per integras vel medias tunnas vendendi ipſam cereviſiam poteſtatem habeant, ſub pœna 10. marcarum toties, quoties huic Conſtitutioni contravenerint, ſolvendarum.

Cum etiam mercatores, & præſertim peregrini ſive exotici homines, in Nobilitatis ac civitatum injuriam pelles, frumenta, humulum, linum, & alia mercium genera in villis & pagis clam & publice coëmere, et negotiationes illicitas exercere ſoleant, authoritate noſtra Regia firmiter prohibemus, ne id de cætero fiat. Statuentes, ut deinceps ſubditi Dominorum merces et res ſuas vendibiles in proximas civitates ducant, et in foro publico venales exhibeant, legitima tamen Dominorum ſuorum cum pellibus ferarum et beſtiolarum ſylveſtrium habita ratione. Alioqui emptoribus equos et

BIBLJOTEKA w Wilnie. im. Wróblewskich

ANNO 1526. et currus, venditoribus autem res venditas a Præfectis noſtris adimi et confiſcari volumus.

Mandamus inſuper, et ita omnino habere volumus, ut Palatini debitores decimarum aratralium, et quorumvis Eccleſiaſticorum proventuum, cenſuras contumaciter ſuſtinentes, ad hujusmodi debitorum ſolutionem remediis opportunis compellant, ne Eccleſiaſtici proventibus ſibi debitis fraudentur.

Poſtremo ad tollendum errorem et incommoditatem ex varietate, vilitate et a-adulteratione monetæ provenientem, unanimi conſilio decretum et conſultum eſt, ut abolita in Pruſſia moneta veteri, triplex nova ſub noſtris et Terrarum Pruſſiæ inſigniis cudatur, videlicet groſſi, ſolidi et oboli ſive denarii, ita, ut viginti groſſi unam marcam, quadraginta autem groſſi, five duae marcæ Florenum Hungar. conſtituant. Tres vero ſolidi groſſum, et ſex oboli ſolidum. Sitque ea moneta in grani valore et æſtimatione par Polonicæ, et ſimiliter nova cudenda eſt, æqualiter proportionata, ut ſcilicet groſſus Polonicus Pruthenicum æquet, et ſolidus ternarios duos, obolus vero obolum valeat. Curratque hujusmodi moneta Pruthenica Regio Edicto per totum Regnum, Maſoviam et Lithuaniam: hoc tamen Illuſtris Pruſſiæ Dux uſque ad Feſtum S. Martini proximum in deliberationem accepit.

Quæ omnia et ſingula, ut præmiſſa ſunt, in omnibus ſuis punctis, conditionibus et articulis rata et firma eſſe volentes, de certa noſtra ſcientia et deliberatione, conſenſuque tam Conſiliariorum noſtrorum Status utriusq;, quam etiam Nuntiorum omnium terrarum noſtrarum Pruſſiæ ſtatuimus et decernimus robur debitæ firmitatis habere debere, harum teſtimonio literarum, quibus ſigillum noſtrum eſt appreſſum. Actum et datum in Civitate noſtra Gedanenſi Feria tertia proxima poſt Feſtum Diviſionis Beatorum Apoſtolorum, Anno Domini 1526. Regni noſtri Anno 20.

CLXXXII.

Decretum SIGISMUNDI I. *Poloniæ Regis, quo inhibetur Thorunenſibus, ne merces perſonarum Eccleſiaſticarum & Militarium, Gedanum, vel ultra deportandas, detineant.* Datum Gedani An. Dom. 1526. Feria tertia poſt Feſtum Diviſionis Apoſtolorum.

Ex Arch. Reg. ſub Lit. SS. fol. 155. ANNO 1526.

SIGISMUNDUS &c. Significamus tenore praeſentium univerſis. Quia cum multoties ſubditi noſtri omnis ſtatus, & ordinis Regni ac Dominiorum noſtrorum Nobis graviter queſti eſſent, quod cives Thorunenſes adverſus jura communia Regni noſtri prohibent tranſitum et navigationem per Viſtulam verſus Gedanum, retinentes apud Civitatem ſuam ſtrues, ſcaphas, et alia id genus navigia cum frumentis et aliis rebus, quæ ex Regno noſtro verſus mare demitti ſolent, Nosque ad eam querimoniam ſubditorum noſtrorum citari ad Nos ad Conventum Generalem Piotrcovienſem feciſſemus ipſos cives Thorunenſes, auditisq; propoſitionibus adverſus illos ſubditorum noſtrorum, illis vero per ſuum Procuratorem ſe vigore Privilegii Terrarum Pruſſiæ petentibus in ipſis Terris Pruſſiæ, et cum earum Conſiliariis judicari, cauſam et controverſiam hanc ad Conventum Marienburgenſem noviſſimum ſuſpendiſſemus, prorogando illam demum uſque in Civitatem Gedanenſ., ubi cum Conſiliariis utriusq; Status, tam Regni quam etiam Terrarum Pruſſiæ, propoſitionibus et reſponſis utrinque diligenter auditis et examinatis, videlicet ex parte Regnicolarum, non ſolum veteres concordias et ſtatuta, ſed etiam ſententiam diffinitivam in Conventu Generali Radomienſi per Sereniſſimum olim ALEXANDRUM Regem Fratrem noſtrum factam adverſus ipſos Thorunenſes, et pro libertate Regnicolarum noſtrorum demittendi libere frumenta et res omnes Gedanum uſque, ex adverſo vero Thorunenſibus, vetus ſuum privilegium producentibus, allegantibusque ſententiam dicti Sereniſſimi olim ALEXANDRI Regis factam fuiſſe abſentibus Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ, et non vocatis his, quorum intererat, hisque et aliis multis allegationibus et reſponſis hinc inde factis, Nos cum toto Senatu noſtro diligenter examinatis, talem ſententiam protulimus et proferimus præſentibus literis noſtris: Quod cum cives Thorunenſes non habeant in privilegio ſuo, niſi emporium ad res et mercimonia mercatorum et vectorum apud ſe ſiſtendi, Ordo vero ſpiritualis et militaris, cum alibi ubique, tum vero in Regno noſtro liber eſt ab omnibus hujusmodi emporialibus legibus, non debeant deinceps perpetuis temporibus cives Thorunenſes ullius vel Eccleſiaſticæ vel militaris perſonæ frumenta et alias quaſcunque res ſtruibus, ſcaphis et aliis hujusmodi eorum

Anno 1526. rum navigiis impoſitas, et verſus mare demiſſas apud ſe continere, ſed liberam navigationem unicuiq; ex prædictis duobus Ordinibus ſpirituali et militari permittere, ut quisq; pro arbitrio et libitu ſuo vel apud illos conſiſtere, vel Gedanum navigare poſſit. Quod vero ad mercatores, vectores et civitates ac oppida Regni noſtri attinet, licet Decretum Sereniſſimi olim Regis ALEXANDRI pro omnibus in Conventione ſubditis noſtris ſit factum; tamen quia ex parte Thorunenſium allegatum ſit, non interfuiſſe Conſiliarios Terrarum Pruſſiæ, nec vocatos eos quorum intererat, ne quid niſi debite & exacte diſcuſſum & examinatum decerneremus, aut ullam occaſionem relinqueremus de Nobis conquerendi, adhuc cauſam ad Conventum Generalem Regni proxime futurum inter ipſos Thorunenſes & civitates ac oppida, vectoresque & negotiatores Regni noſtri ſuſpendimus, terminumque utrique parti, ſimul & Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ ac aliis omnibus, quorum intereſt, ad duodecimam diem poſt ingreſſum noſtrum ad locum ipſius Conventus, diem ingreſſus excludendo, præfiximus, & præfigimus præſentibus literis noſtris, mandantes illis, ut pro eodem die in dicto Conventu Generali peremptorie compareant, alioquin, ſive comparuerint, ſive non, Nos illud, quod æquum & juſtum erit, decernemus, interim tamen ſalvo utriuſq; partis jure permanente. Mandamus item Thorunenſibus ipſis, ut hoc Decretum noſtrum pro Ordine Eccleſiaſtico & militari latum deinceps perpetuis temporibus firmiter obſervent, & nullo pacto illi unquam contravenire audeant, ſed ut omnes, tam Eccleſiaſticos quam militares, ſive frumenta & alias eorum res quascunque cum ſervis & procuratoribus ipſorum libere navigare & præterfluere, quo velint, permittant. Pro gratia noſtra non aliter facturi, harum, quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum in Civitate noſtra Gedanenſi, Feria tertia proxima poſt Feſtum Diviſionis Beatorum Apoſtolorum, Anno Domini 1526. Regni noſtri Anno vigeſimo.

CLXXXIII.

Statuta & Ordinationes a SIGISMUNDO I. *Poloniæ Rege Gedanenſibus latæ, tam in his, quæ rem Eccleſiaſticam, quam quæ bonum ordinem concernunt.* Datum Gedani Feria tertia proxima ante Feſtum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Anno Domini 1526. *Ex Archivo Regni Lib. 28. ſub Litt. DD. num. 29. fol. 824.* Anno 1526.

Manifeſtum facimus univerſis & ſingulis: Quia cum accepiſſemus, in Civitate noſtra Gedanenſi primum factiones inteſtinas, deinde ſeditiones & tumultus populares excitatos, ac ingentia facinora commiſſa, dogmata & Religionem damnatam invectam, Deum ac Sanctos blaſphematos, Templa ſpoliata, Ordinem Eccleſiaſticum abactum, jurisdictionem omnem DD. Epiſcopi Loci Ordinarii exploſam, Sacra omnia profanata, Proceres, Præfectum & Officialem noſtrum ejectum, Conſules exauctoratos, Regimen Civitatis inverſum, Nuntios & Mandata noſtra contempta, adverſus Proceres & Conſules noſtros primarios, quos ad diſponendam ipſam Civitatem in adventum noſtri præmiſeramus, tumultum & inſidias eſſe ſtructas, & alia nefanda perpetrata. Ac proinde volentes Nos in tantos exceſſus læſæ Majeſtatis divinæ & noſtræ, ut juſtum & Chriſtianum Principem decet, animadvertere, & ipſam Civitatem noſtram tam enormiter lapſam in priſtinum ſtatum reſtituere, cum veniſſemus huc ipſi, omnibus arduis negotiis prætermiſſis, eaque omnia & plura his, quæ fama didiceramus, facta comperiſſemus; cunctis tamen Ordinibus Civitatis errorem ſuum recognoſcentibus, ſeſeque in omnibus tam divinis quam humanis rebus in gratiam & poteſtatem noſtram dedentibus, ac humiliter Nobis ſupplicantibus, ut culpam ſibi hanc remittere, et Civitatem a tanto præcipitio liberare dignaremur, viciſſim fuit clementia dignum, ut potius ſalutarem Medicum, quam ſeverum Vindicem tantorum malorum ageremus, ut videlicet his, quæ noxia forent ejus corpori, partim præciſis, partim vel longius ablegatis, reliqua membra opportunis remediis curata ita conſolidaremus, ut rurſus in exitialem morbum recedere non poſſint: ac inprimis, divino opitulante favore, Religione Sancta Catholica, Templis, Monaſteriis, Ceremoniis, Jurisdictione Epiſcopi, ac omni ordine, omnibusque rebus divinis in priſtinum ſtatum reſtitutis, deinde creato Magiſtratu, accepto ab illo & univerſa Communitate ſolenni homagio & juramento, refecto omni Ordine Civitatis, punitis aliis, aliis vero, prout melius ex re videbatur, proſcriptis, denique omnibus reſtauratis, infraſcripta Mandata & Conſtitutiones noſtras ad ea omnia & ſingula, quæ hic

Anno 1526. hic ſtatuimus & ordinavimus, manutenenda, edidimus & promulgavimus.

Ac inprimis, quia Traditiones Eccleſiaſticæ, ut a Majoribus noſtris Orthodoxis proditæ ſunt, ſervari debent: quas ſi cuilibet expendere, mutare vel abrogare, cuilibet Scripturam pro ſenſu ſeu libidine ſua interpretari liceret: nihil certi non in Religione ſolum, ſed in humanis quoque rebus, quæ hoc freno diriguntur, haberi poſſet: ut jam obſcurum non eſt, quos fructus edat novata Religio, quas & quales normas & præcepta tradant ipſi arbitratu ſuo, qui in ritus & inſtituta Eccleſiæ Catholicæ debeacchantur. Statuimus, ut deinceps uſus antiquus Religionis & ceremoniarum, tot ſæculis in omnibus Regnis & Dominiis Chriſtianis obſervatus, & a Majoribus noſtris per manus nobis traditus, ac per Nos, ut Principem Chriſtianum decet, commode reſtitutus, diligenter in hac Civitate & in omnibus Eccleſiis obſervetur. Quem ſi quis vituperare, aut illi detrahere præſumpſerit, debito modo convictus, puniatur. Cui autem juxta veterem Religionem et normam Univerſalis Eccleſiæ, ac Conſtitutiones noſtras, vivere non placuerit, is intra duas hebdomadas poſt Edictum publicum Civitate exire, et alio commigrare poterit, nunquam deinceps reverſurus, alioqui ultra hunc terminum adverſus Conſtitutiones noſtras vivens, ſupplicium capitis non evadet.

Statuimus item, ut omnes et ſinguli Monachi, Moniales et Sacerdotes Apoſtatæ, aliæque perſonæ Sacris addictæ, quæ contra Profeſſionem ſuam, et contra fidem Deo præſtitam ad connubium et nuptias deſciverunt, et prima vota irrita fecerunt, ſectas et doctrinas ab Eccleſia Catholica damnatas profitentes in ſcandalum et perturbationem Chriſti fidelium, et in dedecus Ordinis Eccleſiaſtici, intra diem naturalem ſeu 24. horas, ab editis publice præſentibus Conſtitutioninibus noſtris, ex hac Civitate diſcedant, et nunquam huc deinceps revertantur, ſub pœna ultimi ſupplicii.

Ne autem oves Paſtoribus ſuis legitimis orbatæ neſciant, cujus vocem ſequi debeant, ſtatuimus, quod quilibet Parochus in hac Civitate, a termino ſibi congrue praefixo apud Eccleſiam ſuam reſideat, officiumque et munia ſua obeat. Qui vero idoneus non fuerit ad concionandum et docendum populum, ſervare teneatur cum ſcientia et conſenſu Conſulatus et Officialis D. Epiſcopi Concionatorem doctrinæ et vitæ probatæ, qui ſincerum DEI Verbum juxta ſenſum et intellectum Sanctorum Doctorum et Eccleſiae Catholicae, non juxta commenta et interpretationes Apoſtatarum docebit. Qui autem ex Plebanis ſecus fecerit, is per D. Epiſcopum legitime privetur, et alius a Patronis præſentatus ſufficiatur. Anno 1526.

Et quia nunc ſolent plerique temere ſeſe ad concionandum ingerere, et prætextu tritici Verbi Dei zizania ſeminare: ſtatuimus, ut nullus deinceps intra et extra Civitatem, quibuscunque in locis, tam ſacris et monaſticis, quam etiam profanis, tam publicis, quam privatis et ſecretis docere et concionari audeat, vel ad docendum et concionandum aliquem admittat, ſtatuat et conducat; niſi cum ſcientia et examine de vita et doctrina ipſius Concionatoris, per Conſulatum et Officialem D. Epiſcopi debite facto, ſub pœna capitis et bonorum omnium privatione.

Quia etiam nunc novi Religionis cenſores veteres orationes et cantica dudum recepta abrogant, et ſuas precandi formulas et cantilenas Sacris ingerunt: ſtatuimus, ut cuncta Officia Eccleſiaſtica, nempe Horæ Canonicæ et Miſſæ, juxta veterem Eccleſiæ Catholicæ ritum et conſuetudinem in hac Civitate et Eccleſiis peragantur, et ut nullæ deinceps Orationes, Antiphonæ, Reſponſoria, Cantilenae, et id genus inſolita dicantur ſeu canantur intra Divina, niſi quae ab Officiali D. Epiſcopi et Conſulatu fuerint approbata.

Quia item cenſores ipſi aliorum cupiditatem et avaritiam inſectantes, ipſimet vero a Sacris quidem manus non abſtinent, ſtatuimus, ut quisquis vaſa, ornamenta, ſuppellectilem et alia, quæcunque in uſum et ornamentum Sacrorum Eccleſiis et Monaſteriis conceſſa abſtulerit, imminuerit, aut ad uſus alios temere converterit, ultimo ſupplicio, ut ſacrilegus, puniatur.

Et ut in hoc depravato tempore Eccleſiæ ſuppellex tutius conſervetur, præſertim ab Apoſtatis, qui convaſatis rebus ſacris diffugere ſolent: ſtatuimus, ut Conſulatus ad quodlibet Monaſteriorum hujus Civitatis duos probos cives deſignet, qui omnia clenodia aurea et argentea Eccleſiæ conſcribant, et in ſcrinio ſeu loco tuto conſervent, ad eaque unam clavem ipſi, et Senior ſive Præfectus Monaſterii alteram habeat, nec niſi mutua ſcientia et congruis temporibus et Feſtis illa exponant, ac ne pereant, provideant: relictis nihilominus pro uſu quotidiano et Miſſae Sacrificio Calicibus, quot opus fuerint, et aliis, quæ neceſſaria videbuntur.

In-

ANNO 1526. Innitentes autem cum noſtris prioribus, tum etiam aliorum Regum et Principum Chriſtianorum Edictis ac Decretis inhibemus, ne quis deinceps libros ab Eccleſia Catholica diſſidentes et damnatos, nec non cantilenas, picturas inhoneſtas, libellos famoſos, et alia id genus, quæ vel Religioni detrahunt, vel bonam famam cujuſpiam aſpergunt, vehat in hanc Civitatem noſtram, aut illis quoquo modo uti audeat, ſub pœna exilii et omnium bonorum privatione. Porro quod ad res civiles attinet, ne incendium per Nos extinctum aliquis inpoſterum reſuſcitare queat: ſtatuimus et diſtricte præcipimus, ne quisquam ſermones tales, ex quibus ſeditio et tumultus aliquis tam in Perſonas Eccleſiaſticas, quam etiam Magiſtratum Civitatis oriri poſſit, palam et occulte ſerere audeat: ne item quiſquam civium, mercatorum et incolarum ejusdem Civitatis noſtræ Gedanenſis aliquid commercii habeat quovis modo, coram vel per nuntios aut litteras, ſive etiam perſonas ſubdelegatas, cum hominibus his, quos ob eorum ſeditiones et facinora ex ipſa Civitate proſcripſimus. Ubi vero quiſpiam ex proſcriptis literas vel nuntium ad aliquem civem ſeu incolam ejusdem Civitatis, ſuo vel alterius nomine, aut quovis alio praetextu miſerit: nemo hujusmodi literas legere, aut nuntium audire praeſumat, niſi re prius Conſulatui declarata, et illo nuntio et literis ipſis fideliter declaratis. Qui vero in his ſingulis exceſſerit, et legitimo teſtimonio convictus fuerit, pœna capitis et bonorum omnium puniatur.

Inſuper quilibet nauclerus, qui in praeſens eſt, aut erit inpoſterum apud hanc Civitatem, comparere teneatur cum Domino et amicis ſuis coram Conſulatu, et de ſe ſufficiens teſtimonium praeſtare, quod probus, fidelis et conſtans homo ſit, quodque nulla navi ſeu hominibus utetur, quos conſideraverit Civitati infideles aut intolerabiles eſſe. Ubi vero quempiam ex ſuae navis hominibus ſic affectum cognoverit, talem quamprimum, ſive hinc nave ſoluta redierit, ſeu aliunde appulerit, Senatui deferet, qui in Civitate nequaquam tolerari debet. Quodſi tam Dominus, quam nauclerus hujusmodi legem transgreſſi fuerint, ſine ulla gratia, juxta arbitrium Senatus erunt multandi.

Statuimus etiam, quod quicunq; deinceps in Civem Gedanenſem adſcribi et ſuſcipi voluerit, is ſufficienti teſtimonio docere et probare debebit, ſe liberum natum, nullique addictum ſeu mancipatum eſſe, et quod ante, ubicunque degebat', honeſte decenterque ſe geſſit: quo teſtimonio praeſtito, ſuſcipi quidem ad Jus Civile debet, vel poterit; non tamen longius, quam ad unum annum; ut interim, quibus moribus praeditus ſit, et quam idoneus Civitati fuerit, cognoſci et probari poſſit. Quod ſi interea et deinceps omni tempore vel ſeditioſus, vel aliquibus aliis malis moribus praeditus videbitur, mox per Conſulatum Jure Civili authoritate noſtra Regia exuatur, et perpetuo de Civitate pellatur. ANNO 1526.

Statuimus item, quod omnes Magiſtri, Opifices quorumcunque artificum mechanicorum pro fide et juramento ſuo diligenter obſervent, ne quem famulum ſeu ſocium advenam ſuſcipiant, et laboribus ac officiis ſuis adhibeant; donec prius talem novum famulum ſeu advenam Senatui exhibeant, ita, ut coram illo juramentum praeſtet, quod per omne tempus, quo in hac Civitate morabitur, probe, fideliter, et cum omni ſubjectione & obedientia ſecundum noſtras, ac etiam ipſius Conſulatus Ordinationes et Statuta ſe geret et conſervabit. Si vero quis praedictorum magiſtrorum et opificum ſecus fecerit, legitime convictus per Conſulatum omnino capitis pœna puniatur.

Et quia ſeditioſorum eſt, in latebris primum artes et modos ad tumultum excitandum fabricare: ſtatuimus, quod ſi tres, quatuorve aut plures, virilis ſeu muliebris ſexus futuris temporibus in domibus, templis, hortis, intra vel extra Civitatem, tales conſultationes et tractatus conferrent, quae adverſus Statuta, Decreta et Edicta noſtra tenderent, vel qui contra pœnam ſeu mulctam hic per Nos factam et impoſitam, aut etiam contra communem civium pacem aliquid contenderent, aut quorſum vergerent, qui item hujusmodi conventicula intra et extra Civitatem ſcientes admitterent, vel nuntium aliquem ad tales vel alios deferrent: ſi quis denique aliquem vel aliquos contra praemiſſa facientem vel facientes viderit, ſcieritve, et talem non patefaceret et declararet Senatui; ſi legitima probatione tam is, quam alii noſtrae hujusmodi Conſtitutionis transgreſſores convicti fuerint, ſupplicio capitis et bonorum amiſſione puniantur.

Denique ne quis Voluntatis et Statutorum noſtrorum ignorantiam praetendere poſſit, mandamus, et ſtrictiſſime praecipimus, quod caupones, tabernarii, quique publica diverſoria tenent, et generatim omnes hujus Urbis cives et incolae ad quemcunque illorum hoſpitem ſeu advenam aliquem divertere et veni- re

re continget, illi cumprimis Statuta et Edicta noſtra, tam ad FidemCatholicam,ejusque ceremonias et ritum antiquum Catholicae Eccleſiae, quam etiam ad ſtatum hujus Urbis pertinentia, referre et declarare tenebuntur, ut quilibet hic et in Dominiis noſtris exiſtens ſe voluntati ac mandatis noſtris accommodare ſciat et poſſit, ſub pœna graviſſima per Conſulatum exigenda.

Quod ſi quiſpiam hoſpes ſeu advena tam pertinax et temerarius fuerit, ut ita certior factus, vel haereſes ac nova ac impia dogmata profiteri ac ſeminare, vel alia quaecunque tam Religioni, quam etiam Ordinationibus noſtris contraria tractare et promovere praeſumeret, is per Conſulatum authoritate noſtra, debita et irremiſſibili animadverſione puniatur.

Caeterum quod ad regimen et ordinem Civitatis attinet, viſum eſt Nobis pro Dignitate noſtra congruere, et ita in poſterum ſtatuimus et habere volumus, quod Burgrabius noſter, qui in hac Civitate Vices noſtras in multis gerit negotiis, ſive is Proconſul aut Conſul fuerit, primum locum ante omnes Proconſules, quando cum illis erit, habeat: quae res tamen facultati et authoritati Proconſulum, quam de more habent, in negotiis agendis nihil officere debet.

Volumus etiam et ſtatuimus, quod in poſterum omnis, qui in Burgrabium, Proconſulem et Conſulem electus fuerit, juramentum Nobis debitum coram eo, cui id litteris committere voluerimus, aut Succeſſores noſtri commiſerint, praeſtare teneatur.

Statuimus item, quod nullus ex civibus hujus Urbis per ſeditionem, vel aliquem modum illicitum ad regimen Conſulatus quoquo modo ſe ingerere praeſumat, ſub pœna ultimi ſupplicii. Et licet conceſſum ſit a Praedeceſſoribus noſtris, quod Magiſtratus hujus Civitatis poſſit in negotiis magni momenti alios cives prudentiores in conſilium ſuum adhibere, et cum illis, ut res poſtularet, conſulere et concludere: Quia tamen certus numerus non erat deſignatus, et nimia multitudo conſulentium nimiam ſaepe confuſionem parit: ſtatuimus et ordinamus, quod deinceps in arduis cauſis et negotiis non ultra quam centum cives in hac principali Civitate noſtra ad conſulendum, et ad ferenda ſuffragia cum Conſulatu, Scabinis, et duobus Senioribus ex quolibet capitalium opificum ordine vocari et adhiberi debent. Et quod hujusmodi centum viros ſemper Conſulatus eligendi et nominandi, et vocandi in Prætorium toties, quoties opus fuerit, poteſtatem & authoritatem habet. Ipſi autem cives electi & vocati, cum in Prætorium venerint, modeſte, pacifice ſe gerant, & nulla arma ſeu gladios ſecum ferant. Quilibet etiam Magiſter Quartarum faciat quemque ex iisdem civibus ſuæ Quartæ ordine ſedere, & quemlibet eorum hortetur & admoneat, ne quiſpiam adverſus hanc Ordinationem noſtram quidquam committat, neve cujuspiam ſermonem interrumpat, aut aliud aliquid loqui aut ingerere præſumat, quam id, quod a Conſulatu fuerit propoſitum, nec injicere audeat, quod eſſet adverſus Conſtitutiones noſtras, & quietum ſtatum Civitatis perturbare poſſet, talis extremo ſupplicio mulctandus erit. Et ſub eadem pœna nemo civium extra eum centum virorum electorum numerum ſub ipſorum congreſſu ad Prætorium veniat, aut aliquod regimen ſibi ſumat, quo communis tranquillitas Civitatis commoveri poſſit. Quidquid autem in tali congreſſu & conſilio per Magiſtratum, Proconſules, Conſules, Scabinosque, ac prædictos centum viros, cum Senioribus quatuor capitalium artificum, pro bono hujus Urbis cognitum, conſtitutum & concluſum fuerit, id firmiter & inviolabiliter ab omnibus incolis hujus Urbis teneri & obſervari debet. Si vero hujusmodi cives quatuor Quartarum in unam ſententiam non coierint, ſed duæ Quartæ eorum contrariam aliis duabus Quartis ſententiam tenuerint, in eo caſu Conſulatus nomine & authoritate noſtra, ut Regentes Civitatis, cum Scabinis poteſtatem habeant, id, quod utilius & magis neceſſarium videbitur, definiendi & ſtatuendi. Et cum parti Conſulatus ipſe cum Scabinis ſuo ſuffragio & voce acceſſerit, id ratum & firmum abſque cujuspiam contradictione eſſe debeat. Cui ſi quis ſe oppoſuerit, pœna capitis puniatur.

Cum autem cives Communitatem repræſentantes ad Prætorium modo prædictum per Magiſtratum vocati fuerint, ut debitus ordo ſervetur, ut Senior Scabinorum coram Conſulatu nomine Communitatis prædicto, juxta antiquam conſuetudinem de rebus & negotiis concluſis relationem & verba faciat.

Statuimus etiam, quod Conſules antiquae Civitatis, qui ad Conſulatum ſimul electi ſunt, cum in Prætorium ad electionem Conſulum vocati fuerint, unum ſuffragium ſive vocem inter ſe habeant, prout antiquitus fuit obſervatum.

Item ſtatuimus, quod quotiescunque Conſulatus opus habuerit opera & conſilio

ANNO 1526. ſilio Scabinorum, illos ad ſe vocare, & ſuo conſilio adhibere ſemper habeat facultatem. Scabini vero, quicunque a Conſulatu vocati fuerint, ad illum ſine ulla renitentia convenire, & id totum, quidquid per ipſum Conſulatum eis propoſitum fuerit, tractare & exequi teneantur.

Statuimus præterea, quod pomaria, in quibus Mechanici ſe ſagittando exercent, non debeant deinceps adeo frequentari & viſitari, exceptis tribus diebus in anno Feſtivitatis Pentecoſtes: quemadmodum in pomario principalium civium fieri ſolet. Poſtquam vero præfatos tres dies convenienti hilaritate abſolverint, tum claves reſtituere debent Conſulatui, & ab ipſo deinde ſingulis annis pro hujusmodi conventione obtinenda claves ad pomarium requirere & petere debent. Eritque in ipſius Conſulatus arbitrio & poteſtate, hujusmodi conventionem & ſolatium juxta temporis neceſſitatem admittere & recuſare.

Gielda quoque nautarum ſingulis annis diutius patere & ſervari non debet, quam per unum menſem, incipiendo tribus hebdomadis ante Carnisprivium uſq; ad octo dies Quadrageſimæ. Licebit autem Conſulatui tale tempus prorogare, vel contrahere, prout ex uſu videbitur.

Statuimus etiam, quod nullus coctor cereviſiæ in Civitate ſit, niſi de conſenſu & voluntate Conſulatus, in cujus arbitrio ſit conſtituere munera illorum, eisque cocturam ipſam cereviſiæ, quando neceſſarium fuerit, inhibere poterit.

Permittimus autem, quod uſus mercaturæ unicuique civi Gedanenſi pro facultate ſua ſit liber, & non impeditus.

Statuimus item, quod Conſulatus habeat poteſtatem, abſque contradictione civium antiquæ Civitatis in hac principali Civitate muros, turres, foſſas, valvas, ſeu quæ lingua vernacula Zugbrucken nuncupantur, & quidquid aliud eidem principali Civitati neceſſarium ſit, ædificandi & reformandi. Mandamusque ſeverius, & ita & non aliter volumus, ut valvæ ſeu portæ, quæ ſunt inter principalem & antiquam Civitatem & Suburbium, omni nocte claudantur: & ſi quis ſe in hoc opponere voluerit, ſumma pœna puniatur.

Providere volentes, ne ſeditioſis anſa relinquatur, odia & tumultus adverſus Magiſtratum excitandi: ſtatuimus, ne deinceps nunc quiſpiam ſeorſum, nunc Communitas ipſa, audeat rationem ſeu calculum de proventibus Civitatis ab ipſo Magiſtratu exigere, aut clandeſtina conſilia, vel conſpirationes de illo exigendo inter ſe facere. Verum ſi quando Magiſtratus ſuſpectus fuerit Communitati de male adminiſtratis proventibus Civitatis, idque neceſſitas poſtulare videbitur, Nos ipſi deſignabimus, vel Succeſſores noſtri deſignabunt, Commiſſarios noſtros idoneos, coram quibus & non aliis Magiſtratus ipſe rationem de proventibus facere tenebitur. ANNO 1526.

Quod vero ad res ordinarias attinet, ſtatuimus, quod ſæculares cauſæ inter perſonas ſæculares nonniſi in foro ſæculari judicentur, quas Officiales Domini Epiſcopi ſibi uſurpare non debent.

Procuratores in hac Civitate cauſas agere volentes, ſi Judicii ſpiritualis fuerint, per Officialem Domini Epiſcopi, ſi ſæcularis, per Conſulatum ſacramento obſtringantur, quod nonniſi integre, fideliter, & non animo ſerendi lites aut cauſas, lucri ſui ratione trahendi, officium hoc ſint obituri: quorum numerum reſtringi volumus in utroque foro ſeu judicio, & ſimiliter publicorum Inſtrumentorum ſeu Notariorum.

Qui gravi & repentina ægritudine correpti teſtamentum condere voluerint, tunc juxta juris diſpoſitionem juratos judicii Viros accerſere tempeſtive valebunt, hi probis, integris & poſſeſſionatis aliquibus civibus in teſtimonium advocatis, teſtari poterunt: & hujusmodi teſtamentum, ſi proxima die juridica per ipſos teſtes juramento coram Judicio civili probatum & libro Judicii inſcriptum fuerit, perinde valebit, ac ſi coram juratis Scabinis eſſet conditum. Juris tamen & conſuetudinis facultatem, quantum ad leganda bona, non excedendo.

Ad ſiſtendas vero frivolas Appellationes, quæ in oppreſſionem pauperum plerumque interponi ſolent: volumus, ut in cauſis, quarum ſingulæ quinquaginta marcarum leges non excedunt, ad Conſulatum tantum, & non ultra, fiat Appellatio. In cauſa vero, quæ quinquaginta marcas excedit, liberum ſit unicuique appellare ac Conventum Generalem Terrarum & Civitatum Pruſſiæ. Quæ ſi in primo Conventu terminata non fuerit, tunc unicuique ad Nos libere appellare licebit.

Cum civis alium civem in jus vocare voluerit, id non aliter, quam coram bannito judice facere poterit, quod bannitum judicium ſingulis duabus ſeptimanis agi & celebrari debet, niſi aliquis dies Feſtus impedierit. Et cum reus conventus in primo termino non comparet, pœnam octo bonorum ſolidorum Judici luat, quem Actor ad octo dies pro tertio citari faciat:

 qui

Anno 1526. qui ſi tertio non comparuerit, Actor cauſam ſuam contra reum obtinebit, uſque ad exceptionem auxiliariam, ad quam importandam ſeu producendam octo dies illi concedi debent. Nemini deinceps dilatio termini ad Procuratorem concedatur, cum Procuratores ſint in hoc loco. Si quis vero diem juridicum acceptare noluerit, id admitti ei debet, ſed nonniſi ad octo dies: in quo termino Actor querelam ſuam in ſcriptis paratam habeat, ubi id Scabini pro cauſæ magnitudine habere poſtulaverint, & eam ipſam querelam ſuam idem Actor reo convento tradat, qui octo dies ad reſpondendum habebit. Sic quod in his quatuordecim diebus & querela & reſponſum producatur & confirmetur. Et deinde in eodem bannito tempore debent partes utræque probationes ſuas nominare. Ad quas probationes cuilibet parti ſpecialis terminus aſſignetur; ſecundum exigentiam probationum, hoc eſt ad eam probationem, quam habere pars poteſt, intra Urbem 8. dies, intra Terras has Pruſſiæ per 14. dies, extra Terras Pruſſiæ 3. menſes, ultra mare & arenam annum & diem.

Poſtremo cum quiſpiam civium habebit aliquid inter Conſulatum, vel Officialem Domini Epiſcopi, de quo, quando velit, is querelam & injuriam ſuam coram Nobis aut Poſteris noſtris Regibus Poloniæ, uti ſuis legitimis & hæreditariis Dominis, jure mediante, deponere, et juſtitiam quærere debebit: neque id cuipiam negari aut prohiberi poſſit. Qui vero contrarium fecerit, & querelam ſuam ad communes cives vel plebem detulerit, ut tumultum & motum popularem excitaret, is legitime convictus ultimo ſupplicio puniri debet.

Omnes autem & ſingulæ Conſtitutiones & Articuli ſupra nominati teneantur & obſerventur diligentiſſime, ſub debito fidelitatis & ſubjectionis, & ſub pœnis graviſſimis, tam a Magiſtratu, quam ab omnibus incolis aut advenis hujus Civitatis noſtræ Gedanenſis ad arbitrium noſtrum, aut Succeſſorum noſtrorum Regum Poloniæ, ita, ut per Nos, vel ipſos Succeſſores noſtros pro temporum viciſſitudine & neceſſitate mutari, reformari, minui, augerive ſemper poſſint.

In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum eſt ſubimpreſſum. Datum in Civitate noſtra Gedanenſi Feria tertia proxima ante Feſtum S. Mariæ Magdalenæ, Anno Domini MDXXVI. Regni vero noſtri vigeſimo.

CLXXXIV.

Anno 1526.

Ordinationes per Commiſſarios Regios pro Civitate Brunsbergenſi factæ, quibus ea, quæ rem tam Eccleſiaſticam, quam Civilem concernunt, diſponuntur, & Civitas ipſa in poteſtatem Epiſcopi dimittitur. Datum in Brunsbergk An. Dom. 1526. Die 18. Menſis Auguſti. *Ex Arch. Regni Lib. Leg. EF.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae &c. Significamus tenore praeſentium quibus expedit univerſis. Quia cum anno ſuperiore nonnullas Civitates Pruſſiæ, quaé inteſtinis ſeditionibus plurimum aeſtuabant, perſonali noſtra præſentia, Domino Deo adjuvante pacaſſemus, & arduis Reipublicæ Regni noſtri negotiis Nos inde avocantibus, reliquis Civitatibus inviſendis vacare non poſſemus, ſolennibus Nuntiis & Conſiliariis noſtris, vice noſtra ſubdelegatis, rem a Nobis feliciter auſpicatam conficiendum demandavimus. Cum itaque Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Mathiam Epiſcopum Vladiſlavienſem, & Generoſum Ludovicum de Mortangen Caſtellanum Elbingenſem in Oppidum Braunsbergk, quod tunc temporis in noſtra retinuimus poteſtate, miſiſſemus, ut compreſſis illic popularibus motibus, & rebus ad priſtinum ordinem repoſitis, hoc ipſum oppidum Reverendo in Chriſto Patri D. Mauritio Epiſcopo, ejusq; Eccleſiæ Varmienſi, tanquam vero & legitimo Domino pacatum nomine noſtro reſtituerent. Qui munus ſibi injunctum rite & debito modo obeuntes, ad occurrendum futuris erroribus, populumque in fide, officio, & Religionis obſervantia conſervandum, Conſtitutiones ſalutares Nobis pro parte præfati Domini Mauritii Epiſcopi oblatas authoritate noſtra ediderunt, quas Cives ſeu incolæ oppidi prædicti acceptantes, etiam ſolenni juramento præfato Domino Mauritio Epiſcopo poſtea præſtito, ſervandas promiſerunt, uno duntaxat Articulo de capitalibus & ſanguinis judiciis, quem ſuis Privilegiis derogare affirmarunt, ad noſtram cognitionem arbitralem conſenſu utriusque partis rejecto, quarum quidem Conſtitutionum tenor eſt talis:

„ Nos Mathias Dei Gratia Epiſcopus Cujavienſis, & Ludovicus de Mortangen Caſtellanus Elbingenſis, Nuntii & Oratores a Sereniſſimo Principe & Domino, Domino Sigismundo Rege Poloniæ,

Anno 1526. niæ, Magno Duce Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ &c. Domino & Hærede noſtro clementiſſimo, cum plena facultate in Civitatem Braunsbergk deputati, manifeſtum facimus univerſis & ſingulis. Quod cum idem Sereniſſimus Dominus noſter Rex per pacta pacis perpetuæ cum Illuſtriſſimo Principe Domino Alberto Duce Pruſſiæ &c. nuper inita dictam Civitatem Braunsbergk, tempore belli ab eodem Domino Duce occupatam ad ſe recepiſſet, intelligens Majeſtas ſua, Civitatem ipſam factionibus & popularibus ſeditionibus mirum in modum fervere, dogmata & Religionem a Primoribus Eccleſiæ damnatam in eam invectam eſſe, Deum & Sanctos blaſphematos, templa ſpoliata, Ordinem Eccleſiaſticum oppreſſum, jurisdictionem omnem Domini Epiſcopi loci Ordinarii exploſam, in Præfectum Majeſtatis ſuæ periculoſum tumultum concitatum, Conſules exauctoratos, Regimen Civitatis inverſum, Majeſtatis ſuæ mandata contempta, & multa alia indigna hactenus patrari, dignata eſt Majeſtas ſua ex his & aliis cauſis, illam ipſam Civitatem aliquandiu in ſua poteſtate retinere, ut interim ſua Regia auctoritate facinoroſis punitis, his, quæ ordine dimota erant, in ordinem redactis, Religione reſtaurata, tumultibus compreſſis, ipſam Civitatem tranquillam & obſequentem, ac omnibus hujusmodi erroribus purgatam, Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Varmienſi illius vero & naturali Domino reſtitueret. Proinde ejus Majeſtas in his Terris Pruſſiæ perſonaliter conſtituta, ac bonæ reformationi omnium ſuorum ſubditorum, ut Chriſtianum decet Principem, ſtudioſiſſime intendens, anteaquam ex ipſis Terris diſcederet, nobis commiſit, ut ſedatis primum omnibus motibus & diſſidiis in ipſa Civitate exortis, ac ſtatu ipſius tam in Eccleſiaſticis quam civilibus rebus in juſtum ac bonum ordinem repoſito, eandem Civitatem Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Mauritio Epiſcopo Varmienſi, ejusque Eccleſiæ cum omni jure & dominio reſtitueremus. Communicato igitur cum aliis ſuæ Majeſtatis Conſiliariis in Elbingo, ad hæc & alia negotia nobiſcum cum plena poteſtate deputatis, conſilio ac conſenſu, ibique poſt debitam omnium inquiſitionem quibusdam dictarum ſeditionum auctoribus punitis, aliisque, quæ ibi reformari poterant reformatis, pro tranquillo ſtatu deinceps in ipſa Civitate Brunsbergk conſervando, ac ad occurrendum ſimilibus motibus & periculis, infra ſcriptas Conſtitutiones, in ipſa Civitate perpetuo obſervandas, Regia auctoritate nobis commiſſa edidimus & promulgavimus, volentes nomine Civitatis Brunsbergk utramque videlicet veterem & novam Civitatem comprehendi. Anno 1526.

Ac inprimis, quia traditiones Eccleſiaſticæ, ut a Majoribus noſtris Orthodoxis proditæ ſunt, ſervari debent, quas ſi cuilibet expendere, mutare vel abrogare, & Scripturam pro ſenſu ſuo ſeu libidine interpretari liceret: nihil certi non ſolum in Religione, ſed in humanis quoque rebus, quæ hoc præcipuo fræno diriguntur, haberi poſſet, ut jam obſcurum non eſt, quos fructus edat novata Religio, quæ & quales normas & præcepta tradant ipſi arbitratu ſuo, qui in ritus & inſtituta Eccleſiæ Catholicæ debacchantur: ſtatuimus, ut deinceps uſus antiquus Religionis & ceremoniarum, tot ſæculis in omnibus Regnis & Dominiis Chriſtianis obſervatus, & a Majoribus noſtris nobis per manus traditus, ac per Regiam Majeſtatem, ut Principem Chriſtianum decet, commodum reſtitutus, diligenter in hac Civitate & omnibus Eccleſiis obſervetur. Quod ſi quis vituperare aut illi detrahere præſumpſerit, debito modo convictus punietur. Cui autem juxta veterem Religionem & normam Univerſalis Eccleſiæ ac Conſtitutiones noſtras vivere non placuerit, is intra duas hebdomadas poſt Edictum publicatum Civitatem exire, & alio commigrare poterit, nunquam deinceps reverſurus, alioqui ultra hunc terminum adverſus Conſtitutiones noſtras vivens ſupplicium capitis ac privationem omnium bonorum non evadet.

Et quia nunc ſolent plerique temere ſeſe ad concionandum ingerere, & prætextu tritici Verbi Dei zizaniam ſeminare, ſtatuimus, ut nullus deinceps intra & extra Civitatem, quibuscunque in locis, tam ſacris & Monaſticis quam profanis, tam publicis quam privatis & ſecretis, docere aut concionari audeat, vel ad docendum aut concionandum aliquem admittat, ſtatuat aut conducat, niſi cum ſcientia & examine de vita & doctrina ipſius concionatoris per Dominum Epiſcopum aut ejus Officiales debite facto, ſub pœna capitis & bonorum omnium privatione.

Quia nunc etiam novæ religionis cenſores veteres orationes & cantica dudum recepta abrogant, & ſuas precandi formulas & cantilenas ſacris ingerunt; ſtatuimus, ut cuncta Officia Eccleſiaſtica, nempe Horæ Canonicæ & Miſſæ, juxta veterem Eccleſiæ Catholicæ ritum & conſuetudinem in hac Civitate & Eccleſiis per-

ANNO 1526. peragantur. Et ut nullæ deinceps orationes, antiphonæ, reſponſoria, cantilenæ & id genus alia inſolita dicantur aut canantur, niſi quæ a Domino Epiſcopo aut ejus Officialibus fuerint approbata.

Quia item cenſores ipſi aliorum cupiditatem & avaritiam inſectantes, ipſimet nec a ſacris quidem manus rapaces abſtinent, ſtatuimus, ut quiſquis vaſa argentea, ornamenta, ſuppellectilem, & alia quæcunque in uſum & ornamentum Sacrorum Eccleſiis & Monaſteriis conceſſa, abſtulerit, minuerit, aut in alios uſus converterit, ultimo ſupplicio ut ſacrilegus puniatur.

Innitentes autem Regum & Principum Chriſtianorum Edictis ac Decretis inhibemus, ne quis deinceps libros ab Eccleſia Catholica diſſidentes & damnatos, nec non cantilenas, picturas inhoneſtas, libellos famoſos, & alia id genus, quæ vel Religioni detrahunt, vel bonam famam cujuspiam aſpergunt, in hanc Civitatem invehat, aut illis quoquo modo uti audeat, ſub pœna exilii ac bonorum omnium privatione.

Cæterum viſum eſt Nobis æquum, & pro dignitate ſuperioris dominii congruere, atque ita in poſterum irrefragabili Edicto ſtatuimus & habere volumus, quod Præfectus Epiſcopalis, ſive is Advocati, Capitanei aut Burgrabii nomine honeſtatus ſit, ubivis primum locum ſuper omnes Conſules & Proconſules perpetuo habeat, eo quod perſonam Domini Epiſcopi repræſentet, & ejus vices gerat.

Porro quod ad res civiles attinet, quoniam hi, qui Magiſtratibus & Judiciis in Civitatibus præſunt, Dominorum ſuorum vicem gerere cenſentur, cum a jure directi Domini hæc pendeant, abſurdum arbitramur a legibus bene inſtitutæ Civitatis, ac etiam periculoſum, ut in Magiſtratuum & Judiciorum, præſertim capitalium, diſpoſitione ipſe Dominus excludatur. Et quia item manifeſtum eſt, cives hujus Civitatis libertate ſua, quam in præficiendis Magiſtratibus habebant, multipliciter abuſos fuiſſe, ac propterea ipſam Civitatem in non parvam calamitatem & diſcrimina incidiſſe, ideoque Nos authoritate Regia, amoto moderno Conſulatu, qui populari ſeditione, aut alia illegitima ratione, exauthorato Magiſtratu antiquo, conſtitutus fuerat, novos Proconſules & Conſules hac vice conſtituendi poteſtatem dicto Domino Epiſcopo relinquimus, ſtatuentes, ut de cætero nullus ad Magiſtratum recipiatur aut eligatur, niſi de ſcientia & conſenſu Domini Epiſcopi vel ejus Præfecti. Deſtituendi vero aut exauthorandi Proconſules vel Conſules apud ſolum Epiſcopum ſit poteſtas, quod, quoties res poſtulaverit, ei facere licebit. ANNO 1526.

Statuimus præterea & ordinavimus, ut deinceps in dicta Civitate Brunsbergk omnia Judicia capitalia ſive ſanguinis ad Dominum Epiſcopum pro tempore exiſtentem, aut ejus ad hoc conſtitutum Officialem deferantur, qui ſolus in hujusmodi cauſis judicandi habeat poteſtatem, nec liceat deinceps Conſulatui in bonis Civitatis cuicunque, præter voluntatem & ſpecialem commiſſionem Domini Epiſcopi, Salvum Conductum aut libertatem paſſandi concedere, cujus poteſtatem Conſulatui perpetuo interdicimus. Præterea quisquis ad Magiſtratum de novo aſſumptus fuerit, anteaquam locum hujusmodi Magiſtratus acceperit, debet D. Epiſcopo, aut ei, qui ad id ab eo commiſſionem habuerit, debitum fidelitatis juramentum præſtare. Quodque omnes ſeditioſos & turbatores pacis Civitatis illius, quamprimum tales cognoverit, ipſi Domino Epiſcopo aut ejus Præfecto fideliter denuntiabit, curabitque, ut tales debita pœna puniantur. Idem juramentum etiam præſtare debent omnes, qui communitatibus artificum in Seniores præficiuntur.

Decernimus item & ſtatuimus, quod nullus ex civibus hujus Civitatis per ſeditionem, vel aliquem modum illicitum ad regimen Conſulatus quoquo modo ſeſe ingerere præſumat, ſub pœna ultimi ſupplicii, neque plures quam quatuordecim perſonæ in Conſulatum a modo præficiantur. Interdicimus inſuper perpetuo, ne Conſulatus totam Communitatem in quovis loco congreget, aut illam ſponte congregari permittat, decernentes, id neque Conſulatui neque Communitati, absque ſpeciali permiſſione D. Epiſcopi vel ejus Præfecti licere, ſub pœna amiſſionis omnium Privilegiorum ſuorum. Ubi autem magni momenti negotia emerſerint, quæ communibus conſiliis, & unanimi conſenſu Civitatis tranſigenda fuerint, ſtatuimus, quod deinceps in hujusmodi arduis cauſis ex ſingulis Quartis Civitatis ſex boni & integri cives cum Conſulatu & duobus Senioribus ex quolibet quatuor capitalium opificum ordine, ad conſulendum & ferenda ſuffragia vocari & adhiberi debent, & quod hujusmodi viros eligendi & vocandi in Prætorium, quoties opus fuerit, Conſulatus poteſtatem habeat. Quilibet etiam Magiſter Quartarum faciat quemque ex eisdem civibus ſuæ Quartæ ordine ſedere, & quemlibet admoneat, ne

ANNO 1526. ne cujuspiam ſermonem interrumpat, aut aliquid aliud loqui & ingerere præſumat, quam id, quod a Magiſtratu omnibus in communi propoſitum fuerit. Si quis autem aliquid præter hæc ingeſſerit, quod civilem tranquilitatem perturbare poſſet, aut his noſtris Conſtitutionibus adverſetur, ſi quis item non vocatus aut deſignatus propria temeritate ſub ipſorum congreſſu in Prætorium venerit, ad hujusmodi conſilium interturbandum, extremo ſupplicio mulctetur. Quicquid autem per prædictos Magiſtratum & viros electos decretum & concluſum fuerit, id firmiter & inviolabiliter ab omnibus incolis hujus Civitatis obſervetur. Si vero in unam ſententiam ſuam non coierint, rem ad Dominum Epiſcopum referant decernendam.

Cæterum ſi quis civium privato civi actionem movere voluerit, coram Domino Epiſcopo, aut ejus Præfecto ſive Conſulatu id faciat, Magiſtratum vero coram Domino Epiſcopo aut ejus Præfecto duntaxat conveniat, nec quærelam injuriarum ſuarum ad Plebem ſeu Communitatem, ut tumultus popularis excitari poſſit, ſub pœna ultimi ſupplicii deponere audeat.

Et quia ſeditioſorum eſt in latebris primum artes & modos ad tumultum excitandum fabricare, ſtatuimus, quod ſi tres quatuorve, aut plures utriusque ſexus futuris temporibus in domibus, templis, hortis intra vel extra Civitatem conſultationes & tractatus facerent, qui vel adverſus Edicta vel Statuta noſtra tenderent, vel qui contra pœnam ſeu mulctam per Nos decretam, vel etiam contra communem civium pacem aliquid continerent, vel eorſum vergerent, qui item hujusmodi conventicula intra vel extra Civitatem ſcientes admitterent, vel nunctium aliquod ad tales vel alios deferrent: Si quis denique aliquem vel aliquos contra præmiſſa facientes vel facientem viderit ſciveritque, & talem Præfecto Domini Epiſcopi aut Conſulatui non denuntiaret, tam is quam alii hujusmodi noſtræ Conſtitutionis transgreſſores, legitima probatione convicti, ſupplicio capitis & bonorum privatione puniantur.

Statuimus item, quod omnes magiſtri opifices quorumcunque artificum mechanicorum pro fide & juramento ſuo diligenter intendant, ut tales famulos vel ſocios advenas ſuſcipiant, ac laboribus & officinis ſuis adhibeant, qui per omne tempus, quo in hac Civitate morabuntur, ſe probe, fideliter, & cum omni obedientia & ſubjectione, ſecundum noſtras & Domini Epiſcopi Ordinationes & Conſtitutiones, tam in Eccleſiaſticis quam profanis rebus gerent & conſervabunt. ANNO 1526. Quas iidem magiſtri eis notificare debent, alioqui de famulorum exceſſibus ipſi rationem reddere, & facinorum eorum pœnam luere ſint obligati.

Decernimus præterea, quod pomaria ſive horti, qui ſagittariorum vocantur, atque ibi ſocietates ſive compotationes, quas gildas vocant, deinde frequentari & ſervari non debent, ſine ſpeciali & expreſſo Domini Epiſcopi aut ejus Præfecti conſenſu.

Demum ne quisque voluntatis & Statutorum noſtrorum ignorantiam prætendere poſſet, mandamus, & ſtrictiſſime præcipimus, quod caupones, tabernarii, quique publica diverſoria tenent, & generatim omnes hujus Oppidi cives & incolæ, ad quemcunque illorum hoſpitem ſeu advenam aliquem venire & diverti continget, illi cumprimis Statuta & Edicta noſtra, tam ad Fidem Catholicam ejusque ceremonias, ſecundum uſum & ritum antiquæ Eccleſiæ Catholicæ, quam etiam ad ſtatum hujus Civitatis pertinentia, referre & declarare teneantur, ut quilibet hic, & in ditione Domini Epiſcopi exiſtens, ſi huic voluntati Majeſtatis Regiæ & mandatis noſtris, imo verius Regiis, accommodare poſſit & ſciat, ſub pœna graviſſima per Conſulatum exigenda & moderanda. Quod ſi quispiam hoſpes vel advena tam pertinax & temerarius fuerit, ut ita certior factus vel hæreſes, ac nova & impia dogmata profiteri ac ſeminare, vel alia quæcumque tam Religioni, quam etiam his Ordinationibus noſtris, imo verius Regiis, contraria tractare & promovere præſumeret, is per Præfectum Domini Epiſcopi, aut Conſulatum debita & irremiſſibili animadverſione puniatur.

Volumus poſtremo & mandamus, ut omnes & ſinguli Conſtitutionum noſtrarum ſupra ſcriptarum Articuli Annalibus hujus Civitatis ad perpetuam rei memoriam inſcribantur, & quotannis ſemel Communitati legantur, ac ab univerſis firmiter & inviolabiliter obſerventur. Articulo tamen de Judiciis capitalibus ſive ſanguinis, quem Civitas ſuis Privilegiis plurimum derogare prætendebat, ad cognitionem & deciſionem Regiæ Majeſtatis, cujus arbitrio tam ipſa Civitas, quam Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Varmienſis ſtare volebant, rejecto, ita tamen, quod pro conditione temporum & rerum in poteſtate Domini Epiſcopi ſit quosvis ex præmiſſis Articulis mutare, addere, demere, ſeu etiam abrogare, prout rebus publicis magis ex-

Anno 1526. dire videbitur. Nos itaque ſupra ſcripti Nuntii & Oratores, præſentibus Articulis coram tota Communitate dictæ Civitatis de noſtro mandato ſolenniter congregata lectis & promulgatis, ipſam Civitatem Brunsbergk modo quo ſupra reformatam, & in ordinem poſitam, cum omni ejus jure & dominio, ac ſubditis & attinentiis univerſis, remiſſo prius juramento & homagio Majeſtati Regiæ præſtito, Reverendiſſimo in Chriſto Patri Dom. Mauritio Epiſcopo Varmienſi tunc præſenti, ejusque Succeſſoribus & Eccleſiæ auctoritate Regia reddidimus ac reſtituimus. In quorum teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum & actum in Arce noſtræ prædictæ Civitatis Brunsbergk, Sabbatho poſt Feſtum Aſſumptionis B. V. Mariæ, quæ fuit decima octava Menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto."

Quas quidem Conſtitutiones & Ordinationes ſupra ſcriptas, pro communi bono ac tranquillo & quieto ſtatu Oppidi Brunsbergk ejusque incolarum prædictorum, per præfatos Conſiliarios noſtros modo præmiſſo factas & concluſas, omniaque & ſingula in eis contenta, Nos Sigismundus Rex præfatus approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, approbamusque, tratificamus & confirmamus, ac robur debitæ firmitatis obtinere illas decernimus per præſentes. Articulum vero de Judiciis capitalibus ac ſanguinis prædictum, ad Nos & cognitionem noſtram, ut præfertur, rejectum, cum cives Braunsbergenſes prædicti aſſeverant, illum eſſe ſibi præjudiciabilem, hic inſeri in præſens non fecimus, nec confirmavimus, ſed illum altius adhuc diſpiciendum & discutiendum ſuſpendimus. Cum vero illum una cum Conſiliariis noſtris matura deliberatione & mutuo conſilio expendemus, id demum faciemus, quod magis expediens & æquitati conſentaneum fore exiſtimabimus. Harum quibus &c. Datum ut ſupra.

CLXXXV.

1529. *Reſponſum nomine* Sigismundi I. *Regis datum Oratoribus* Alberti *Ducis Pruſſiæ ſuper facultate eligendi Regis, & Appellationibus ab eo ad Regem ut Supremum Dominum non denegandis.* Anno Domini 1529. *Ex Archivo Theſauri Regni.*

Quod Legatio Illuſtriſſimi Domini Ducis Pruſſiæ in primis continebat, de facultate eligendi Regis: Super eo negotio expendens Majeſtas Regia una cum univerſis Conſiliariis ſuis ſingularem in ſe & Regnum ſuum propenſionem ejus Illuſtritatis, proindeque cupiens illi hac in re ex animo gratificari, revolvit Majeſtas ſua, uti ſe facturam receperat, tum jura & privilegia, tum vero acta & conſuetudines Regni veteres, comperitq; adeo diligenter cautum & obſervatum eſſe omni tempore, ne quis alius excellentioris Ordinis, præter Conſiliarios Regni, jus eligendi Regis haberet, ut etiam & Duces Mazoviæ, qui Principes erant Indigenæ Regii, & Domini naturales hujus Regni, poſt obitum Patris neque locum neque vocem eligendi Regis habere potuerint. Sed & Magiſtri Pruſſiæ, qui homagia Regibus & Regno Poloniæ præſtabant, non ſolum ut Principes, ſed etiam ut Conſiliarii Regni, qui pari modo loca in Senatu habebant, hoc ipſum Jus Electionis obtinere non potuerunt. Proinde cum Illuſtris Dominus Dux Pruſſiæ, ut prudens Princeps, ſatis intelligat, nihil eſſe pernicioſius in omni Republica, quam aliquid adverſus Leges & Inſtituta vetera, perpetua ſerie & uſu approbata, committere, neque aliunde graviores caſus & perturbationes oriri, boni conſulere dignetur ejus Illuſtritas, quod Majeſtas Regia & univerſi Conſiliarii Regni, qui ejus Illuſtritati integerrimo animo afficiuntur, non poſſunt eam rem, ut inſolitam, & Inſtitutis Regni adverſam concedere. Praeſertim cum id omnibus Conventibus exigunt univerſi Regnicolae, ut nihil adverſus jura & morem Regni veterem ſtatuatur. Neq; mirum aut indignum videri debet ejus Illuſtritati, quod habens locum ſuum in Conſiliis, Terrarum Comitiis, Conventibus Generalibus, ad Electionem Regis non pertineat: cum itidem non pertinebant Anteceſſores ejus Illuſtritatis, ac Duces Mazoviae, & hic fuit mos & uſus in hoc Regno ab initio receptus & obſervatus. Sed & in Germania, ubi vigent Leges Caeſareae, non omnes Principes jus habent eligendi Caeſaris, qui locum ſuum habent in Conventibus publicis. Similiter in Regno Bohemiae, & alibi, quod notius eſt, quam ut explicare ſic opus. Alioquin niſi res eſſet adverſus Jura & Inſtituta Regni, Majeſtas ſua & Conſiliarii univerſi gratificarentur ejus Illuſtritati, propter hanc illius erga Majeſtatem Regiam & Regnum ejus, quam omnes cognoſcunt, propenſionem & obſervantiam, neque ullo pacto aliter ejus Illuſtritas ſibi perſuadere dignetur. Anno 1529.

Quod

ANNO 1529.

Quod ad Appellationes ab Illuſtriſſimo Domino Duce Pruſſiæ ad Majeſtatem Regiam interpoſitas & interponendas pertinet, nemo vel mediocriter in jure verſatus ignorare poteſt, proprium eſſe jus uniuscujusque Domini ſuperioris, ut ad ipſum a quovis ſubjecto & Vaſallo appelletur. Quippe quod non aliunde magis dominium & ſubjectio dignoſcitur. Cum itaque Privilegium ejus Illuſtritati conceſſum clare teſtetur, ejus Illuſtritatem ſe cum omnibus conſervare debere erga Majeſtatem ſuam, uti fidelem ſubditum & Vaſallum de jure decet, & Articuli Tranſactionis ſatis declarent, Majeſtatem ſuam ea duntaxat privilegia & immunitates ejus Illuſtritatis confirmaſſe, quæ huic Transactioni & Superioritati Majeſtatis ſuæ non repugnarent: neque de appellationibus, quæ jure & conſequentia propria ad Superioritatem pertinent, aliquid eſt exceptum: nemini dubium eſſe debet, ad Majeſtatem ſuam jus appellandi pertinere, quemadmodum & alia omnia Superioritatis jura pertinent, quæ non ſunt in privilegio nominatim exempta & excepta. Siquidem ſublatis Appellationibus nullum extaret veræ Superioritatis veſtigium.

Similiter & de dandis a Regia Majeſtate Salvis Conductibus intelligi debet. Ea etenim res non modo conveniens eſt & juſta, ſed etiam pro conſervando communi ſtatu & tranquillitate apprime neceſſaria. Ex denegatis enim appellationibus & Salvis Conductibus a ſuperiori Domino oriri ſolent diffidationes, deprædationesque communium ſubditorum, ex quibus & ad bellum plerumque pervenitur. Majeſtas vero Regia neque debet, neque vellet ulla in re adverſa ejus Illuſtritati ac ſubditis ejus unquam deeſſe. Quare hortatur Majeſtas ſua ejus Illuſtritatem, ut quæ propria ſunt Majeſtatis ſuae, & juris ejus ſuperioris, his ejus Illuſtritas non nitatur Majeſtatem ſuam privare, & Tranſactionem factam, quæ ſatis clara eſt, iſtis diſceptationibus in alium ſenſum torquere & labefactare, in præjudicium Majeſtatis ſuæ & communis boni detrimentum Quodſi utique moleſtum id eſſet ejus Illuſtritati, quod merito eſſe non debet, neque illam juſtæ rationes Majeſtatis ſuæ permoverent, licet eſſet cum diſpendio juris & authoritatis Majeſtatis ſuæ, tamen potius quam ejus Illuſtritati Majeſtas ſua diſplicere in hoc deberet, ita ſe conſervare dignabitur in cauſis tam appellantium, quam etiam, qui ſub Salvis Conductibus juſtitiam quærunt, ut eſt in cauſis, ſi quæ inter Majeſtatem ſuam & ejus Illuſtritatem inciderent, expreſſum in Privilegio Transactionis Articulo decimo ſeptimo, qui incipit: Item quod ad jurisdictionem inter Majeſtatem Regiam & Principem attinet &c. deputare videlicet dignabitur Conſiliarios ſuos & illos quoad ejusmodi actus, a juramento ſibi obnoxio abſolvet, & juſtitiam miniſtrare præcipiet. Eos vero Judices cum in cauſis propriis ejus Illuſtritas ſuſcipere non recuſavit, in alienis merito refutare non debebit.

CLXXXVI.

Renovatio perpetuæ Pacis & Concordiæ inter Sereniſſimum Regem Dominum SIGISMUNDUM, *ejusdemque Sacræ Regiæ Majeſtatis Filium Dominum* SIGISMUNDUM AUGUSTUM *in Magnum Ducem Lithuaniæ electum ex una, & Illuſtriſſimum Principem Dominum* ALBERTUM *Marchionem Brandeburgenſem & in Pruſſia Ducem ex altera partibus facta* Vilnæ 21. Junii Anno 1529. *Ex Archivo Magni Ducatus Lithuaniæ. Collatum cum Originali.*

In Nomine Domini Amen.

Sagax humanæ naturæ providentia, labilitate memoriæ ſuæ penſata, prudenter adinvenit, ut geſta hominum memoratu digna, ne ſub temporum vetuſtate oblivionis caligine obducantur, literarum monumentis & miniſterio poſteritatis prodantur notitiæ. Ad perpetuam proinde rei memoriam Nos SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæque Dominus & Hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis & ſingulis, præſentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quod licet dum jam inter Sereniſſimos atque Illuſtriſſimos olim Principes Dominos VLADISLAUM Regem Poloniæ, & ALEXANDRUM Magnum Ducem Lithuaniæ Prædeceſſores & Avos noſtros chariſſimos, eorumque Dominia, Regnum & Magnum Ducatum, ac Terras ac populos eis ſubjectos ex una, & Venerabilem & Magnificum olim Dominum PAULUM de RUSDORFF, Ordinis Hoſpitalis S. MARIÆ Theutonicorum Hieroſolimitani in Pruſſia Magiſtrum Generalem, ejusque Ordinem, Terras & populos ex altera partibus, omnibus & ſingulis guerrarum ac differentiarum inter Partes ipſas

ANNO 1529. ſas hinc quomodolibet exortis diſpendiis & anfractibus ſopitis & extinctis, fœdus pacis perpetuo, firmiter & inviolabiliter utrinque tenendum & obſervandum initum ſit & contractum, certis & authenticis literis ſeu inſcriptionibus munitum & roboratum. Ne tamen unquam futuris temporibus, quorum vetuſtate conditionum varietas afferri ſolet, aliquid de & ſuper contractu ipſo ambiguitatis quoquo modo exoriatur, in detrimentum ipſius pacis perpetuæ & concordiæ, qua nihil humanæ vitæ conducibilius eſt et commodius, & contra, diſcordia rebus humanis nihil pernicioſius. Volentes itaque Dominiorum & ſubditorum noſtrorum tranquillitati ad futura etiam ſæcula conſulere, nec non optatis & petitioni Illuſtris Principis Domini ALBERTI Marchionis Brandenburgenſis, ac in Pruſſia, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubarum, Sclavorum Ducis, Burgrabii Norinbergenſis, Nepotis noſtri chariſſimi, innovationem contractus illius, fœderis, pacis perpetuæ, fieri exoptantis, benigne annuentes: contractum ipſum fœderis, pacis perpetuæ, ita, ut præmittitur, inter Divos olim Prædeceſſores noſtros, Regem & M. Ducem praedictos, & Ordinem, Dominiaq; & Terras Partis utriusque initum, in literisque circa lacum Melno apud flumen Oſſa datis, & in aliis deſcriptionibus deſuper ſecutis, contentum & deſcriptum, noſtro & Illuſtriſſimi Principis Domini SIGISMUNDI AUGUSTI, in Magnum Ducem electi, Filii noſtri chariſſimi, nominibus, ac inter Nos & ipſum Filium noſtrum, Dominiumq; noſtrum M, D. Lithuaniæ ex una, & præfatum Illuſtrem Principem Dominum ALBERTUM Marchionem Brandenburgenſ. in Pruſſia Ducem, Nepotem noſtrum chariſſimum, ejusq; Ducatum et Terras Pruſſiæ, & populos ei ſubjectos ex altera partibus, refricandum ſeu innovandum duximus, innovavimusque, atque per præſentes innovamus; & propter evidentiorem hujusmodi innovationis notitiam, Articulos infraſcriptos, ex tenore literarum ſeu inſcriptionum antiquarum nihil penitus immutando extractos, præſentibus duximus eſſe inſerendos.

Et primum de limitibus, quibus Terræ Magni Ducatus noſtri Lithuaniæ & Samogitiæ a Terris Ducatus Pruſſiæ ab invicem ſeparantur & dividuntur, præponendum cenſuimus, cujus tenor eſt is, qui ſequitur.

„Item a fine limitum Ducum Maſoviæ incipiendo a flumine Lyk, a vado dicto Kamienny brod, quod jacet in ſuperiori parte ejusdem fluminis Lyk, altius, quam eſt lacus Greywo & Totzilaw, & ab illo loco directe eundo per ſolitudinem uſque ad lacum, qui dicitur Rogoreh, ita, quod medietas ejusdem lacus, in Terris remaneat Domini Ducis Lithuaniæ, & reliqua medietas in Terris Ducatus Pruſſiæ, & ab illo lacu directo tramite per deſertum uſque ad quandam aream dictam Prevoyſty, ab illa area continuando iter directum uſque ad aream dictam Meruniſchk, & a Meruniſchk eundo directe, uſque ad lacum, qui vocatur Dwyſtycz, ita tamen, quod idem lacus remaneat totus ex parte Ducatus Pruſſiæ, & ab eo lacu, quo directius iri poteſt ad ortum ſeu ſummitatem fluminis dicti Lepuna, per eundem fluvium deſcendendo uſque ad conſumationem ejus, ubi intrat in fluvium Syrowintha, & ulterius deſcendendo eundem fluvium Syrowintha uſq; ad conſummationem ejus, ubi intrat fluvium Seſſuppa, & ulterius directe procedendo per ſolitudinem uſq; ad ripam fluminis Memel, ex oppoſito fluminis dicti Swantha, ubi idem fluvius Swantha intrat fluvium Memel prædictum: & hoc quoad Terram Sudorum. Eundem fluvium Swantha ſurſum aſcendendo per duo milliaria, ab illo loco illum fluvium deſerendo tranſeundum eſt per ſolitudinem, quo directius iri poteſt uſque ad fluvium Jura, relinquendo fluvium Memel in ſiniſtro latere, ubiq; per duo milliaria, & dictum fluvium Jura aſcendendo, unum milliare ab eo loco Jura fluvius deſerendus eſt, & tranſeatur per ſolitudinem, relinquendo fluvios Memel & Ruſna lacum, qui dicitur Hap, & Caſtrum Memel in Samogitto Clupedo appellatum, undique a ſiniſtro latere per tria milliaria, & ſic tranſeundum eſt ad littus maris ſalſi. Et hæ ſunt granities Terræ Samagitarum & Pruſſiæ.

Item ne circa limites diſplicentiae ſive controverſiæ valeant ſuſcitari, volumus limites de quinquennio in quinquennium innovari, ubi altera aut utraque Pars innovationem petierit, ita tamen, ne altera Pars alteram remoretur. Item liber ſit tranſitus, & via omnibus mercatoribus & incolis Terrarum ac Dominiorum Ordinum, ſcilicet Domini Ducis Pruſſiæ, cum ſuis mercantiis & frumentis cujuscunque grani, & rebus quibuscunque, & cujuscunque conditionis vel materiei exiſtant, ſine impedimento & angaria, per terras, maria, aquas & flumina quæcunque aſcendendo in & ad Regnum Poloniæ, Terras Lithuaniæ & Samogitiarum, ac deſcendendo per terras noſtras, ac per ipſa flumina & aquas, uſque ad Ducatum Pruſſiæ, in navibus vacuis ſeu onera-

Anno 1529. oneratis, magnis ſive parvis in perpetuum, quocunque & quotiescunque voluerint, abſque aliquo arreſto & impedimento cujuscunque, hoc tamen cauto, ne nova itinera aut viarum diverticula quærant, ut ſi aliquæ novæ viæ quæſitæ eſſent, utrinque abrogentur & ceſſent, quæ ſanciuntur propter coërcenda homicidia, latrocinia, furta & rapinas, & ne telonea antiqua utrinque defraudentur. Quas quidem merces, frumenta & res, ut præſcriptum eſt, ſi præfati mercatores ſeu incolæ Terrae Pruſſiæ eas ducentes vendere, aut ſtare in aliquo locorum ſeu civitatum ſolitorum & ſolitarum, ad portum ſeu ripam prædictarum aquarum ſive maris ſituatarum & ſituatorum voluerint, eſt et debet eſſe in ipſorum arbitrio et voluntate: ſi vero vendere noluerint, poſſint absque omni impedimento ire, ſeu aſcendere ſeu deſcendere, quo eis placuerit cum rebus prædictis, ut ſuperius eſt expreſſum, teloneis & depoſitis, ſimiliter uſibus & conſuetudinibus antiquis, ut infra, ſalvis.

Item ſubditi Ducatus Pruſſiae, cujuscunque ſtatus vel conditionis fuerint, qui cauſa negotiationis vel alia ad Terras Magni Ducatus Litvaniae venerint, per Nos, ſubditos noſtros, aut extraneos, cujuscunque ſtatus, gradus aut conditionis fuerint, minime impeti, conveniri debent, vel arreſtari. Sed ſi noſtri ſubditi quid actionis contra illos habuerint, conveniant eosdem in locis, ubi domicilia vel forum habent, ibiq; juxta Terrarum Jura municipalia hujusmodi concertationes ſopiantur. Si autem ſubditi Magni Ducatus noſtri Lithuaniæ aut Ducatus Pruſſiæ a Magiſtratibus utriusque noſtrum id conſequi non poſſent, aut executionis plus æquo longiorem moram ſuſtinere cogerentur, his caſibus arreſtatio ſeu perſonarum, ſeu bonorum, & rerum duntaxat principalis rei, aut ſocii ejusdem contractus permittatur.

Quod ſi ex probatione partium, aut judicis ſententia conſtiterit, hujusmodi arreſtationem injuſte factam, tunc arreſtator expenſas & damna accuſato ſeu arreſtato, ſimiliter judici mulctam congruentem perſolvat.

Delinquens tamen in loco delicti deprehenſus debet puniri, & contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri. Sed ſi de loco, ubi contraxerit, receſſerit publice vel occulte, coram judice ſuo conveniatur, qui expeditam juſtitiam ſub pœna hoc & antiquo contractu comprehenſa adminiſtret. Item ſi nautae, vectores vel aurigæ, bona ſeu merces mercatorum pro pretio ducentes, telonea ſeu loca datiarum prætererint, ipſi dnntaxat in navibus, navigiis, vehiculis, curribus aut equis ſuis propriis punientur, ita, quod propterea bona mercatorum non debent occupari nec detineri. Porro ſi mercatores ipſi cum nautis & aurigis fuerint, teloneaq; defraudarint, vel partem bonorum vel omnia celando, ea bona, ſive ipſa bonorum pars celata, quantacunque fuerit, Duci Pruſſiæ cedat. Anno 1529.

Item nullus mercator ſeu alius homo, cujuscunque conditionis exiſtat, aut bona ipſius propter delictum ſeu debitum alterius arreſtentur, moleſtentur, turbentur, nec etiam captivetur, niſi ſocii eſſent, ut præmittitur, ejusdem contractus.

Item datio, ſive exactio dicta Pfundtzoll, Duci in Pruſſia a ſubditis Magni Ducatus noſtri Lithuaniæ ſupra hominum memoriam, & tempus præſcriptioni definitum præſtita, juxta conſuetudinem præſcriptam & hucuſque obſervatam D. Duci Pruſſiæ, Hæredibus, Succeſſoribusq; ejus præſtari & tradi debet ab illis duntaxat, qui trans mare navigarint. Aliæ autem omnes & ſingulæ exactiones, quibuscunque nominibus vocitentur, a mercatoribus Magni Ducatus noſtri Lithuaniæ, ac ejus indigenis, & ſpecialiter exactio quædam dicta Lobegeldt & Vierchen, nullatenus de cætero in Terris Pruſſiæ exigatur. Nec Nos in M. Ducatu noſtro imponemus aliquod novum teloneum, in præjudicium & gravamen ſubditorum Ducatus Pruſſiæ. Et ſi quod novum eſt impoſitum in Terris noſtris a tempore concordiæ & pacis perpetuæ circa lacum Melno factæ, omnino deponatur, teloneis & depoſitis antiquis, ante ſcilicet jam dictæ concordiæ tempora conſtitutis, ſemper ſalvis. Hoc tamen ſalvo & reſervato, quod ſi telonea nova inſtituenda fuerint, tunc conſenſus utriusque, ſcilicet Majeſtatis noſtræ & Ducis Pruſſiæ ad id requiri debet.

Item ſi ruſtici, coloni & tabernatores, hortulani, et aliæ ſimiles perſonæ Terrarum Ducatus Pruſſiæ, qui Dominis ſuis obligantur, et abſque ſatisfactione condigna juxta conſuetudinem earundem Terrarum ſe receperint, et ad Magnum Ducatum noſtrum Lithuaniæ publice vel occulte fugerint, Capitanei, Judices, Officiales et ſubditi noſtri, jurisdictionem pro tempore exercentes, qui fuerint requiſiti ad reſtitutionem eorum, cum rebus ſuis et bonis, quæ ſcilicet ex fundo vel re Domini ſui acquiſierint, ac in bona, in quibus deprehenſi fuerint, contulerint, eisdem Dominis ſuis ſine mora, difficultate et contradictione reſtituere tenean-

Anno 1529. neantur, nec de cætero taliter acceptentur aut ſerventur fugientes.

Item ſi fures, incendiarios, diffidatores, vel alios malefactores quoscunque de Terris Pruſſiæ, quibuscunq; ad Terras Magni Ducatus noſtri Lithuaniæ fugere contigerit, extunc Terrigenæ, et quorum intereſt, de Terris et Dominiis præfati Ducatus Pruſſiæ licenter eosdem ſine omni impedimento inſequi libere ubicunque poterint, quibus etiam Capitanei, Tenutarii, Terrigenae, Judices, Officiales, ſubditi M. Ducatus noſtri, quicunq; fuerint ſuper hoc requiſiti, debent praeſtare conſilia, auxilia et favores, ut malefici hujusmodi capiantur, captique juxta jura municipalia M. D. noſtri Lithuaniæ legitime puniantur, ita tamen, ut expenſis judicialibus magnis non graventur. Et ſi capi non poterint in Terris et Dominiis M. D. noſtri Lithuaniæ, tunc nullatenus per Nos et Nobis ſubditos ſuſtineantur ſeu foveantur: teneaturq; utraq; Pars illis ſine fraude et dolo in ſuis Dominiis incolatum prohibere. Hujus autem Mandati transgreſſor, ſi a damnum paſſo occaſione receptorum, aut conſervationis talium malefactorum nominatus fuerit, judicio ſiſtatur, et debitas legitimas pœnas luat.

Item ſi aliquis de Terris Magni *D*ucatus noſtri ſubditis Ducatus Pruſſiæ injuriam intulerit, et ſuper hoc Capitaneus, vel alius Officialis noſter requiſitus juſtitiam non fecerit, extunc pro negligentia hujusmodi ab officio eſt deponendus, niſi ſuo de innocentia juramento proprio et corporali ſe purgaverit. Et nihilominus Succeſſor teneatur facere expeditam juſtitiam requirenti. Si vero is, qui pro juſtitia, ratione delicti, vel alias requiritur, ſimplex fuerit terrigena, et juſtitiam facere recuſaverit aut neglexerit, extunc damna juſtitiam requirenti per Capitaneum de bonis Terrigenæ prædicti compenſentur et ſolvantur, niſi ſimili ſe purgaverit juramento.

Item ut Capitanei, Palatini, Officiales ſeu Judices Partis utriusque, Magni ſcilicet Ducatus noſtri Lithuaniæ Samogitiæque, et *D*ucatus Pruſſiæ, ad adminiſtrationem juſtitiæ fortius inducantur; et ne aliqua gravis diſplicentia inter Magnum Ducem Lithuaniæ et Samogitarum ex una, et Ducem Pruſſiæ et Terras ei ſubjectas prænominatas, ac ſubditos ejus ab altera parte, impoſterum valeat exoriri, ſingulis annis, dummodo neceſſitas et caſus ipſi hoc expoſcant, Nos Magnus Dux Lithuaniæ ex Proceribus *D*ucatus Pruſſiæ duos Viros boni teſtimonii et conſcientiæ in Feſto Pentecoſtes eligemus, et ſimiliter Dominus *D*ux Pruſſiæ, duos Palatinos in præfato Feſto eligere debebit, et Nobis mutuo, quantocius poterimus, hujusmodi electiones perſonarum ſcriptis inſinuare. Qui in Feſto S. Michaëlis convenientes anno uno in Villun, altero in Ragnith, literas Dominorum et Principum ſuorum habeant, quibus teſtatum ſit, ſe liberos eſſe a juramento præſtito, ibique viciſſim juramenta, tactis ſacroſanctis Evangeliis, de juſtitia facienda, favore, timore, et odiis excluſis præſtent, puniantque Judices et Officiales in adminiſtratione juſtitiæ remiſſos et negligentes, ſecundum jura municipalia loci delicti; partibus læſis nihilominus faciant juſtitiam congruentem, vel partes ſecundum æquitatem et bonam conſcientiam componant. Et omnia alia faciant, quæ pro confirmatione hujusmodi juratæ pacis perpetuæ viderint expedire: ſalvo tamen in præmiſſis omni legali et legitimo impedimento Judicum utrinque electorum, propter quod hujusmodi conventio de juſtitia reddenda, in aliud tempus competentius de ipſorum conſenſu rejicienda et proroganda erit, ſecluſis tamen omni odio et fraude. Anno 1529.

Item ſi aliquæ novæ diſſenſiones, diſplicentiæ, damna, ſive diſcordiæ inter Nos (quod abſit) noſtrasque Magni *D*ucatus Lithuaniæ et Samogitiæ Terras ex una, et Dominum Pruſſiæ Ducem, Ducatusque ejus ex altera partibus, emerſerint, vel aliqua Partium, ſuadente diabolo, præſenti Concordiæ contravenire quovis modo præſumpſerit, extunc Pars læſa alteri tenebitur nuntiis aut ſcriptis hujusmodi injurias aut diſplicentias, ſeu aliquod præmiſſorum ſignificare, et tandem ambæ Partes efficere et procurare ſine fraude et dolo, quod Conſiliarii ipſorum ad certos et diem et locum conveniant competentem, qui a juramentis Principibus ſuis præſtitis abſoluti, forma infra ſcripta hujusmodi diſplicentias et injurias ſecundum Deum et juſtitiam, omni favore et odio poſtpoſitis, tractent, cognoſcant, terminent ac decidant. Quod ſi Commiſſarii praedicti in ſententia ferenda diſcordes fuerint, eligant duos fama et integritate perſpicuos Viros, ex Provincia Partis laeſae et conquerentis, ex quibus alterum eligere habet Pars laedens et rea: cujus ſententiae, utpote ſupremi Arbitri, partes acquieſcant, omni tergiverſatione, recuſatione et appellatione ſemotis.

Item ſi per aliquem ſubditum, indigenam ſeu advenam alicujus noſtrûm caſu et eventu inſcriptioni, ſeu paci hujusmodi perpetuae in aliquo fuerit derogatum et contraventum, ut ſi rapinae, ſpolia, incendia, vaſtationes, praedae vel homicidia, aut aliqua maleficiorum genera,

ANNO 1529. nera, in Terris et Dominiis noſtris alterutrum perpetrata fuerint et commiſſa, quod tamen, ut praemittitur, non debet fieri, propterea pax praedicta caſſari & irritari non debebit, ſed in ſuo robore & firmitate permanebit, nec propter hoc, cujus ſubditus maleficium hujusmodi commiſerit, cenſebitur fore dejerans ſeu perjurans. Praedicti autem delinquentes & malefactores pro ipſorum exceſſibus per Capitaneos ſeu Officiales utriusque noſtrûm judicialiter punientur, & ad ſatisfactionem plenam ac debitam arctabuntur et compellentur."

Ut autem hujusmodi pacem perpetuam & concordiam ſub certiori attentionis firmitate et robore cuſtodiamus & ſervemus, promittimus ſine dolo & fraude, ſub fide & honore, ac onere praeſtiti juramenti, quod a tempore praeſentis innovationis inchoando, in futurum ad nullius viventis hominis requiſitionem, inductionem, ſuggeſtionem, perſuaſionem, vel conſilium, etiam quacunque dignitate praefulgeat, Papali, Imperiali vel Regali, aut cujuscunque Congregationis legitimae perſonarum Eccleſiaſticarum vel ſaecularium, debebimus vel poterimus contravenire ipſi Duci Pruſſiae & illius ſubditis in parte vel in toto, expreſſe, manifeſte vel occulte, per Nos vel alium, ſeu per alias quascunque perſonas ſubmiſſas, ſpirituales vel ſaeculares, neque eas ipſas confœderationes ſupradictas taliter aut quocunque modo violare, etiamſi modernus Imperator, aut Succeſſores ſeu Imperatores perſonaliter cum exercitu contra Ducem Pruſſiae ſe moverent, contra hujus contractus ſeu renovationis fœdus antiquo modo factae, occaſione ulla non debebimus ipſi Cæſari, vel alteri cuicunque, nec Haeredes aut Succeſſores noſtri debebunt aſſiſtere, ope, conſilio, auxilio vel favore. Non debemus etiam, nec volumus inimicis & hoſtib9 Ducatus Pruſſiae quibuscunq; paſſum per Terras noſtras permittere, neque etiam Confœderationem aliquam facere, aut ſuſcipere in praejudicium & offenſionem praedicti Ducis Pruſſiae quoquomodo.

Quam Concordiam, atque omnes et ſingulos Articulos ſupra ſcriptos, & in iis contenta Nos SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Samogitiae, Maſoviaeque &c. noſtro, Filiique noſtri et Succeſſorum noſtrorum, ac Conſiliariorum Magni Ducatus noſtri Lithuaniae nomine, juramento noſtro tactis Sacroſanctis Evangeliis in praeſentiarum praeſtito, ac verbo noſtro et fide Regiis promittimus, a tempore praeſentis innovationis inchoando, in futurum perpetuo et inviolabiliter obſervare, hoc bona fide & ſimpliciter promiſſo; quod ſi Nos, Haeredes, Succeſſores noſtri, ſtante hujusmodi innovatione pacis perpetuae, et concordia praeſenti, contra Ducem Pruſſiae vellemus aut conaremur guerras aut bella movere, non debent Nobis ſubditi noſtri Magni Ducatus Lithuaniae conſentire, nec in hoc obedire aut parere. Quinimo ipſo facto erunt ac ſint ab omnibus noſtris homagiis, juramentis et ſubjectionibus liberi et ſoluti, donec in hoc caſu Nos, Haeredes et Succeſſores noſtri ad obſervationem hujus innovationis pacis perpetuae antiquae, et confœderationis præſentis convertamur. Similiter etiam Illuſtris Princeps Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Filius noſter chariſſimus, cum ad majorem legitimamque aetatem pervenerit, juramentum corporale de hac concordia ſupra ſcripta, ſeu fœderis antiqui innovatione firmiter conſervanda facere et praeſtare debebit.

In quorum omnium fidem et maius teſtimonium has praeſentes noſtras Literas manu propria ſubſcripſimus, ſigilloque Magni Ducatus noſtri Lithuaniae communiri et roborari fecimus. Actum et datum Vilnae vigeſima prima Menſis Junii, Anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono.

Praeſentibus Reverendis in Chriſto Patribus, ac Magnificis, Generoſis et Strenuis Dominis, Joanne Vilnenſi, Paulo Luceorienſi, Nicolao Mednicenſi, Nicolao Kijovienſi, Epiſcopis; Alberto Gasdt de Murata Geranoyni Palatino Vilnenſi, Cancellarioque noſtro, Capitaneo Belzenſi, Moſirenſi, Bobruvnicenſi et Boriſovienſi, Georgio Nicolao Radziwil Caſtellano Vilnenſi, Mareſchalco Curiae noſtrae, Capitaneo Grodnenſi, Lidenſi et Bielſcenſi, Stanislao Smnislai Caſtellano Trocenſi, Capitaneo Samogitienſi, Joanne Zabrzezinſki Mareſchalco Terreſtri, Palatino Novogrodenſi, Capitaneo Merecenſi, Osmianenſi et Dougenſi, Andrea Jacobo Neymir Palatino Kijovienſi, Petro de Czechanowiecz Palatino Polocenſi, Joanne Georgio Lebowicz Palatino Withebſcenſi, Georgio Georgii Oſczick Structore menſae noſtrae, Neyemira Grzymala Capitaneo Melnicenſi, Marſchalcis noſtris, Joanne Krilinicz Capitaneo Mezilavienſi, Joanne Sieczko de Delobowo Marſchalco, Stanislao Jacobi Skoph Secretario, Tenutario Skierſtivienſi et Tondagelenſi, Georgio Nicolai Petzkowicz Magiſtro Curiae noſtrae et Gladifero, Alberto Nagburth Vexillifero, Joanne Nagburth Dapifero, Nicolao

Anno 1529. colao Andruſkowicz Pincerna noſtri Magni Ducatus Lithvaniae, Conſiliariis ſincere Nobis atque fidelibus dilectis, quorum etiam ſigilla praeſentibus ſunt ſubappenſa.

SIGISMUNDUS Rex.

CLXXXVII.

Exemplar ejusdem Renovationis ex parte Alberti *Ducis.* Datum Regiomonti 21. Junii 1529. *Ex Archivo Regni num. 38. fol. 226.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen.

Quoniam experientia docemur, concordia et pace vicinorum Regum, Principum, et caeterarum Rerumpublicarum, Rectorum, ſubditorumque res parvas feliciter creſcere; viciſſim vero illorum diſſenſionibus diſcordiaque ea, quae in faſtigiis ſunt, ad ima decreſcere atque dilabi. Unde fuerit e Republica, omni ſtudio pro humanis viribus provi dere, avertere et proſcindere omnes occaſiones, quibus poſſent impediri utilitas, commodum, felices ſucceſſus pro communi ſalute humanae ſocietatis et Regnorum, Provinciarum, Nationum confinio conjunctarum. Quamobrem Nos Albertus Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, in Pruſſia, Stetiniae, Pomeraniae, Caſſubarum ac Sclavorum Dux, Burggravius Nurenbergenſis, et Princeps Rugiae a Sereniſſimo et Potentiſſimo Principe et Domino, Domino Sigismundo Rege Poloniae, Magno Duce Lithuaniae, Ruſſiae, totiusque Pruſſiae, ac Maſoviae Domino et Haerede, Domino noſtro clementiſſimo, atque Avunculo aeque obſervandiſſimo ac chariſſimo, ſimiliter a Sereniſſimo Principe et Domino Sigismundo, Majeſtatis illius Filio, Electo Magno Duce Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Domino et Haerede, Domino et Conſanguineo noſtro chariſſimo, obſequioſe et amice petivimus veterum fœderum innovationem, praeſertim autem ejus fœderis, quod inter Sereniſſimum Regem Poloniae Vladislaum et Alexandrum Vitoldum Magnum Lithuaniae Ducem, eorum Regna, Ducatus, Terras et populos ab una, ac Venerabilem et Magnificum Principem Dominum Paulum de Rusdorff Magnum et Generalem Magiſtrum Ordinis Theutonicorum Alemaniae, Pruſſiae ac Livoniae, cum Ordine, Terris, populisque ſuis ab altera partibus, circa lacum Melno apud flumen Oſſa, et quorumcunque aliorum ſubſequutorum ejusdem tenoris initorum et initi. Quam, ut praemittitur, petitionem noſtram, obſequioſe et amice a Nobis factam, Sereniſſimus Rex Poloniae Sigismundus, Magnus Dux Lithuaniae ſuo proprio, ſimiliter Sereniſſimi Principis Sigismundi Augusti Filii chariſſimi, Electi Magni Ducis Lithuaniae, utriusque item Haeredum et Succeſſorum, omniumque Ordinum eius Magni Ducatus nomine clementer admiſit, atque eas noſtras preces publice rei utriusque gratia benigne annuit. Quare Idem Nos Albertus Marchio Brandeburgenſis, in Pruſſia Dux etc. Significamus tenore praeſentium univerſis et ſingulis praeſentem Concordiam viſuris ſeu lecturis, Sacram Regiam et Ducalem Majeſtatem Magnum Ducem Lithuaniæ, Sereniſſimum item Principem Sigismundum Augustum, & Nos, ac utriusq; noſtrum Hæredes, Succeſſores, Terras, populos & ſubditos noſtros quoscunque ex parte ſcilicet Magni Dncatus Lithuaniæ & Ducatus noſtri in Pruſſia conveniſſe, ut innovatio ſupradicti antiqui fœderis ſeu pacis perpetuæ, præſertim autem articulorum infra ſcriptorum prædicta perpetua pace extractorum, ſecuta & facta ſit modo infra ſcripto. Inter ea autem, de quibus utrique Parti hactenus extitit mutua conſenſio, in prædictis antiquis fœderibus expreſſa, viſum eſt principio renovare & ſervare pro veteri obſervatione limites & terminos infraſcriptos.

Item a fine limitum Ducum Maſoviæ incipiendo a flumine Lyck a vado dicto Kamienny brod &c. *Vide ſupra pag. 258. & ſeqq.*

Quam concordiam, atque omnes & ſingulos articulos ſupra ſcriptos, & in his contenta Nos Albertus Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, in Pruſſia, Stetiniæ, Pomeraniæ, Caſſubarum & Sclavorum Dux, Burgravius Nurenbergenſis, & Princeps Rugiæ noſtro, Hæredum etiam & Succeſſorum noſtrorum omnium, item Ordinum Ducatus noſtri in Pruſſia nomine juramento noſtro, tactis Sacroſanctis Evangeliis, in præſentiarum præſtito, ac verbo noſtro Ducali, & fide Principe digna promittimus, a tempore præſentis innovationis inchoando, in futurum perpetuo & inviolabiliter obſervare, hoc bona fide ac ſimpliciter promiſſo. Quod ſi Nos, Hæredes vel Succeſſores noſtri, ſtante hujusmodi innovatione pacis perpetuæ & concordia præſenti, contra Magnum Ducem Lithuaniæ vellemus aut co-

ANNO 1529. conaremur guerras aut bella movere, non debent Nobis ſubditi noſtri conſentire, nec in hoc obedire aut parere. Quinimo ipſo facto erunt & ſint ab omnibus noſtris homagiis, juramentis & ſubjectionibus liberi & ſoluti, donec in hoc caſu Nos, Hæredes & Succeſſores noſtri ad obſervationem hujus innovationis pacis perpetuæ antiquæ, & confœderationis præſentis revertamur. Pari modo Sereniſſimus Princeps & Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Majeſtatis ſuæ Filius chariſſimus, quum ad majorem legitimamque ætatem pervenerit, juramentum corporale de hac concordia ſupra ſcripta, ſeu fœderis antiqui innovatione firmiter conſervanda facere & præſtare debebit. In quorum omnium teſtimonium Sigillum noſtrum Ducale majus, una & cum propriæ manus inſcriptione, pariterq; cum ſigillis Reverendi in Chriſto Patris Domini Georgii Epiſcopi Sambienſis, ac Conſiliariorum noſtrorum infra ſcriptorum, Generoſorum, Magnificorum, Nobilium, Validorum, Prudentum, Nobis ſincere dilectorum: Quirini Schlick Comitis in Paſſan, Domini in Weyſinchen, Ellenpogen & Oſterrode, Friderici Truchſes Domini de Walpurgk, Petri Burgravii & Domini de Dhonaw Præfecti in Morangen, Boti Domini de Eleynburgk, Junioris Praefecti in Labia, Joannis Domini de Kitlitz, Georgii Domini a Kitlitz, Melchioris de Creitzen Magiſtri Curiæ, Martini Cannacher Supremi Burgrabii in Konigispergk, Menigke de Schirſtetten Præfecti Generalis in Sambia, Georgii de Vietmansdorff Præfecti in Wieſtchiſe, Georgii Klingenbeck Præfecti in Memel, Theoderici a Sclebenn Equitis Aurati, Georgii de Kienheim Praefecti in Tapia, Echardi de Reppichaw Praefecti in Teſollant, Joannis de Gablentz Praefecti in Iligenburgk, Erneſti a Rechenburgk Praefecti in Raſtenburgk & Rheyn, Petri Roberſche Praefecti in Neydenburgk, Friderici de Olſintz Praefecti in Hohenſteyn, Joannis Payn Praefecti in Inſterburgk, Fabiani de Lehendorff Praefecti in Preſſiſteinklaw, Sigismundi Runther, Joannis Leiſtgewang, Jacobi Kalckſtein, Theoderici Wayſel, Andreae Ryeppen, Sigismundi Danielis, & trium Civitatum Regii Montis, his noſtris literis appendi fecimus. Acta ſunt haec in Arce noſtra Montis Regii 21. Menſis Junii, Anno Domini 1529.

CLXXXVIII.

SIGISMUNDUS I. *Rex deſignat Commiſſarios ad renovandos limites inter Lithuaniam & Pruſſiam.* Datum in Caſtro Melnik 21. Novemb. in Vigilia Præſentationis B. V. M. Anno 1529. *Indidem fol, 230.* ANNO 1529.

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviae &c. Dominus & Haeres. Significamus tenore praeſentium quibus expedit univerſis & ſingulis harum notitiam habituris. Quod Nos conſtitutum habentes, cum Illuſtri Principe Domino ALBERTO Marchione Brandeburgenſi, ac in Pruſſia, Stetiniae, Pomeraniae, Caſſuborum & Schlavorum Duce, Burgravio Nurembergenſi &c. Nepote noſtro chariſſimo, limites antiquos inter Magnum Ducatum noſtrum Lithuaniae ex una, & Ducatum Pruſſiae ex altera partibus innovandos eſſe & reformandos, Magnificos & Generoſos Stanislaum Caſtellanum Trocenſ. Capitan. Samogitiae, Joannem Radziwiſ Pincernam noſtrum, Tenutarium Waſilienſem, Bohuſſium Theſaurarium Terreſtrem, Mareſchalcumque & Notarium, Tenutarium Slonimenſem, & Stanislaum Skop Secretarium, noſtros ſincere ac fideles dilectos, in noſtros ad hujusmodi limitum innovationem & reformationem ex parte noſtra Commiſſarios deputavimus et delegamus, plenamque eis et omnimodam, de et ſuper limitum hujusmodi innovatione et reformatione, una cum praefatis Domini Ducis Pruſſiae Commiſſariis, inſcriptionibus vetuſtis fœderum pacis perpetuae et limitum conſignationis tempore Divorum olim Principum Dominorum WLADISLAI alias JAGELO, ALEXANDRI alias WITOWDI, Avorum et Praedeceſſorum noſtrorum chariſſimorum inter Dominia ipſa initis et factis per totum inhaerendo, et nihil penitus ab earum tenore diſcrepando, tractandi, agendi et concludendi, eosque ipſos limites antiquos in inſcriptionibus vetuſtis deſignatos innovandi, reformandi, nec non ſcopulis aliisque ſignis metalibus eos ob evidentiorem et aeternam notitiam certificandi et notandi, nec non cauſas, lites, et quascunque differentias inter noſtros de Magno Ducatu noſtro ex una, et praefati Domini Ducis de Ducatu Pruſſiae ex altera partibus ſubditos finitimos quacunq; occaſione exortas audiendi, cognoſcendi, diſcernendi et determinandi integram et debitam ſubditis Domini Ducis Pruſſiae de ſubditis noſtris faciendi et adminiſtrandi juſtitiam, et itidem ſubditis noſtris ex prte Domini Ducis praedicti de ſubditis eas mutuo, viciſſium et alternatim fier

Anno 1529. requirendi et adtendendi, aliaq; in praemiſſis ſeu circa praemiſſa neceſſaria, aut quomodolibet opportuna gerendi, exercendi ac ordinandi dedimus et conceſſimus facultatem et mandatum plenum ac ſufficiens, omniaque et ſingula, quae in praemiſſis per praedictos Commiſſarios noſtros vigore praeſentium geſta, facta, ordinata et determinata fuerint, rata et grata habere, atque firmiter et inviolabiliter obſervare promittimus. Harum, quibus ſigillum noſtrum eſt ſubappenſum, teſtimonio literarum. Datum in Caſtro noſtro Melnik Sabbatho in Vigilia Praeſentationis Virginis Glorioſiſſimae Mariæ, Anno ſalutiferi Partus ejus milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono.

SIGISMUNDUS Rex. *mppr.*

CLXXXIX.

1530. Sigismundus I. *Rex confirmat donationem ab* Alberto *Duce Conjugi ſuæ factam, promittitq; ſe ejus Tutorem futurum, Marito vita defuncto,* Datum in Piotrkow in Octava Epiphaniæ An. Domini 1530. *Ex Archivo Regni ſub Litt. HH. fol. 117.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae etc. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis etc. Quia exhibitae erant coram Nobis literae Illuſtriſſimi Principis Domini Alberti, Marchionis Brandenburgenſis, ac in Pruſſia etc. Ducis, Nepotis noſtri chariſſimi, ejus ſigillo ſufficienter communitae, omni ſuſpicionis vitio carentes, Illuſtri Principi Dominae Dorotheæ, ejusdem Domini Ducis Conſortis chariſſimae, donationem propter nuptias in ſe continentes, poſtulatumque erat a Nobis nomine praefatorum Illuſtriſſimorum Conjugum, Nobis admodum chariſſimorum, ut literas easdem et in eis contenta auctoritate noſtra Regia approbare et ratificare dignaremur, quas antea in Magno Ducatu noſtro Lithuaniae agentes approbaveramus, et ſigillo noſtro annuali, quo tum ſub abſentia Cancellariorum noſtrorum uſi ſumus, extradi commiſeramus: Quia tamen idem Illuſtriſſimus Dux Nobis hic per Oratores et Conſiliarios ſuos, ſupplicavit, ut eas literas, modo praemiſſo confirmatas ac extraditas, ſigillo noſtro majori communitas extraderemus, Nos hujusmodi ſupplicationi haud gravatim annuentes, easdem literas confirmandum, approbandum et ratificandum duximus, quarum tenor eſt talis:

„ Nos Albertus Dei Gratia Marchio Brandenburgenſis, in Pruſſia, Stetiniae, Pomeraniae, Caſſubiorum, Sclavorumque Dux, Burgravius Norimbergenſis, ac Rugiae Princeps. Quanquam jam pridem Illuſtriſſimae Principi Dominae Dorotheæ, eadem Gratia ex inclitiſſima Danorum Stirpe Regia progenitae, Margraviae Brandenburgenſi, atque in Pruſſia etc. Duci, Conſorti noſtrae chariſſimae donationem fecimus propter nuptias quadraginta millium aureorum, ita ſcilicet, ut ei annuatim ſexaginta aurei Renenſes cedere debent, aureum Renenſem viginti quatuor groſſis Lubucenſibus penſando, eamque ob rem praedictae inclytae ac ſuaviſſimae noſtrae Conſorti uſum fructum totius Capitaneatus noſtri Labia, cum omnibus reditibus, theloneis, aliisque proventibus ejus loci conſtituimus, hoc addito, quodſi reditus et proventus ejus Capitaneatus Labia dictam Summam non attingerent, adderentur proximorum locorum ſeu diſtrictuum proventus, donec donationis factae Summa praedicta aequaretur, cujus etiam donationis literas Sereniſſimi Danorum Regis Oratoribus, tunc inclytam Sponſam Nobis adducentibus, tradidimus, Sereniſſimo Danorum Regi, Domino et Parenti noſtro chariſſimo reddendas, quoniam tunc accidit, quod dicti Capitaneatus noſtri Labia reditus et proventus medio tempore, ut ſolent res humanae, decreverunt, et alioquin ea arx commoda ſatis non eſt Principis Faeminae habitationi, juxta hoc animo advertentes, Conſortem non minus moratam, quam optime dotatam Dei benignitate Nobis obveniſſe, utpote praeclaris animi corporisque dotibus ſic ornatum, ut cum Hebraeo Sapiente vere dicere poſſimus: ſortem bonam nobis obtigiſſe. Coacti ſumus, nedum pellecti tanta Conſortis noſtrae virtute, moribus illius majori gratitudine reſpondere, quo vel vita defunctis Nobis ſentiat illa amantis et grati pectoris beneficia, eam itaque donationem a Nobis, ut praefertur, factam his praeſentibus innovamus et comprobamus, eandemque ob praedictas cauſas atque ſingularem amorem, quem in Illuſtriſſimam Dominam Conjugem noſtram gerimus, auximus et augemus ad eum modum, qui ſequitur: Nam donamus inclytam noſtram Conſortem Dominam Dorotheam Ducem in Pruſſia, Nobis multo dilectiſſimam, ſupra priorem donationem a Nobis illi, ut memoratum eſt, factam, jam tandem omnibus cenſibus, reditibus, theloneis, venationibus, operis, liberorum Feudis, atque ipſo infeudandi jure, aliisque juribus corporali-

ANNO 1530. poralibus et incorporalibus, civitatibus, oppidis, pagis, villis, earundemque incolis, Nobilibus et ignobilibus, uſufructu denique ſylvarum, agrorum, pratorum, ſtagnorum, paludum, fluviorum, aquarum, atque omnino proventibus omnibus et ſingulis, quocunque cenſeantur nomine, ſequentium Diſtrictuum ſeu Capitaneatuum noſtrorum, ſimiliter et arcium ipſarum, Tils, Ragnith, Wieſthauſen, una cum jurisdictionibus ac judiciis majoribus et minoribus, ita ſane, ut omnium quatuor locorum ſeu Capitaneatuum et arcium Labia, Tils, Ragnit et Wieſthauſen proventibus, fructibus, reditibus et emolumentis ſupradictis, aliisque omnibus tam praeſentibus quam futuris, ſi quoquo modo ipſos quatuor Diſtrictus ſeu Capitaneatus noſtros dictos cum arcibus eorundem augeri contigerit, (non alio tamen quam uſufructus jure et conſuetudine) utifrui poſſit et valeat, Conſors noſtra inclyta et ſuaviſſima, abſque Haeredum Succeſſorumve noſtrorum, ſeu alterius cujuscunque impedimento, hoc addito, quod delectum habeat dulciſſima Conjux noſtra, et poteſtatem commorandi, in qua magis illi placuerit, arcium praedictarum, rurſumq; ſedem et habitationem ex voluntate ſua mutandi; per Capitaneos proinde praenominatorum noſtrorum Capitaneatuum Tils, Ragnith et Wieſthauſen, ſimiliter eorundem locorum et diſtrictuum, ſubditos, Nobiles et plebeios, juramenta debita eam ob rem inclytae Conſorti noſtrae praeſtanda curabimus, quemadmodum et praeſtari facere eidem promiſimus et tenemur, quodſi eos ipſos Capitaneos praedictorum quatuor locorum ſeu diſtrictuum, aut unum ex his decedere contigerit, Nobis praemortuis liberum ſit Illuſtri et Praeclarae Conſorti noſtræ alium Capitaneum in demortui locum pro ſua voluntate ſufficere, hoc quoque cauto, ubi ex hac lachrimarum valle Nos decedere contigerit, relictis Hæredibus ex eadem Illuſtri Conſorte noſtra maſculis, ipſaque unam illarum arcium, & Capitaneatuum unum cum proventibus ſuis uſui Hæredum noſtrorum dimittere, atque ea ſe abdicare voluerit, ut hoc ei materno amore inductæ liceat & liberum ſit, non etiam neceſſitate illi his noſtris literis impoſita, his ſalvis, quæ in prioris donationis literis, de militum tempore bellorum ſuſtentatione & incommodatione, atq; de arcium ipſarum caſu aliquo majore periturarum reſtauratione, quæ denique de arcis & diſtrictus Labia oppignoratione bonorum in dictis literis præſcripta ſunt, nam ea etiam nunc memorata, & de prædictis tribus arcibus & diſtrictibus Tyls, Ragnith & Wieſthauſen intelligi & præſcripta eſſe volumus. Hæc omnia & ſingula ſupra ſcripta his præſentibus noſtris literis coram univerſis, ſive legentibus ſive audientibus easdem, ita, ut præmittitur, a Nobis conſulto, prædictis item atque aliis legitimis honeſtiſſimisque cauſis, animum noſtrum ad hoc inducentibus & ferme compellentibus, in gratiam Illuſtriſſimæ atque Inclytiſſimæ, Nobisque chariſſimæ Conſortis noſtræ ſupra nominatæ facta & acta teſtamur, teſtataque eſſe volumus. In quorum etiam omnium & ſingulorum teſtimonium majus Sigillum noſtrum Ducale his adponi fecimus, literas etiam has manu propria ſubſcripſimus. Actum & datum in Arce noſtra Wieſthauſen die nona Julii, Anno a Chriſto Salvatore noſtro nato milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono. Præſentibus Nobilibus, Generoſis, Egregiis Conſiliariis, & Fidelibus Nobis ſincere dilectis, Joanne Domino a Kitlitz, Martino Kannacher ſupremo Quæſtore, Georgio Crichenbek Capitaneo in Mymel, Georgio Winthmansdorff Capitaneo in Wieſthauſen, Friderico Fiſcher Utriuſque Juris Doctore & Cancellario noſtro, Laurentio Vindlio Artium & Medicinæ Doctore, Phyſico noſtro." ANNO 1530.

Nos vero SIGISMUNDUS Rex prænominatus poſtulationi hujusmodi pro parte praefatorum Illuſtrium Conjugum, Nobis admodum chariſſimorum, apud Nos per ſupra nominatos Oratores exhibitæ & factæ, annuentes, præinſertas imprimis literas & in eisdem contenta ac deſcripta, cum omnibus earum clauſulis, articulis & continentiis, de conſilio pariter & aſſenſu Conſiliariorum noſtrorum ſpiritualium & ſæcularium, in hoc Generali Conventu Nobiſcum exiſtentium, approbandas & confirmandas duximus, approbamusq; , ratificamus & confirmamus, illasque & omnia in eis contenta robur debitæ firmitatis habere decernimus. Ac deinde etiam, quia Illuſtriſſimus Dominus Dux ALBERTUS, Nepos noſter chariſſimus præfatus, a Nobis licet præter naturæ curſum, quo eum ætate prævenimus, plurimum optaret, ut eo vita functo, ſi ita Dei voluntate, a qua cuncta dependent, ordinatum eſſet, ut Nos, ſi ſupervivere contingat, tum Supremus Illuſtriſſimæ Dominæ DOROTHEÆ Ducis relictæ Tutor, prout multiplici jure tenemur, eſſe vellemus, & alios quoque ſuæ Illuſtritati idoneos & gratos curatores & tutores dare non negaremus, Nosque tam prudens ſuæ Illuſtritatis conſilium, quo futura ma-

Anno 1530. ture providet, ſumme probantes, & petitionem hujusmodi Illuſtritatis ſuæ honeſtam & piam pro noſtro in ſuam Illuſtritatem ſincero amore ſuſcipientes, ita, ut ſi, quod Deus avertat, Illuſtritatem ſuam mors ex hac vita rapuerit, Illuſtri Domina Dorothea Conjuge ſua & Nobis ſuperſtitibus remanentibus, tum Nos deſiderio Illuſtritatum ſuarum ſatisfacere, & Tutorem ſupremum agere, atque alios tutores & curatores tantæ Principi, & loco Filiæ Nobis chariſſimæ, dignos & opportunos dare & deputare & concedere debebimus, prout citra moram dabimus & concedemus. Harum, quibus noſtrum majus ſigillum appenſum eſt, teſtimonio literarum. Datum in Conventione Generali Piotrcovienſi in Octava Epiphaniæ Domini, Anno ejusdem milleſimo quingenteſimo triceſimo, Regni noſtri vigeſimo tertio.

Relatio Magnifici Chriſtophori de Szidłowiec Caſtellani & Capitanei Cracovienſis, Regni Poloniæ Cancellarii.

CXC.

Edictum Sigismundi I. *Regis contra invehentes in Pruſſiam monetas adulteratas, vel quoquo modo eis abutentes.* Datum Cracoviæ Feria ſexta poſt Dominicam *Invocavit*, Anno Domini 1530. *Ex Archivo Regni Litt. JJ. fol. 30.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Univerſis & ſingulis Principibus tam ſpiritualibus quam ſæcularibus, Reverendiſſimis ac Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac eorundem Capitaneis, nec non Magnificis, Generoſis, Nobilibus, Famatis & Providis Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Tenutariis, & quibusvis aliis Dignitariis & Officialibus, & eorum Vicesgerentibus Nobilibus, Hæredibus, Advocatis, Sculteтis, Civitatumque & Oppidorum noſtrorum, & quorumcunque ſubditorum noſtrorum Magiſtris Civium, Conſulibusq; ac Communitatibus, & generaliter omnibus ſubditis noſtris, cujuscunque ſtatus, conditionis & præeminentiæ exiſtentibus, in Regno & Terris noſtris Pruſſiæ & Maſoviæ ubilibet conſtitutis, ad quos præſentes literæ noſtræ pervenerint, & ad quorum notitiam veriſimiliter infra ſcriptum Edictum perlatum fuerit, ſincere & fidelibus noſtris dilectis, ſalutem & gratiam noſtram Regiam. Sincere & fideles dilecti. Manifeſtum vobis & cuilibet veſtrum facimus per præſentes, quia Nos partim ipſi conſiderantes, partim per ſubditos noſtros edocti, qui intrinſecus Terras noſtras Pruſſiæ atterunt & exinaniunt, & vicinis quibusdam in vilipendium redigunt, ac ea ſiſtere & frenare, bonamque cautelam illis adhibere volentes, quibus ſtantibus etiam absque ullo externo hoſte facile ipſæ Terræ noſtræ Pruſſiæ deficere ac in præceps venire poſſint, ſimul ac interea ipſa Nobiſcum reputantes, plurima damna & incommoda ſubditorum noſtrorum prædictas Terras noſtras Pruſſiæ incolentium, quæ in moneta earundem Terrarum levi, & a nonnullis propterea facile adulterata illis inferuntur, de voluntate maturoque conſilio, & conſenſu Illuſtris Principis Domini Alberti Marchionis Brandeburgenſis, in Pruſſia &c. Ducis, Nepotis noſtri chariſſimi, ac etiam Reverendorum, Magnificorum, Generoſorum, Nobilium, Prælatorum, Baronum, Palatinorum, Caſtellanorum, Succamerariorum, Capitaneorum, Officialium, ac totius Nobilitatis, nec non omnium Conſiliariorum noſtrorum tam Regni quam Terrarum Pruſſiæ, ac etiam majorum & minorum Civitatum earundem jam pridem pro commodo & incremento omnium & ſingulorum Officialium ac totius Nobilitatis, ad evitandum in cuſu monetæ perpetuam jacturam & irreparabile damnum prædictarum Terrarum Pruſſiæ, id curandum ſuſcepimus, ut nova moneta in groſſis, ſolidis & denariis, in valore & grano noſtræ monetæ Polonæ reſpondens, cuderetur, quæ tam in Pruſſia, quam in Regno noſtro, nec non Ducatibus ac univerſis Dominiis, Diſtrictibusq; noſtris in uſu eſſet, dandoq; & percipiendo caperetur, omnibus peregrinis, exoticis & adulterinis monetis, quibus Terræ ipſæ Pruſſiae pro majori parte in non modicam earundem jacturam repletae & occupatae videbantur, penitus abrogatis & prohibitis, unde officinam noſtram monetariam Thorunenſem non ſine magno impendio & gravi diſpendio noſtro inſtitutam eatenus promovimus, & diligenter ordinavimus, quod groſſi, ſolidi & denarii partim jam ſunt excuſi, partim deinceps excudantur. Proinde ut uſus novae iſtius monetae in Regnum, Ducatus, Terras, Diſtrictus & populos noſtros invehatur, & in uſum hominum inducatur, quaedam ſalubres & pernecеſſariae Conſtitutiones & Ordinationes per praefatum Ducem &c. Nepotem noſtrum, ac Conſiliarios noſtros tam de Anno 1530.

Terri-

ANNO 1530.

Terrigenis, quam de Civitatibus Terrarum Pruſſiae factae, ac per Nos approbatae & publicatae ſunt, quae tametſi hactenus per quaedam intercurrentia impedimenta effectum ac progreſſum ſuum non ſunt ſortitae, Nobis, Dominiis ac ſubditis noſtris notabilia incommoda, damnaq; non pauca accreverunt. Quibus omnibus, ſicuti merito debemus, authoritate noſtra Regia gratioſo proſpectu occurrere volentes & providere, ne deinceps aliquis, quicunque is fuerit, ignorantiam ſuam prætexens, contra hoc Mandatum ac Edictum noſtrum Nobis, Dominiis noſtris ac populis damna, gravamina ac jacturam ſubminiſtrare audeat, aut contumaciter alia vel moneta vel marca quadam admiſſa quovis modo, uti, aut prohibitam monetam in uſum hominum inducere præſumat. Nos omnibus & ſingulis ſupra dictis, & præſertim his, qui vendendo, emendo ac pertranſeundo Terris noſtris utuntur, cujuscunque conditionis & præeminentiæ exiſtentibus, iterum poteſtate & authoritate noſtra Regia ſtrictiſſime & ſeveriſſime præcipiendo mandamus, ut praeſentem noſtram Ordinationem, Conſtitutionem & Mandatum firmiter obſervetis, atque ut ab omnibus ſubditis noſtris ubilibet inviolabiliter obſervetur, diligenter curetis. Imprimis autem & ſpecialiter prohibitas eſſe volumus, ac praeſentibus inhibemus omnes peregrinas, exoticas ac adulterinas monetas, inter quas Swidnicenſis, cujus Nos uſum dudum interdiximus, primas tenet, groſſos quoque punctuatos, quos Tippelgroſchen vocant, nec non ſolidos Gedani noviſſime excuſos, quae & qui ut antea ita nunc & deinceps, juxta prohibitionem priorem, penitus abrogari & abrogati eſſe, & in nullo uſu permanere debebunt, ita, ut nemo ex ſubditis noſtris, aut etiam advenis in Terris noſtris alia moneta, quam noſtra, quae in Officinis noſtris Cracovienſi ac Thorunenſi, inſuper Illuſtris Domini ALBERTI Marchionis Brandeburgenſis, in Pruſſia &c. Ducis, Nepotis noſtri chariſſimi, nec non quarundam Civitatum, quibus juxta Privilegia earum monetam in valore, grano, pretiis, forma, effigie & numero aequalem cudere permiſſum eſt, Officinis excuditur, groſſis inſuper & ſolidis Pruthenicis antiquis, ante fere FRIDERICI Magiſtri Generalis, ac ſaepedicti moderni Ducis in Pruſſia tempora percuſſis, tam in emptionis, venditionis, quam omnibus aliis contractibus & cenſibus uti audeat ſub pœnis infra deſcriptis. Volumus praeterea, & ſeveriſſime mandamus, quatenus juxta veterem Terrarum Pruſſiae uſum & conſuetudinem omnes & ſinguli Terrarum earundem, tam incolae quam advenae, qui in ea negotiationes ac permutationes ſuas, aliaque commercia agunt, aut per eam proficiſcuntur, numerum veteris conſuetae marcae teneant, ut in emptionis, venditionis, omnibusque aliis contractibus & cenſibus in marcam Pruthenicam viginti novi, aut totidem antiqui, ante fere FRIDERICI Magiſtri Generalis tempora percuſſi, & Polonici groſſi ſolidi, praeterea novi ſexaginta, vel totidem antiqui, juxta Culmenſis Privilegii tenorem, computentur, numerentur, dentur & recipiantur, & tres ſolidi talem unum groſſum, & ſex novi denarii ſolidum conſtituant. Groſſi vero Illuſtrium FRIDERICI fere olim Magiſtri Generalis, ac ALBERTI moderni Ducis in Pruſſia &c. ſimiliter omnes antiqui denarii Pruthenici pro Feſto Sanctae Trinitatis proximo, quae eſt duodecima dies Menſis Junii, penitus et omnino prohibiti & abrogati eſſe debebunt. Ita tamen, quod interea uſque ad praefatum Feſtum jam dicti groſſi, modo eo, qui ſequitur, in uſu et tranſitu maneant, ut per 16. denarios novos per hoc tempus vel capiantur et dentur, vel in Officinam monetariam, tam per hoc tempus quam deinceps permutentur fideliter. Similiter debet etiam cum antiquis denariis obſervari, qui tamen poſt Feſtum Sanctiſſimae Trinitatis praefatum in uſu amplius eſſe non debebunt, ſed dumtaxat in monetariam Officinam deportari. Denarii autem antiqui in Terris Pruſſiae cuſi ex tunc debent in monetariis Officinis, vel Diſtrictibus ad hoc deputatis juxta pondus tali modo permutari, ut quantum pondus antiquorum denariorum quis attulerit, tantum pondus novorum denariorum, vel eorum aequivalens in groſſis et ſolidis ei reddatur; et quod hujusmodi groſſi et denarii intra hinc, a data praeſentium, et Feſtum Nativitatis Chriſti proximum in Officinas monetarias deportentur, nam poſt hujus temporis expirationem Praefectus Officinae monetariae, vel ejus Viceſgerentes ulterius ad eorundem permutationem vel cambitionem obligati eſſe non debebunt. Idque ab univerſis ſubditis noſtris et advenis, cujuscunque ſtatus et conditionis exiſtant, immobiliter teneri et obſervari volumus, et diſtrictius mandamus ſub pecuniarum et mercium amiſſione, nec non centum Florenorum aureorum Hungaricalium pœna, ab omnibus et ſingulis, qui contra hoc univerſale Mandatum noſtrum vel verbo vel facto contravenire praeſumpſerit, exigenda et irremiſſibiliter perſol-

Anno 1530. ſolvenda. Si vero aliquis vel aliqui hujusmodi pecuniarum mulctam dare non poſſent, ille vel illi in corpore ſecundum Domini cognitionem puniri debent. Proinde Vobis Epiſcopis ac eorum Capitulis, Palatinis, Caſtellanis, Succamerariis, Capitaneis, ac quorumcunque locorum Officialibus et eorum Vicesgerentibus, Proconſulibus, Conſulibus, aliisque Civitatum et Oppidorum Praefectis, in Terris noſtris ubilibet conſtitutis, ſevere praecipimus et mandamus, ut hoc noſtrum Decretum, Mandatum et Edictum in omnibus locis publicis, ad quae homines frequenter convenire ſolent, denuntiari, proclamari et publicari faciatis, ne quis ignorantiam praetendens aliquid contra eam Conſtitutionem, quod puniendum veniret, committat, ac ſupra ſcriptas pœnas incurrat. Vos vero Epiſcopi ac eorum Capitula, Palatini, Caſtellani, Succamerarii, Capitanei et Officiales, tam ſpirituales quam ſaeculares, ac eorum Vicesgerentes in cuſtodiendo Mandato noſtro, et pervestigandis locis omnibus, ne quis eandem Prohibitionem ac Edictum noſtrum transgrediatur, curam et diligentiam adhibeatis, et quoscunque deprehenderitis, vel in minima quaque re contra hanc Ordinationem noſtram exceſſiſſe vel egiſſe, illorum res juxta praeſcriptum modum capiatis, nec non hujusmodi inobedientes perſonas obſtringatis, ac apud vos uſque ad informationem noſtram detineatis, ſub pœna centum Florenorum Hungaricalium auri boni et juſti ponderis, toties, quoties comperti et convicti fueritis, hujusmodi mandatum noſtrum transgreſſi eſſe, Fiſco noſtro applicandorum. Simili ſeveritate praecipiendo mandamus vobis Proconſulibus, Conſulibus majorum et minorum Civitatum, ne ullo pacto contra hoc Mandatum et Edictum noſtrum quemcunque intentetis aut permittatis, quod Concives veſtri attentent, ſimiliter de Communitate veſtra, Proconſulibus et Conſulibus veſtris, id nequaquam facere admittatis, ſub praefata ac omnium privilegiorum veſtrorum, jurium, libertatum, conceſſionum, et quidquid id genus eſt, quo aut vos aut Communitas ipſa publice aut privatim quiſpiam gaudet, amiſſionis pœna. Si vero aliqua earundem Civitatum proprio ac temerario auſu, in contemptum et levipenſionem noſtrae Regiae Majeſtatis, Poteſtatis, Regalium, Superioritatis et Mandati contumax facta, ab obſervatione hujusmodi Ordinationis noſtrae recedere et deficere praeſumpſerit, hanc aliae ſub praefata pœna nequaquam ſequantur, ſed in obſervantia praefatarum Conſtitutionum ac hujus Mandati noſtri obedienter perſeverent, et Nobis cumprimis id ſignificent, tunc Nos contra tales praevaricatrices et inobedientes Civitates ſic Nos vindice pœna geremus, ut et ipſae et alii in univerſum cognoſcant, Nobis earum inobedientem contumaciam diſpliciuiſſe, nec Nos talia ulla via toleraturos, ſed per omnem indignationem obviaturos. Hoc Mandatum ac Edictum noſtrum debet ubique in Terris noſtris Pruſſiae ab omnibus Statibus et Civitatibus ſimul eodem tempore pro die Divi Stanislai, quae eſt octava dies Menſis Maji hujus anni, proclamari, affigi et publicari, pro gratia noſtra ſecus non facturi. Datum Cracoviae in Generali Conventu felicis Coronationis Sereniſſimi Filii noſtri Domini Sigismundi Secundi, Feria ſexta proxima poſt Dominicam *Invocavit*, Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo, Regni noſtri vigeſimo quarto. Anno 1530.

Ad Mandatum Regiæ Majeſtatis proprium.

CXCI.

Conſtitutio Sigismundi I. *Regis, qua declaratur, quod Ordines Pruſſiæ ad Electionem novi Regis admitti debeant, & quod* Sigismundus Augustus, *poſtquam ad ætatem juſtam pervenerit, jurare debebit, ſe Jura & Privilegia Statuum Pruſſiæ ſervaturum.* Datum Cracoviæ Feria ſexta ante Dominicam *Judica*, Anno 1530. *Ex Arch. Regni ſub Litt. HH fol. 314.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, etc. Dominus et Haeres. Manifeſtum facimus univerſis, quia licet Privilegia et libertates Statibus et Ordinibus Terrarum noſtrarum Pruſsiae, tam Eccleſiaſticis quam ſaecularibus, a Majoribus noſtris conceſſa et conceſſae, ac per Nos confirmata et confirmatae, inter alia id potiſsimum contineant, ut dicti Ordines et Status Pruſsiae ad futurorum Regum Poloniae, quotiescunque ſuper Electione et Coronatione illorum deliberationem fieri contingat, ad Electionem et Coronationem vocari et admitti debeant. Quia tamen in eligendo Sereniſsimo Principe Domino Sigismundo II. Rege Poloniae et Magno Duce Lithuaniae, Filio noſtro chariſsimo, hoc ipſum prae-

Anno 1530. praetermiſſum eſt, non data quidem opera, ſed quod Nobis viventibus et Regno nondum vacante, magiſque divina ordinatione, quam humano conſilio Electio ipſa Majeſtatis ſuae contigit: conſiderantes tantam praedictorum Statuum et Ordinum Terrarum noſtrarum Pruſſiae erga Nos et Sereniſſimam Familiam noſtram fidem, affectum et obſervantiam, ut hanc ipſam Electionem Sereniſsimi Filii noſtri præter vocationem eorum factam approbaverint, & ſimiliter ipſum eligendo ratam atque gratam habuerint, nolentesque, ut per hujusmodi Electionem, ad quam vocati non erant, aliquid in poſterum privilegiis & libertatibus dictorum Statuum & Ordinum earundem Terrarum noſtrarum Pruſſiæ derogaretur: decernimus, ut deinceps, quotiescunque Regem decedere, & Regnum vacare, aut Electionem quomodocunque celebrari contigerit, Domini Conſiliarii Ordinis utriusque Regni Poloniæ, antequam ad Electionem procedant, prius prædictos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ de hac ipſa novi Regis Electione certiores faciant, ad eosdem ipſos Status, ſecundum antiquam conſuetudinem & contenta Privilegiorum eorum, ad eam vocent & admittant. Volentes præterea pro tanta eorum in Nos & Filium noſtrum chariſſimum integritate viciſſim eis providere, ut & ipſi in ſuis juribus & privilegiis, ac libertatibus conſuetudinibusq; approbatis abſque ullo conſervarentur detrimento, pollicemur illis præſentibus literis noſtris, quod quandocunque ipſe Sereniſſimus Filius noſter poſt mortem noſtram ad ætatem legitimam, nempe ad annos quindecim completos perveniens, poſſeſſionem Regni & Dominiorum noſtrorum adire voluerit, tenebitur illis id totum præſtare, quod Anteceſſores noſtri Reges Poloniæ & Nos ipſi præſtitimus ex debito, ad quod ejus Majeſtatem, ut Filium & Succeſſorem noſtrum, tenore præſentium obligamus, videlicet quod jurare debebit omnia jura, libertates & privilegia, literas immunitatesve earundem Terrarum Pruſſiæ, tam Eccleſiaſticas quam ſæculares, Eccleſiis, tum ipſis Terris earundemque Prælatis, Baronibus, Nobilibus, Civibus, incolis & quibuslibet perſonis, cujuscunque ſtatus & conditionis exiſtentibus, per Divos Anteceſſores noſtros Principes, tam ſpirituales quam ſæculares, Reges & Dominos Terrarum prædictarum juſte & legitime donatas & conceſſas, & per Nosmet ipſos confirmatas manutenere, ſervare, cuſtodire & attendere in omnibus conditionibus atque punctis, & omnia illicite ab eisdem Terris alienata aut diſtracta, pro poſſe ſuo ad proprietatem earundem Terrarum recuperare, terminos etiam earum non minuere, ſed pro virili defendere & dilatare. Et quamdiu hoc ipſum juramentum Majeſtas ſua non præſtiterit, & huic debito ſuo Regio non ſatisfecerit, ipſi univerſi Status & Ordines earundem Terrarum & Civitatum noſtrarum Pruſſiæ ad ſervandum juramentum ſuum, quod Majeſtati ſuæ præſtiterunt, non erunt adſtricti neque obligati. Verum quandocunque poſt mortem noſtram ſupradictis omnibus idem Sereniſſimus Filius noſter, in ætate legitima exiſtens, ſatisfecerit, & hujusmodi juramentum debitum præſtiterit, univerſi earundem Terrarum noſtrarum Pruſſiæ Status & Ordines ſubditi noſtri illi, ut vero & legitimo Domino & Regi ſuo coronato, omnem fidelitatem & obedientiam, obſequiaque, ſecundum juramentum a ſe illi factum, præſtare & exhibere tenebuntur. In cujus rei teſtimonium Sigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in Conventu Generali Cracovienſi Feria ſexta ante Dominicam *Judica* proxima, Anno Domini 1530. Regni vero noſtri 24.

CXCII.

Monitorium pœnale contra Albertum *Ducem Pruſſiæ, una cum citatione ejus ad Judicium Cameræ Imperialis.* Datum Auguſtæ Vindelicorum 14. Nov. 1530. *Ex Tabulario Zaluſciano.*

Nos Carolus V. Dei Gratia Romanorum Cæſar ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hiſpaniarum, utriusque Siciliæ, Hieroſolymorum, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Comes in Habſpurg, Flandriæ & Tyrolis &c. optamus Illuſtri Alberto Marchioni Brandeburgenſi, noſtro Cognato & Principi noſtram gratiam & omne bonum.

Illuſtris mi Cognate & Princeps.

Supplicavit Nobis Honorabilis Valterus a Cronenburg Adminiſtrator Magni Magiſterii in Boruſſia, atque Magiſter Ordinis Theutonicorum in Germania & Italia, Princeps & Devotus noſter, etſi Honorabilis Militaris Ordo Theutonicorum annis abhinc plus minus trecentis divina quadam clementia, auxilioque & ope Papalis Sanctitatis, atque Anteceſſorum noſtrorum in Regno Romanorum Cæſarum ac Regum, Electorum, Principum & Statuum Sacri Imperii, Terras Bo-

Anno 1530. Boruſſiæ magno conatu, labore, & ſanguinis effuſione ab infidelibus ad Chriſtianam fidem atque ſub poteſtatem prænominati Ordinis redegerit, præterea præfatis noſtris Anteceſſoribus, atque Sacro Romano Imperio in proprietatem, propugnaculum & protectionem Electoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus, atque Equeſtri Ordini Germaniæ in refugium, ſuſtentationem & hoſpitale prænominato tempore poſſederit atque defenderit. Et quanquam tu annis abhinc aliquot in eum Ordinem receptus habitum indueris, deinde quoq; in M. Magiſtri faſtigium evectus, tuæ præterea fidei Provincia cum ſubditis credita, & tu inſuper hoc onus ſubieris, hocque nomine eam promiſſionem feceris, quam Anteceſſores tui facere fuerunt ſoliti; inſuper una cum Patre tuo, & Marchione Casimiro bonæ memoriæ Fratre, quantum fieri potuit, promiſiſti eum Ordinem cum adhærentibus ſubditis & Terris, nihil privilegiorum amiſſurum, ſed defenſurum atque protecturum: attamen iſtis minime obſtantibus, & quia admonitus ſis, atque adeo contra voluntatem ac permiſſionem præfati Ordinis Magiſtri, Procerum, & aliorum tuæ Religionis, Ordinis promiſſa & jusjurandum in contumeliam & detrimentum magni cultus divini, atque in diſpendium Equeſtris Ordinis in Germania, ſub prætextu & ſpecie pacis & Sacroſancti Evangelii, contra id ipſum denique in periculum animæ tuæ atque in proprium commodum eum Ordinem, quantum per te fieri potuit, depoſuiſſe, Provinciam Boruſſiæ in profanum uſum deduxiſſe, præterea ut Provinciam Sacri Imperii utcunque jam antea a noſtris Vicario ac Proceribus Sacri Imperii in Comitiis Norimbergenſibus ad tuas enixas preces in Principem Imperii aſſumptus, inter Proceres Regni in publicis conſultationibus loco dignatus ac uſus, atque Principum more Nobis & Imperio fidem promiſeris, ab eodem Sacro Imperio alienaveris, Regnoque Poloniæ ſubjeceris, Ducatumque feceris in hunc modum, ut dilectus Frater noſter Rex Poloniæ tibi, Fratri tuo Georgio, Caſimiro & Joanni bonæ memoriæ, atq; ſuis hæredibus in feudum tradat. Quod ſi omnes ſine hæredibus filiis decederent, tum Regnum Poloniæ hæreditario nomine acquireret; ſi vero ſupereſſent Filiæ, hæ Principe digna dote nuptui a Regno Poloniæ locarentur, juxta Transactionis præſcriptum, (quam tamen Nos ex Cæſarea noſtra poteſtate irritam & inanem reddimus) Inſuper uxorem duxiſſe, id quod Nobis, Imperio, Ordini & Equeſtri Ordini mirum in modum ſit fraudi; Anno 1530. qua ratione factum eſt, ut perinde ac Adminiſtrator Magni Magiſterii apud Nos conqueri, atque auxilium petere debuit. Igitur a Nobis enixe petiit, ut eum atque Ordinem juridico auxilio, & ſequente Mandato clementer dignaremur. Videlicet ut ipſe atque Ordo earum rerum, quas, ut ſupra indicatum eſt, vi amiſerint, poſſeſſionem recuperare queant. Proinde cum ut Romanus Cæſar omnes, qui a Nobis auxilium juris petunt, id ipſum præſtare, atque ab onere inique deprimente liberare, præterea cum rebus ſuis ab injuſta occurſione defendere aſtricti & parati ſumus. Et quia a Religione ac præfato Ordine, id quod eſt notorium, diſceſſiſti, habitum depoſuiſti contra Chriſtianum ordinem, conſtitutiones & jura, uxorem duxiſti, ad hæc Terras Boruſſiæ Ordini adimere molitus, atque adeo contra Nos & Sacrum Imperium graviter deliquiſti, hacque ratione factum eſt, ut Magni Magiſtri Boruſſiæ Officium una cum omnibus regaliis atque viribus cohærentibus in commiſſum ceciderit. Quare ratione atq; aliis rationibus & urgentibus cauſis Nos, ut Romanus Cæſar, prænominatum Principem noſtrum præfati Magni Magiſtri Officii Adminiſtratorem fecimus, atque hoc Officium una cum Provincia Boruſſiæ & aliis, quæ ad eam pertinent, regendum commiſimus, juxta Cæſareas noſtras literas hac de re promulgatas. Ei inſuper, ut Adminiſtratori prænominati Officii, Regalia & Feuda ſæcularia ſui Ordinis Terrarum Boruſſiæ, cum omnibus civitatibus, arcibus, oppidis, pagis & bonis, dominiis, feudis ſpiritualibus & ſæcularibus, metallis, ærifodinis, piſcaturis, fluminibus, navigationibus, ſuccinis, venationibus, paſcuis, teloneis terra & fluminibus &c. cum jure cudendæ aureæ & argenteæ monetæ, utendæque tum in Germania, tum in Boruſſia, cum mero & mixto Imperio, jurisdictionibus, cum eorum dignitatibus, atque omnibus aliis regaliis, juribus, atque conſuetudinibus ad hæc pertinentibus, non aliter, quam ejus Prædeceſſores Magni Magiſtri & Ordo hactenus detinuerunt & poſſederunt, nihil plane excipientes, quod a Nobis & Sacro Imperio infeudari debet, in feudum dedimus. Quæ cum ita ſint, ſtricte mandamus tibi ex Romana Cæſarea poteſtate, & volumus, ut ſub pœna noſtri & Imperii banni intra octo hebdomadas, a die noſtrarum harum Cæſarearum literarum traditione, præfatam Provinciam Boruſſiæ cum omnibus acceſſionibus derelinquas, eandemque præ-

Anno 1530. prænominato Principi noſtro, perinde ac Adminiſtratori electo Officii Magni Magiſtri, una cum regaliis, omnibus civitatibus, arcibus, oppidis, pagis, bonis ſolidis & mobilibus, dominiis, feudis ſpiritualibus & temporalibus, atque omnibus præfatis & aliis juribus, nihil excipiendo, quod ad præfatum Magni Magiſtri Officium & Ordinem pertinet. Inſuper cum remiſſione omnium & ſingularum perſonarum Ordinis inhabitatorum, conjunctorum, ſubditorum Terrarum Boruſsiæ, promiſsionum, quibus tibi ſunt obnoxii & obſtricti, tradas: ſi modo cordi eſt tibi prænominatam pœnam banni evitare. Verumtamen ſi putes, te huic noſtro Caeſareo Mandato obtemperare non debere, atque exiſtimes habere te eo nomine juſtas opponendi cauſas & rationes, vocamus & citamus te ex Romana Cæſarea poteſtate his literis, & volumus, ut elapſis primum octo ſeptimanis, deinde die, quorum triginta pro primo, triginta pro ſecundo, & triginta pro tertio & ultimo juridico die tibi ſtatuimus peremptorie, quodſi is nonageſimus dies juridicus non fuerit, proximo ſequente juridico die coram Imperialis Camerae Judicio juridice compareas, & jure fundatas rationes, ſi quas habes, ſecundum formam juris opponas. Et ſi hae cauſae atque rationes ſatis & ſufficientes non fuerint viſae, videre & audire ſententiam banni adverſus te declarandam, ferendam ac pronuntiandam, atque adeo, ut contra te ultro procedi, et perſonae praefatae tibi obnoxiae ab eorum promiſsionibus ſecundum juris formam abſolvi queant. Sive enim in hunc modum compareas, ſive non etiam, nihiloſecius ad partis petitionem procedetur adverſus te juxta juris regulam, id quod tibi ſignificatum voluimus. Datae in noſtra & Imperiali Civitate Auguſta decima quarta die Novembris, Anno a Chriſto nato 1530. noſtri Imperii XI. & Regnorum noſtrorum XV.

CXCIII.

Oratio nomine Alberti *Marchionis Ducis Pruſſiæ ad* Sigismundum I. *Regem Poloniæ, coram Rege & Senatu dicta per Cancellarium Ducis, Duce ipſo præſente, in qua petit ſuffragium eligendi Regis, & admonet de periculo Terrarum Pruſſiæ, ex nova Magiſtri Cruciferorum per Cæſaream Majeſtatem creatione.*

In publico Conventu Petricovienſi Menſe Decembri, Anno 1530. *Ex Tabulario Illuſtriſſimi Comitis Załuſki Epiſcopi Kiovienſis.* Anno 1530.

Etſi, Sereniſsime Rex atque Potentiſsime Monarcha, Illuſtriſsimus Princeps Dux Boruſsiae, Dominus meus clementiſsimus, non ignoret, quam ſit moleſtum delicatis auribus, eandem cantionem bis concinere, vel etiam ridiculum, ut ait Flaccus: Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem: attamen, quia Veſtrae Sacrae Regiae Majeſt. atque reliquorum maxime Regni Poloniae Procerum, Dominorum meorum clementiſsimorum, animi adeo ſunt ejus Celſitudini perſpecti, ut quidquid potius formidet, quam Sacrae Regiae Majeſtati Veſtrae, atque ipſis Proceribus hac in re moleſtiam parere. Praeſertim vero cum ejus Celſitudo non ultro hoc tentaverit, ſed Sacra Regia Veſtra Majeſtas ſic juſſerit, ut Sereniſsimorum Regum Electionis Articulum (quem Deus Optimus Maximus in longiſsima tempora reſervet) quantum ad ejus Celſitudinis perſonam attinet, in diſſertationem reduceret; proinde ut Sacrae Regiae Majeſtati Veſtrae ejus Celſitudo ſupplex obediret, hanc ipſam provinciam eſt aggreſſa. Et accedit, quod hoc negotium tam eſt Regno Poloniae atque Provinciae Boruſsiae juxta profuturum, ut res aliqua magnae exiſtimationis pro illo interim negligi queat. Utar autem in praeſentiarum non quidem temporis ordine, ſed doctrinae potius, atque id, quod dicendum eſt, dilucide dicam, & breviter, Sereniſsime Rex. Cum annis abhinc plus minus quinque cum medio inter Poloniae Regnum atque Boruſsiae Ducatum conveniret, ut Boruſsia Poloniae Monarcham feudi Dominum agnoſceret, atque Ducatus efficeretur, datum eſt a Monarcha Ducatui inter alia privilegia, ut in omnibus Conventibus, Comitiis, Dietis atque Seſsionibus primum Ducatus a Regia Majeſtate locum obtineat. Quae verba privilegii, cum forte nonnihil ambiguitatis contineant, ut inveniri poſsit aliquis, qui tam ſtricte interpretetur, ut Ducatus Boruſsiae in Regum deſignationibus officio ſuo non ſit functurus: Rogavit ejus Celſitudo Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem anno praeterito, cum Sereniſsimus Sacrae Regiae Veſtrae Majeſtatis Filius Sigismundus Augustus, Dominus meus clementiſsimus, Rex coronaretur, ut id, quod hominum curioſitate fieri poſſet, ambiguum vel etiam obſcurum efficeretur a Sacra Regia Veſtra Majeſtate, planum ac lucidum, ve-

Anno 1530. nienti morbo occurreretur; ubi cum Regni Proceres plerique abeſſent, dilatum eſt in hanc praeſentem Dietam negotium. Proinde etſi Dominus meus clementiſsimus nihil prorſus dubitet, ſine longiore controverſia futurum, ut ejusmodi interpretatio a Sacra Veſtra Regia Majeſtate atque corona Procerum fiat; attamen non infrugiferum arbitratur, ea, quæ tum in diſceptationem venerunt, uno atque altero adjecto in præſentiarum repetere. Primum, Sereniſſime Rex, dignata eſt Veſtra Sacra Regia Majeſtas per Reverendum Dominum Epiſcopum Cracovienſem, Dominum meum clementiſſimum, promittere, eam ipſam Regiam Electionem Domino meo clementiſſimo minime futuram fraudi. Quandoquidem repentina Regni neceſſitas, & ſingularis quædam divina providentia eam accelerationem peperiſſent, propterea plerosque alios Regni Proceres, qui tamen a Regia Sede tam procul non abeſſent, hac ratione vocatos non fuiſſe: Quin etiam Regiam Veſtram Majeſtatem hoc curaturam, ut peculiaribus literis, atque illis quidem ſigno Regio confirmatis, ei periculo occurreretur, ne aliquem Procerum ea res læderet. Id quod non ſine verborum ornamento ab ejus Reverendiſſima Paternitate dictum fuit. Quo nomine Princeps meus clementiſſimus Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ & coronæ Procerum ſupplex & enixe egit gratias. Deinde verborum proprietas & natura hoc ſecum fert. Nam quorſum attinet in publicis Conventibus, Comitiis, Dietis atque Seſſionibus primum habere locum, niſi quia in Electione quoque Regia ille locus haberi debet? cum Electio ſine Conventu, ſine Comitiis, Dieta & Seſſione minime fiat: atq; hic maximus ſit Conventus, hæc maxima ſint Comitia, hæc maxima ſit Dieta & Seſſio, nam, ut Jurisconſulti loquuntur, quævis denominatio fieri debet a potentiori. Neque patitur Princeps meus clementiſſimus ſe hic premi, quia non loquitur privilegium generaliter: Siquidem tantum poteſt indefinita juxta Dialecticorum & Jurisconſultorum ſententiam, quantum univerſalis: & loquitur Regia Dignatio plurative. Atque Celſus Jurisconſultus *in L. Si cui. §. de ſervitutibus* præcipit, ut quævis verba ſive Legis ſive Privilegii civili quodam modo interpretari debeant: alioqui, etiam ſi tam anxie interpreteris, & ad vivum quodvis verbum reſeces, quid eſt aliud futurum, quam ut ſingulæ leges, ſingulæ verborum ſtructuræ, univerſa denique familiaria colloquia temeraria interpretatione corruant. Prætereo hic, quod Jabolenus *in L. III. ff. de Conſtit. Princip.* ait: Beneficium Principis ſive Monarchæ, quod a divina ejus benevolentia proficiſcitur, quam latiſſime interpretari debere. Quin etiam non ignorat Princeps meus clementiſſimus, eam verborum interpretationem a Principibus * Proxenetis, & pacis inter Regnum & Ducatum Conciliatoribus, innovationis atque infeudationis tempore palam factam eſſe. Videlicet hæc verba, quæ forte in alteram tantum partem interpretari poſsint, in eum modum ſine omni controverſia interpretanda eſſe, ut non ſolum locum Conſiliarii in publicis Monarchiæ Comitiis atque Dietis, ſed Privilegium quoq; Electionis complectantur; eſſe inſuper moribus receptum, & longa conſuetudine interpretatum ac inveteratum, ut omnes Palatini, Caſtellani, atque reliqui Regni Proceres ejusmodi Electionis Privilegio gaudeant. Quæ autem erit invidia, tam iniquam expectare interpretationem, atque prohiberi, quo minus ejus Celſitudo ejusmodi communi privilegio ſive beneficio, quod debetur juxta ſummis ac infimis, utatur? Et accedit, quod ſic ſe habet reliquorum ſive Principum ſive Monarcharum electio. Canonici eligunt Epiſcopum, Proceres Regem, Electores Roman. Cæſarem, Cardinales Roman. Pontificem, atq; adeo ii, qui viventis Monarchæ cingunt latus, atque ſunt ei in rerum ſumma a conſiliis. Et quispiam audebit dicere, Regnum Poloniæ ab omnium Regnorum atque Monarchiarum inveterata conſuetudine contra æquitatem atque communem ſenſum degeneraſſe? quale Regnum quæſierit curioſus ille Interpres? non in Europa, non in Africa, non in impia Aſia, ſed apud Antipodas. Præterea demus aliquid interim curioſo illi Interpreti, ut ſecundum ſtrictam juris rationem hanc interpretationem faciat; tamen hoc cum æquitate pugnat, ut uno in loco ponat aliquis onus, atque non etiam juxta beneficium. Quantum autem habeat oneris, impenſarum atque moleſtiarum ſingulas Regni Dietas viſitare, nemo eſt, qui non videat, modo habeat oculos. Jam demat aliquis Illuſtriſsimo Principi eligendi beneficium; quid aliud efficiet, quam ut bovi trituranti contra divinum præceptum os obliget, ſcilicet ut trituret, non autem manducet. Quem onero, hunc etiam honoro, inquiunt Juris Civilis Interpretes. Judex autem non ſtrictam juris rationem, ſed æquitatem ante oculos habere debet. Quod niſi ita fieret, inviſæ illæ ex-

* Conciliatoribus, qui pacem conciliarunt. *Du Cange.*

Anno 1530. exclamationes orirentur: Summum jus, ſumma injuria, ſumma malitia, ſumma crux: & ut Salomon ait: qui nimium emungit, elicit ſanguinem. Neque abludit quidquam Theodoſius & Valentinianus Imperatores, in *L. Non dubium. C. de legibus.* dum inquiunt: Non dubium eſt enim committere in legem, qui legis verba amplexus, contra legis nititur voluntatem. Hæc fortaſſis, Sereniſſime Rex duriora videri queant, quam decorum præſentis ſcenæ requirat; at vero neceſſitas ipſa, quæ legem non habet, hoc exigit, neque Illuſtriſſimus Princeps cum curioſo illo Interprete diſputat, qui quanquam hodie non inveniatur, tamen fieri poteſt, ut inter triticum aliquando lolium ſuccreſcat, vel apud poſteros. Inſuper cum concordia & æqualitate parvæ res creſcunt, diſcordia vero maximæ dilabuntur, ut ait Criſpus Salluſtius, quæ poterit eſſe major æqualitas, quam inter Regni Proceres onera ſumi, & beneficia ex æquo partiri? qua via magna invidia, quæ eſt diſcordiæ mater, declinari poteſt, quæ, cum graſſatur, nihil ſincerum, nihil integrum, nihil in ſuo ſtatu ſalvum permanere permittit, id quod non ſine magno Regni periculo poteſt accidere. Et manus digladiatur cum brachiis, thorax cum ventre, pes cum tibiis, ſic, ut caput miſere contabeſcat. Nota eſt hiſtoria Changnim: Chan, primum Tartarorum Imperatorem, moriturum convocaſſe duodecim filios, atque robuſtiori faſciculum telorum colligatum porrexiſſe, juſſiſſeque, ut eum infringeret, juvenis cum aliquandiu tentaſſet, neque quicquam proficeret, tradidiſſe Changium ſecundo, mox tertio, atque ſubinde reliquis, cumque nihil eſſet effectum, eduxiſſe Changium ex telis unum, atque inferiori infanti, adhuc idem jubens, tradidiſſe, & cum hic ſine negotio quaſſaret atq; infringeret, ejus exempli admonuiſſe chariſſimos liberos: Filioli, inquiens, vidiſtis, quam robuſtiſſimus ex vobis juvenis colligato faſciculo non potuit nocere, infirmus vero hic infans adverſus unicum telum ſatis potuerit eſſe firmus. Cogitate cum animis veſtris, ſi concordes permanſeritis, quantum vallum vos cingat, quantæ munitiones tueantur. Rurſus ſi ſe alius ab alio ſeparaverit, quam poſſet ei eſſe periculum etiam ab infirmiſſimo. Fuit id exemplum profecto ſapientiſſimi atque ſolliciti Patris dignum, quod in parietibus pingatur, in libris ſcribatur, in publicis concionibus recitetur, atque adeo quidem nulla unquam vetuſtate aboleatur. Hæc non ideo dicuntur, Sereniſſime Rex, quod ex ea

inæqualitate aliquid ejuſcemodi neceſſario conſequatur & accidat, ſed quia facile poſſit accidere. Et non ſolum quodvis damnum a prudentiſſimo quovis caveri debeat, ſed & quodvis periculum. Taceo hic, quod Illuſtriſſimus Princeps Dominus meus clementiſſimus hac ratione in officio benevolentiæ detineri queat; multum autem refert, volens an invitus aliquid facias, tuum abſolvas penſum, an aliquid etiam ultro adjicias; maxime in tam arduis & urgentibus negotiis, ubi non ſolum res & facultates, aræ & foci, ſed & anima & vita in diſcrimen conjiciantur. Poſtremo non putat Princeps meus clementiſſimus, aliquem ex Proceribus inveniri, qui cum ejus Celſitudine hic pugnet, præſertim cum hæc æqua, , juſta atque neceſſaria interpretatio nemini poſſit incommodare. Domitius Ulpianus *in L. in creditore. ff. de evictionibus*, æquum, inquit, videtur hoc ſaltem præſtare aliquem, quod ſine diſpendio futurum eſt, quale autem ſit diſpendium reliquis Proceribus, ſi Princeps meus id, quod ei jure atque multis nominibus debetur, conſequatur, nondum vides. Nemo cum alterius jactura communem ſolem intuetur, communem aërem haurit, communem aquam bibit. Porro quod a Domino Reverendiſſimo Epiſcopo Plocenſi, Domino meo clementiſſimo, eodem tempore Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtatis nomine objectum eſt, collectionem clementiſſimi mei Principis ab exemplo factam minus urgere. Quod Duces Sileſiæ ſint quidem Regni Bohemiæ Principes, neque tamen Sereniſſimi Regis Ferdinandi Electioni interfuerint: Quod Dux Maſoviæ fuerit Regni Poloniæ Princeps, neque tamen ad Electionem Regiam unquam fuerit vocatus: Quod Magnus Magiſter Ordinis Teutonicorum fuerit Regni Conſiliarius, neque tamen ad electionem fuerit vocatus. Nihil eſt, quod cum hoc propoſito pugnet. Primum, quod luce hac meridiana ſit clarius, Duces Sileſiæ Regis Ferdinandi Electioni, quantum ad Regnum Bohemiæ attinet, palam contradixiſſe, atque pro eorum jure impetraſſe, ut denuo eligerent. Sed permittamus interim excluſos fuiſſe. At vero, inquit Juriſconſultus in *L. Sed licet. ff. de Officio Præſidis*, non tam ſpectandum eſt, quid Romæ factum eſt, quam quid Romæ fieri debeat. Deinde quia Dux Maſoviæ nunquam voluit Regem Poloniæ Dominum feudi agnoſcere, ſed gloriatus eſt hactenus de Romano Cæſare Monarcha, neque fuit unquam a Rege Poloniæ, quod Princeps meus clementiſſimus ſciat, aliqua Anno 1530.

Anno 1530. qua ſolennitate inveſtitus: Poſtremo, quod Magiſter Ordinis diſpari ratione, &, ut ſic loquar, extra ordinem ſe Poloniæ Regno ſubjecit; Illuſtriſſimus vero Princeps Dominus meus clementiſſimus Vaſallus Regni factus eſt; atque non veretur cum Sacra Regia Majeſtate, cum corona Procerum id, quod tamen Deus Optimus Maximus avertat, etiam extrema experiri.

Quæ cum ita ſe habeant, Sereniſſime Rex atque Potentiſſime Monarcha, primum ut Sacra Regia Veſtra Majeſtas Illuſtriſſimo Principi Domino meo clementiſſimo promiſerit, Electionem nuper factam ejus Celſitudini minime futuram fraudi, id ipſum peculiaribus literis confirmaturam, verborumque proprietas & juſta interpretatio hoc exigant, eamque interpretationem Principes Proxenetæ fecerint, atque hoc ipſum reliquorum Monarcharum exempla doceant & æquitas ipſa, non aliter ac Leſcia * regula, ſtrictam juris rationem in quovis negotio vincat. Deinde ut ejusmodi æqualitate ſervata, inter Regni Proceres (relegata ad corvos invidia) non gravatim concordia retineri queat, quæ, quantum in omni re valeat, morituri Tartari docuit exemplum. Inſuper, ut non poſſit aliquis inveniri, qui contradicat, propterea, quod hæc interpretatio neminem Procerum lædat, non aliter, quam cum communis ſol conſpicitur, communis aër hauritur, communis aqua bibitur, communis terra calcatur.

Poſtremo ut neque Sileſiæ Principum, neque Maſoviæ Ducis, neque Ordinis Magiſtri exempla obſtent, ex ſeparatis namque non probe colligitur, *L. Pampianus ff. de minorib.* Supplicat & rogat Illuſtriſſimus Princeps Dominus meus clementiſſimus, Sacra Regia Veſtra Majeſtas Sereniſſima pro innata clementia atque benignitate dignetur ejus Celſitudini eam interpretationem facere, ut hæc Regiæ Dignationis verba, quæ controvertuntur, in diſcrimen amplius non vocentur, utque non ſolum Conſiliarii onus perferat, ſed & Electoris Regni Poloniæ beneficium auferat; neque permittat Sacra Regia Veſtra Majeſtas, ut ejus Celſitudinis inimici hoc nomine gaudeant & exultent, & contra amici offendantur; perinde quaſi hæc Provinciæ & Status innovatio plus oneris quam honoris ejus Celſitudini peperit.

Si quid poteſt viciſſim Illuſtriſſimus Princeps Dominus meus clementiſſimus, quod ad Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ Sereniſſimæ, ad Dominorum Procerum Regni, ad univerſæ denique Reipublicæ Poloniæ famam, dignitatem, proventum atque incrementum augendum atque amplificandum faciat, dabit ejus Celſitudo operam, ut cum ſumma rerum, fortunarum, atque proprii ſanguinis jactura præſtet. Anno 1530.

Altera cauſa eſt, propter quam Illuſtriſſimus Princeps Dominus meus clementiſſimus voluit Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram accedere: Novit Veſtra Sacra Regia Majeſtas, Magiſtrum Ordinis Teutonicorum in Germania a Sacra Romani Imperii Majeſtate Cæſarea in præteritis Comitiis Auguſtæ Vindelicorum Provinciam Boruſſiæ, ſi diis placet, una cum Magni Magiſtri titulo magna ſolennitate in feudum accepiſſe; præterea delegaſſe Principem meum clementiſſimum ad ea Comitia imaginibus clarum Virum Georgium Clingenbeck, ejus Celſitudinis Conſiliarium, ut Sacræ Regiæ Majeſtatis Oratorem, Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, Dominum Epiſcopum Culmenſem, Dominum meum clementiſſimum, admoneret, ſi forte Ordo aliquid, quod vel Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtati, vel ejus Celſitudini, Regno Poloniæ ſive Provinciæ Pruſſiæ eſſet fraudi, moliretur. Proinde cum jam intellexiſſet Georgius Klingenbeck futurum, ut hæc res ageretur, admonuit eo nomine Reverendiſſimam ejus Paternitatem, ut et quantopere ibi ejus Reverendiſſima Paternitas invigilaverit, adeo notum eſt Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtati, ut latius explicari non debeat. Et cum eam diligentiam viderunt Adverſarii, factum eſt eorum falſis delationibus, ut Georgius Klingenbeck coactus fuerit clam abire, niſi maluerit indicta cauſa in vincula conjici. Qui cum eſſet in hunc modum profugatus, atque audiret eam infeudationem Magiſtro Ordinis magna ſolennitate factam eſſe; reſcripſit Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtatis Oratori eo nomine. Porro quid ultra in eam rem Reverendiſſima ejus Paternitas vel apud Sacram Cæſaream Majeſtatem impetraverit, vel alias geſſerit, Princeps meus clementiſſimus adhuc certior factus non eſt, neque tamen diffidit ejus Celſitudo, omnem operam impenſam, atque omnem lapidem motum fuiſſe; hoc tamen ſcit ejus Celſitudo, Ordinis Magiſtrum a Cæſarea Majeſtate, atque Sereniſsimo Rege Ferdinando &c. ingentes pollicitationes, quantum ad Provinciam Boruſsiæ attinet, accepiſſe. Inſuper clarum factum eſt Principi meo clementiſsimo, quibus criminationi-

* Vaſallorum & Tributariorum Jura. *Du Cange.*

Anno 1530. tionibus atque calumniis Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem, atque ejus Celſitudinem, nempe Regni Principem Vaſallum, Commendator Velmenſis ex Livonia apud Sacram Cæſaream Majeſtatem in Hiſpania annis abhinc aliquot ſuis literis detulerit. Idem quoque egit nuper in Dieta Auguſtenſi per ſupplicem libellum novus Ordinis Magiſter; quamque hoc unum quæſiverit, ut Cæſaream Majeſtatem, Electores, & reliquos Imperii Romani Principes, atque Ordinem Equeſtrem Germaniæ in Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem, ejusque Celſitudinem armaret, & quanquam hæc omnia clam & ſine arbitris acta ſint, tamen hoc impetravit Georgius Klingenbeck, tametſi abſens, per cognatos & amicos Illuſtriſſimi mei Principis, ut utriusque libelli acquireret exempla, eaque ejus Celſitudo Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtati ſupplex offert. Quæ cum ita ſe habeant, Sereniſſime Rex, primum ut hic nuper inauguratus Magiſter Boruſsiæ Provinciam ſibi vindicet; deinde magnas a Cæſarea Majeſtate, juxta & Sereniſsimo Rege FERDINANDO &c. pollicitationes acceperit, poſtremo Ordo ipſe cum in Germania, tum in Livonia peſsima quæque moliatur; rogat Illuſtriſsimus meus Princeps ſupplex & enixe, Sacra Regia Veſtra Majeſtas, una cum Reverendiſsimis, Illuſtribus, Magnificis atque Generoſis Regni Proceribus, Dominis meis clementiſsimis, in medium conſulat. Primum, ut belli Duces eligantur, deinde ut copiæ conſcribantur, poſtremo ut locus deſignetur, ubi unus Exercitus alterum ſit inviſurus, ſi forte, quod JESUS CHRISTUS Servator noſter avertat, terra vel mari aliquid ejuſcemodi ſint inimici molituri, neq; permittat S. Regia Veſtra Majeſtas, ut hæc conſultatio perinde quaſi non admodum neceſſaria negligatur. Atque adeo dignetur venienti occurere morbo, ne ſero redeant poſt aucta pericula curæ; præſertim vero cum hoc periculum non ſolum Boruſſiæ Provinciæ, ſed & Regno Poloniæ immineat. Sed ut ille ait: Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet. Si quid viciſsim Illuſtriſſimus Princeps Dominus meus clementiſsimus poteſt præſtare, quod ad Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ Sereniſsimæ, ad reliquorum Procerum dignitatem augendam atque amplificandam faciat, dabit operam, ut præſtet diligenter atque ſedulo.

CXCIV.

Anno 1530.

Reſponſum nomine SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ* ALBERTO *Duci Pruſſiæ datum* Anno 1530. die 29. Decemb. *Indidem.*

Duo erant, Illuſtriſsime Princeps, quæ coram Sacra Majeſtate Regia, Illuſtriſsima Dominatio Veſtra copioſis verbis & rationibus exponi fecit: Unum de facultate Regis eligendi: Alterum de periculo, quod Terris Pruſsiæ, creato per Cæſaream Majeſtatem novo Magiſtro, immineat. Quod ad Electionem Regum attinet, optat imprimis Majeſtas ſua Regia, perſuaſum habere velit Illuſtriſsima Dominatio Veſtra, Majeſtatem ſuam cupere illi cum in ea re, tum in omnibus aliis commodare & gratificari non ſolum neceſsitudinis cauſa, ſed etiam quod illam erga ſe & Regnum ſuum integro animo propenſam eſſe cognoſcit. Sed & Dominos Conſiliarios Majeſtatis ſuæ certo credat Illuſtriſsima Dominatio Veſtra ejus eſſe affectus & obſervantiæ erga illam, ut nihil non facturi ſimus ejus cauſa, quicquid per Nos officii præſtari poſſe videatur. Verum quia negotium hoc, ut inſolitum eſt, & prorſus adverſus jura hujus Regni, juribus etiam Cæſaris Majeſtas ſua neque ſubeſt, neque regitur: ita de illo ſine toto Senatu, & communi omnium conſenſu nihil nunc Majeſtas ſua Nobiſcum, qui, ut Illuſtriſsima Dominatio Veſtra videt, pauci ſumus, conſtituere poteſt. Præter opinionem, & præter ſolitum accidit, quod tam multi Senatores abſint, alii ægritudine, alii aliis negotiis diſtricti: Quare poſtulat Majeſtas ſua, ut Illuſtriſsima Dominatio Veſtra boni conſulere dignetur, quod in præſens nequeat cum illa certi aliquid de hac re ſtatuere, vel etiam reſpondere, cum id ſibi neque licere, neque integrum eſſe putet. Equidem ſi res ageretur tantum de Perſona Illuſtriſsimæ Dominationis Veſtræ, quæ & Majeſtati ſuæ, & Dominis Conſiliariis omnibus eſt acceptiſsima, minus haberet negotii & difficultatis, verum cum vergat in exemplum & poſteritatem adverſus iura & conſuetudinem Regni, quin nonnihil ardua & difficilis ſit, Illuſtriſsima Dominatio Veſtra pro ſua prudentia ſatis conſiderare poteſt. Qnoniam vero exigente domeſtici ordinis neceſsitate conſtituit Majeſtas ſua Conventum Regni ſui Generalem primo quoque competenti tempore indicere & agere, ac in eo jura publica, & conſuetudines recenſere, ac formam & modum eligendi Regis, juxta conſuetudinem Regni

Anno 1530. gni dudum obſervatam, ſtatuere & praeſcribere, dignabitur tum Majeſtas ſua hujus petitionis Illuſtriſsimae Dominationis Veſtrae debitam habere rationem, ſperans, quod illa viciſsim pro ſua erga Majeſtatem ejus obſervantia, & amore debito, nihil ab illo exigere conabitur, quod juribus hujus Regni, & exiſtimationis Majeſtatis ſuae officere poſſe videretur.

De creato novo Magiſtro res quidem facta eſt praeter omnem ſpem & expectationem Majeſtatis ſuae, ſed etiam Caeſarea Majeſtas magis forte impulſu aliorum, quam ſua ſponte ſic fecerit; Majeſtas ſua, quod opportunum ſit, nihil hactenus praetermiſit, nam & mandavit Oratori ſuo Reverendo Domino Dantiſco Electo Culmenſi, ut in eam rem oculos haberet intentos, ageretque cum Caeſarea Majeſtate, ac promoveret, quae opus eſſent. Et nuper in Conventibus particularibus hujus Regni Majeſtas ſua rem ipſam omnibus regnicolis declarari fecit. Nunc etiam Majeſtas ſua conſulit diligenter cum Senatu & Regnicolis ſuis, ut delectus fiant majores & diligentiores ſolito, quibus in omnem partem hoſtibus Regni commode reſiſti poſsit, nihilque dubitet Illuſtriſsima Dominatio Veſtra, Majeſtatem ſuam, more Majorum ſuorum, & Terras Pruſsiae & Illuſtriſsimam Dominationem Veſtram pro viribus defenſuram eſſe, neque paſſuram, ut ratione ipſarum Terrarum aliquid difficultatis & nocumenti ſubeat. Veſtra etiam Illuſtriſsima Dominatio id, quod pro ſolertia & vigilantia ſua facit, non ceſſet, et conatus adverſariorum perveſtigare, & domi delectus & apparatus opportunos habere. Datum Petricoviae die Innocentum 29. Decembris Anno Domini 1530. Regni Regis Sigismundi 24.

CXCV.

1531. *Quietatio Directoris Officinæ monetariæ Torunenſis.* Datum Cracoviæ 5. Martii 1531. *Ex Archivo Regni Lib. JJ. fol. 410.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Significamus tenore præſentium univerſis. Quia quum Conſiliariorum noſtrorum accedente conſilio Officinam monetariam in Terris Pruſſiæ in Civitate noſtra Thorunenſi conſtituiſſemus, in qua primum juxta Decretum Conventus Piotrcovienſis de Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo celebrati, moneta Swidnicenſis transcuderetur, deinde nova moneta in denarios, ſolidos, groſſos communes, triplices aut ſexduplices argenteos groſſos, ſecundum Conſtitutiones Conſiliariorum noſtrorum Terrarum Pruſſiæ primum in Civitate noſtra Gedanenſi, deinde in Conventu Mariemburgenſi pro Feſto S. Stanislai in Majo celebrato factas, & per noſtram Majeſtatem ratificatas, poſtremo vero in Conventu Cracovienſi de Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo, poſt felicem Sereniſſimi Filii noſtri Coronationem, habito omnium Regni noſtri Ordinum conſilio & conſenſu approbatas cuderentur, & eandem Officinam monetariam Nobili Toſto Ludovico Decio Secretario noſtro, & Carbario Vislicenſi dirigendam, providendam & gubernandam ad fideles manus juxta literas noſtras deſuper illi datas dediſſemus & commiſiſſemus, quod de eadem Officina monetaria coram noſtra Majeſtate certis Conſiliariis Officialibus noſtris præſentibus ſufficientem & plenam fecit rationem ac calculum de annis duobus, incipiendo a die quinta decima Junii Anni milleſimi quingenteſimi vigeſimi octavi, uſqne ad quintam decimam Junii MDXXX. incluſive, in qua quidem rationem Nobis clare oſtendit, quantum pecuniarum Svidnicenſium in noſtram monetam ſit transcuſum, quantum item denariorum Pruthenicorum, ſolidorum & groſſorum antiquorum, per Nos & Conſiliarios noſtros abrogatorum ſit conflatum, & in alias novas monetas redactum. Quantum præterea per hos duos annos argenti novi ſit elaboratum, oſtendit etiam Nobis, quantum tam prædicto argento novo, quam omnibus abrogatis monetis ſit expoſitum, item edocuit, quantum in ejusdem Officinæ monetariæ ſumptus, officiales, laboratores, ædificia, & alias omnes neceſſitates per hos duos annos ſit expoſitum, ita, ut Nos ratione omnium iſtorum ad idem tempus nemini omnino debeamus quicquam. Declaravit præterea, quantum pecuniarum a Magnificis Joanne Balinſki & Petro de Skiczow Junivladislavienſibus Caſtellanis ex Acciſa Pruthenica, & aliunde, tam ad dictæ Officinæ proviſionem, quam etiam ad transcudendum, & ad Theſaurum noſtrum transportandum ab initio iſtius Officinæ ad Annum trigeſimum incluſive percepit, & quidquid viciſſim de iisdem perceptis pecuniis & lucro pro ſolutione duorum annorum Illuſtriſſimo Domino Alberto Marchioni Brandeburgenſi & Duci Pruſſiae &c, Nepoti noſtro chariſſimo, & reliquas noſtras, ac Magnifici Theſaurarii Regni noſtri commiſſiones expoſuit, in qua quidem ratione comperimus illum ſingulari fide, induſtria ſua cum commodo & utilitate noſtra non vulgari Nobis ſerviviſſe, atque Mandata Anno 1531.

Majeſta-

Anno 1531. Majeſtatis noſtrae ac Conſiliariorum noſtrorum fideliter & diligenter pro virili ſua executum fuiſſe. Quare commendatam habentes ipſius Toſti tam nunc, quam ſemper antea Nobis & Reipublicae noſtrae praeſtita obſequia & ſervitia, volentes ipſum & ejus poſteros ab omni quorumcunque impeditione & qualicunque liberum facere & eximere præſentibus literis noſtris Regiis ipſum Toſtum & ejus ſucceſſores de omni & totali adminiſtratione ſimiliter perceptorum & diſtributorum dictæ Officinæ Thorunenſis, & aliarum pecuniarum, per duos Annos ſupraſcriptos pro Nobis & Succeſſoribus noſtris & quibusvis aliis quietamus, liberumque facimus perpetuo & in ævum. Quia vero ex eadem ratione ad proviſionem anni tertii in manibus ejusdem Toſti certa Summa pecuniarum noſtrarum remanſit, de quibus in futura ratione Nobis reſpondere debebit, eandem aliis literis noſtris Regiis inſcripſimus & eidem conſignavimus, harum teſtimonio literarum. Datum Cracoviæ 5. Martii

CXCVI.

Sigismundus I. *Rex Poloniæ hortatur & mandat* Alberto *Duci Pruſſiæ, ne, ſub amiſſione Feudi, Mandato pœnali Imperatoris, ejusdemque citationi pareat.* Datum Cracoviæ d. 29. Apr. 1531. *Ex Tabulario Zaluſciano.*

Illuſtris Princeps, & Domine Nepos Chariſſime.

Pridie ex certis ſubditis noſtris accepimus, miſſum eſſe ad Illuſtritatem Veſtram Cæſareæ Majeſtatis Tabellarium, hominem juratum, cum pœnali ejusmodi mandato & peremptoria citatione, ut vel intra octo ſeptimanas Provinciam Pruſſiam Venerabili Valthero a Cronenberg Ordinis Theutonicorum ubique Generali Magiſtro, & Adminiſtratori in Pruſſia creato, ſub pœna Imperialis banni reſtituat, vel intra nonaginta dies poſt lapſum octo ſeptimanarum in Judicio Imperialis Cameræ compareat, judicialiter reſponſura, quibus de cauſis eam ipſam reſtitutionem, ut ſupra ſcriptum eſt, facere non teneatur. Cujus rei novitate Nos moniti & permoti, noſtramque cauſam hic magis, quam Illuſtritatis Veſtræ agi cernentes, duximus pro negotii æquitate, & proprietatis directique dominii jure, quod Nobis in Pruſſia ab antiquo competit, præſentem Nuntium noſtrum cum literis ad Illuſtritatem Veſtram mittere, quibus illam commonefacimus & hortamur, quantumque ex jure ſuperioritatis noſtræ debemus, illi mandamus tanquam noſtro & Regni noſtri ſubjecto & feudatario Principi, ne qua ratione ſe vel Pruſſiæ Terras alicui alienæ & novæ jurisdictioni implicare, neve invitis vel inſciis Nobis ratione Provinciæ Pruthenicæ, vel Edicta, quæ noſtra non eſſent, recipere, vel mandatis quibusvis parere & obſequi ſub pœna amiſſionis feudi ſibi per Nos in Pruſſia conceſſi præſumat. Cum enim ſciamus, Nos Provinciam iſtam pro jure noſtro veteri ab Illuſtritate Veſtra, utcunque invita & diu renitente, magnis ſumptibus & impenſis bellicis recuperatam, ad Nos ſolos ſupremo jure directoque dominio pertinere, admittere nollemus alicujus alterius in illa jurisdictionem, quæ non a noſtra deſcenderet auctoritate, exerceri. Quare iterum & ſerio hortamur Illuſtritatem Veſtram, utq; jus noſtrum & auctoritas ſuprema poſtulat, illi mandamus, ne quid in negotio Pruthenicæ Provinciæ contra voluntatem noſtram, & contra homagialis debiti ſui officium directe vel indirecte faciat vel præſtet. Nos enim ſicut jure & titulo Pruſſiæ Principatus ſupra hominum memoriam cum Prædeceſſoribus noſtris Poloniæ Regibus cum ſummo honore utebamur, ita nunc contra quoſvis Nobis per impetitionem Illuſtritatis Veſtræ obliqua quadam ratione in jure noſtro detrahere volentes, & jus noſtrum & Illuſtritatem Veſtram tanquam Vaſallum ſtrenue & alacriter defendemus; modo Illuſtritas Veſtra & a voluntate noſtra & a debito officio ſuo ita, ut ſupra ſcripſimus, non recedat. Factura pro honore ſuo, & noſtra Regia benevolentia, de favoris augmento ſingulari, & ſub pœna amiſſionis feudi ſupra ſcripta. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum Cracoviæ die 29. Aprilis Anno 1531. Regni noſtri Anno XXV. Anno 1531.

CXCVII.

Legatio Ducis Pruſſiæ ad Regem contra bannum Cæſaris, ubi quoque de coæquatione monetæ, & de quibusdam aliis minutioribus agitur. Anno Domini 1531. *Ex Tabulario Zaluſciano.*

Sereniſſime Rex,
Potentiſſime Monarcha.

Poſteaquam Illuſtriſſimus Princeps & Dominus Albertus Marchio Brandenburgenſis, Boruſſiæ Dux &c. Dominus noſter clementiſſimus in proximo Regio Con-

Anno 1531. Conventu Petricoviæ a Sacra Regia Veſtra Majeſtate conſilium & auxilium coram petiit, nomine novæ infeudationis Magiſtro in Germania, & Adminiſtratori, ſi diis placet, in Boruſſia, Auguſtæ Vindelicorum nuper facta, dignata eſt Sacra Regia Veſtra Majeſtas ejus Celſitudinem clementi admodum conſilio, atque cauſas addidit; præſertim propter Regni Poloniæ jus, quibus huic morbo obviari queat. Addidit præterea Sacra Regia Veſtra Majeſtas, ſe hoc in negotio ejus Celſitudini nulla ratione defuturum. Quamobrem Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtati ejus Celſitudo ſupplex egit gratias, atque in præſentiarum denuo idem agit. Et quia ejus Celſitudo magnam ſpem tum ex ea promiſſione, tum ut Princeps Regni concepit, atque adeo nihil dubitat, non potuit Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem ejus, quod nuper accidit, non certiorem facere, Sereniſſime Rex. Vigeſima die Martii proxime præterita accepit clementiſſimus Princeps noſter a Cæſareo jurato & peculiari Tabellario Cæſareum pœnale Mandatum, juxta & peremptoriam citationem, ut vel intra octo ſeptimanas Provinciam Boruſſiæ ſub pœna banni præfato Ordinis Teutonicorum Adminiſtratori ejus Celſitudo reſtituat, vel, elapſis octo ſeptimanis, intra nonaginta dies in Judicio Cameræ Imperialis compareat; oppoſitura rationes & cauſas, propter quas ejusmodi reſtitutio ab ejus Celſitudine fieri minime debeat. Quæ omnia Regia Veſtra Majeſtas ex hoc exemplo, in latinum idioma utcunque reducto, facile poteſt intelligere. Noluit autem ejus Celſitudo huic Tabellario dare reſponſum, primum, quod hoc ejus Celſitudini, ut Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtatis Subdito & Vaſallo, ſine Majeſtatis Veſtræ permiſſione minime liceret; deinde quod ejusmodi reſponſione (ſi forte apud eundem Tabellarium cauſas prætendiſſet, propter quas reſpondere non cogeretur) nihil aliud effeciſſet, quam ut juxta iſtorum hominum ſententiam, qui juſtas ejus Celſitudinis excuſationes non admittunt, ſine ulla reliqua citatione & quodam compendio, contra ejus Celſitudinem in Judicio fuiſſet proceſſum, id quod juxta legum Romanorum præſcriptum fieri non poteſt, ſi nihil prorſus, elapſis etiam octo ſeptimanis atque nonaginta diebus, reſpondeatur; nimirum cum in eum eventum plures requirantur citationes. Proinde noluit ejus Celſitudo tantum temporis atq; reliquas commoditates temere rejicere. Quia etiam voluit Regiam Veſtram Majeſtatem, una cum Reverendiſſimis, Illuſtribus, & Magnificis ac Generoſis Dominis Proceribus Regni, Fratribus & Amicis ſuis dilectis, qui in præſentiarum a Regia Aula non abſunt, hac in parte interim conſulere, ſuppliciter, fraterne & amice rogans, Sacra Regia Veſtra Majeſtas, una cum ornatiſſimis Dominis Proceribus Regni Conſiliariis, dignetur in medium conſulere, atque rationes & cauſas quærere, quibus huic periculo obviari queat. Inprimis vero velit Sacra Regia Majeſtas Veſtra Cæſaream Romanam Majeſtatem per literas & Regium Oratorem, Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Culmenſem, vel ſi is in Aula Cæſaris amplius non ſit, per alium quemvis Oratorem inviſere, ejusque Majeſtati ſignificare: primum transmiſiſſe Regiæ Veſtræ Majeſtati ejus Celſitudinem Mandatum Cæſareum, una cum annexa citatione peremptoria &c. Quodq; S. Regia Veſtra Majeſtas ejus Celſitudini per pœnale Mandatum, ſub pœna amiſſionis univerſi Feudi Boruſſiæ præceperit, quo minus in Judicio Cameræ Imperialis compareat. Suppliciter rogans, Sacra Regia Veſtra Majeſtas velit, ut & Regno Poloniæ, & Provinciæ Boruſſiæ juxta conſulatur, ejus Celſitudini ejusmodi pœnale Mandatum ſigno Regio confirmatum, per peculiarem Tabellarium, magna ſolennitate propediem transmittere, atque addere cauſas, propter quas ejus Celſitudo in Judicio Cameræ Imperialis in hoc negotio reſpondere minime cogatur; inſuper præcipere, ut, ſi vel a Cæſarea Majeſtate, vel a Judicio Imperialis Cameræ aliquid, ſive citationum ſive mandatorum, inſinuetur, ejus Celſitudinem nihil debere prorſus reſpondere, imo Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem habere ſufficientes cauſas & rationes, quibus adverſariorum iniquæ petitiones dilui queant, atque paratam eſſe Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem, pro viribus id ipſum acturam. Secundo velit Sacra Regia Veſtra Majeſtas Cæſaream Majeſtatem fraterne admonere, ut ſic temperet negotium, ne contra factas nuper fraternas promiſſiones hæc nova novi Adminiſtratoris infeudatio Auguſtæ Vindelicorum facta ſit Poloniæ Regno fraudi, præſertim cum non ignoret Cæſarea Majeſtas, quidquid ab iſtis hominibus impetratur, magna quadam importunitate ſubreptitie atque ſuppreſſa veritate fieri, Quandoquidem ea, quæ huic pœnali Mandato ex eorum relatione inſerta ſunt, longe aliter ſe habent. Et ut unum proferatur pro omnibus, quia gloriantur hunc Ordinem in Boruſſia fuiſſe Chriſtianitatis firmamentum & propugnaculum. Cum

tamen

ANNO 1531. tamen luce meridiana ſit clarius, hanc Boruſſiæ Provinciam a Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniae in univerſum claudi; proinde ſua ope & auxilio Regni Chriſtianitati nihil prorſus commodare. Utque Caeſareae Majeſtati plane perſuadeatur, jam Deo Optimo Maximo bene fortunante, atque Illuſtriſſimo Boruſsiae Principe, perinde quaſi Principe Chriſtiani Orbis atque Regni Poloniae, adjuvante longe commodius fieri poſſe, ut infidelibus, quibus & Regnum Poloniae & Magnus Ducatus Lithuaniae clauditur, non ſolum reſiſtatur, ſed & aliquid Provinciarum & Terrarum ſubinde adimatur, & ut permittatur, interim habere Provinciam Boruſſiae vicinam, infidelem gentem aliquam atque Chriſtiano nomini hoſtem. Attamen nemo ignorat, quantopere iſti homines annis abhinc non paucis voluerunt cum Chriſtiani Orbis hoſtibus manus conſerere. Inſuper hoc ipſum docet novum illud inter Magiſtrum in Livonia & Schiſmaticum Moſcum ſive Ruthenum nuper initum fœdus, quod ad anxias Magiſtri & ſuorum Cruciferorum preces in rem Schiſmaticorum, & in maximum diſpendium vicinorum Chriſtianorum percuſſum eſt, quodque a principio magis Regna, Provincias & magnas ditiones, quam ut nomen Chriſti praedicaretur, vel ut Chriſtiani homines quiete viverent, quaeſiverunt, id quod inde colligi poteſt, quia Chriſtianis Poteſtatibus reſtiterunt, eosque, a quibus in eam Provinciam vocati ſunt, magna ingratitudine ſuppreſſerunt, atque adeo eorum vocationi non ſolum non paruerunt, ſed contra potius, ea, quae cum eorum religione ex diametro pugnant, moliti ſunt atque perfecerunt. Et quod neque ſpirituales neque temporales, ut hodie loquuntur, tametſi nemo magis ex tempore vixerit, appellari poſſint. Cum quibus, ſi ſit alicui negotium, perinde accidat, ac ſi lupum teneat auribus, quem neque queat retinere, neque etiam audeat dimittere, dum pro ſua libidine, atque in aliorum praejudicium modo ſpirituales modo temporales aeſtimari velint. Neq; poteſt hic Equeſter Ordo in Germania juſte conqueri, amiſiſſe ſe Hoſpitale; cum Regnum Poloniae hactenus hoc juſtis rationib9 eis denegaverit, atq; habeant iſti homines ſatis iſtarum Domorum in Germania, Italia & Livonia, praeterea & magnam facultatem contra Turcum & infideles pugnandi, modo non deſit bona voluntas. Inſuper quamque hic Ordo Teutonicorum Regnum Poloniae hactenus incommodaverit propter quotidiana bella, quibus Regno Poloniae longe aliud, molienti, hoc eſt: contra Moldavum atq; infideles pugnanti, ſemper fuit moleſtus. ANNO 1531. Quanquam Caeſareae Majeſtatis Praedeceſſores atque Romani Pontifices hoc egerint, ut miſſo ad hoc Rom. Pontificis Legato cauſam dederint hominibus Ordinis cum Regno Poloniae perpetuum inire fœdus. Qua ratione aliquot Magni Magiſtri in Boruſſia Regno Poloniae jurejurando fidem praeſtiterunt, atque ſe Regni feudatarios & proviſionibus & miniſteriis fecerunt, quae miniſteria ſive ſervitia Joannes a Tyeſſen bonae memoriae, Magnus Magiſter & Feudatarius Regni Poloniae ſua morte confirmavit. Quia vero poſtea Dominus FRIDERICUS Dux Saxoniae &c. & Illuſtriſſimus Princeps Dominus ALBERTUS Marchio Brandeburgenſis &c. Regia Veſtra Majeſtate ignorante, a Proceribus Ordinis electi ſunt, & ejusmodi fidelitatem praeſtare detrectarunt, ideoque Regia Veſtra Majeſtas novum bellum pro fide timere coacta fuit, id quod eventus ipſe declaravit, quandoquidem & ab Illuſtriſſimo Principe & ab Ordine omnis lapis fuit motus, nihilque, quod ad expeditionem bellicam pertinet, quantum fieri potuit pro facultate, praetermiſſum fuit; quo factum eſt, ut aliquot centorum miliariorum terras Regia Veſtra Majeſtas impetu & incurſu infidelium amiſerit; tandem vero, ſingulari quadam clementia atq; ſupplicationibus Pruthenorum, perpetuam pacem cum eis, nimirum perpetui belli pertaeſis, atque ad inopiam plane vergentibus, iniiſſe, juſtisque cauſis ac rationibus ex Boruſſia Ducatum feciſſe. Adeoque ut Regnum Poloniae ab una parte haberet pacem, ab altera vero majoribus copiis eoque ſtrenuius infidelibus poſſet reſiſtere. Inſuper potuerit Veſtra Regia Majeſtas Sacra eam Provinciam Boruſſiae retinere, neque cuiquam in feudum dare; id quod Anteceſſores quoq; Regiae Veſtrae Majeſtatis olim facere ſunt ſoliti. Praeterea ſatis habere Regiam Veſtram Majeſtatem juris, hoc, quicquid eſt damni ac intereſſe, ab iſtis hominibus Ordinis exigere, neque velle Regiam Veſtram Majeſtatem renunciatum ire. Poſtremo addere poteſt Sacra Regia Veſtra Majeſtas eas cauſas & rationes, quas & Sacrae Regiae Veſtrae Majeſtatis Praedeceſſores, & eadem Sacra Regia Veſtra Majeſtas pro tuenda altera parte Provinciae Boruſſiae olim praetenderunt, quas ſingulas recenſere Illuſtriſſimo Principi non eſt poſſibile.

Tertio Illuſtriſſimum Principem Boruſſiae, Dominum noſtrum clementiſſimum, Sacrae Regiae Veſtrae Majeſtati Provinciam

Anno 1531. ciam Boruſſiae ultro non ceſſiſſe, ſed magno apparatu bellico & maximis impenſis Regiam Veſtram Majeſtatem, ut vetus jus Regni Poloniae conſervaretur, eam denuo recuperaſſe, neque aliud quicquam Regiam Veſtram Majeſtatem quaeſiviſſe, quam ut jus Regni non diminueretur, atque pax conſervaretur, quodq; Sacra Regia Veſtra Majeſtas Haeredis Boruſſiae titulo ultra hominum memoriam ſit uſa, & quod in eum modum Sacrae Regiae Veſtrae Majeſtati Principes Imperii Romani, Reges & Caeſares ſuis literis ſcripſerint.

Quarto veniſſe Ordinis homines in Boruſſiam annis abhinc trecentis, atque armata manu invaſiſſe & occupaſſe non ſolum eas Terras, ad quas ab indigenis Principibus vocati ſunt, ſed eos quoque, qui eos vocarunt, utcunque Chriſtianos, nulla prorſus habita gratitudinis conſideratione, ſine cauſa e ſuis ſedibus dejeciſſe; viciſſim vero eas Terras nuper eodem belli jure amiſiſſe. Jam ſi prior occupatio ſive uſurpatio praeſtitiſſet Ordini Dominium, (id tamen quod negatur, & probe dici non poteſt) hanc poſteriorem eidem ademiſſe; cum nihil ſit tam naturale, quam unumquodque eo genere diſſolvi, quo colligatum eſt. *L. nihil tam naturale. ff. de reg. jur.* Sin vero ejus Provinciae hi homines Domini facti non fuerint, nimirum cum aliena per caedem & direptionem, ut latrunculi, non juſto bello, ſed contra jus divinum & gentium, quorum utrumq; eſt perpetuum & inviolabile, contra deniq; Ordinis ipſorum profeſsionem, injuſte occupaverint; eos, a quibus beneficium acceperant, cum reliquis Chriſtianis e ſedibus pepulerint, Regno Poloniae negotium fecerint, atque impediverint, quominus ſummis viribus Chriſtiani nominis hoſtibus reſiſteret. Nullam profecto eis fuiſſe injuriam factam, ſed aliena vi poſſeſſa vi rurſus amiſiſſe, priorem autem vim fuiſſe valde iniquam, hanc vero poſteriorem aequiſſimam. Et quanquam Sacra Regia Veſtra Majeſtas jure potuerit eam Provinciam Boruſſiae retinere, id quod ab ejusdem Sacrae Regiae Veſtrae Maieſtatis Anteceſſoribus factum eſt, attamen in animum revocaverit, quam ſumptuoſis bellicis expeditionibus haec Familia Brandeburgenſis Caeſaribus & Reipublicae Chriſtianae hactenus inſervierit, inſuper jus ſanguinis & cognationis ob oculos poſuerit, atque adeo ut ſimul Romano Imperio Sacra Regia Veſtra Majeſtas inſerviret, dignatam fuiſſe ea Provincia aliquot Perſonas praefatae Familiae, atque id quidem ultro & proprio motu, & in eum modum & cum Religione, & cum hac Provincia Boruſſiae omnia fide optima egiſſe, quin etiam ex improbe ſaecularibus hominibus probe ſaeculares feciſſe. Anno 1531.

Quinto: quod cum longius ipſi progrederentur, & quam latiſſime extenderent pomeria, juſſi ſunt & a Romanis Pontificibus & a Caeſaribus ſe domi continere, perinde quaſi iniqua & injuſta molientes. Ex quo ſine negotio colligitur, illam quoque primam aggreſſionem perperam fuiſſe factam. Nam ut Juris Civilis Interpretes loquuntur: Quod juris eſt de toto quoad totum, idem juris eſt de parte quoad partem. *L. an pars. ff. de uſucap. pro derelic. & §. nihil juſti de fidei com. hæredi.*

Sexto: non temere juſſu mandatoque & Romani Pontificis & Caeſaris Ordinem Templariorum olim fuiſſe deletum, atque Ordinis homines una nocte omnes fuiſſe caeſos, neque minus eum Ordinem praetendiſſe ſanctimoniae, quodque Reipublicae Chriſtianae eſſent utiles, quam illum iſtum; atque eum non fruſtra ex Apulia, Sicilia, Hungaria & Bohemia pulſum. Quemadmodum etiam Sacra Regia Veſtra Majeſtas, ut tandem quiete in ea vicinia viveret, coacta fuit hanc innovationem, quae controvertitur, facere.

Septimo: non debere paganos & ethnicos vi & gladio ad Chriſtianiſmum cogi, ſed Verbo Dei potius induci & allici, atque id, cum receptum & relatum ſit, probari minime debeat. Ex quo neceſſario colligitur, mala iſtorum hominum fides, & ut nulla hic praeſcriptio ſaltem Jure Canonico & inter Chriſtianos valeat. Proinde cum Sacra Regia Veſtra Majeſtas Illuſtriſſimo Principi Boruſsiae, Domino noſtro clementiſsimo ſub ejusmodj pœna inhibuerit, quominus in Judicio Camerae Imperialis compareat & reſpondeat, rogare Caeſaream Majeſtatem, Veſtram Regiam Majeſtatem fraterne & amice poſtulat; ut ejus Caeſarea Majeſtas dignetur hanc excuſationem acceptare, atque illam clementiſsimi noſtri Principis non comparitionem boni conſulere. Inſuper Judici & Aſſeſſoribus Imperialis Camerae ſcribere, mandare & praecipere, ut hoc in negotio interquieſcant, neque quicquam amplius adverſus Sacrae Regiae Veſtrae Majeſtatis ſubditum Principem & Vaſallum, Dominum noſtrum clementiſsimum, ultra attentat.

Praeterea cum Sacrae Regiae Veſtrae Majeſtatis Orator Epiſcopus Culmenſis Regiam Veſtram Majeſtatem ex Auguſtana Dieta per literas certiorem reddiderit, Caeſaream Majeſtatem ante factam inſeu-

Anno 1531. infeudationem pollicitam eſſe, Magiſtro in Germania non plus juris ipſa infeudatione collaturam, quam ſui Prædeceſſores habuerint, atque poſt infeudationem, eam, quæ facta eſt, Regno Poloniæ nulla ratione futuram fraudi; Regia Veſtra Majeſtas velit apud Cæſaream Majeſtatem hoc quærere, ut ejus promiſſionis literæ Cæſareo ſigno confirmatæ, atque Diplomata exigantur.

Poſtremo, Sereniſſime Rex, Illuſtriſſimus Princeps, Dominus noſter clementiſſimus in Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtatis deliberationem ſupplex ponit; an non debeat hoc ſtato die termini peremptorii in Judicio Cameræ Imperialis per Procuratorem comparere, atque nihil aliud agere, quam delatorie & peremptorie cauſas & rationes proponere, propter quas non cogatur ejus Celſitudo in hac cauſa reſpondere? Videlicet cum, ne id agat, acceperit Mandatum a Sacra Regia Veſtra Majeſtate Domino ſuo, ſub pœna amiſſionis totius feudi Boruſſiæ, inſuper eas rationes, quæ jam relatæ ſunt, adverſariis objicere.

Præſertim cum Cæſareum pœnale Mandatum ejus Celſitudinem Principem Imperii Romani appellet, id quod ejus Celſitudo, quantum ad paterna & communis agnationis & familiæ bona in Imperio Romano pertinet, non negat; paratam quoque eſſe ejus Celſitudinem, nomine avitarum Electoralium & reliquorum bonorum Cæſareæ Majeſtati & Imperio Romano ſuppliciter, atque quantum æquitas poſtulat, inſervire. Inſuper ſi quid interim occurrere poteſt, quod dilatorie & declinatorie objici queat; præmiſſa tamen ſolenni proteſtatione, non velle ejus Celſitudinem in alienam jurisdictionem conſentire, atque dato Procuratori ejusmodi mandato, ut ultra progredi etiam volens minime poſſit; ut nemo non intelligat, quibus rationibus & quo jure adverſarii hæc omnia moliantur; & ut hæc omnia Latina & Germanica lingua tabellis juſtis divulgari queant, ſuppliciter, fraterne & amice rogans, Sacra Regia Veſtra Majeſtas, una cum ornatiſſimis Proceribus Regni, qui modo a Regia Aula non abſunt, dignetur hoc agere, ut huic negotio tandem conſulatur. Dabit autem ejus Celſitudo operam, ut quicquid ad Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtatis & reliquorum Procerum dignitatem augendam atque amplificandam faciat, ut id ſuppliciter, diligenter atque ſedulo præſtet, commendans Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtati Domino ſuo clementiſſimo, Patri & Avunculo pientiſſimo, Dominis quoque Proceribus, Fratribus & Amicis ſuis dilectis ſe atque omnia ſua. Anno 1531.

Præter hæc omnia, Sereniſſime Rex, ſuppliciter rogat Dominus noſter clementiſſimus, non quidem ſui compendii, ſed ejus Celſitudinis ſubditorum neceſſitatis cauſa, Sacra Regia Veſtra Majeſtas velit, quantum ad monetam attinet, eas rationes quærere, juxta priores initas conventiones, ut fiat tandem in Provincia Boruſſiae ſine ulla tergiverſatione, innovatione vel immutatione, quemadmodum hactenus factum eſt, juſta aequalitas. Siquidem quantum hactenus ejus Celſitudinis ſubditi ex Regiae Veſtrae Majeſtatis Civitatum inobedientia damni ac jacturae pertulerint, neque lingua neque calamo ſatis exprimi poteſt. Quod videlicet ſoli mercatores, atque eorum non magna pars, cum univerſae Provinciae jactura diteſcant, quam jacturam Deus Optimus Maximus deſuper non ſine magna indignatione intuetur, atque Sacra Regia Veſtra Majeſtas eam tolerare non debet. Cujus rei ejus Celſitudo Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem ſupplex certiorem facere, atque eo nomine fideliter admonere voluit. Inſuper indicare, vidiſſe ejus Celſitudinem novos groſſos, quos Gedanenſes nuper cuderint, id quod cum Cracovienſi anno abhinc uno dato Mandato ex diametro pugnat. Quod ſi eis hoc juſta deliberatione permiſſum non ſit, Regia Veſtra Majeſtas pro Regia prudentia rebus ita proſpicere, ne in malum Reipublicae Pruthenicae ſuccedat.

Inſuper, quia ejus Celſitudinis ditio ſive Capitaneatus Hollandt magna piſcium penuria, propter devaſtationem ſupremo bello factam, laborat; rogat ejus Celſitudo ſuppliciter, Sacra Regia Veſtra Majeſtas velit Capitaneo Hollandienſi jus piſcandi in ſtagno Drauſen' Marienburgenſis ditionis clementer praeſtare. Videlicet, ut ſolum uſum habeat, hoc eſt, ut pro ſua domo uti queat; id quod ejus Celſitudo erga Regiam Veſtram Majeſtatem ſuppliciter promereri eſt dignata & parata.

Poſtremo ſupplicavit Principi noſtro Illuſtriſſimo ejus Celſitudinis Conſiliarius & Aulicus, Magiſter Amandus Hemmerlein, conquerens iſtis literis, habere ſe cum Senatu Elbingenſi negotium, neque tamen ſuum jus poſſe conſequi, quas ejus Celſitudo Nobis commiſit Sacrae Regiae Veſtrae Majeſtati perferendas, ſuppliciter rogans Illuſtriſſimus Princeps, Sacra Regia Veſtra Majeſtas dignetur hoc jubere, ut homo ſupplex ſuo jure tandem non fraudetur. Dabit ejus Celſitudo operam,

Anno 1531. ram, ut erga Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem eo quoque nomine gratus & ſupplex inveniatur.

CXCVIII.

Reſponſum datum Oratori Ducis Pruſſiæ nomine Majeſtatis Regiæ. Datum Cracoviæ Anno 1531. d. 26. Aprilis. *Ex Tabulario Zaluſciano.*

Sacra Regia Majeſtas, Domine Orator, gravi & moleſto accipit animo, Caeſaream & Catholicam Majeſtatem eouſq; perſuaſionibus invidorum perductam eſſe, ut ultra infeudationem Terrarum Pruſſiae, quam ſuperiore anno nulla juris & dominii Majeſtatis ſuae ratione habita, Adminiſtratori Ordinis Teutonicorum Generali Auguſtae fecit, non dubitavit etiamnum ad ejusdem Adminiſtratoris inſtantiam, in praeiudicium Majeſtatis ſuae, mandatis pœnalibus & citatione peremptoria Illuſtrem Dominum Ducem in Pruſſia ex ſubjectione hac ad Imperialis ſuae Camerae Judicium indebite vocare. Cujus rei gratia, ſicut ab initio de tuendo jure ſuo multa egit Majeſtas ſua apud Caeſaream Majeſtatem per Reverendum Patrem Epiſcopum Culmenſem, Oratorem illic ſuum, ita nunc maxime & per eundem Oratorem, & per literas agere cum illius Majeſtate Caeſarea vult, ut ab inſtituto hoc evocandi Illuſtrem Dominum Ducem animum ſuum revocare dignetur. Commendat autem plurimum ſtudium & curam Illuſtris Domini Ducis Majeſtas ſua, quod prius, quam reſponderit aliquid literis Nuntiorum Caeſareae Maieſtatis, referre haec, quae aguntur, & conſilium ſuper his a Majeſtate ſua petere voluerit. Et probat magnopere deliberationem Illuſtritatis ſuae, quam concepit de mittendo ad Judicium Camerae Imperialis pro die nonageſima juridica Nuntio, qui Illuſtritatis ſuae nomine rationes afferat, & cauſas proponat, propter quas non teneatur ratione feudi Terrarum Pruſſiae in alio loco, quam hic apud Majeſtatem ſuam reſpondere. Majeſtas quoque ſua inſtructionem dabit copioſam Reverendo Domino Joanni Epiſcopo Culmenſi, quibus rationibus jus & dominium, quod in Terris iſtis Pruſſiae Majeſtas ſua ab antiquo habet, a jurisdictione aliena tueri & defendere coram Caeſarea Majeſtate debeat, & Illuſtrem Dominum Ducem de ſuſcepto feudo excuſare. In quo Maj. ſua, ſicut a principio pollicita eſt, Illuſtritatem ſuam ab omni impetitione pro facultate & viribus ſuis defendere vult & promittit.

Caeterum ad poſtulationem Illuſtritatis ejus, mittet Majeſtas ſua Nuntium cum literis ad Illuſtritatem ſuam quibus illi mandabit, ne in praejudicium Regni ſui & obligationem feudi mandatis & edictis cujusvis, quae Majeſtatis ſuae non eſſent, ſub pœna amiſſionis ejusdem feudi obtemperet, quod ipſum etiam Dominatio Veſtra Illuſtritati ſuae nuntiabit, ne ulla in re alienae jurisdictioni ſe immiſceat, ſed de omnibus, quae Pruſſiae Terris contingent, ad Majeſtatis ſuae conſilium & auctoritatem ſub amiſſione feudi ſui referat. Anno 1531.

Quod autem ad negotium marcae duplicis, & inaequalitatem monetae iſtius Prutenicae attinet, committit & mandat ſua Majeſtas Dominis Conſiliariis, & omnibus Ordinibus Terrarum Pruſſiae, ut cum Illuſtris Domini Ducis Nuntiis, perpenſa aeſtimationis monetariae aequalitate, de marca id conſtituant, quod aequum, & in univerſum ad ſingulorum commoda accommodatum videri juſte poſſit. De facultate piſcandi danda Capitaneo Hollandenſi, etſi Majeſtati ſuae non ſit nunc integrum aliquid ſtatuere, propter ſtagni & laci illius Drauſenſis locationem civibus Elbingenſibus factam, dare tamen ad illos literas mandabit, ut in hac re deſiderio Illuſtritatis ſuae inſerviant, Cracoviae vigeſima ſexta Aprilis 1531.

CXCIX.

Conſtitutio Sigismundi I. *qua valor Aureorum in Pruſſia deſignatur.* Datum Cracoviæ 24. Julii Anno 1531. *Ex Archivo Regni Lib. KK. fol. 55.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae &c. Univerſis & ſingulis ſpiritualibus & ſaecularibus, Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, nec non Magnificis, Generoſis, Nobilibus & Famatis Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Tenutariis, & quibusvis aliis Dignitariis & Officialibus, Nobilibus, Civitatumque & Oppidorum Proconſulibus & Conſulibus, ac Communitatibus, & generaliter, omnibus ſubditis noſtris in Terris noſtris Pruſſiae conſtitutis, ſincere & fidelibus dilectis, gratiam Regiam. Sincere & fideles dilecti. Manifeſtum vobis & cuilibet veſtrum facimus per praeſentes. Quia Nos conſiderantes eſſe in Terris iſtis magnum incommodum ac difficultatem ex hoc, quod non eſt conſtitutus iſthic aliquis certus valor auri, proſpicereque volentes, ut

ANNO 1531. ut ne quiſpiam in receptione & uſu illius colludatur, aut gravamine aliquo afficiatur, de conſilio & unanimi conſenſu Conſiliariorum iſtarum ipſarum Terrarum ſtatuimus & ordinavimus, ut Aureus Hungaricus groſſis quadraginta quinque faciens marcas duas & unum fertonem Prutenicalem, Aureus Rinenſis groſſis triginta faciens marcam unam cum media, Aureus vero Hornenſis groſſis duodecim cum medio bonis capiatur & expendatur, & ſimiliter caeteri Aurei, qui iſthic etiam in uſu habentur, ad valorem .... Aureorum ſupradictorum collati & redacti accipiantur. Quocirca mandamus vobis, ut juxta hanc Conſtitutionem noſtram Aureos praedictos in uſu habeatis, capiatis & expendatis. Vos vero locorum Capitanei, ac Civitatum Elbingenſis, Thorunenſis & Gedanenſis Proconſules & Conſules, eam ipſam Conſtitutionem Aureorum per Nos factam temporibus opportunis & convenientibus publice proclamare, & ad univerſorum notitiam deduci curetis pro gratia noſtra. Datum Cracoviae Feria ſecunda in Vigilia Feſti Sancti Jacobi Apoſtoli, Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo, Regni vero noſtri Anno vigeſimo quinto.

Ad Mandatum Regiæ Majeſtatis proprium.

CC.

1532. *Manifeſtatio Legati Poloniæ nomine Regis ſui facta contra bannum Imperiale in* ALBERTUM *Ducem Pruſſiæ editum.* Ratisbonæ in Comitiis Imperialibus Anno Domini 1532. *Ex Archivo Załuſciano.*

Sacra Cæſarea & Cathol. Majeſtas.

Superioribus diebus Bruxellis, ſecunda die Menſis Septembris praeteriti, Sacrae Majeſtati Veſtrae nomine Sereniſſimi Regis Poloniae expoſui, quomodo ante aliquot tunc menſes Illuſtris Princeps ALBERTUS Marchio Brandenburgenſis, Dux in Pruſſia, ex Sorore Sereniſſimi Domini mei Nepos, Monitorio pœnali ratione Terrarum Pruſſiae, ad inſtantiam Adminiſtratoris deſignati Ordinis Theutonicorum, peremptoria citatione fuerat ad Judicium Camerae Imperialis evocatus, ut intra octo ſeptimanas Terras Pruſſiae, illi a Sereniſſimo Domino meo in feudum datas, ſub pœna banni Adminiſtratori Ordinis reſtitueret, vel elapſis octo ſeptimanis intra nonaginta dies compareret, propoſiturus juſtas cauſas, cur ad eam reſtitutionem non teneatur. Et quum igitur Sereniſſimus Dominus meus Illuſtriſſimo Domino Duci in Pruſſia, vigore Superioritatis ſuae, prohibuerit, ne ratione Terrarum Pruſſiae, & feudi ſuper his commiſſi, in Judicio Camerae compareret & reſponderet, quod ad id, pro ſuſcepto a Sereniſſimo Domino meo feudo, minime teneatur, quandoquidem ipſum Dominum Ducem in Pruſſia Sereniſſimus Dominus meus ut Nepotem & Principem Regni ſui jure feudi, quod illi in Terris ſuis Pruſsiae conceſsit, defendendum & pro eo reſpondendum ſuſceperit. Dixique praeterea Sacrae Majeſtati Veſtrae, & quemadmodum alia ſupra enumerata in ſcriptis dedi, Sereniſsimum Dominum meum Poloniae Regem paratum eſſe, ſemper juſtis nominibus & cauſis ſufficientibus contra adverſariorum impetitiones juſtitiam & jura ſua, quae ad Terras Pruſsiae Praedeceſſores Serenitatis ejus, & ipſa cum ſuis Succeſſoribus habuit ſemper & eſt habitura, demonſtrare, atque ex omni parte, DEO bene favente, tueri. Rogavi itaque eo tempore Sacram Majeſtatem Veſtram impenſe, Sereniſsimi Domini mei nomine, ut hanc excuſationem, quod ipſe Dominus Dux in Pruſsia ſic prohibitus non comparere aut reſpondere potuerit, pro mutuo fraterno amore & juſtitia, quam Sereniſsimus Dominus meus in Terras Pruſsiae habet, atque etiam pro rerum Chriſtianarum tranquillitate, qua ad praeſens maxime egent, boni conſulere & benigniter admittere dignaretur, juberetque Judicio Camerae, ut ea in cauſa ulterius non procederet, & ſubditum Principem Sereniſsimi Regis mei, cum Terris ſuis, a Sereniſsimo Rege meo in feudum acceptis, in iſtiusmodi juris proceſſu deinceps non moleſtaret, quo multa inconvenientia, quae inde oriri poſſent, evitarentur. Ad iſta mihi Sacra Majeſtas Veſtra reſponderi, & Sereniſsimo Domino meo reſcribi juſsit, negotium hoc ſpectare ad Imperium, cujus eo tempore in Spira Conventus fuerat inſtitutus, & quod ibidem Sacra Majeſtas Veſtra datura eſſet operam, ut omnia ea fierent, quae juribus & juſtitiae Sereniſsimi Regis mei convenirent, ſeque Sereniſsimo Regi meo nulla in re praejudicaturam, ſed quantum poſſet gratificaturam. Cum autem Spirenſis Conventus expiraſſet, interea quo iſte Conventus Ratisbonae inſtitutus eſſet, Judicium Camerae in cauſa ad inſtantiam Adminiſtratoris proceſsit, & in vim contumaciae Illuſtriſſimum Dominum Ducem in Pruſsia, ſic a Sere-

ANNO 1532. a Sereniſsimo Domino meo, ne compareret, prohibitum, omnesque illi adhaerentes & faventes, cum abſolutione ſubditorum Sereniſſimi Regis mei a debito & juramentis, in menſe Januario noviſſime præterito bannitum declaravit, & literis ſuis per Imperium ſic bannitum publicavit, ac valvis & locis publicis affixit, quas ego literas Franckfordiæ nuper in nundinis in porta Eccleſiæ majoris affixas vidi, & ad calcem perlegi. Quod cum Sereniſſimo Domino meo innotuerit, qui Regni ſui ſubditum Principem ratione feudi, quod illi conceſſit, & ob quod ille bannitus eſt, non deſeret, neque jura ſua tueri omittet, quam graviter ferat, facilis eſt conjectura, præſertim cum nunquam prius vel ſcriptum vel auditum eſt, quod pro Terris Pruſſiæ quispiam Regalia ab Imperio cæperit, vel illi paruerit, præterquam iſte Illuſtriſſimus Dux ALBERTUS tum Ordinis Magiſter, cum fruſtra Sereniſſimo Regi meo reluctaretur, & ſuperiori anno Ordinis iſtius Adminiſtrator. Certum autem eſt, plures Magiſtros Pruſſiæ Sereniſſimis Poloniæ Regibus homagium præſtitiſſe, eosq; Principes Regni Poloniæ nuncupatos fuiſſe. De Religionis deſertione Sereniſsimus Dominus meus ipſum Dominum Ducem Pruſsiæ non aſſerit, aut pro eo intercedit, ſed illis, quorum intereſt, liberum relinquit; quæ vero jura Regni ſui concernunt, illis pro debito ſuo cogitur intercedere, & ea in ſuis limitibus conſervare, quemadmodum Serenitatem ejus & data Regnicolis fides, & Sacramenta adſtringunt. Quapropter hæc ſic in notitiam S. Majeſtatis Veſtræ, nomine Sereniſsimi Domini mei, deducenda exiſtimavi, cujus & nomine S. Majeſtatem Veſtram rogo ſummopere, velit hæc apud ſe reputare, & non permittere, ob multa mala, quæ ortum inde habere poſſint, bannum hoc ſubditis & Terris Sereniſsimi Regis mei aliqua in parte incommodare, aut ulterius diſtendi, quam mutuo fraterno amori & obſervantiæ Sereniſsimi Domini mei, atque publicæ tranquillitati convenit, quod Sereniſsimus Dominus meus omnibus fraternis ſtudiis & Officiis, cum Regno, dominiis & facultatibus ſuis S. Majeſtati Veſtræ, quam debita obſervantia & honore ſemper proſequitur, compenſare ſedulo ſtudebit. Et cum jam in nonum uſq; annum apud S. Majeſtatem Veſtram a Sereniſsimo Domino meo Orator fuerim, & tandem ab ejus Serenitate facultatem ad Patriam & ad oviculas meas redeundi impetraverim, S. Majeſtati Veſtræ humiliter ſupplico, ut me tam benigno & pleno reſponſo ſuper his & aliis, quæ in ſcriptis dedi, cum gratia ſua clementer a ſe dimittere dignetur. Ubicunque & quodcunque futurus ſum, ſemper futurus ſum S. Majeſtatis Veſtræ deditiſsimus ac devotiſsimus Famulus & Capellanus.

Orator Poloniæ.

CCI.

Supplicatio Adminiſtratoris Magiſtratus Ordinis Theutonicorum in Pruſſia, Cæſareæ Majeſtati oblata, contra præcedentem Oratoris Poloni Manifeſtationem. Datum Ratisbonæ d. 3. Jun. An. 1532. ***Ex Arch. Zaluſciano.***

Sereniſſime, Potentiſſime, ac Invictiſſime Romanorum Imperator, Domine Gratioſiſſime.

Veſtræ Cæſareæ Majeſtati humillima mea ac debita pro virili parte ſervitia offero, Domine Gratioſiſsime. Ea ſupplicatio, quam Cæſareæ Veſtræ Majeſtati ante paucos dies Regiæ Majeſtatis Poloniæ Orator exhibuit, videtur continere inprimis Mandatum, quod Cæſarea Veſtra Majeſtas ad implorationem meam in nuperrimo Auguſtæ Imperiali habito Conventu contra ALBERTUM Marchionem Brandeburgenſem, olim Magnum Magiſtrum, factam, ratione alterationis Veſtræ Cæſareæ Majeſtatis, Sacrique Romani Imperii, ac Ordinis mei Territoriorum ac ſubditorum Pruſsiae publicari fecit. Adhæc Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis Conſiſtorium Cameræ Imperialis ac Sacri Romani Imperii ob ſuam contumaciam eundem bannitum declaravit, cum iſta appendice, quod inpoſterum iſta Provincia debeat in feudum a Rege Poloniæ acceptari. Præterea multos Magiſtros Regi Poloniæ juramentum fidelitatis præſtitiſſe, ac Prncipes illius Regni vocatos fuiſſe, nec quemquam Magnorum Magiſtrorum Pruſſiæ, quam Marchionem ALBERTUM ac me Regalia a Cæſarea Veſtra Majeſtate ac ejusdem Prædeceſſoribus, ac Sacro Rom. Imperio accepiſſe, adjuncta etiam hac petitione, quod prædicto a me impetrato banno locus dari non debeat. Aliaque, quæ in prædicti Oratoris ſupplicatione latius continentur, cujus quidem ſupplicationis meo nomine poſtulatæ, cum mihi exemplar exhibitum fuiſſet, omni diligentia & cura idem perlegi ac intellexi.

Quanquam, Gratioſiſſime Romanorum Imperator, pro certo non ſcio, quod prænominatus ille Orator cum ſufficienti poteſtate ad hoc ſit munitus, ac quod Re-

Anno 1532. Rex Poloniæ credat, Conſiſtorium Imperialis Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis Cameræ non eſſe ordinarium Judicem, quodque ibidem cauſam hujusmodi determinari non licuerit, merito ergo Regia ſua Majeſtas interim, dum judicii dies dictus fuit, comparuiſſet, ac cauſas ob eam rem obtuliſſet, ut quidquid juris fuiſſet, transactum eſſet, quocirca (cum proteſtatione tamen illa, me non velle nec intendere ab impetrato banno quovis modo declinare aut reſilire, ſed quidquid conſequeretur, tantum ob æquitatem, nulliusque injuriam ac detractionem, ſolummodo ad meam inevitabilem neceſſitatem, declarare velle) Cæſareæ Veſtræ Majeſtati veram offero informationem, quam dignetur non gravatim audire. Cum abhinc circiter trecentos ac nonaginta annos univerſa Chriſtianitas ab infidelibus citra mare valde fuerit infeſtata, prout etiam maxima expeditio adverſus eosdem repellendos facta eſt, ex eo tempore laudabilis ille Equeſtris Ordo Militum Theutonicorum originem trahit, & a Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis Prædeceſſoribus, ac Romano Imperio religioſiſſime creatus ac auctus fuit, & exinde a Pontificia Sanctitate confirmatus ac conſtabilitus, nam idem cum reliquis militaribus Ordinibus aliquo temporis ſpatio contra infideles, ad prædictorum defenſionem incommodorum, ac ad incrementum totius Chriſtianitatis viriliter rem geſſiſſe fertur. Et cum ipſi olim maxima damna ab incredulis accepiſſent, & ob id diſperſi fuiſſent, ac, cum Generoſiſſimus Princeps, piæ memoriæ, Conradus Dux Mazoviæ & Cujaviæ illo tempore ab infidelibus ac crudeliſſimis gentibus valde oppugnatus eſſet, adeo, ut ipſe illis reſiſtere non potuerit, Summum Pontificem pro Cruciata publicanda requiſivit, ad hæc Ordinem meum aſſumpſit, eique Culmenſe Territorium, quod in finibus Ducatus ſui ac Pruſſiæ ſitum eſt, ut Ordo ille eo virilius efficaciusque laboraret, ut Pruſſia, ad æternam Gloriam ac Majeſtatem veri Dei, ex poteſtate immaniſſimorum Prutenorum eo citius eriperetur, liberum ac proprium conceſſit ac condonavit. Quam donationem piæ memoriæ Prædeceſſor meus Dominus Hermannus a Saltz, cum conſenſu tamen Prædeceſſoris Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis Friderici S. acceptavit, cujus Majeſtas cogitans, quod hujusmodi Territorium Culmenſe cum Pruſſia ſub Monarchia Sacri Romani Imperii contineretur, ac ab exordio ad eandem pertinuiſſet, eam donationem confirmavit, ac ipſi, meoque Ordini ad hoc ſuæ Majeſtatis poteſtatem

conceſſit, Pruſſiam cum omnibus ſuis pertinentiis & juribus oppugnare, & ſi hæc Pruſſia occupata fuiſſet, ei, ſuisque Succeſſoribus in perpetuum, cum omnibus Regalibus aſſignavit, tenore ſuæ Majeſtatis literarum, de dato Anno Domini MCCXXVI. Quod Territorium Pruſſiæ pro conceſſione prædicta, Pontificiæque Sanctitatis, Ordo meus cum auxilio ac adjumento Pontificiæ Sanctitatis, ac Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis Romanorum Imperatorum ac Regum, Electorum, Principum, Comitum, Baronum, Dominorum, militaris Status, ac aliorum Ordinum Germanicæ Nationis, uſque ad quinquaginta tres annos impugnavit, ac in multo labore ac ſanguinis effuſione tandem ad Chriſti fidem ac Ordinis mei manus convertit & aſſignavit. Ad hæc, ad plantationem Chriſtianæ Religionis, cum quibusdam laudabilibus Epiſcopatibus Fundationibus ac Eccleſiis, ad majoremq; defenſionem multas egregias arces exſtruxit, ac ad ſplendorem Divini Nominis, Veſtræ Cæſareæ Majeſtatis, ac Sacri Romani Imperii propugnaculum, munitionem ac defenſionem, ac prædictorum Statuum majoris minorisque Nobilitatis ad ſingulare refugium, ſuſtentamentum ac hoſpitale, pro parte uſque ad milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum annum, ac pro altera parte uſque ad nuperrimam Marchionis Alberti temerariam defectionem ac alterationem obtinuit, ac Provinciam Pomeraniæ per legitimum contractum emptionis a quibusdam olim Marchionibus Brandenburgenſibus coëmit. Cum vero Ordo meus prædicta Territoria longo tempore omnia quiete obtinuit ac poſſedit, ac Lithuani eo tempore Polonos & Mazovios cum auxilio Tartarorum ſæpenumero aggreſſi, prædictus Ordo meus prænominatos Lithuanos, pro ſuo Ordinis ſtatu ac profeſſione, cum adjumento Germanicæ Nobilitatis oppugnavit, ac Samagitas omnino, ac ferme majorem partem Lithuaniæ bello acquiſivit, hancque arcibus, civitatibus, fortalitiis ac oppidis exſtruxit, ac munivit. Præterea Regnum Poloniæ Ordoque meus multis poſtea annis maxima in amicitia & conjunctione vixere, uſque dum Polonia incredulum Magnum Principem Lithuaniæ in Regem elegit, qui, veteris damni recordatus, contra Ordinem meum bellum movit, ac eundem auxilio multorum infidelium ex inſperato aggreſſus eſt, ac maximam cladem intulit. Quamobrem Ordo meus armis reſtitit, ac Regem una cum ſuis auxiliaribus ex Regno fugavit, Regnum vero Poloniæ talibus modis affecit, ut ejus Anno 1532.

vires

Anno 1532. vires non magnæ æſtimatæ fuerint, quod poſtmodum Rex Concilio Conſtantienſi expoſuit, ac tantum effecit, quod Ordo meus ei talem Provinciam armis occupatam abſque ullo conflictu reſtituit. Cum vero Rex vires aliquot recuperaſſet, tanti beneficii oblitus, novam cauſam ac requiſitionem contra ſæpedictas Ordinis mei Provincias, Pomeraniam, Culmenſem, ac Michałovienſem excogitavit, nempe, quod hæ etiam Provinciæ Regno Poloniæ ſubjectæ eſſent, ad hæc novas expeditiones fecit. Ad quod avertendum meus Ordo hujusmodi cauſam Arbitris Regibus Hungariæ & Bohemiæ commiſit, qui, poſt ſufficientes rationes utrius que Partis jurium, prædictas Provincias Ordini meo adjudicarunt ac addixerunt. Nec is belli finis fuit. Sed rurſus neſcio quid turbationis ortum eſt, arbitrio Sigismundi Romanor. Imperatoris poſtea commiſſum fuit, qui Anno milleſimo quadringenteſimo duodecimo priorum Regum ſententiam etiam confirmavit.

Porro Rex Poloniæ tot pacificationibus non contentus, rurſus bellum excitavit, quod Tornaci Anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſexto ſedatum fuit, nam perpetua pax inter Regem Vladislaum, ac omnes Regni Poloniæ Status, ac Magnum Magiſtrum Pruſſiæ, Magiſtrosque Germaniæ & Livoniæ, omnesque ſuos fœderatos confirmata fuit, in qua quidem pace praedictus Poloniae Rex pro ſe, ſuisque omnibus Succeſſoribus praetactas Provincias Ordini meo aſſignat, ac ſe haereditarium Dominum Pruſſiae in ejusmodi, ac nonnullis aliis poſtea ſcriptis, apochiis, nunquam nominat. Ad hæc juramento, per Deum omnesq; ſuos Sanctos facto, ſe adſtringit, quod quilibet ſucceſſurus Rex intra annum ſuae Coronationis praetactam perpetuam pacem inviolabiliter ſervandam jurare cogitur, omnesque Principes, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac alii Status praedicti Regni hujusmodi juramentum praeſtare coguntur, denis ſemper annis hujusmodi juramento reſtaurato. Praeterea, ſi Rex Poloniae bellum contra Magnum Magiſtrum ac ejusdem Provincias movere niteretur, quod ſui ſubditi ac auxiliares nullo pacto permittere, ſed ſuae ſubjectionis expertes eſſe deberent, neque auxilio eſſe obſtricti ſint, ita, ut utraque Pars utriusque Partis deinceps hoſtis eſſe, ac eandem armis laceſſere minime deberet, prout hujus perpetuae pacis literae, amplius ducentis ſigillis roboratae ac munitae, latius declarant, quas quidem literas penes me habeo, ac libenter in medium proferre volo; nam hae in eum modum ſunt munitae, ut ſi uſque gentium fides eſſet, quod merito ſervari deberent. Poſtea vero longo tempore inter Regem Poloniae ac meum Ordinem pax illa ſervata fuit, donec circiter annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum proxime elapſum, major Ordinis mei infidorum ſubditorum pars in Pruſſia, ut ab omni dominatu liberi, ac proprii domini, immunesque eſſent, ab Ordine meo deſcivit ac conſpiravit, quae conſpiratio per Pontificiam Sanctitatem, ac Caeſareae Veſtrae Majeſtatis Praedeceſſorem ac Abavum Caeſarem Fridericum honorificae recordationis, ut Ordinis mei veros Superintendentes, ſententia caſſata fuit, eosque Pontificia Sanctitas in excommunicationem, ac Caeſarea Majeſtas in ſuum, ac ejusdem Sacri Romani Imperrii bannum declaravit, ſpeciali Edicto facto, quod nullus ejusmodi contumacibus conſpiratoribus auxilium aut ſubſidium ferre debeat. Praeter haec omnia, ac praecipue praeter multivariam Magni Magiſtri oblationem, quod ſi ſe aliquo pacto gravatos eſſe arbitrarentur, quod ipſe cum eis coram quocunque, etiam cujuscunque conditionis, tam magnae quam parvae, jure ſtare velit, nulla ratione tum juramenti, tum honoris habita, in Ordinis mei Civitatibus technas ac proditiones comparaverunt, ut uno die 70. ac plures civitates ac arces illuſtriores ab Ordine deſciverint. Quibus contumacibus ſubditis, non habita ratione Pontificiae excommunicationis, Caeſarei banni ac inhibitionis, praetactiq; praeſtiti juramenti perpetuae pacis initae, pariter & ſubditorum nefandi facti, Rex Kazimirus moderni Regis Sigismundi Pater adhaeſit, pro eisq; interceſſit. Ad haec Ordinem meum maximo exercitu, procul dubio illum in Pruſſia omnino eradicandi animo, invaſit, ac in quatuordecim annos uſq; acrius debellavit, illoque injuſto bello Ordinem ad tantam deſolationem ac paupertatem redegit, quod tunc temporis Magnus Magiſter Dominus Ludovicus ab Herlichshausen, bonae memoriae, ad ſui & aliorum tum corporis tum vitae defenſionem, ac in averſionem omnimodae cladis Provinciae Pruſſiae, ibidemque mei Ordinis extinctione, metu in conſtantiſſimum Virum cadente, ſine ſcitu, voluntate & aſſenſu Pontificiae Sanctitatis, Romanorum Imperatoris, Electorum, Principum, Baronum, Comitum, Dominorumque aliorum Nobilitaris Ordinis Sacri Romani Imperii, ac Germanicae Nationis, ad quos, ut praefertur, Pruſſia ſpectat, etiamnum mei Anteceſſoris

ANNO 1532.

ſoris Alemaniæ, ac Magiſtri Livoniae', omniumq; eorundem Præceptorum quandam concordiam ſane iniuſtam ac impiam inire coactus eſt, inter cætera huius tenoris. Quod deinceps quilibet Magnus Magiſter infra ſex menſes a tempore ſuae electionis apud Regem Poloniæ comparere, ac prætactam pacem jurare debeat. Et ſi Pontificia Sanctitas poteſtate ſua Ordinem abſolvere niteretur, hoc non admittere, ſed indignum ducere. Verum etiam poſt Pontificiam Sanctitatem neminem, præter Regem Poloniæ, pro Domino recognoſcere. Inſuper pro media parte Polonos ad Ordinem meum aſſumere, illoſque inſtar aliorum Germanicæ Nationis ad officia admittere. Quæcunque etiam Ordo meus rebus bellicis occupaturus eſſet, hæc omnia Coronae Poloniæ aſſignare, & pro Rege ſuo recognoſcere. Quæ omnia prædicta tendunt (ut Cæſarea Veſtra Majeſtas, Electores, Principes, ac Status Romani Imperii facile dicere habent) in Pontificiæ Sanctitatis, ac Cæſareæ Veſtræ Maieſtatis, Sacrique Romani Imperii, tanquam mei Ordinis Fundatorum, pariter & omnium tam magnæ, quam parvæ conditionis Nobilitatis Proſapiæ Theutonicæ Nationis grande periculum & extinctionem, nec non contra, & adverſus prædictam perpetuam concordiam, Ordiniſque denique mei inſtitutionem, immunitatem, jura, omnemque æquitatem. Quam coactam quidem concordiam & inanem nonnulli Magni Magiſtri, præter & abſque eo, quod ipſi ejus inanitatem, perpetuamque prætactam pacem in contrarium ſæpe numero allegarunt, & ſeſe diuque coram Summo Pontifice, Romanorum Imperatore, Electoribus, Principibus, etiam quibuſcunque aliis ſuperioris, aut infimae conditionis jure ſtare vel ultro obtulerunt, metu ante dicto (ipſis tamen, Ordineque meo nihilo minus interim ſub Sacri Romani Imperii tutela, ac defenſione remanente) jurare compulſi ſunt, usque ad tempora Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principis FRIDERICI, mei Ordinis Magni Magiſtri & Ducis Saxoniæ felicis recordationis, etiamnum ALBERTI Brandenburgenſis quam diu ipſe Ordinem profeſſus eſt, officioque Magni Magiſtri functus fuit, qui ambo quidem prætactæ concordiæ inanitatem conſiderantes, & præcipue, quod illa a Pontificia Sanctitate, Cæſareaque Maieſtate non ſolum non confirmata, ſed reprobata, a Caeſareque MAXIMILIANO (honorificæ recordationis) ratione illa, quod in Comitiis Imperialibus Auguſtæ Anno milleſimo quingenteſimo habitis deliberatum & ipſis prohibitum eſſet. Ex quo Theutonicus Ordo Nobilibus Theutonicae Nationis inſtitutus, ad Romanum Imperium ſpectaret, quodque Magnus Magiſter ac Magiſter Livoniæ ſua Regalia ab Imperio recognoſcerent, talem intolerabilem pacem jurare, ac eandem juramento quovis modo affirmare recuſarunt, exinde die quadam ad hanc rem amicabiliter componendam Poſnaniæ, ad Divi Joannis Baptiſtæ Feſtum, Anno decimo indicta, a ſuaque Cæſarea Majeſtate ac Sacro Romano Imperio, Dominis Hermanno Coadiutore in Fulda, Erneſto Comite Mansfeldt, & Doctore Theoderico de Vuitzleben, hujus cauſæ auditoribus miſſis, poſt magnam adhibitam operam, nihil mitius effectum eſt, ex quo tum ultimum bellum ſubſecutum fuit. Ad prætactam deliberationem, etiamſi Romani Imperatores Magnos Magiſtros in Pruſſia eorum Principes, & rurſus Ordo meus eorum Cæſareas, & Regias Maieſtates Superiores recognoverat, Pruſſiaque etiam cum aliis prædictis Provinciis mei Ordinis propria eſt, & ſingula Regalia & Jura ei a Romanis Imperatoribus & Regibus conceſſa, & ſæpenumero aperte & generaliter cum ſuis Privilegiis, quæ in temporalibus ab ipſis, & nullis aliis, habuit, innovata & confirmata ſunt, etiam nullus Magnus Magiſter (licet nonnulli prætenſam prætactam concordiam, ut prædicitur, metus durantis cauſa jurarunt) aliqua Regalia, Provinciam aut Populum nec ante, nec poſt a Rege Poloniæ quovis modo in feudum accepit. At Marchio ALBERTUS in Dieta Imperiali, Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo quarto, Norimbergæ habita, Cæſareæ Veſtræ Majeſtati, Sacroque Romano Imperio ſeſe incorporavit, a Caſareæ Veſtræ Maieſtatis Locumtenente, modo Domino meo Gratioſiſſimo Romanorum Rege, & Regimine Sacri Romani Imperii Statuum accedente aſſenſu, pro Veſtræ Cæsareæ Majeſtatis, ac Sacri Romani Imperii Principe reputatus eſt, juxtaque ejus promiſſionem condignam, quod Veſtræ Cæſareæ Majeſtati, ac Romano Imperio fidelis eſſe velit, pro tali admiſſus, eique exinde Seſſio in Conventu Statuum, qua ſæpius uſus, aſſignata eſt, nec non & decreta prætactæ Dietae per eundem Marchionem ALBERTUM ſui Sigilli appenſione roborata fuerunt, quod & Magiſter Livoniæ pariter fecit, Cæſareaque Veſtra Maieſtas mihi & præmemorato Magiſtro Provinciarum Pruſſiæ & Livoniæ Regalia conceſſit, & nos illa recepimus. Ex praeſenti firmiſſima & veriſſima informatione poſſunt Caeſarea Veſtra Majeſtas, Electores, Prin-

ANNO 1532.

Anno 1532. cipes, Statusque Imperii non difficulter intelligere, quod ſupra dicta Pruſſia, cum ſuis pertinentiis ad Ordinem meum ſpectat, ac Caeſareae Veſtrae Maieſtati, Sacroque Romano Imperio immediate ſubjecta eſt, & quod nequaquam vel aliquibus legitimis cauſis ad Regem Poloniae ullo tempore pertinuit, nec hodie pertinet, aut ſuum feudum dinoſcitur. Quamobrem Marchio Albertus profeſſionem ſuam, ac Ordinis inſignia a ſe projicere, & crebro dictas Provincias, ut notorium & publicum eſt, Regi Poloniae, nulla honeſtate aut quovis jure, pro feudo aſſignare potuit, nec ipſi Regi, ſibi & haeredibus ſuis in feudum concedere, & ab Ordine meo alienare, ſeque cum jactura aliqua locupletari nullo pacto licuit. Quocirca, cum per me res ipſa judicialiter coram Veſtrae Caeſareae Maieſtatis Camerae judicio, contra dictum Albertum pro ejuſdem & aliorum decreto cepta eſt, dictuſque Rex & Marchio Albertus debito tempore in contrarium judicialiter nihil deduxerunt, ac praefatus Marchio Albertus inſuper bannitus per latam ſententiam declaratus, tale bannum non tollendum nec impediendum fore, quo minus debitae executionis effectum conſequatur. Neque vero praedicti Oratoris praetenſae petitioni locum quovis modo dandum, aequum eſſe facile credi poteſt. Orantes Caeſaream Veſtram Maieſtatem in omni obedientia, ac ſubiectione, quod eadem dignetur omnia et ſingula, quae Caeſareae Veſtrae Maieſtati, ac Sacro Romano Imperio, Ordinique meo ac Chriſtianae Religioni uſque ad haec tempora ex hac re evenerunt, audire & cogitare, quod ſi enim hujusmodi petitioni locus daretur, timendum eſſet, ne Marchio Albertus eo non contentus, verum etiam Provinciam mei Ordinis Livoniam (quae cum quinque Epiſcopatibus, ut ſupradictum eſt, immediate Caeſareae Veſtrae Majeſtati, ac Romano Imperio ſubiecta eſt) ut etiam conatus eſt, quod ego cum Oratore Magiſtri Livoniae Caeſareae Veſtrae Majeſtati Auguſtae apertiſſime expoſui, quoque occuparet, ac ab Imperio Coronae Poloniae ſubmitteret, quod ſi enim hanc (quod Deus avertat) ſuis aſtuciis nactus fuerit, quid damni, ac incommodi Caeſareae Veſtrae Majeſtati, ac Sacro Romano Imperio, & praecipue haereditariis Terris Germaniae inferioris, quae ad neceſſitatem, ad ſuſtentationem Provinciis Pruſſiae & Livoniae ſine magno praeiudicio non bene carere poſſent, ac adjacentibus Romani Imperii Ducatibus, & communi Nobilitati Germanicae Nationis hinc eveniret: Veſtra Caeſarea Maieſtas penſitare ac pervolvere, & ſupradictae petitioni gratificari minime velit, ſed ratione feudi mihi a Caeſarea Veſtra Maieſtate conceſſi, cum Electoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Dominis Militaris Ordinis, ac aliis Sacri Romani Imperii Statibus, ſe benigne pro Caeſarea ſua Clementia oſtendere, ut tam temerario, nefando, ac injuſte cepto, Veſtra Majeſtas Sacro Romano Imperio, mihi, meoque Ordini, ac Nobilitati Germanicae Nationis talem Provinciam abduci non permittat, verum inſtar ſuae Majeſtatis Praedeceſſorum meum Ordinem fovere, tueri ac amplecti velit, ut eandem Provinciam recuperare poſſimus. Praeterea impetrato banno, cui vehementer inhaereo, locum, curſumque ſolitum, ut debitae executionis effectum conſequatur, concedere dignetur. Ad haec ego ac Magiſter Livoniae, praeterea utriuſque noſtrum Praeceptores cum divina gratia omnia facere, quae humana ac poſſibilia videbuntur, omnia noſtra huc conferentes, tam corpus quam vitam ac facultates, quas Dei Omnipotentis beneficio conſecuti fuimus, ac omnia & ſingula talia cum obedientia ac humilitate promereri ſtudebimus. Quod Veſtram Caeſaream Majeſtatem cum omni obedientia ad praedictam praetenſam ſupplicationem latere noluimus, meque meumque Ordinem exinde Caeſareae Veſtrae Majeſtati, tanquam Domino meo Gratioſiſſimo Romanorum Imperatori, Praefecto, Tutori ac Defenſori, poſt Deum Omnipotentem, qui Caeſaream Veſtram Maieſtatem in diuturna ſanitate conſervare velit, in ſumma obedientia commendamus. Datum Ratisbonae 3. Junii, Anno 1532. Anno 1532.

Cæſareae & Catholicæ
Veſtræ Majeſtatis

Deditiſſimus

Waltherus a Cronberg
Magiſtratus Generalis Militiæ Hieroſolymitanæ Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum in Pruſſia Adminiſtrator, ac ejuſdem per Germaniam, & Italiam, parteſque tranſmarinas Magiſter.

CCII.

ANNO 1532.

CCII.

Apologia ALBERTI *Ducis Pruſſiæ Ratisbonam ad Comitia Imperialia miſſa, in qua adducuntur cauſſæ, ob quas ille ab Ordine deſciverit, Ducatum Pruſſiæ in feudum acceperit, & uxorem duxerit.* Anno 1532. *Ex Archivo Neſvis. Princ. Radiviliorum in MS. Tomickii Episc. Crac. Tom. XIV. fol. 19.*

Invictiſſimis ac Potentiſſimis Principibus & Dominis, Domino CAROLO Romanorum Cæſari, Domino FERDINANDO Romanorum Regi, Fratribus Imperii Auguſtiſſimis, Germaniæ, Hiſpaniarum, Ungariæ, Bohemiæ Regi, Archiducibus Auſtriæ, Clementiſſimis & Clementibus Principibus; præterea Electoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Equeſtri Ordini, atque Rebuspublicis Germaniæ, omnibusq; & ſingulis, quibus hæc noſtra Apologia obvenit, offerimus Nos ALBERTUS Dei Gratia Marchio Brandenburgenſis, Boruſſiæ &c. Dux &c. debita noſtra & amica obſequia, officia, bonam & clementem voluntatem, juxta cujusque dignitatem & ſtatum. Potentiſſimi, Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi, Reverendi, Generoſi, Nobiles, Strenui, Honorabiles & Prudentes, Clementiſſimi, Dilectiſſimi Cognati, Agnati, Affines, Amici, Fratres & Chari. Oblatum eſt Nobis 20. Martii Anno 1531. proxime præterito Veſtræ Cæſareæ Majeſtatis Mandatum, una cum clauſula juſtificativa & annexa citatione, controverſiam inter Nos & Ducatum noſtrum Boruſſiæ atque Ordinem Theutonicorum continens. Et quia hoc negotium ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem & Dominum, Dominum SIGISMUNDUM Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Rutenorum, Prutenorum & Mazoviæ Dominum & Hæredem &c. uti noſtri feudi Dominum pertinet, hoc egit ejus Regia Majeſtas, ut per peculiarem ſuum Cameræ Tabellarium Mandatum & Inhibitionem Nobis inſinuaret, cujus exemplar ſubſcripſimus. Præterea indicavit Nobis eadem Regia Majeſtas Poloniæ ejusmodi Mandatum & Inhibitionem Veſtræ Cæſareæ Majeſtati per ſuum Oratorem in Aula Cæſarea inſinuaſſe, qua ratione & nonnullis aliis judiciis factum eſt, ut crederemus Veſtræ Cæſareæ Majeſtati ſatisfactum fuiſſe. Verumtamen quia adverſarii noſtri contenti non ſunt, hoc immenſo periculo neque irrecuperabili calamitate, in qua ipſi miſeram, depopulatam & laceram Provinciam Boruſſiæ, vitam noſtram, rem familiarem, & fortunam univerſam ſuis ipſorum machinationibus non ſolum induxerunt & impulerunt, verum etiam ſubinde moliuntur honorem noſtrum & Principalem Dignitatem traducere, inſuper apud Veſtram Cæſaream Majeſtatem, Chriſtianos & ſpirituales & temporales Principes & Magiſtratus, Equeſtrem Ordinem, atque ut, quod ad honoris noſtri & Principalis Dignitatis denigrationem pertinet, nihil intentatum relinquatur, et jam apud vulgus divulgatio, ad hoc æreis typis excuſis libellis ſubinde idem agunt, & in votis habent, apud magnos & parvos, ſupremos & infimos hanc camarinam perpetuo tandem movere.

Et quanquam pro Chriſtiana pietate ejus animi ſimus, ejusmodi calumnias, contumelias & injurias boni conſulere, ac patienter ferre, nimirum cum non ignoremus, cui ejus injuriæ vindicta debeatur, nempe Omnipotenti, qui Scrutator eſt cordium, eam tribuere, ut pro ſua divina voluntate ei morbo medeatur, atque inter Nos commiſſa & obmiſſa judicet. Præterea per hanc noſtram Apologiam & juſtam defenſionem in votis habeamus neminem, quantum fieri poteſt, atque hæc periculoſa tempora ferunt, temere offendere, neque ſervum alienum, qui Domino ſuo ſtat & cadit, judicare, præſertim vero ſupremi ordinis hominum, ad quos hoc negotium quoque pertinet, factorum mentionem fieri, atque ignobili vulgo palam facere. Attamen quia hæc Chriſtiana & longæva noſtra patientia, atque in publicum emiſſa noſtra Apologia & defenſio Nos quietos minime reddere poteſt, adverſarii quoque noſtri quieſcere nolunt, impellit Nos noſter & noſtrorum honor & Principalis Dignitas, atque Provinciæ noſtræ ſumma neceſſitas, ut in hunc modum compendiariam defenſionem evulgemus, in qua Nos non ſine Chriſtiana patientia & principali manſuetudine ea modeſtia utimur, atque proteſtamur coram Deo juxta & mundo, ejus animi non eſſe, ut quemvis inique offendamus, ſed nihil aliud Nos quærere, quam quod ad Chriſtianam pacem, (qua hoc noſtro periculoſo tempore nihil pretioſius) pertinere queat.

Principio Adverſarius noſter, Adminiſtrator Ordinis Teutonicorum, de tribus Nos inſimulavit.

Primum perinde quaſi Provinciam Boruſſiæ ab Imperio Romano & Ordine abalienaverimus, atque Dominis non ſuis, ſed profanis temere & præter neceſſitatem ſubjecerimus.

ANNO 1532. Deinde quia Ordinis perſonam cum veſte contra principalem promiſſionem depoſuimus, & profani facti ſumus.

Poſtremo perinde ac ſi in robur & firmamentum præfatorum duorum, antedictam Provinciam Boruſſiæ in feudum perpetuum acceperimus, proinde duxiſſe uxorem, ut ſpes prolis procreandæ Nobis non deeſſet.

Quod ad primum attinet, putant adverſarii Nos in Deum peccaſſe, honori noſtro & principali modeſtiæ contraiſſe, atque adeo perinde quaſi transgreſſorem divinorum mandatorum in gravem indignationem Omnipotentis incidiſſe; quo telo conantur ſpiritualem Magiſtratum adverſum Nos armare; deinde hoc agunt, ut Nos apud Veſtram Cæſaream & Regiam Majeſtates, Illuſtritates, & apud vos reliquos traducant, atque eas inclementes, parum Nobis faventes & amicos reddant, non aliter, quam ſi magnopere hic Ordo eis curæ ſit, atque ut ad bellum & Chriſtiani ſanguinis effuſionem inducant. Poſtremo moliuntur hoc negotium vulgo palam facere, ut imperitæ quoque plebis animos a Nobis alienent, hacque via eorum cauſae fucum facere, atq; adeo univerſam Germaniam (quantum per eos fieri poteſt, id tamen quod Deus pro ſua clementia avertat) Nobis inviſam reddere.

Nos vero Deo, gratia divina, naturali & civili ratione & jure fundati ſumus, iſtis cavillationibus & calumniis, quantum ſatis eſt, reſpondere. Porro hoc tempore ea plana facere adverſariis noſtris, qui hoc maxime quærunt, ut Nobis gladium e manibus extorqueant, minime commodum Nobis futurum exiſtimamus.

Proinde ſuo tempore & loco, nimirum ad hanc rem convenientibus, reſervantes, & ut nemo non intelligat innocentiam noſtram, quodque inique in hunc modum inſimulemur, provocamus, id quod antea quoque a Nobis factum eſt, ad verum, Chriſtianum, liberum & generale Concilium, ejusmodi videlicet, quod juxta præſcriptum Bibliæ Veteris & Novi Teſtamenti congregatum erit, ubi parati ſumus Sacrae Scripturae judicium & ſententiam ferre, an per hanc perſonae atque Ordinis depoſitionem adverſus conſcientiam, jusjurandum atque promiſſiones a Nobis aliquid commiſſum ſit. Quod ſi in tali Chriſtiano Concilio per Sacram Scripturam, per quam ejusmodi controverſiae animam & conſcientiam pertingentes diſcerni & judicari debent, victi fuerimus, ut jam ante dictum eſt, atque per eandem Sacram Scripturam docebimur, hominum vota, quae cum praeceptis divinis ex diametro pugnant, divinis juſſionibus praeferri oportere, non dedignabimur juxta Sacrae Scripturae praeſcriptum iſtiusmodi decretis parere. ANNO 1532.

Porro quia hactenus horum nihil planum factum eſt, neque fieri poteſt, quae eſt noſtra erga Deum fiducia, ut planum fiat, ſupplices, enixe & amice rogamus & petimus, quia hoc Mandatum cum annexa citatione per importunam & iniquam delationem adverſariorum emanavit, Veſtrae Caeſareae & Regiae Majeſtates, Illuſtritates, & vos alii nolint eidem fidem praeſtare.

Verumtamen ne noſtro ſilentio apud reliquos ſuſpecti efficiamur, atque eo nomine incuſemur, volumus innocentiam noſtram ſaltim perſtringere.

Quod ad primum Caput attinet, de quo erga Deum Nos maxime excuſare convenit, operae pretium non ducimus futurum, & non neceſſarium pluribus agere. Confitemur Deo, Domino et Servatori noſtro Nos peccatorem, nihilo ſecius tamen Chriſtianum et natum Principem, cui ſoli hoc in negotio ſtamus et cadimus, qui novit cor noſtrum, qua neceſſitate, anguſtia et timore ad hoc moti et impulſi ſumus, quantisque ex periculis noſtra Provincia cum ſubditis hac ratione ſit liberata, neque diffidimus ſuam divinam clementiam, in cujus conſpectu nemo innocens invenitur, animi noſtri bonam voluntatem et conatum in hac cauſa et reliquis, quae, ut Respublica Chriſtiana promoveretur, tentata ſunt, promoveri et tueri non dedignaturum, quandoquidem nihil praeter ſummam neceſſitatem, quae divinis pariter naturalibus et civilibus rationibus fulcita eſt, a Nobis factum fuit, id quod a Nobis ſuo tempore et loco explicari poterit.

Quantum ad reliqua duo Capitula, nempe ſecundum et tertium attinet, non ſperamus, Veſtris Caeſareae & Regiae Majeſtatibus, Illuſtritatibus, et vobis reliquis ulla ratione ejusmodi per libellos divulgatas calumnias placere, quandoquidem ſi in hunc modum atque libellis haec controverſia tractari debet, non poterit paci inſerviri, quibus profecto nihil aliud efficitur, quam cum Monarchae et mundi Principes inſeruntur, ignobili vulgo in textrinis, apud ſtivam, et in aliis locis praeſtatur occaſio iſtiusmodi negotia tractare, neque tamen ad eum finem pervenitur, ad quem perveniri debet; proinde hac in re hoc ſaltem agimus, ut adverſariis noſtris, modeſtia ſaltem per divinam clementiam ſuperiores eſſe poſſimus, atque ipſorum Nos potius, quam

ANNO 1532. quam ipſi noſtri rationem habere, ac in praeſentiarum eis parcere.

Quod ſi eo animo fieret, ut Veſtrae Caeſareae et Regiae Majeſtates, Illuſtritates, et vos reliqui cum Equeſtri Ordine bellum adverſum Nos ſuſcipiant, nihil profecto aliud evenire poterit, quam ut firmiter credimus, Veſtras Caeſaream et Regiam Majeſtates, atque reliquos Chriſtianos Ordines juxta ſuam providentiam poſſe exiſtimare, quam fuerit ejusmodi propoſitum periculoſum, timoris plenum, atque Reipublicae Chriſtianae pernicioſum, quando ſine negotio colligi poteſt, quod ſine controverſia natus Princeps Electoralis Domus Brandeburgenſis, Sacro Romano Imperio et Illuſtri Domui Auſtriae, atque aliis Electoribus Principibus, cum noſtris Majoribus inprimis, non ſine conſilio et temere, ſed acceptis promiſſionibus adhuc adoleſcens ad hoc grave onus ſubeundum, et bellum ſuſcipiendum inducti ſumus. In quo, abſit invidia, ut humano more loquamur, ſic verſati ſumus, ut ſperaremus, Nos Deo et hominibus placituros. Quum etiam nihil diffidimus, neminem bonum aliud de Nobis dicturum, niſi quod omnia ea egerimus, quae bonum et honeſtum Principem et Caput decent, qui, neque corporis neq; vitae diſcrimina detrectantes, in mediis periculis verſati ſumus, bona noſtra et patria et reliqua impendimus, atque adeo omnia ea moliti, quae et pacis et belli tempora exigunt, id quod partim amicis partim inimicis teſtari queamus.

Et quum omnia, quatenus poſſibile fuit, praeterito bello & vitæ diſcrimine & rerum noſtrarum jactura fecerimus, nimirum ea ſpe, ut jam diximus ut Deo & hominibus grati efficeremur, atque Ordini commodaremus, Nobis (quæ eſt humana fragilitas) honorem, famam & gloriam aucuparemur, nihil aliud a Superis impetrare potuims, niſi quia Nobis tantum victoriæ præſtitutum fuit, quantum juris ad hoc bellum exſuſcitandum hubnimus. Et edocti ſumus, Deum Optimum Maximum ſua opera minime velle humanis viribus tutanda eſſe, atque adeo ut hæc fracta fædera non aliter, quam olim decennales inducias in Ptolomaide vindicare queat. Proinde noſtra & noſtrorum jactura aliorum crimina perſolvimus. Neque enim minus Nos quam quinque Anteceſſores noſtræ Provinciae Boruſſiæ pacem optavimus, qui ſe jurejurando & homagiis Regno Poloniæ inſinuarint, ſi non magna deliberatione multis promiſſionibus, admonitionibus & mandatis coacti fuerimus, ut ſuetis fæderibus & perpetue jureiurando firmatæ paci de facto contrairemus, atque huic bello, noſtris ſic volentibus, occaſionem præberemus. Porro hic prætermittimus ex profeſſo, ſuo tempore planum facturi, quam vafris perſvaſionibus & conſiliis, præterea pollicitis auxiliis, in hanc arenam inducti ſimus. ANNO 1532.

Verumtamen a mundo ſolitam gratiam impetravimus a noſtris etiam derelicti, nihil aliud, quam vituperium & damnum reportavimus, uſque adeo, ut & conſilio & auxilio (quod Nobis maxime neceſſarium erat) deſtituti atque in eum neceſſitatis angulum impulſi, ut in poteſtate noſtra tum non fuerit bellum finire, quam fuit id ipſum ſuſcipere. Proinde coacti ſumus inducias magis neceſſarias quam utiles neque etiam ex animi noſtri ſententia facere.

Hic quoque manifeſtum & notorium eſt, quantum his quadriennalibus induciis laboris, ſollicitudinis, diligentiæ, admonitionis & petitionis apud Compromiſſarios & alios ſummos iuxta & infimos Ordines Sacri Romani Imperii apud Veſtram Cæſaream Maieſtatem in Hiſpania, apud Germanos, Pannonas & Bohemos &c. ipſi Ordini partim ipſimet, partim vero per noſtros ſummi & infimi Ordinis Oratores inſumpſerimus, neque tamen plus profecimus, niſi quia id, quod reliquum fuit, dilapidavimus, multum contraximus æris alieni, Provinciam cum ſubditis ad extremam paupertatem deduximus, atque adeo Nos ad inſtans & ante oculos poſitum bellum ineptiores fecimus.

Et in hunc modum ab hominibus, praeſertim his, qui Nos ut Principem adhuc adoleſcentem ad hoc induxerunt, derelicti, omni conſolatione & auxilio paſſim deſtituti, adque cum & Salus & interitus Nobis atque noſtris ſubditis ſolis, amplius eſſet curæ, hoc tandem, tametſi admodum ſero egimus, vertimus Nos ad Chriſtum Servatorem noſtrum, & ſupplices poſtulavimus auxilium, qui Nos oculis ſuæ bonitatis perpetuæ & miſericordiæ aſpexit, atque illuminavit tenebras cordis noſtri, ut matura deliberatione & iuſto conſilio & auxilio Procerum Ordinis in Pruſſia, ac miſere depopulatorum ſubditorum noſtrorum in extrema neceſſitate hanc compendiariam viam ad pacem inſervientem ingredi coacti ſumus. Siquidem cum præteritis induciis neq; per Nos neque alios amicos & Ordines a Regno Poloniæ novas inducias impetrare poſſemus, ſed vel firmam pacem inire, vel bellum quale ante inducias intermiſſum erat, denuo ſuſcipere cogeremur.

Quandoquidem Regnum Poloniæ nolebat

Anno 1532. lebat amplius vetus periculum tolerare, neq; poterat depopulata noſtra & lacera Provincia bellum ferre aut pati eas conditiones cum Proceribus Ordinis in Pruſſia pro Chriſtiana pietate, non quidem ut Nobis, ſed ut Provinciae noſtræ inſerviremus, atque ut gravibus calamitatibus, caedibus & cruento adverſus iretur, acceptavimus. Praeterea eam viam pro Chriſtiana pietate & dilectione, quam erga ſubditos habemus, atque ſupradicta neceſſitate ingreſſi, quae ad pacem & tutelam ſubditorum fuit magis commoda, atque adeo a nemine non, quin etiam a noſtris, derelicti, pacem iniquis conditionibus, nimirum quam Victor nobis praeſcripſit, acceptare coacti ſumus.

Inſuper luce hac meridiana clarius a Nobis probari poteſt, & planum fieri, tametſi plane exhauſtus Princeps & a ſummis & infimis, phanis & prophanis derelicti, Nos & depopulatorum, miſereque depauperatorum ſubditorum noſtrorum deflenda calamitas, juſti & potentis Victoris fortuna & potentia, qui ſupremam poteſtatem & Regnum habet, neminem ſuperiorem agnoſcit, invitos propter conſcientiam & neceſſitatem in hunc neceſſitatis angulum compulit. Neque tamen victas manus dedimus, niſi prius omnem lapidem moviſſemus, atque ſummorum Ordinum mandato pacem ſervare, adverſus Regnum Poloniae nihil hoſtile molire admoniti & juſſi ſumus, adeoque ut nihil amplius Nobis neque conſilii neque auxilii ſupereſſet. Proinde Victor juxta fortunam ſuam & ſummo jure belli pacem Nobis dare voluit, atque in hunc modum victi pacis conditiones, ſecundum ſuam voluntatem, nimirum Victoris, uti antea dictum, acceptare coacti ſumus. Quem ex ſubiectione Divini & humani juris Provinciae Pruſſiae ſolum & feudi Dominum non agnoſcere & ab eo declinare neque potuimus neque voluimus. Porro quanquam ad ſupremam neceſſitatem nondum compulſi fuerimus, id tamen, quod factum eſt, attamen potuerunt Nos ſaltem miſere depopulatorum, qui adhuc ſuperfuerunt, ſubditorum lachrimae, viduarum & orphanorum ejulatus, qui etiam quemvis Tyrannum ad miſericordiam movere queant, iſthuc impellere, ut magis pacem quam miſerabile bellum atque effuſionem ſangvinis Chriſtiani & innocentis optaremus.

Quod ſi Ordinis homines cum ſuis atq; his, qui hanc neceſſitatem calumniantur, pacis tempore Nos eo non induxiſſent, ut ſvetam & debitam fidelitatem Regno Poloniae praeſtare detrectaremus, valde credibile eſt, Regnum Poloniae, quicquid tandem juris in hac Provincia Boruſſiae habuit, & bello acquiſivit, ſi adverſus ea ab Ordine itum non fuiſſet, ut ſemel initum fœdus amplius minime infregiſſent. Anno 1532.

Praeterea ſi praefati noſtri adverſarii tempore belli & finitis induciis, ejuſmodi fide, conſilio & opere complendo auxilio Nobis commodaſſent, quae omnia ad ſuperandum tam potentem Regem ſatis videri potuiſſent, & ipſi aliter Nos quam diligentem & probum Principem decet, geſſiſſemus, bono conſilio non acquieſceremus, ejuſmodique auxilio fuiſſemus abuſi, dediſſemus ſine controverſia noſtris adverſariis calumniandi occaſionem. Proinde ſperavimus hac Chriſtiana excuſatione adverſariis noſtris abunde ſatisfactum, utque Nobis moleſti amplius non fuiſſent, neque Nos apud ſummos, juxta & infimos traduxiſſent, animos ſuos ab effuſione Chriſtiani ſangvinis abduxiſſent, id quod ab eis, uti Princeps Chriſtianus, per Deum Optimum Maximum Creatorem, & per Jesum Christum Servatorem noſtrum, petimus, qui dignetur eorum corda lumine divinae bonitatis & miſericordiae illuminare, ut Verbum ſuum & Praecepta pro ſumma Reipublicae Chriſtianae neceſſitate, partim ne Chriſtianus ſangvis temere effundatur, partim ut viduae & orphani tueantur, animis ſuis non ſine fructu concipiant, & ſplendere faciant, Regno Poloniae, Nobis, miſere afflictae Provinciae, & aliis, quibus haec cauſa curae eſt, temere negotium non faceſſant.

Jam ſi haec noſtra juſta & Chriſtiana excuſatio eis nondum ſatisfacere poteſt, ſed gloriam adhuc, quae eſt iſtorum hominum profeſſio, ſitiunt, ſatis & abunde habent, o Christe! temporis & loci, ſuam militiam exercendi, atque multas afflictas animas ex faucibus crudeliſſimi Tiranni Turcæ, ſi modo in genubus eorum ſitum eſt, liberandi. Poſſent inſuper maiore jure & minore negotio, ſi eis facultates, atque res familiares deficerent, ademptas ditiones in Sicilia, Apulia, Italia & aliis provinciis recuperare, quam aliena bona magno periculo atque ſine ulla ſpe, tanta Chriſtiani ſangvinis effuſione, & tantis impenſis invadere.

Niſi quia exiſtimari debeat Regnum Poloniae cum ſuis potentibus, complicibus nimis animi & fortunae ad eorum atque maiorum ſuorum ſangvine parta tuenda habere, quam iam olim ablata recuperare. Verumtamen ut adverſarii noſtri, atque alii hic temere periculum non ſubeant, fideliter atque pro Chriſtiana Charitate eos admonemus.

Praete-

Anno 1532. Praeterea quod Nobis ab adverſariis objicitur, maluiſſe Nos Potentiſſimi & Chriſtiani Regis Danorum filiam uxorem juxta divinum praeceptum ducere, quam in peccatorum luto contra divinum & humanum jus perpetuo tandem volutari, & quia hoc factumSacra Scriptura fundatum eſt, adeo ut adverſarii noſtri id ipſum haud ignorare queant, abſurdum plane ducimus, cum tam prudentibus hac de re pluribus agere, atque parati ſumus ejus facti Nos ſuo loco rationem reddere. Interim adverſariis noſtris per Nos liceat (atque utinam fieri queat id, quod a Deo Optimo Maximo exoptamus) in caelibatu caſte vivere. Quantum ad Nos attinet, ingenue fatemur, hoc donum Nobis minime eſſe elargitum. Proinde maluimus juxta Pauli doctrinam Chriſtiane in matrimonio vivere, quam extra matrimonium in præſentiarum uri, atque in futuro ſæculo a Regno Cœlorum excludi.

Quod vero ad adverſariorum noſtrorum conatum ad armandum in Nos Equeſtrem Ordinem attinet, maluimius modeſte & tanto libentius tegere, quanto certiores ſumus, quia & ſummi & infimi praeter noſtram admonitionem ſciunt, quantum Provincia Boruſſiae Germanis hactenus commodaverit, in quam ſemper plus rei familiaris & ſangvinis ab eis impenſum eſt, quam fructus inde perceptum.

Et quemadmodum Galli ſepulturam ſuam in Lombardia, ita Germani ſuam in Pruſſia nuper (Dominus proſperet futura) habuerunt. An vero hic Ordo Teutonicorum Equitibus Germaniae profuerit, nemo magis novit, quam illi ipſi. Iſta enim nondum praeterierunt. Proinde firmiter credimus, Deum O. M. probi & honorabilis Equeſtris Ordinis, cum in Germania tum aliis nationibus, corda & animos ad ſui nominis gloriam & honorem, atque in tutelam deploratae Reipublicae Chriſtianae non ad famam & inanem gloriam aucupandam, qua Regna & Provincias invadant, producturum, atque longe aliis victoriis dignaturum.

Et quia adverſarii noſtri ultra hoc agunt, ut Nos apud vulgus & plebem, in odium & invidiam perducant, rogamus & admonemus diligenter, amice & clementer omnes & ſingulos cuiuſcunque conditionis & Ordinis, ut dignentur ſecundum enumeratas rationes ea, quae facta & intermiſſa ſunt, non aliter, quam juxta praecepta divini & humani juris facta & intermiſſa eſſe, dijudicare. Quandoquidem minime dubitamus, ſi haec cauſa ſuo loco, atque apud eos, quorum maxime intereſt, controverteretur, per Nos & ipſos planum mundo fieri, utrinque nihil aliud quaeſitum, quam quod divina pariter & humana jura ſecum ferunt & permittunt. Quod ſi palam fieret, ſi haec cauſa aliorſum quam ad pacem perveniret, & vulgus etiam Germaniae, pro ſua Chriſtiana conſcientia, re familiari & vita plus inde diſpendii, quam commodi reportaret. Proinde ſperamus, neminem tam immitem & parum Chriſtianum erga Nos futurum, qui ſe temere ad hoc induci in ſui internecionem patiatur, ut Nos indicta cauſa, & nondum auditos condemnet, atque contra divinam & humanam aequitatem temere laedat. Anno 1532.

Quod ſi inveniatur, cui juſtae iſtae rationes nondum ſatisfaciant, & Nos accuſare paratus ſit, non dedignabimur coram eo tribunali, apud quod ratione proprietatis & poſſeſſionis ſiſtere cogimur, id, quod antea dictum fuit, reſpondere, atq; ſententiam expectare. Nihil prorſus dubitantes, neminem non habere Nos eo nomine excuſatos.

Quae cum ita ſe habeant, ſperamus ſupremis & infimis Ordinibus, adverſariis noſtris, hac modeſta noſtra excuſatione ſatisfieri, adeoq; ut amplius Nobis periculum non faciant; ſiquidem certi ſumus, neminem conſcientiam noſtram, praeter Deum, dijudicaturum.

Quod ad extrema & civilia attinet, exiſtimamus, nihil dubitantes, quin univerſus mundus non aliter ſit expenſurus, Nos noſtro corpore nihil aliud praeſtare potuiſſe, quam quod impune apud Deum & homines factum ſperamus, & quod pro ſua bonitate divina non noſtrum, ſed Reipublicae commodum quaerere coacti ſumus. Inſuper magnae Europae parti pacem paravimus, atque Germaniae propugnaculum longi tractus, adverſus Ethnicos & Schismaticos hoſtes extruximus. Atque utinam plures ſint, qui non ſua (nimirum terrena & propediem interitura) ſed Reipublicae Chriſtianae neceſſaria quaererent, profecto minus haberetur & civilis & externi belli, innumerato, atq; ..... fieri poſſet, ut communi Chriſtiano hoſti maiore vi & commodius reſiſteretur. Ad quod promovendum Nos (ut natus Princeps Illuſtris & antiquae Electoralis Familiae Brandeburgenſis) ſumma cura Chriſtiani & principalis animi debitores agnoſcimus.

Verumtamen ſi hac noſtra modeſta defenſione & excuſatione adverſariis noſtris, Adminiſtratori, ſi Diis placet, & aliis, ſatisfactum non fuerit, proteſtamur coram Deo Op. Ma. fanis & profanis, ſummis & infimis Ordinibus, ſuprema neceſſitate Nos impelli alteram noſtram, quae juſti voluminis menſuram ſuperat, Apologiam edere,

Anno 1532. edere, & in publicum emittere, quam hodie magna deliberatione premimus, ne ſummos juxta & infimos ordines, immo etiam adverſarios noſtros (quos ſalvos potius quam perditos cupimus) quibus modeſtia ſuperiores eſſe volumus, offendamus, & ad extremam neceſſitatem, pro Chriſtiana pietate, promovere in votis habemus. Forte futurum eſt, cui tamen occaſionem non libenter praeſtaremus, ut Chriſti Servatoris noſtri dictum impleatur, quo ait, omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cœleſtis, eradicabitur &c. Quis vero in animum ſuum inducere poteſt, ut credat, ex Deo plantatas eſſe tot inquietas conſcientias, quae ex eorum fructibus paſſim & in multis Provinciis cognitae ſunt, quae tantum civilium & externorum bellorum (graviori verbo uti non libet) tot annis exſuſcitaverunt. Proinde ſi repentinum aliquod malum, & periculum inde ortum fuerit, ſperamus & confidimus, Nos apud Deum & homines excuſatos iri. In ſumma hoc praecantes: Deus Optimus Maximus velit ſuo populo Chriſtiano miſericorditer praeire, eumque perpetua pace dignari. Amen.

A Duce Pruſſiæ ad Regem miſſa tranſcriptaque Cracoviæ VIII. Junii Anno Domini 1532.

CCIII.

Reſponſum nomine Sigismundi I. *Legato* Alberti *Ducis Pruſſiæ datum, quo culpa nondum determinatorum limitum inter Pruſſiam & Litvaniam in Commiſſarios Pruſſicos rejicitur.* A. Domini 1532. *Ex Arch. Principum Radiviliorum Neſviſienſi in MS. Tomickii Epiſc. Cracov. & Regn. Vice-Cancell. Tom. XIV. fol. 28.*

Ad ea, quae Dominatio Veſtra nomine Illuſtris Domini Alberti in Pruſſia Ducis &c. Domini ſui diffuſe in praeſentia Majeſtatis ſuae, & Senatorum ejus conſeſſu retulit, Majeſtas ſua Sereniſſima brevibus reſpondere mandavit.

Caeterum quod Illuſtris Dominatio ſua culpae Commiſſariorum Majeſtatis Regiae attribuit, quod limites, inter M. D. Lithvaniæ & Terram ac Ducatum Illuſtris Dominationis ſuae recogniti & reviſi non fuerint, Domini Lithvani id viciſſim in Praefectos Illuſtris Dominationis ſuae rejiciunt, quos ſcribunt non ſecundum literarum teſtimonia, ſed ſecundum arbitrium & voluntatem ſuam, locorum appellationem deſignare voluiſſe. Verum cum videatur Illuſtri Dominationi ſuae, ut alii Commiſſarii ad recenſendos dictos limites deputentur, Maieſtas ſua Sereniſſima id ipſum facile concedit & admittit, curareque vult, ud ad eam anni partem, qua commode luſtrari & diſtingui limites ſolent, Commiſſarii ad locum confinium deſignatum deſcendant, & rem, quantum in eis erit, tranſigant & abſolvant. Anno 1532.

Poſtremo quod Dominatio Veſtra retulit, Illuſtrem Dominationem ſuam & ſubditos illius gravari certis novis vectigalium impoſitionibus, per Praefectos Majeſtatis ſuae in Ducatu Maſoviae inſtitutis, Majeſtas ſua Sereniſſima perquiri de hoc, uti ſe habet, faciet, & Praefectis ſuis nihilominus mandabit, ut nihil praeter ſolitum & aequum adverſus Illuſtrem Dominationem ſuam vel ſubditos illius in exigendis praeſtationibus admittant, quos ita facturos eſſe Majeſtas ſua non dubitat.

CCIV.

Epiſtola Sigismundi I. *ad* Carolum V. *Imperatorem, qua eum hortatur, ut bannum in* Albertum *Pruſſiæ Ducem latum aboliri faciat.* Datum Vilnæ II. Mart. 1534. *Libr. Legat. XV.* 1534.

Sacra Cæſarea & Cath. Majeſtas.

Intelleximus prodiiſſe ab Judicio Camerae Caeſareae Majeſtatis Veſtrae bannum illud adverſus Illuſtrem Principem Dominum Albertum Marchionem Brandeburgenſem & Ducem Pruſſiae, noſtrum e Sorore Nepotem, & Regni Noſtri Poloniae Subditum, quod Veſtra Caeſarea Majeſtas anno ſuperiore Nobis poſtulantibus in biennium ſuſpenderat, ad haec ipſius banni executoriale Mandatum cum adjuncta citatione peremptoria adverſus ejusdem Ducis, atque adeo noſtros ſubditos Pruſſiae Ducatus incolas, idquod Nos vehementer miramur, neque tamen adduci poſſumus, ut credamus, haec Caeſareae Veſtrae Majeſtatis juſſu fieri, cui ut ſemper in omnibus gratificari & obſequi pro virili noſtra ſtudemus, ita viciſſim de ejus in Nos voluntate optima quaeq; Nobis pollicemur. Deinde confidimus eandem Caeſaream Majeſtatem Veſtram, qua eſt prudentia, ingeniique dexteritate, animo ſecum perpenſuram atque reputaturam fuiſſe, quid difficultatis & offenſionis inde exoriturum eſſet, ſed ſuſpicamur id importunis ipſius Ad-

Anno 1534. Adminiſtratoris Magiſterii Teutonici Ordinis flagitationibus ab ipſo Camerae Judicio, Caeſarea Majeſtate Veſtra inſcia, datum eſſe; Nobis quidem id placere nequaquam poteſt, quod adverſus Nos, Nepotemque noſtrum, & quidem immerentes, ita inceptatur. Eo enim loco id ducimus, quod adverſus Nepotem noſtrum & Regno noſtro ſubditum Ducem fit, ac ſi adverſus Nos ipſos fiat, cum propter neceſſitudinis vinculum, tum autem propterea, quod de propria noſtra Provincia, Dominio, Jure, Poſſeſſione, Privilegiis & Regalibus agitur. Quae Nos tantum abeſt, ut adimi Nobis & abalienari paſſuri ſimus, ut ne minui quidem aut vexari aequo laturi ſimus animo. Neque vero cuiquam juſtitiam adverſus dictum Nepotem & ſubditum Regno noſtro Ducem denegamus. Quare etiam atque etiam petimus a Caeſarea Veſtra Majeſtate, dignetur pro ſumma ſua ſapientia perſpicere & aeſtimare, dum adhuc integrum eſt, quantum incendium ex ea re excitari poſſet, quaeq; difficultates, quae pericula, quae deniq; diſſidia & animorum irritationes, quae mutuam noſtram & ſubditorum noſtrorum inter ſe benevolentiam, amicitiam & confœderationem, quod omen Deus avertat, laedere poſſet, quod non ſine magno mercatorum, atque adeo totius Orbis Chriſtiani fieret incommodo, ex his initiis exoriturae eſſent. Nos quidem quantum in Nobis erit, ſedulo dabimus operam, ne quam ejuſcemodi malorum anſam demus, deinde ut Majeſtas Veſtra Caeſarea Camerae ſuae Judicio mandet, ut bannum iſtud una cum Mandato revocent, infringant & irritum faciant. Aut Veſtra Majeſtas, utpote Supremus Judiciorum Praeſes & Moderator, id ipſum faciat. Erit id cum vehementer e re utriuſque noſtrum ſubditorum, tum Nobis multo gratiſſimum: Veſtrae vero Caeſareae Majeſtatis dignitati, ſapientiae, & ei, quod pridem erga Nos experti ſumus, propenſo ſtudio convenientiſſimum, poſtremo toti Chriſtianae Reipublicae longe & jucundiſſimum & utiliſſimum. Nos viciſſim pro viribus omni officiorum & congruorum obſequiorum genere de Sacra Caeſarea Majeſtate Veſtra id promereri non intermittemus, quam ut Deus Optimus Maximus quam duitiſſime incolumem ſemper ſecundis rerum ſucceſſibus felicitet, optamus. Vilnae undecima Martii. Anno Domini 1534.

CCV.

Ejusdem Epiſtola ad FERDINANDUM *Romanorum, atque Hungariæ & Bohemiæ Regem in eodem negotio.* Datum Vilnæ 12. Mart. 1534. *Indidem.* Anno 1534.

Sereniſſime Princeps, Amice, Vicine & Sororie noſter Chariſſime.

Editum erat anno ſuperiore bannum a Cæſarea Majeſtate adverſus Illuſtrem Principem Dominum ALBERTUM Marchionem Brandeburgenſem, & Ducem Pruſſiæ, Nepotem noſtrum e Sorore, & Regni noſtri Subditum, quo omnes ejus ſubditi ab jurejurando, fide & obedientia ipſi præſtita abſolvebantur, ſed mox noſtri reſpectu ab eadem Cæſarea Majeſtate in biennium ſuſpenſum. Nunc jam nondum exacto eo biennio, denuo audivimus id edictum atque publicum eſſe, una cum executoriali Mandato. Quod Nos factum vehementer miramur, neq; tamen ullo modo proclive eſt Nobis creditu, Sacræ Cæſareæ aut Veſtræ Majeſtatis, velut ejus Vicesgerentis, juſſu atque voluntate id factum eſſe. Nam ut ipſi ſumma ſemper voluntate, & omni officiorum genere, utramque tam Cæſaream quam Regiam Majeſtatem Veſtram proſequimur, illudque ſedulo agimus, ne quid unquam, quod easdem Veſtras Majeſtates offendat, faciamus, ita viciſſim confidimus, dignitatem noſtram Veſtræ Majeſtati curæ eſſe, neque commiſſuram unquam, ut ea impune a quoquam impetatur, multominus ipſam aliquid ejuſcemodi facturam eſſe. Nam quod adverſus ipſum Ducem Nepotem noſtrum agitur, id Nos perinde æſtimamus, ac ſi adverſus Nos ipſos ageretur, cum quod neceſſitudinis vinculo Nobis devinctus eſt, tum quod Regno noſtro una cum toto Ducatu ſuo ſubditus. Neque vero unquam, Deo propitio, patiemur, ut Provincia noſtra & Dominium, quod jure poſſidemus, Nobis a quoquam aut abalienetur, aut diſtrahatur, vexeturve. Et tamen Nos juſtitiam adverſus ipſum Ducem nemini unquam denegavimus, neque deinceps denegabimus. Quapropter petimus etiam atque etiam, cogitet diligenter & perpendat Majeſtas Veſtra, quid difficultatum, quid periculorum, quid offenſionum atque diſſidiorum (ne quid gravius dicamus, quod ominari nolumus) ex hujusmodi initiis oriturum eſſet, per quæ & neceſſitudo, quæ inter Nos tum vicinitate & confœderatione, tum ſanguinis vinculo intercedit, violari, & pax atque concordia inter communes ſubditos, cum magno mercatorum & monopolarum, imo vero totius Reipublicæ damno & incommodo minui atque moveri poſſet. Agatque Majeſtas Veſtra

Eeee 2 cum

Anno 1534. cum Sacra Cæſarea Majeſtate Germano ſuo, ut iſtud bannum, una cum ſuo executoriali Mandato, ab ipſo Camerario Judicio revocetur, infringatur, & penitus irritum fiat. Aut ipſæ Majeſtates Veſtræ, velut Summi Judiciorum Præſides & Moderatores, id ipſum faciant. Fuerit id Nobis longe exoptatiſſimum, Veſtræ Majeſtatis prudentia & voluntate erga Nos ſpectata digniſſimum, ſubditis communibus utiliſſimum, & toti Orbi Chriſtiano multo jucundiſſimum & ſaluberrimum. Nos viciſſim ſummo ſtudio omnia Majeſtatis Veſtræ gratia facere non poſthabebimus. Cupimus Majeſtatem Veſtram quam diutiſſime atque feliciſſime valere, una cum tota domo ſua. Datum Vilnæ duodecima Martii Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto.

CCVI.

Ejusdem Epiſtola ad Præſidentes Judicio Cameræ Imperialis in eodem negotio. Ibid. *Indidem.*

Spectabiles, Magnifici, Generoſi, grate Dilecti.

Accepimus bannum illud adverſus Illuſtriſſimum Principem Dominum Albertum Marchionem Brandeburgenſem, Ducem Pruſſiæ, Nepotem noſtrum e Sorore, & Regno noſtro ſubjectum, a Cæſarea Majeſtate editum, & noſtri reſpectu in biennium ſuſpenſum, rurſus una cum Mandato executoriali ſupremo Teutonicorum Ordinis Adminiſtratore inſtante & urgente datum, evulgatum eſſe. Id Nos factum non mirari non poſſumus, præſertim cum Nobis perſuadeamus, Cæſaream Majeſtatem eo in Nos eſſe animo, ut contra priorem ſuam voluntatem, qua id bannum ſuſpenderat, inſtitutum fuiſſe credamus. Sed conſiderent diligenter, atque animo ſecum revolvant S. Veſtræ, quod incendium ex hac ſcintilla, ſi adhuc ſcintilla dicenda eſt, exoriri poſſet, quæque difficultates, incommoda, pericula, offenſiones deniq; animorum & diſſenſiones, ne quid gravius interim, quod ominari nolumus, dicamus, quæ amicitiam & ſanguinis neceſſitudinem Nobis cum Romanis Cæſarea & Regia Majeſtatibus intervenientem laxare, pacem, concordiam & confœderationem noſtrorum inter ſe ſubditorum turbare, mercatorum commercia impedire, & publicam Chriſtiani Orbis tranquillitatem & felicitatem lædere poſſent, & imminuere, ex his fontibus emerſuræ eſſent. Nobis quidem nequaquam ſedet in animo, aut ipſi Duci Neceſſario noſtro & Regni noſtri Subdito deeſſe, aut Provinciam noſtram Dominiumque, quod recuperatum jure poſſidemus, Nobis adimi, diſtrahi, minui, aut vexari a quoquam permittere. Et tamen nemini unquam juſtitiam adverſus ipſum Ducem Nepotem & Subditum noſtrum denegavimus, aut impoſterum denegabimus. Quare poſtulamus S. Veſtras, velint ita rem ipſam temperare, ut id, quod factum eſt, irritum & inane fiat. Erit id Nobis tam gratum, quam quod gratiſſimum, ſubditis tam noſtris, quam utriusque Romanæ Cæſareæ & Regiæ Majeſtatis ſaluberrimum, mercatoribus utiliſſimum, Rei vero publicæ Chriſtianæ maxime ex uſu & dignitate. Nos viciſſim Veſtris S. gratificari ſtudebimus. Quas bene valere cupimus. Vilnæ 12. Martii 1534. Anno 1534.

CCVII.

Ejusdem Epiſtola ad Electores Romani Imperii in eodem negotio. Ibid. *Indidem.*

Reverendiſſimi in Chriſto Patres, Illuſtres Principes, Amici Chariſſimi ac Honorandiſſimi.

Non poſſumus ſatis mirari bannum illud, quod Sacra Cæſarea Majeſtas anno ſuperiori editum reſpectu noſtri in biennium ſuſpenderat, adverſus Illuſtriſſimum Principem Dominum Albertum Marchionem Brandeburgenſ. & Ducem Pruſſiæ, Nepotem noſtrum e Sorore, & Regni noſtri Subditum, nunc rurſus, una cum executoriali Mandato, ab Judicio Cameræ Cæſareæ emiſſum eſſe, non tam fortaſſis Cæſareæ & V. S. voluntate conceſſum, quam importunis ipſius Adminiſtratoris Supremi Magiſterii Teutonici Ordinis flagitationibus extortum. Nam quominus alterum illud ſuſpicemur in cauſa eſt ea, quam ſemper in Cæſarea Majeſtate & V. S. erga Nos eſſe cognovimus, propenſa voluntas, de qua quidvis potius Nobis perſuadebimus, quam ut talia adverſus Nos, dignitatemque noſtram eam, agere credamus. Adverſus Nos autem id agi exiſtimamus, quod adverſus Nepotem & ſubditum noſtrum agitur. Cui Nos cum pro ſanguinis conjunctione, tum pro noſtro officio, velut Dominus ejus, id debemus, ut ei nunquam ſeu conſilio, ſeu auxilio deeſſe, neque, ſi maxime poſſemus, velimus, neque tamen cuiquam jus & juſtitiam adverſus ipſum adminiſtrandam denegabimus. Sed Dominium noſtrum proprium & Provinciam, quam recuperatam jure poſſidemus, adimi Nobis, aut convelli & infeſtari

ANNO 1534. feſtari a quoquam permittere nondum ſtat ſententia. Itaque perpendat diligenter & reputet ſecum Illuſtritas Veſtra, quantum difficultatis & periculi, quantum offenſionis & turbæ, ut ne quid gravius, quod ominari non placet, dicamus, interim ex ea re, ſi, ut cœpit, procederet, emerſurum eſſet, quantum denique fomes iſte incendium multis mortalibus, & præſertim mercatoribus perniciosſum & exitiale, Chriſtianæ vero Reipublicæ deteſtandum, excitaret. Illud potius Illuſtritas Veſtra pro prudentia ſua cum Collegis ſuis agat & efficiat, ut iſtud bannum ſimul cum ſuo Mandato ab ipſo Cæſareæ Cameræ Judicio revocetur, tollatur, & penitus irritum fiat. Fecerit Illuſtritas Veſtra rem ſuæ prudentiæ & dignitati conſentaneam, Nobis gratiſſimam, ſubditis tam noſtris, quam Cæſareæ Majeſtatis & Illuſtritatis Veſtræ utiliſſimam, mercatoribus fructuoſiſſimam, & toti Orbi Chriſtiano exoptatiſſimam. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Vilnæ duodecima Martii Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto.

CCVIII.

Ejusdem ad Civitates Imperii in eodem negotio. Vilnæ 13. Martii 1534. *Indidem.*

Spectabiles & Famati, grate Dilecti,

Percepimus Bannum illud, quod anno ſuperiore adverſus Illuſtriſſimum Principem Dominum ALBERTUM Ducem Pruſſiæ, Nepotem noſtrum e Sorore & Regni noſtri ſubditum, a Cæſarea Majeſtate promulgatum, noſtrique reſpectu in biennium ſuſpenſum erat, nunc iterum cum executoriali Mandato ab Judicio Cæſareæ Cameræ prodiiſſe. Id quod Nos factum miramur, atque contra Cæſareæ Majeſtatis ſententiam per Supremi Magiſterii Theutonici Ordinis Adminiſtratoris flagitationem importunam expreſſum eſſe ſuſpicamur. Nam ipſam Cæſaream Majeſtatem, qua eſt prudentia, exiſtimamus hanc rem altius ad animum revocaturam fuiſſe, & perpenſuram, quæ difficultates, quæ incommoda, quanta pericula, quam indigna Nobis & ſubditis utriuſque noſtrum, peſtifera, totique Orbi Chriſtiano deteſtanda diſſidia, quantæ viarum inſecuritates & obſeſſiones, quam damnoſæ mercatoribus feriæ, quæ mercium & bonorum direptiones, ne quid addamus gravius, quod non libenter ominamur, inde emerſuræ eſſent. Neque enim Nobis eſt in animo, aut cognatum & ſubjectum Nobis Principem deſtituere, aut Privilegia & Regalia noſtra a Nobis abalienari, Dominium & Provinciam, quam recuperatam jure poſſidemus, per quenquam auferri, quaſſari aut vexari permittere. Hæc itaq; & ſexcenta alia Prudentiæ Veſtræ ſecum reputent, cogitentque, quanta & quam irreparabilia damna ipſis & mercatoribus ex hac animorum irritatione oriri poſſent. Agantque cum Judicio Cæſareæ Cameræ, quando & e Veſtri medio ſunt ejus Judicii Aſſeſſores, ut iſtud bannum ejusque Mandatum executoriale revocetur, frangatur, & prorſus irritum fiat. Erit id Prudentiis Veſtris & mercatoribus utiliſſimum, Nobis gratiſſimum, & Reipublicæ Chriſtianæ longe exoptatiſſimum; & quæ fuerit hac de re Veſtrarum Prudentiarum ſententia, reddant Nos primo quoque tempore certiores. Vilnæ tredecima Martii An. Domini 1534.

CCIX.

1535. *Approbatio a* SIGISMUNDO *Rege data oppignorationis per* ALBERTUM *Pruſſiæ Ducem Diſtrictus Preuſchmarck.* Vilnæ nona Maji 1535. *Sub Sigillo annulari. Ex Archivo Regni ſub Litt. OO. fol. 81.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. Significamus &c. Quod poſteaquam Illuſtris Princeps Dominus ALBERTUS Marchio Brandeburgenſis, in Pruſſia Dux &c. Nepos noſter chariſſimus, rerum & temporum præſentium varium, nec diſcrimine carentem curſum, hominumq; improba ſtudia expendens, certisq; reſpectibus motus, ditioni & ſubditis ſuis de tranquillitate ac tuitione firmiori, quantum fieri poſſet, melius atque maturius conſulere quærens, certa pecuniæ ſumma ad hoc pium, ſalutare, animo conceptum beneficium perficiendum, & Reipublicæ præſtandum, opus fore judicavit. Utque hoc conſilio in deliberationem Terræ illius Pruthenæ Proceribus & incolis poſito, tandem Strenuos & Generoſos Achacium Czema Caſtellanum Gedanenſem, & Joannem a Werden Burgrabium Proconſulemque Gedanenſem, & Capitaneum Novenſem, fideles Nobis dilectos hac de cauſa convenit, & ab eis pariter ad hujusmodi inſtitutum ſuum efficacius perficiendum, Summam decem millium Marcarum Pruthenarum numeri & monetæ nunc debita frequentia in Terris illis Pruſſiæ currentis in mutuum re ipſa & in

ANNO 1535. & in effectu accipit, ac e diverſo illis ipſis ambobus, videlicet Achatio Czema, & Joanni a Werden prædictis, arcem et diſtrictum univerſum Preuſchmarck in Terris illius Pruſſiæ ſitum, cum omnibus et ſingulis in eodem contentis, et inde provenientibus neceſſitatibus, redditibus, cenſibus, proventibus, fructibus, commoditatibus et emolumentis quibuslibet, prout idem Diſtrictus in ſuis veris terminis et limitibus ab antiquo et hactenus deſcriptus et contentus eſt, & continetur. Ac in omnem effectum, modum et formam, quemadmodum ipſemet Dominus Dux eadem arce et diſtrictu uſus eſt, pro jam dicta mutuata et accepta decem millium marcarum pecunia in vim redemptionis oppignoravit, et legitime inſcripſit, prout id in literis inſcriptionis, deſuper ab ejus Illuſtritate datis et emanatis, amplius deſcriptum eſſe intelligimus. Et proinde idem Dominus Dux, pro noſtri in easdem Terras Pruſſiæ juris et dominii exigentia, Regium noſtrum conſenſum ad rem magis firmandam poſtulavit. Nos itaque ipſius Domini Ducis vigilantiam, et in rebus proſpiciendis et agendis prudentem ſollicitudinem adprobantes et gratam habentes, ad illius quoque inſtitutum et neceſſitatem juvandam inclinati, noſtri Regii aſſenſus calculum præfatæ inſcriptioni adjiciendum duximus et conſenſimus. Eandem in omnibus et per omnia pro Nobis et Succeſſoribus noſtris Regibus approbantes, et ratam ſemper eſſe et fore volentes et habentes. Harum, quibus ſigillum noſtrum annulare eſt ſubappenſum, teſtimonio literarum. Datum Vilnæ nona Maji Anno Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo quinto, Regni noſtri Anno vigeſimo nono.

SIGISMUNDUS Rex. *mppr.*

CCX.

1537. *Supplex Libellus Conſiliariorum Pruſſiæ* SIGISMUNDO *Regi porrectus, quo rogant Eum, ut Officia in illis Terris, niſi Indigenis non conferantur.* Dat. Torunii die 8. Maji Anno 1537. *Ex Archivo Regni Lib. Leg. ſub Lit. O. fol. 19.*

Poſtquam præclariſſimæ memoriæ Parens Sacræ Majeſtatis Veſtræ, Divus olim Rex CASIMIRUS iis Terris et Majoribus noſtris, qui per ſpontaneam deditionem ſe ſubdiderant, privilegium concederet, inter alia hanc ex pactis clementiam ſuam verbis ſatis claris in eodem privilegio expreſſit, quod Dignitates et Officia, in Terris iis conſiſtentia et in poſterum conſtituenda, item Caſtra et Tenutas civitatum et locorum nulli extraneo aut forenſi, ſed proprio indigenæ conferri deberent, quod etiam Majeſtas ejus Regia eodem anno hic Thoruniæ per aliud privilegium ſub Regio et multorum Dominorum Regni appenſis ſigillis confirmavit. Idem fecerunt Sereniſſimi olim Reges Fratres Sacræ Majeſtatis Veſtræ, tum per ſe, tum per Legatos ſuos, quorum adhuc ſcripta extant, ipſaquemet Sacra Majeſtas Veſtra aliquoties hunc articulum per ſuam interpretationem robur habere voluit. Maxime autem in Conſtitutionibus, hic Toruniæ Feria 6. ante D. *Miſericordiæ* Anni Dom. milleſimi quingenteſimi vigeſimi primi factis, ſub his verbis: „ Pollicemur deinde, quia Tenutas, Caſtra, Dignitates et Officia Terrarum Pruſſiæ nulli extraneo niſi indigenæ Pruſſiæ conferemus. “ Poſtremo et in Conſtitutionibus Gdani Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto datis, in primo ſtatim articulo Sacra Majeſtas Veſtra pollicetur, privilegium harum Terrarum manutenere, et ſecundum ipſius tenorem Dignitates, Officia et Capitaneatus ſolis indigenis conferre. Quæ Sacræ Majeſtatis Veſtræ declaratio multo habetur clarius in Tranſactione cum Capitulo Varmienſi, ubi nec Filium, nec Fratrem ſuum Sacra Majeſtas Veſtra cenſet eſſe Pruſſiæ Indigenam. Qua igitur quiſpiam alius Regni Poloniæ indigena noſtras erit? Teſtantur inſuper Sacræ Majeſtatis Veſtræ data Nobis Diplomata, quod per ſuſceptionem olim Magnifici Domini Palatini Caliſſienſis Zaremba in Capitaneum Slochovienſem, et Generoſi quondam Joannis Balinski in Conſiliarium noſtrum, privilegio noſtro et huic verbo *Indigena* nihil derogari deberet. Quum igitur hæc omnia manifeſtiora ſunt, quam ut majori probatione egeant, ſintque adhuc, ut confidimus, in recenti Sacræ Majeſtatis Veſtræ memoria, Sacram Majeſtatem Veſtram humillime ſupplicamus, fideliſſimeque conſulimus, ut nos in ea toties facta declaratione clementer conſervare, atque, ut eſt pollicita, manutenere velit, ne ob id inter Communitates noſtras, quæ privilegiorum noſtrorum obſervationi ſummopere intendunt, turbatio non levis, atq; etiam animorum gravis exulceratio ſuboriri poſſet, quæ accedente in his æquitate, ac incomparabili prudentia Sac. Majeſtatis Veſtræ continebitur. Cæterum, Sereniſſime Rex, in reſponſo, quod Venerabili Domino Joannii Dziaduſki Archi-

ANNO 1537.

ANNO 1537. chidiacono Vladiſlavienſi, Nuntio Veſtræ Majeſtatis dedimus, precati ſumus Majeſtatem Veſtram, dignaretur Articulos Conſtitutionum olim Gdani factarum, quos in hoc Conventu ad partium ſuper his contendentium ſanctam concordiam conciliavimus, et ad Sacram Maieſtatem Veſtram mittimus, ſua authoritate roborare et innovare, quod ut Sacra Majeſtas Veſtra pro fide ſibi atque obedientia Communitatum noſtrarum firmanda faciat, fideliſſime iterum atque iterum conſulimus, humillimeque ſupplicamus, magnam nobis in eo pro communi harum Terrarum tranquillitate conſervanda gratiam factura. Datt. etc. in Conventu noſtro Generali ad Feſtum S. Stanislai Thorunii celebrato die 8. Maji Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo.

CCXI.

1538. *Conſtitutiones Terrarum Pruſſiæ, in Publicis Comitiis Thorunenſibus* SIGISMUNDI *Regis authoritate confirmatæ.* Cracoviæ Anno 1538. Feria V. poſt Feſtum Nativitatis B. Virginis MARIÆ.

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, totiusque Pruſſiæ, Maſoviæ &c. Hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis, præſentibus & futuris, harum notitiam habituris, quia conſulere volentes multiplicibus erroribus & abuſibus, qui cum in divinis ac etiam humanis rebus inoleverant in Terris & Civitatibus noſtris Pruſſiæ; ac bonæ reformationi defectuum & diſſidiorum, quæ in ipſis Terris oborta fuerant, utiliter intendentes, de conſilio & conſenſu omnium Conſiliariorum & Nuntiorum Communitatis, tam Militaris quam etiam Civilis Ordinis, infraſcriptas Conſtitutiones, edidimus, promulgavimus & confirmavimus.

Inprimis, quiſque Palatinus habeat apud ſe exemplum ſeu copiam Privilegii Terrarum Pruſſiæ, & illud unicuique petenti oſtendet, & coram eo legi faciet, quod Nos manutenere, & ſecundum ipſius tenorem tam ſpiritualium quam ſecularium Dignitates, Officia & Capitaneatus ſolis & propriis Terrarum Pruſſiæ Indigenis conferemus.

Judicia Terreſtria in ſingulis Palatinatibus quotannis bis ſerventur ita, ut in Palatinatu Culmenſi primum Judicium feria tertia poſt Dominicam *Quaſimodogeniti*, ſecundum autem feria tertia poſt *Lamperti* celebretur. In aliis autem Palatinatibus juxta veterem conſuetudinem obſervetur. Ex quibus quidem Judiciis Terreſtribus appellationes ordinariæ fiant ad Conventus Generales Terrarum Pruſſiæ, a Conventibus autem Generalibus ad Regium Tribunal noſtrum, donec alterutra partium tres conformes ſententias obtinuerit. ANNO 1538.

Ut autem frivolæ & temerariæ appellationes nonnihil cohibeantur, quisquis in Judicio Terreſtri ad Conventum Gen. appellaverit, tres marcas in Judicium reponat; ſi vero a Conventu Generali ad Nos appellatum fuerit, ſex floreni per triginta groſſos deponantur. Et ſi appellans coram Judice appellato ſuccubuerit, in uſum publicum Judicii, in quo erant depoſiti, cedant; alioquin parti reſtituantur.

Nec Palatini cauſas ad Jus Terreſtre ſpectantes, niſi de conſenſu partium, judicent, & provocantes ad Judicium Terreſtre remittant: exceptis cauſis levioribus, quæ videlicet valorem decem marcarum non excedant. Hæ quidem ſine ſtrepitu judicii de ſimplici, & plano ab eis componi poſſunt; in cauſis autem ſanguinis & facto recenti deprehenſis indilatam juſtitiam miniſtrent, nec partes contendentes ad componendam amice inter ſe controverſiam cogant, nec ullas poenas exigant, niſi per judicium decretas, quarum poenarum tertia pars Judicio Terreſtri, reliquæ duæ partes Palatino loci cedant.

Palatini & Capitanei citati tam in Judicio Terreſtri, quam Conventuum publicorum reſpondere ſint obligati: exceptis actionibus ſuper bonis noſtris Regalibus emergentibus. Capitanei autem juxta continentiam Privilegii Terrarum Pruſſiæ ſint indigenæ poſſeſſionati, ratione quarum poſſeſſionum, ſi bona Terreſtria fuerint, Judicio Terreſtri ſint ſubjecti.

Ut autem temerariæ lites amputentur, Commiſſarios ſive Judices delegatos non deputabimus in cauſis ad Judicium Terreſtre ſpectantibus, & minus in eo jam pendentibus, niſi per appellationem ordinariam, de qua ſuperius dictum eſt, a ſententia definitiva ſeu interlocutoria jam lata, ad Tribunal noſtrum devolutæ fuerint; exceptis cauſis limitum, bonorum noſtrorum Regalium, & diviſione fratrum & proximorum.

Nec Judices delegatos ſeu Commiſſarios, a quibus ſemel appellatum eſt, in eadem cauſa denuo deputabimus, nec cauſam ad ipſos remittemus. Non enim veriſimile aut honeſtum videtur, quod judex priſtinam ſuam ſententiam retractet, aut

Anno 1538. aut aliter poſtea judicet, quam antea judicaverat.

Conventus autem publici ſeu generales, juxta proximam Ordinationem noſtram, in Pruſſia quotannis bis celebrentur, verno videlicet tempore Mariæburgi ad diem S. Stanislai; tempore autem autumni in Graudentz ad diem S. Michaëlis; in noſtro tamen arbitrio erit, cum res ita poſtulaverit, alium locum & tempus hujusmodi Conventibus præſcribere. Peculiares autem Conventus per Nos inſtituendi locum & diem ex noſtro arbitrio ſortientur.

Ad prædictos Generales Conventus omnes cauſæ tam ex Civitatibus, quam ex Judiciis Terreſtribus per appellationem devolvantur, & etiam ſine ſpeciali Commiſſione noſtra judicentur. Deinde vero, & non antea, ad ſupremum Tribunal noſtrum remittantur, parte provocante, cui ad proſequendam appellationem a judicibus legitimus terminus præfigatur, quam appellationem ſi intra unius anni ſpatium non proſequerentur, prior ſententia, juxta juris communis diſpoſitionem, ut prædictum eſt, in rem tranſeat judicatam, & executioni demandetur.

Ante Conventum vero publicum, per Nos & Succeſſores noſtros ſingulariter inſtituendum, in ſingulis Palatinatibus Culmenſi videlicet, Mariæburgenſi et Pomeraniæ, fiat Nobilitatis Conventio particularis, quam ſecundum morem antiquum Palatini, in ſingulis Diſtrictibus Palatinatus ſui, ad aliquem locum convenientem literis ſuis convocent, ut Nuntii ad hujusmodi Conventum mittendi eligantur. Qui autem vocatus non comparuerit poenam duarum marcarum pendet, cujus medietas Palatino ejus loci, altera vero ærario publico proveniat; exceptis Dietarum Terrarum Pruſſiæ Conſiliariis noſtris, ſive Equeſtris, ſive Civilis ſint Ordinis.

At cum fruſtra ſententiae ferantur, niſi legitimæ executioni demandentur, volumus et infrangibili Conſtitutione ſancimus, ut deinceps unusquisque, cujusvis conditionis aut eminentiæ fuerit, rei judicatæ, ſine omni contradictione, cum effectu pareat et obſequatur; alioqui locorum Palatini, nullo alio mandato expectato, legitimam executionem faciant, adjuncto ſibi, ubi cauſæ conditio id poſtulaverit, Capitaneo et Nobilibus illius Diſtrictus, aut etiam, ſi neceſſitas exegerit, omnibus et ſingulis Vaſallis noſtris, ſeu Nobilibus illius Palatinatus, quos ad aſſiſtendum illi ſub jurisjurandi debito et amiſſione feudorum obligatos eſſe decernimus. Si vero majori potentia ſit opus, negotium ad Nos referri volumus, ut opportunis rationibus rebus provideamus, Palatinos ſimiliter ad hujusmodi executiones faciendas, juſtitiamque oppresſis miniſtrandam, jusjurandum Nobis præſtitum adigat, quos etiam, ſi remiſſiores fuerint, quinquaginta florenorum Hungaricalium pœna plecti volumus, cujus mulctæ medietas parti, cui juſtitia denegata eſt, altera vero medietas ærario publico Terrarum Pruſſiæ cedat. Anno 1538.

Ubi autem quis executioni voluerit reſiſtere, aut jam factam violare convictus fuerit, poena banni ſive proſcriptionis, ac bonorum confiſcatione irremiſſibiliter puniatur; ex quibus bonis parti læſæ primum fiat ſatis; quod reliquum fuerit, prædicto fiſco applicetur.

Statuimus præterea, ut nullus Capitaneus, Nobilis, Civis, aut quivis alius, cujuſcunque conditionis exiſtat, perſonis, caſtris, domibus aut poſſeſſionibus alicujus ullam violentiam inferre, incurſiones facere, in publicis ſtratis inſidias ponere præſumat: ſuper his convictus, juxta antiquum Plebiſcitum Terræ Culmenſis, capitali pœna puniatur.

Et cum aliquis Nobilis Decreto publici Conventus, Judicio Palatinorum aut Terreſtri capitur, quod ſub certis pœnis in poteſtatem aut carcerem civilem non tradatur, ſed in manus Palatinorum. Si quis autem in civitate, ubi nulla arx eſt, capitur, et authoritate Conventus, Palatini aut Judicii in carcerem civilem conjicitur, in poteſtate eorundem, et non civitatis, permaneat; fidejuſſoria autem cautione a carcere hujusmodi liberetur, niſi cauſa fuerit criminalis.

Et ut ſub pœna viginti Florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti læſæ cedat, abſque ulla remiſſione perſolvenda, Nobiles, eorum ſubditi authoritate ſeu poteſtate civili non capiantur, detineantur aut arreſtentur. Nec Nobiles authoritate propria capiant aut detineant cives aut eorum ſubditos, ſed unusquiſque coram judice ſuo ordinario conveniatur, et juſtitiam requirat, niſi in caſibus recentibus et actionibus criminalibus, prout Pax perpetua diſponit, ſtatuens, quod delinquens in loco delicti deprehensſus, et contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri.

Præterea ne in fluminibus Terrarum noſtrarum Pruſſiæ ab antiquo navigabilibus quibuscunque obſtacula fiant, ut tam piſcibus, quam navibus et lignis liber tranſitus permittatur; bonis ac juribus noſtris Regalibus, et quorumcunq; privile-

ANNO 1538. privilegiis antiquis, et præſcripta conſuetedine ſalvis.

Nobilibus autem, qui habeant privilegium piſcandi in lacubus noſtris Regiis, aut teſtibus fide dignis probare poſſunt, ſe fuiſſe in poſſeſſione piſcandi, aut quorum limites aut ager ſtagnis noſtris Regiis adjacet, his quidem piſcatio permitti debet, ſed parvis retibus duntaxat, ad uſum et menſam eorum propriam, non autem ad vendendum, ea tamen conditione, ut retia caſtrenſia in hyeme primos habeant tractus, et quod tempore, quando piſces, qui Germanice Breſien, Polonice Leſzcz vocantur, ſemen aut fœtum emittunt, nulli liberum ſit in lacubus noſtris Regiis piſcari, ne hujusmodi piſcium fœtura in augmentando impediatur, ſed nolumus per hunc articulum tenutariis bonorum noſtrorum Regalium aliquod præjudicium generari, aut ipſis, ſeu quibuslibet aliis, proprios lacus habentibus, vim aliquam inferri, quo minus juribus ſuis et antiquis privilegiis uti poſſent.

Et praeterea, ut Eccleſiaſtici bona terreſtria, Eccleſiis adſcribenda & approprianda ſive incorporanda, abſque ſpeciali conſenſu noſtro, a modo nonniſi a ſuis vaſallis emant, ne obſequia Nobis ex ipſis debita intereant, pro ſe vero privatim illa emere poſſunt, quæ ſi in vita ſua non alienaverint, aut cuipiam non donaverint, ad eorum propinquos et conſanguineos devolvantur.

Civibus bona terreſtria, et Nobilibus civilia bona liberum ſit deinceps emere, ita tamen, quod ad paria onera utrinque ferenda ſint obligati, quod ſcilicet cives ratione bonorum terreſtrium omnia Nobilitatis onera, et Nobiles ratione civilium bonorum omnia civilia onera aequis paſsibus ferant.

Nec a modo liceat ruſticis feras in nemoribus venari, nec laqueos in ſylvis et agris ponere, canes aut retia venatoria habere; alioqui in poteſtate Dominorum ſit bombardas, canes et retia hujusmodi auferre, et pro qualitate exceſſus, mandatum praevaricantes in decem marcis, Domino fundi applicandis, toties quoties punire, exceptis foſsis pro luporum captura, quas, ſine tamen cujusvis praejudicio, quilibet cum conſenſu Dominorum habere poteſt.

Simili modo nec Palatini, Capitanei, aut Nobiles, alter in alterius fundo, abſque voluntate Domini fundi, venari, nec in ſylvis feras domare aut cicurare debet, quod Klupſſen vocant, ſub amiſsione rerum, equorum et curruum.

Bombardis autem nemo omnino nec in propriis, nec in alienis ſylvis ſub pœna centum Florenorum Hungaricalium, irremiſsibiliter ſolvendorum, a modo utatur; cujus mulctae medietas Nobis, altera aerario publico Terrarum Pruſsiae proveniat. ANNO 1538.

Et item ut Palatini et Capitanei, quiſque in ſuo Palatinatu et Capitaneatu, diligenter fines terrarum obſervent, ne praedones et graſſatores ingrediendo et egrediendo impune graſſentur.

Et praeterea, ne ruſtici cum bombardis, cuſpidibus, lanceis, gladiis, aut ſimilibus armis publice aut privatim incedant, eaque deferant, niſi ad venationem, aut publicam pacem tuendam, a Dominis et Poteſtatibus ſuis evocati fuerint: Scultetis etiam exceptis, quibus ob publicam functionem armatis eſſe liceat.

Ex quo etiam multorum querimoniis accepimus, quosdam Officialium noſtrorum, praeſertim Tucholienſes, praetextu Mandati prohibitorii de invectione ſalis peregrini in Poloniam innocentibus, antequam finibus Terrae appropinquent, ſalem adimere, quod, quia iniquum eſt, ſub gravi indignatione noſtra prohibemus, ne de caetero cuiquam adimatur, niſi ultra fines transgreſſo.

Nobiles praeterea Diſtrictus Schlochovienſis inſtar ruſticorum, ut ligna ad arcem ducant, aut alia ſervitia ruſticalia faciant, cogi nolumus, ſed antiquam conſuetudinem ſervandam eſſe decernimus.

Cum etiam mercatores, et praeſertim peregrini et exotici homines, in Nobilitatis ac Civitatum injuriam pelles, frumenta, humulum, ceram, linum, et alia mercium genera, in villis ac pagis clam et publice coëmere, et negotiationes illicitas exercere ſoleant, authoritate noſtra Regia firmiter prohibemus, ne id de caetero fiat, ſtatuentes, ut deinceps ſubditi Dominorum merces et res ſuas vendibiles in civitates juxta veterem conſuetudinem ducant, et in foro publico venales exhibeant; legitima tamen Dominorum ſuorum, cum pellibus ferarum et beſtiolarum ſylveſtrium, ratione habita: alioqui emptoribus equos et currus, venditoribus autem res venditas a Praefectis noſtris adimi et confiſcari volumus.

Mandamus inſuper, et ita omnino habere volumus, ut Palatini debitores decimarum aratralium, et quorumvis Eccleſiaſticorum proventuum cenſuras contumaciter ſuſtinentes, ad hujusmodi debitorum ſolutionem remediis opportunis compellant, ne Eccleſiaſtici proventibus ſuis fraudentur.

Ea itaque omnia et ſingula ſuperius deſcripta, quae vel veterum privilegiorum

ANNO 1538. rum rationem continent, firma & fixa, ut prius, vel noviter ad publicum commodum inventa, rata & perpetua eſſe volumus. Harum ſerie literarum, quibus & manum & ſigillum noſtrum apponere curavimus. Datum Cracoviæ feria quinta poſt feſtum Nativitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ proxima, Anno ejuſdem partus milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo octavo, Regni vero noſtri Anno trigeſimo ſecundo.

SIGISMUNDUS Rex.

CCXII.

1539. *Inſtructio D. Staniſlao Laſki data, cum apud* JOACHIMUM *Brandeburgenſem Ducem Nuntium ageret, in qua exponuntur cauſſæ, cur Filio ejus Pruſſiæ feudum collatum non fuerit.* Anno 1539. d. 12. Mart. *Lib. Legat. ſub Lit. P. fol. 2.*

Principio Sacræ Majeſtatis Regiæ verbis Illuſtriſſimum Dominum Ducem plurimum ſalvere jubebit, fauſtaque illi omnia, & felicia precabitur tanquam ei, quem Sacra Majeſtas Regia Filii charisſimi loco numeroq; habeat.

Excuſabit poſtea quod Legato Ill. D. ejus Magnifico Domino Moltzan reſponſi nihil dederit certi & deliberati ſuper poſtulatione feudi in Pruſſia. Nam cum Sacra Majeſtas Regia gravioribus aliis Regni negotiis eſſet occupata, non potuit ea de re ad Senatores & Conſiliarios ſuos referre, niſi prius Regni rebus conſtitutis.

Cæterum, ut primum tempus nacta eſt opportunum, ita, ut ſe facturam fuit pollicita, ſingulos Regni ſui Senatores ſententiam rogavit, ut quæ ea de re ſentirent, dicerent, de qua Illuſtritatis ejus Legatus verba fecerat.

Ac omnes quidem uno ore, ſi quid eſſet uni alicui tribuendum, eum eſſe dicebant, Ill. Dominum Marchionem, ut ei præ cæteris tribui omnia opporteret. Nam cum & Gener ſit Sacræ Majeſtatis Regiæ, & Regni Vicinus, id quod in propinqua amicitiæ parte ponitur, fieri non poteſt, cui tantæ & tam arctæ neceſſitudinis cauſæ cum Sacra Majeſtate Regia, cumque Regno illius intercedunt, quin is neceſſario & Sereniſſimo Socero, & Regno ejus ſit amiciſſimus. Propter hanc itaq; amicitiam, cum Ill. D. ejus non ſolum retinendam, verum etiam acceſſione aliqua locupletandam, libenter omnes Regni Ordines poſtulationi Illuſtritatis ejus aſſenſi fuiſſent, ſi abſq; incommodo aliquo & detrimento Regni id facere licuiſſet. Nunc ſi admiſiſſent in feudum Ducatus Pruſſiæ Nepotem ex Filia Sacræ Majeſtatis Regiæ, Illuſtriſſimi Domini Marchionis Filium, tardius Ducatum illum Regni corpori adjunctum iri judicarent, ſe autem in Regni commoda juraſſe, quibus omnia poſteriora ducere neceſſe haberent, ſi fidem ſuam & Religionem ſalvam eſſe vellent. ANNO 1539.

Deinde vero meminiſſe ſe, quantum in eo negotii fuerit & difficultatis cum Ill. Dominus Pruſſiæ Dux inter Senatores & Conſiliarios Regni ſe ponere, atque cum illis de ſummis rebus ſtatuendi ſuffragium obtinere cupiebat: idq; tanto ſtudio & contentione, vix ut ei reſiſti potuerit. Cum tamen Ducibus Maſoviæ, qui & ipſi in fide erant Sereniſſimorum Poloniæ Regum, locus conſultandi nunquam fuerit. Quod ſi caſu aliquo eveniret, ut Ill. ejus Filius in feudum Pruſſiæ Ducatus reciperetur, tum vero metuebant ne illi, & potenti Principi, & tanta neceſſitudine Regno conjuncto negari non poſſet, quin, quod perficere alii non potuerant, ſuffragium ille in conſilio Regni obtineret.

Non obliti ſunt etiam eorum, de quibus cum a Summo Pontifice, tum a Cæſarea Majeſtate poſt admiſſum feudum in Pruſſia graviter eſt cum Regia Majeſtate expoſtulatum, neq; eos remittit iſta ſollicitudo, ut cum illis negotium ſit aſſidue, contra communem Chriſtiani nominis hoſtem bellandi, non cogantur aliquando a potentibus Pruſſiæ Principibus, ut fit, injuria laceſſiti vires diſtrahere, & hoc Regnum, quod veluti propugnaculum eſt quoddam Chriſtianarum Ditionum, in prædam infidelibus exponere.

Hæc atq; alia præterea nonnulla, quæ nil attinet in præſentia pluribus commemorari, attulerunt Senatores & Conſiliarii Sacræ Majeſtatis Regiæ, quamobrem nequaquam eſſe concedendum votis Illuſtriſſimi Domini Marchionis, cujus cauſam cum Sacra Majeſtas Regia quam maxime adjutam vellet, conſtanti tamen ſuorum voluntati cedere neceſſe ad præſens habuit. Ipſa certe pro eo amore, quo Illuſtriſſimum Dominum Generum ſuum majori, quam credi queat, proſequitur, libenter omnia in gratiam ejus factura fuiſſet, ſi per Regni Ordines licitum fuiſſet.

Quod ſi aliquando major alia dabitur opportunitas in hac cauſa deſiderio Ill. D. ſuæ ſatisfaciendi, nihil eorum prætermittet Sacra Majeſtas Regia, quæ ad Socerum vel Parentem potius indulgentiſſimum pertinebunt, & quid aliquando effecerit vel per Literas, vel per Nuntium illius D. Ill. reddet certiorem.

Illu-

Anno 1539. Illuſtriſſimam Filiam noſtram verbis noſtris ſalutabit Orator, & illi fauſta omnia & prolixa precabitur, ſimulq; poſtulabit, ut Nos de ſtatu ſuo & quibusque ſucceſſibus certiores faciat.

CCXIII.

1540. *Exemplar Epiſtolæ* SIGISMUNDI I. *Regis ad Abbates Pruſſiæ, in qua eos hortatur, ut partem proventuum ad promovenda literarum ſtudia convertant.* Datum Vilnæ 8. Jul. 1540. *Ex Archivo Regni Lib. ſub Lit. H. fol. 287.*

Venerabilis Devote Nobis Dilecte.

Quandoquidem ea nunc ſunt tempora, ut refrixerit charitas, abundet multorum iniquitas, & perquam pauci reperiantur, qui, relicto ſæculo, vitæ ſe tradere velint monaſticæ, nihilominus Abbatiarum & Monaſteriorum proventus ſatis ſint uberes, cum pauci admodum in eis alantur, petiverunt a Nobis Conſiliarii Terrarum noſtrarum Pruſſiæ, ut cum Dominationem tuam, tum alios Abbates & Monaſteriorum Præfectos in Terris noſtris Pruſſiæ hortaremur, quo ex proventibus impertire aliquid velint ad ludum literarium inſtaurandum, bonasq; artes in Terris Pruſſiæ provehendas. Quæ cum æqua Nobis viſa ſit eorum petitio, neque aliam in rem honeſtiorem proventus Monaſteriorum expendi poſſit, quam in literarum ſtudia promovenda, hortamur Dominationem Tuam, ut quod erat impenſura in alendos religioſos Fratres, ſi æque nunc multi eſſent, atq; fuerunt bonis illis temporibus, id convertat in excitanda & promovenda literarum ſtudia juxta Conſiliariorum noſtrorum voluntatem, quam procul dubio literis ſuis Dominationi Tuæ declararunt factura pro gratia noſtra. Datt. Vilnæ 8. Julii 1540.

Ad Mandatum Regiæ Majeſt. proprium.

CCXIV.

1541. *Literæ* SIGISMUNDI I. *Regis ad* CAROLUM *Imperatorem pro abrogando Decreto Proſcriptionis in* ALBERTUM *Ducem Pruſſiæ lato.* Dat Vil. 22. Januar. 1541. *Lib. Legat. ſub Lit. I. pag. 87.*

Sereniſſime &c.

Menſes jam aliquot interceſſerunt, cum Nos ad Majeſtatem Veſtram ſcribere meminimus, atq; ab ea magno ſtudio contendere, ut proſcriptionis Decretum contra Illuſtrem Dominum ALBERTUM Ducem Pruſſiæ, Marchionem Brandeburgenſem, Nepotem noſtrum chariſſimum latum induci vellet & antiquari, quod parum eſſet dignum ea conjunctione & amicitia, quæ vetus Nobis cum Majeſtate Veſtra eſt conſtituta, multis etiam propinquitatis vinculis magis atq; magis colligata & corroborata, proſcriptum eſſe eum, qui & in fide noſtra eſt, & cum a Majeſtate Veſtra minime alienus, tum Nobis arcta eſt neceſſitudine conjunctus. Anno 1541.

Ad hæc ita Nobis tum Majeſtas Veſtra reſponderat, ſibi, niſi in Comitiis, ea de re quidquam ſtatuere integrum non eſſe, ſed cum primum eſſet habitura Comitia, curæ ſibi petitionem noſtram futuram. Cum itaq; certiores facti ſimus, hoc tempore Comitia Ratisbonæ haberi, eſſe Majeſtati Veſtrae in memoriam ea revocanda duximus, quae illi ſuperioribus menſibus de abrogando proſcriptionis Decreto ſcripſeramus. A qua majorem in modum petimus, ut petitionis illius noſtrae, quod ſe facturam receperat, rationem hoc tempore habere velit, atque odioſum iſtud proſcriptionis Decretum, a non ſuis Judicibus latum, circumduci jubeat, & reſcindi. Quam enim juriſdictionem habet Judicium Camerae Majeſtatis Veſtrae Imperialis in Vaſallum noſtrum, in eum, qui in fidem noſtram, Regnumque Poloniae conceſſit, in qua Majores ejus, antequam rebellaſſent, nonnulli ſemper fuerunt. De quo mirari quidem Nos ſatis non poſſumus, quod tantum ſibi ſumpſerit, ut contra eos, qui noſtri ſunt, & non alterius cujusquam juris & poteſtatis, ſententiam ferre non dubitaret. Ipſius Majeſtatis Veſtrae judicium facimus, ſi quiſquam moliri vellet aliquid contra eum, qui & Vaſallus noſter eſt, & Sororis noſtrae Filius, num Nobis illi deeſſe liceret? aut non omnia Nos potius opporteret experiri pro Feudatarii Principis Officio, ut eum a vi cujuſvis & impetu ſartum, tectum conſervare poſſemus. Sed Nobis tamen nihil aeque curae fuit unquam, atque ut non modo retinere poſſemus conſtitutam Nobis cum Majeſtate Veſtra neceſſitudinem, verum etiam majore indies cumulo augere. In quo noſtro erga illam officio permanemus, neq; ſumus ab eo unquam diſceſſuri. Iterum atq; iterum Majeſtatem Veſtram rogamus, ut quo Nos erga ſe animo eſſe videt, eundem erga Nos viciſſim ſuum in hac petitione noſtra declaret. Erit hoc aequitatis & juſtitiae Majeſtatis Ve-

Anno 1541. Veſtrae, a non ſuis Judicibus latam ſententiam reſcindere, ac ad veterem inter Nos, & Majores utriusq; noſtrum mutuam conjunctionem non paenitendis acceſſionibus augendam & amplificandam plurimum pertinebit. Dat. Vilnæ 22. Januarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo, Regni noſtri 35.

CCXV.

Literæ Alberti *Ducis Pruſſiæ ad* Sigismundum I. *Poloniæ Regem, in quibus de re monetaria præcipue, & de nonnullis aliis negotiis agitur.* Datum Regiomonti Anno 1541. d. 7. Januar. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. ſub Lit. J. fol. 70.*

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Monarcha, Princeps & Domine Clementiſſime.

Inprimis offero Regiæ Veſtræ Majeſtati omne obſequium ex ſincero animi affectu. Sereniſſime Rex, Domine mihi Clementiſſime. Ex quo Regia Veſtra Majeſtas a me ſuos miſſos per Legatos nuper poſtulavit, ut a moneta cudenda, exemplo Regiæ Veſtræ Majeſtatis, aliarumque Regalium Civitatum Prutenicæ partis, incude vacantium, deſiſterem, & Regiæ Veſtræ Majeſtati ego ſemper ea in re cum omni ſubmiſſione ac obedientia declarando, & ſufficientes pro parte cauſas me impedientes, juſteque remorantes exponendo, in coronide ſupplicarem, ne Regia Veſtra Majeſtas cum interdictionis Mandato monetæ meæ excuſæ properare velit, donec & ego cum fidelibus meis omnium Ordinum Ducatus Pruſſiæ ſubditis celebratis Comitiis conſultarem & deliberarem, quo pacto & ego ex accepta eorum concluſa ſententia erga Regiam Veſtram Majeſtatem me cum omni ſubjectione, quantum citra privilegiorum iacturam fieri poſſit, operari, & æquabili ratione ſuæ Majeſtati me accommodare velim. Et licet Reg. Veſtræ Majeſtati, perlubens antea promiſſionem hujusmodi implendo, ſubdite reſpondiſſem, nec non fidorum ſubditorum meorum omnium Provinciæ Ordinum deliberationem & petitionem humillimam dudum ſignificaſſem, negotia tamen interim emergentia remorata ſunt, & hactenus contra vota etiam noſtra utramque partem avocarunt. Quare ſubdita & amica mea petitio eſt: Regia Veſtra Majeſtas nullam de tali reſponſionis protractione inclementiam ſuſcipere velit: ſed Regia potius gratia & pietate modo audire, meque una fidis meis cum ſubditis in noſtro reſponſo & humilibus petitionibus juxta confidentiam noſtram clementer exaudire. Anno 1541.

Non dubito, quin Regia Veſtra Majeſtas recenti adhuc memoria teneat, nullam monetario in negotio difficultatem perpetua olim in confœderatione interceſſiſſe, quam ut ego ad tempus ceſſarem, donec Regia Veſtra Majeſtas una cum Ordinibus Prutenicæ Veſtræ Maieſtatis partis de monetæ valore, ſtatu, conditione, grano & ſciſſura perpetuo deinceps ſervanda convenirent, quemadmodum & hujusmodi concordia, auctoritate, mandatoque Regiæ Veſtræ Majeſtatis, & ambarum partium conſenſu, Mariemburgi Anno vigeſimo octavo poſt ſeſquimilleſimum erecta & conſummata fuerat. Super qua & hic illa jam uſitata moneta apud utramque Partem excudi cœpit, perpetuis futuris temporibus valitura & duratura. Auctoritate præterea, mandato, Regiæ Majeſtatis voluntate obſervata, nec non & communi totius Boruſſiæ finali concluſione & concordia expenſa, ego, ut obedientem Principem decebat, vetuſtam monetam incredibili damno caſſabam, & penitus abolebam. Tenet & Regia Veſtra Majeſtas procul dubio clementi ſimili memoria, quo pacto, quave conditione ego, una meis fidelibus harum Prutenicarum Provinciarum cum ſubditis Veſtræ Majeſtati, laudabilique Poloniæ Coronæ ceſſimus, & Regiæ ditioni ampliandæ appoſiti ſimus. Quam ampla denique ſpes, perpetua per concordata & alia, mihi meisque ſubditis promiſſa, affulſerit. Sic, ut principio prædicta per concordata Regiæ clementiæ deciſione ad acceptam antea feudalem ſubmiſſionem, ac per Regiæ Veſtræ Majeſtatis pleno mandato Legatos ad hoc deſtinatos multifaria mihi promiſſio eſt facta, quæ & Regiis litteris, jure, liberalitate & Regia clementia fulcitis, eſt munita & conſummata: Simul & ampliora a Regia Veſtra Majeſtate laudabilique Corona beneficia ſemper mihi indubitate promitterem obventura, admonitus fueram, perſuaſiſſimumque haberem, me, ac meas illas univerſas, apud vetuſta jure hæreditario hactenus acquiſita privilegia, immunitates, laudabiliaque hucuſque retenta jura & conſuetudines citra omnem moleſtiam & perturbationem permanſuras, ac illæſe Nobis perpetuo conſervari, quæ hactenus aſſecuti eſſemus gratis.

Contigit nihilominus ſuper hæc omnia, quod quidam mei Ducatus ſubditi, qui licet

Anno 1541. licet contra quosdam cives Gedanenſes judicialem coram conſueto ordinario noſtræ Curiæ Conſiſtorio ſententiam pro ſe acceperint, iſti tamen contra Provinciæ hujus ac omnium meorum libertatem, jura, conſuetudinem, & vetuſtas obſervationes, a meis Anteceſſoribus ante aliquot centum annos ſanguine etiam partas, ac nuper una mecum ad laudabilem Poloniæ Coronam devolutas, nec non & recentiora prædicta contra privilegia ad Regiam Veſtram Majeſtatem a Conſiſtorio noſtro appellarunt, e qua re meis ſubditis importabilia damna fluxere, una cum totius cauſæ damnoſa protelatione, cujus nec adhuc hodie exitus ullus apparet. Accedit & his non minor moleſtia, quod dum nonnulli meorum ſubditorum interim eos cives prædictos, qui appellationem minus juſte interpoſuerant, Dantiſci in jus vocarant, & hoc aliis emergentibus de cauſis, nihil eſt æquius, tamen juſtitia eſt ipſis denegata, appellationem tantummodo prætexentes: Sicq; ob unam cauſam, eam ſcilicet, pro qua appellatio interceſſit, omnes aliæ etiam minime huic appendentes ſuſpenduntur, ac contra omne jus æqui & boni meis ſubditis juſtitia denegatur, in perpetuam inopiam nonnullos ex meis una cum uxoribus & liberis redactos.

Regia præterea Veſtra Majeſtas nonnullas ad me literas per Nobilem mihi ſpecialiter dilectum Achatium Czema deſtinaverat. Quarum primæ ea indicarunt, quæ Regiæ Veſtræ Majeſtatis Conſiliarii & Legati Regiæ partis Boruſſiæ e celebratis nuper in Graudentz Comitiis ſignificarunt. Quod ſcilicet Regiæ Veſtræ Majeſtatis Civitates, Mandato Regio parendo, a moneta cudenda deſiſtere velint. Sed quia id a me non ſimiliter præſtaretur, magnum Provinciæ detrimentum ſequeretur, ideoque & Regiæ Veſtræ Majeſtati ſupplicarunt, ut, quocunque tandem modo fieri poſſet, & me quoque inducere conaretur, quo cudendæ monetæ opera tandem reſignarem. Quapropter clementer me admonendo, & a me ſummopere requirendo, poſtulavit, ut ea, quæ facere deliberaſſem, mox aperirem, ac finaliter a moneta cudenda ceſſarem, quemadmodum & Regiæ Veſtræ Majeſtatis ſcripta latius in ſe continuere. Super quo Regiæ Veſtræ Majeſtati omni ſubmiſſione præmiſſa obedienter & amice ſignificare volui, præcipue cum Regia Veſtra Majeſtas prædictis ſuæ Majeſtatis literis ſimul indicaverit, ſe ſollicitam eſſe, ne reſponſionem de negotio monetario ita protraherem, quo Regiæ Veſtræ Majeſtatis Regnis & Provinciis haud parva jactura imminere poſſit, ex eo potiſſimum ſuſpicionem colligens, quod priori reſponſo Regiæ Veſtræ Majeſtatis Legatis dato, non expreſſerim, quo tempore Comitia cum meis fidelibus ſubditis inſtituere velim. Quod ego tamen haud ſecus fecerim, quum Regiæ Majeſtati Veſtræ prædicto meo reſponſo ſimul indicaverim, licet fortaſſe non tam expreſſe, ut ipſa velit, quod conventionem ſubditorum fidelium meorum omnium Ordinum quamprimum procurare inſtituerim, quemadmodum etiam jam factum eſt. In qua ſuper hæc cauſa non ad me tantum, ſed & ad totam Provinciam et omnes ſubditos ſpectans conſultaretur, ac tandem Regiæ Veſtræ Majeſtati tale reſponſum, quale & his literis intelliget, appendere non negligerem. Ex quo autem Regiæ Veſtræ Majeſtati ſubditi Prutenicæ partis Civitates interim conqueruntur, omnes monetarios ad me divertere, quorum opere impoſſibile eſſet apud me unum tantum excuſum iri, quantum Civitates univerſæ ante ceſſationem cudiſſent. Haud inficias eo, nonnullos eorum monetariorum ad me conceſſiſſe, a me quoque ſuſceptos aliquos & e diverſo aliis ablegatis, quemadmodum & operis ratio exigit, & ſimili in negotio fieri conſuetum eſt. Ne autem coram Regia Veſtra Majeſt. quenquam ſuam ob delationem de me factam culpare cogerer, quod certe, quantum poſſibile fuerit, officioſe cavere vellem, ferre poſſem, optabileque mihi eſſet, ſi Regia Veſtra Majeſtas exactius ad inquirendum mandaret; An omnes monetarios? Quos & quales? Civitatibus antea ſervientes ſuſceperim, tunc certe experientia ipſa de me pronuntiaret, an juſte Regia Veſtra coram Majeſtate, tanquam Domino meo, prædicta tali delatione ſim gravatus, nec ne, & an poſſibile ſit communem Patriæ jacturam ex eo facto colligere. Quare ſpero Regiam Veſtram Majeſtatem ex his, quæ non contra ſuam Majeſtatem, ſed in ſummam meam, & meorum ſubditorum ac Provinciarum commoditatem a me inſtituuntur, haud ad ullam inclementiam commoturam. Neque Veſtræ Majeſtati ſincere & cum veritate indicare poſſum, nullam monetæ ſuperfluitatem hoc meo in Ducatu eſſe, nec ego hactenus tantum excuſſi, quantum Provincia requirit, nec hoc poſſibile eſt; ſi Regia Veſtra Majeſtas una cum Civitatibus Pruſſiæ, quæ monetario privilegio ſunt donatæ, vacaverit, quod ego ſolus hujusmodi tam vaſtæ negotiationis oneri ſufficerem unquam. Cumque igitur prædicta duo privilegia & immunitates, monetariæ ſcili- Anno 1541.

Anno 1541.

cet officinæ inſtituendæ poteſtas, & a meo foro non appellandi authoritas, hujus Ducatus Pruſſiæ ſupremæ fere & præcipuæ libertatis gratiæ & beneficia habentur, quæ & una cum Ducatu ad laudabilem Poloniæ Coronam defluxerunt, non ut ea auferret, ſed confirmaret potius manuteneretque, & amplioribus dotibus decoraret, quod certæ nuper in perpetuæ pacis, & mutuæ confœderationis confirmatione, feudalisque poſſeſſionis felici auſpicio & verbis & literis irrevocabiliter fuerat compromiſſum. Nos ſcilicet omnes, apud univerſa & ſingula hujus Terræ privilegia, immunitates, & laudabiles hactenus obſervatas conſuetudines, quietos permittere & manutenere.

Quare Regiam Veſtram Majeſtatem, una meis cum ſubditis dilectis & fidelibus ſupplices petimus, & humiliter ſupplicamus, Regia Veſtra Majeſtas me una ſubjecto cum populo ita commendatum habere velit, quo prædicta ac alia omnia Nobis conceſſa ſemel privilegia & immunitates, juxta Regiæ clementiae liberalem ſaepe Nobis factam promiſſionem, de qua nunquam dubitavimus, Nobis ſalva & infracta perpetuo perſiſtant, ac Regia auctoritate nos omnes apud illa tueri, manutenere, & cunctos contra adverſarios defendere ut ſuos ſubditos dignetur, quo praedicta invalida appellatio caſſetur, ſubleveturque, ac meis ſub. ditis tam in cauſa appellata, quam omnibus aliis, contra Ketingh vel alios cives Dantiſcanos juſtitia requiſita adminiſtretur. Haec a Regia Veſtra Majeſtate impetranda amice, ſubdite, & ſummis conatibus promovenda, ego una fidelibus ac dilectis meis cum ſubditis fluxis nec rebus, corporibus, nec ſanguini parcemus, ſed cum his omnibus Regiae Veſtrae Majeſtatis votis parati ſtamus.

Ex alteris Sacrae Majeſtatis Veſtrae literis intellexi, eidem indicatum eſſe, me quosdam Sacrae Majeſtatis Veſtrae Regiae Cives Elbingenſes tanquam meos ex mea ditione eo profectos ex pacto repetiviſſe, praeterea ad Sacram Majeſtatem Veſtram Regiam multorum querimoniis perferri, non ſine gravi ejusdem Regni & Civitatum Pruſſiae incommodo, quo minus libera ſit per portum Balga navigatio, per me impediri: Quare poſtulat, ut nominatos Cives in Civitate Elbingenſi quiete commorari permittam, & ut libere unicuique per portum illum navigandi poteſtatem faciam.

Ad quae omnia Sacrae Regiae Majeſt. Veſtrae haec humiliter ſubditeque reſpondeo, me multum mirari, variaque cogitare, quod Elbingenſes apud S. Majeſt. Regiam propter meos homines, quos valore contractuum omni jure repetere poſſum, conqueſti ſint, non ego illis quidquam mei conſilii detexi, vel ad illorum petitionem denegavi, ſed ex eorum relatione & declaratione cauſam hanc penitus cognoſcere volui, quapropter mihi de illis perſuaſiſſem, eos S. Majeſtatem Veſtram Regiam jam in laudatiſſima ſenectute, atque adverſa valetudine, & multis aliis gravioribus negotiis cumulatim occupatam, iſtiusmodi adverſis indicatis non moleſtare & gravare, S. Majeſtas Veſtra Regia ſibi hoc de me polliceatur, quod in meis reſponſionibus ac declarationibus propter hanc omnesque reliquas cauſas me talem, auxilio divino, ſim exhibiturus, qualem S. Majeſtas Veſtra Regia facile clementerque probabit. Elbingenſibus etiam id demandet atque injungat, ne quid contra contractus (quod & me diligenter curaturum recipio) faciant, S. etiam Majeſtatem Veſtram Regiam poſthac iſtiusmodi odioſis cauſis pergravare, atque me eidem amplius deferre deſinant. Omnibus namque modis aequum eſt, ut qui una in parte contractuum commodum ſentire velit, in altera onus quoque eorundem ſentiat.

Quod vero navigationem per portum meum Balga attinet, in eo, ut in reliquis, me unicuique debito modo ſecundum contractus exhibere pollicitus ſum. Nam quo major navigatio eſt, eo majores mihi accedunt fructus, propter maris vectigal. Quandoquidem vero olim, ac anteaquam ego in has Terras Pruſſiae veni, interdum, tempore neceſſitatis ac caritatis, navigatio frumenti conceſſa non ſit, prohibui & ego praeſenti hac in meo Ducatu caritate iſtam navigationem tam meis ſubditis, quam etiam reliquis per meum portum, meo damno & diminutione vectigalis, in nullius privilegiorum aut libertatum praejudicium: ſed potius ac ſolummodo propter commune Reipublicae commodum. Cum vero Elbingenſes & reliqui ſe iſto interdicto gravari queſti ſint, liberamque navigationem petierint, illorum petitioni in ſingularem Sac. Majeſtatis Veſtrae Regiae honorem, illisque ad gratiam acquievi, haud reſpiciens, quod quam plurimum frumenti hinc ex noſtro Ducatu vehatur. Quapropter mei apud S. Majeſtatem Veſtram Regiam in iſtis, uti in aliis, merito rationem habere parcereque debuiſſent. Neque ego in his, & aliis etiam, uti ſupra recenſui, contra contractus quidquam facere vel cogito, vel molior.

Ex

Anno 1541. Ex tanta autem in meo Ducatu propter coëmptionem frumentorum caritate, ego navigationem meis ſi prohibere, aliis vero liberam concedere deberem, Sacra Majeſtas Veſtra Regia, tanquam Rex ſapientiſſimus, facile colligere poterit, quomodo hoc ſubditis meis probaretur, vel quid mali inde tandem eveniret. Quapropter humiliter ſummoque ſtudio oro, S. Majeſtas Veſtra Regia non alio conſilio hoc a me factum exiſtimare dignetur, quam ut utriuſque Partis ſubditis & communi miſeriae proſpicerem atque conſulerem. Sin autem S. Majeſtati Veſtr. Regiae hoc in loco navigandi libera poteſtas omnibus videtur, idque S. Majeſtati V. Regiae placuerit, in ſingularem ejusdem honorem (ſalvis tamen contractibus, meis privilegiis, veteribusque laudatiſſimis inductis conſuetudinibus, habitaque Reipublicae utilitatis ratione, videlicet ne propter defectum annonae, reliquorumque ad vitam neceſſariorum, quid detrimenti capiat) mihi perſuaderi patiar.

E tertio R. V. Majeſtatis ſcripto certas Nobilitatis Maſoviae querimonias accepi, quibus me iterum accuſant de non reſtitutis profugis eorum colonis. Juris diſpendium in denegata juſtitia mihi impingentes. Secundo referre eos ſcribit Regia Veſtra Majeſtas, quum ex Terris Maſoviae annona & reliqui commeatus in Boruſſiam uberrime vehantur, viciſſim tamen ipſis hinc evehi eadem non licere, ſed liberam rerum commutationem ipſis prohiberi, & per Nos reſcindi, eaque contra vicinitatis & bonae conjunctionis jura committi: Quare Regia Veſtra Majeſtas clementer me admonet, ne ea deinceps inhibeam, ſimul et curem, quo profugi eorum ſine difficultate ipſis reſtituantur, nequaquam ultra aequitatis rationem eos detinendo, quemadmodum & Regiae Veſtrae Majeſtatis literae copioſius ea perſtringunt.

Super quae Regiae Veſtrae Majeſtati pro certa & vera inſtructione obedientiſſime ſignificare volo. Quod mox accepto priori Regiae Veſtrae Majeſtatis hac de re Mandato, omnibus & ſingulis meis Officialibus & ſubditis praecepi, quo Regiae Veſtrae Majeſt. ſubditos Nobilitati profugos colonos, quos jure requirerent, vigore publicae confœderationis libere dimitterent. Nec ulla hactenus ad me de non ſervato meo præcepto rediit quaeſtio, quare nec ſecus ſcire potui, quam debita obedientia præſtitum fuerit, quod mandaveram. Si vero adhuc alibi profugus contra jura & aequitatem detineatur, de quo certificatus fuero, eam operam adhibebo, ne diutius contra jura detineatur, ſed huic, cui debetur, citra diſpendium reſtituatur, meique inobedientiae debitas pœnas experiantur. Quantum autem ſpectat ad annonae mutuam ex Maſovia in meum Ducatum, & e regione tranſportationem, haud ullius recordor a me factae inhibitionis, (licet non diſſimile & mei a vicinis ſint experti) ſi fortaſſe inevitabilis domorum mearum proviſio neceſſaria alicubi pro temporis ratione id poſtulaſſet, quod tamen generalis inhibitionis ſpeciem nunquam aſſumpſit. Compertum autem habetur, experientia ipſa indies veritatem teſtante, quod non a Maſovia tantum, ſed & quam plures aliarum Regiae Veſtrae Majeſtatis Provinciarum ſubditi agminatim Ducatum meum frequentant, pro uſuque & neceſſitate eorum omnigenarum vendibilium rerum copiam hinc evehentes, quemadmodum & his diebus perpaucis cum aliquibus & tritici & ſiliginis laſtis factum ſcimus, reportantes etiam & alias e diverſo quidem merces, ſed & hoc parcius, quam conveniens ipſa viciſſitudo poſtularet. Ex quo autem me ſciente nulla talis inhibitio eſt facta, qualis a Nobilitate delata eſt, excepta temporaria illa, quam ſupra expoſuimus, multo certe juſtius Regiae Veſtrae Majeſtati plurimarum rerum aliarum occupatiſſimae debita cum reverentia pepercisſent, & minime hujusmodi factis delationibus Regiam clementiam inquietaſſent, ſed mihi potius prius indicaſſent, ſi quid eos torſiſſet, quo neceſſario ſubordinata fuisſet inquiſitio, an etiam juſte conquerentur, nec ne. Quod certe ab ipſis factum neutiquam recordor: Si quis vero certo & deprehenſo facto probare poterit, contra veterem laudabilem conſuetudinem, obſervationes vicinitatis, ac confœderationes publicae pacis, negotiationis ſibi viam praecluſam eſſe, ſub praetextuque mei mandati ultra vel citra commeatum transportare vetitum unquam fuiſſe, lubens volo me in eo caſu ea aequabilitate accommodare, ut nullus juſtam de me erga Regiam Veſtram Majeſtatem quaeſtionem movere poſſit. Haec Sacrae Regiae Majeſtati Veſtrae, Domino meo clementiſſimo (quem nunc Deo Optimo Maximo commendo) humiliter ad ejusdem literas, maxima veritatis habita ratione, reſpondere volui: humiliter debiteque orans, Sacra Majeſtas Veſtra Regia hanc meam reſponſionem boni ac clementer conſulere, illique plenam fidem adhibere, ac ſe mihi in omnibus (ut ſpero, ſemperque expertus ſum antea)

Anno 1541. tea) clementiſſimum exhibere dignetur. Datum e Regio monte ſeptima Januarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

Ejusdem Sacræ Majeſtatis Regiæ Veſtræ

Subditus Princeps

Albertus *Dei Gr. Marchio Brandenburgenſis.*

CCXVI.

1542. *Literæ* Sigismundi I. *ad* Ferdinandum *Romanorum Regem, quibus eum monet, ne aliquid ſibi juris in Civitates Pruſſiæ uſurpare velit.* Dat. Vil. 18. Januar. 1542. *Libr. Legat. ſub Lit. J. fol. 180.*

Sereniſſime &c.

Cum hunc ad Majeſtatem Veſtram Nuntium noſtrum mitteremus, admonendum eum duximus, de iis controverſiis, quæ in Conventu Vſchovenſi per communes utriuſq; noſtrum Commiſſarios diſceptari cœptæ ſunt, ſed nondum ad finem perductæ. Pertinebit hoc ad mutuam noſtram amicitiam augendam & amplificandam, ſi data fuerit opera a Majeſtate Veſtra, ut tandem aliquando cœptæ inter utriuſq; noſtrum ſubditos controverſiæ terminari queant. Praeterea miſerunt ad Nos cives & ſubditi noſtri Gedanenſes Majeſtatis Veſtræ binas Literas, quarum unis admonet eos, ut juxta ea, quae decreta ſunt in Comitiis Ratisponenſibus, ſubſidia mittant in Hungariam contra Turcas: alteris ut Nuntios ſuos ad Comitia Spirae edicta mittant, mandat. Ita Nobis perſuademus de Majeſtate Veſtra, quo animo inter Nos ſumus, quaq; mutua ſumus invicem neceſſitudine conjuncti, eam nunquam aliquid ſibi in eos Jurisdictionis uſurpare velle, quos noſtro & nullius alterius imperio ſubeſſe ſcit, ſed errore Cancellariæ fieri putamus, ut hoc genus literæ præter decorum ad noſtros homines ſcribantur. Quare Majeſtatem Veſtram rogamus, providere velit, ne ſimilis error deinceps accidat, atq; ut inter noſtros, & eos, qui Germaniae Regno parent, ſubditos, diſcrimen habeatur, erit hoc mutua noſtra neceſſitudine dignum. Vilnae decima octava Januarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo.

CCXVII.

Anno 1542. *Statutum* Sigismundi I. *Regis, quo præcipitur, tres ad ſummum judiciarias inſtantias in Civitatibus Pruſſiæ obſervari debere.* Dat. Cracoviæ 21. Septembris An. 1542. *Ex Arch. Regni Lib. 48. Lit. ZZ. N. 49. fol. 280.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae &c. Univerſis & ſingulis, in quorum manus hae noſtrae literae pervenerint, planum teſtatumq; facimus, quod cum a Conſiliariis & a reliquis Ordinibus Terrarum noſtrarum Pruſſiæ una omnium voce fuiſſet Nobis ſupplicatum, ut tres tantum non quatuor eſſe vellemus judiciorum inſtantias, ita, ut a ſecunda inſtantia recta ad Nos, non autem ad Conſiliarios Terrarum noſtrarum Pruſſiae fieret appellatio; Nos tantum eſſe ea in re omnium Ordinum conſenſum videntes, atque illud una conſiderantes, quod & juris ordini magis congruit, & cum ipſis litigantibus, tum Conſiliariis Terrarum noſtrarum Pruſſiae minus oneroſum futurum, quorum illi ſumptu inutili, hi vero ſupervacaneo labore & moleſtia liberabuntur, ſi tres tantum judiciorum inſtantiae obſerventur, judicia civitatum & oppidorum noſtrorum Pruſſiae in hunc ordinem redigenda putavimus, ita, ut praeſentibus redigimus: Majoribus in civitatibus Terrarum noſtrarum Pruſſiæ apud judicium Scabinorum primam eſſe volumus inſtantiam, a quo ad Senatum, a Senatu recta ad Tribunal noſtrum Regium appellationem fieri: In minoribus vero civitatibus, prima ut ſit inſtantia apud judicium civile, a quo, ſi litis aeſtimatio non excedat praecium aut valorem quinquaginta marcarum Prutenicalium levis monetae, poſſit fieri appellatio ad Capitaneos & Praefectos locorum, & ibi fiat ſecunda inſtantia, a quibus, cui viſum erit, liceat appellare ad Tribunal noſtrum Regium. Ubi vero valorem quinquaginta marcarum exceſſerit, fiat appellatio a judicio civili ad Conſiliarios Terrarum noſtrarum Pruſſiae, ut apud eos, tunc ſecunda ſit inſtantia, a quibus recta ad Regium Tribunal noſtrum appelletur. Quod autem attinet ad Judicia Terreſtria, maneat & ſervetur per omnia, ut eſt in Conſtitutionibus expreſſum. Hunc Nos appellationum ordinem inviolate ab omnibus in majoribus & minoribus Civitatibus Terrarum noſtrarum Pruſſiae volumus & mandamus, tertiam inſtantiam apud Nos, & non alibi eſſe debere praeſentibus decernentes. Harum teſtimonio

litte-

Anno 1542. litterarum, quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum. Datum Cracoviae Feria quarta in Vigilia S. Matthaei Apoſtoli & Evangeliſtae, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo. Regni vero noſtri anno trigeſimo ſexto.

Samuel *Epiſcopus Potocenſis & Regni Poloniæ Vicecancellarius.*

CCXVIII.

Formula Gubernationis Ducatus Pruſſiæ ab Alberto *Seniore concepta.* A. D. 1542. *Ex Arch. Reg. Lib. Leg. Lit. W. fol. 320.*

Cum & Dei Mandato, & Paterna erga noſtros ſubditos, quorum Nobis fides & integritas multis nominibus perſpecta eſt, ſollicitudine teneamur, & ſimul ad animum revocemus, quantum commodi, quantumve emolumenti, bonae & ſalutares gubernationes ab ipſis Principibus florente Republica pie & feliciter inſtitutae & conſervatae, in quibus unicuique tam pauperi quam diviti jus & ſacroſancta juſtitia ſine reſpectu perſonarum in rebus ſuis oppreſſis ea ratione adminiſtratur, ne quis de iniquitate merito conqueri poſſit, in quibusq; unicuiq; ſuum pacifice & quiete tenere & poſſidere liceat, Rebuſpublicis afferant. Facile dijudicare poſſumus, maiori illud cum utilitate, fructu & commodo conjunctum futurum, ſi in vita cujusvis Principis Summam Gubernationis tenentis, ejusmodi gubernatio inchoëtur, & ita ad Haeredes, Succeſſores, & Poſteros ſuos pie, honeſte, & integre tranſmittatur, ne deinceps nulla mutatione vel reformatione opus ſit. Cum omnis mutatio periculoſa, & cum exitio & incommodo Reipublicae conjuncta ſit, ideoque, quantum fieri poſſit, ſummopere cavenda.

His & aliis rationibus adducti operae pretium duximus, non tantum in hoc, ſicut in ſuperioribus articulis, diligenter providere, quomodo Gubernatio, & noſtro tempore pie, recte, honeſte & feliciter inſtitui & ad Haeredes & Succeſſores & poſteros tranſmitti poſſit & debeat, verum etiam univerſum Ducatum noſtrum ejusmodi gubernandi ratione, cujus ſuperius facta eſt mentio, & nunc ſequetur, ſecundum quam iſte Ducatus perpetuis temporibus rite & feliciter adminiſtretur & gubernetur, ornare & augere.

Cum igitur conſilio Generoſorum, Nobilium & Praeſtantium praecipuorum Conſiliariorum, Curiae Magiſtri, Burggravii, Cancellarii & Marſchalci hanc Rempublicam noſtram, Dei beneficio in hunc uſq; diem adminiſtraverimus, & adhuc adminiſtremus, humilibus precibus ſubditorum noſtrorum (cum et jure Nobis illud incumbat, et alias facturi eramus) facile permoti, his quatuor Conſiliariis primariis, qui omnes indigenae Ducatus hujus Nationis Germanicae ex Baronum vel Nobilium Proſapia oriundi ſunt, ſex vel octo, bonae, piae, honeſtae et integrae famae et vitae Viros ex ſubditis noſtris, vel in defectu eorundem alios Aulae et Curiae Conſiliarios adjungimus et conſtituimus. Ex quorum numero duo ad minimum juris et aliarum rerum periti ſint, quorum opera in dicendis cauſis judicialibus aliiſq; gravibus negotiis tam Magiſtratum ipſum, quam alios concernentibus, atq; etiam in Legationibus pro noſtra et Ducatus noſtri ratione, ſicuti et caeteris, uti queamus.

Deinde Praefecturas Brandeburgeſem, Schovicenſem, Wiſchavienſem, et Tapiavicenſem his tantum conferri volumus, qui prae aliis Nobis conſulere et ſervire queant, ut eo citius, quando in judicialibus vel aliis cauſis opera ipſorum indigeamus, hic præſto ſint, quorum etiam conſilio univerſam Gubernationem noſtram, pro rerum noſtrarum ratione, conſtitueremus.

Si vero Nos extra fines Ducatus noſtri proficiſci peregre contingat, praenominati Conſiliarii noſtri, Curiae Magiſter, Burggravius, Cancellarius, et Mareſchalcus, aut ſi aliqui horum Nobiſcum fuerint, & Nos alios in ipſorum locum ſubſtituerimus, hic Regiomonti reſidebunt, donec vel Nos redierimus, vel, quod abſit, Nobis forte decedentibus, proximus Succeſſor advenerit, noſtram dilectiſſimam Conjugem, noſtrum Principem Juniorem, ſuæ Illuſtr. conſtitutam propter nuptias donationem, una cum pertinentiis, ſimul etiam univerſam Gubernationem & totum Ducatum ſibi commendatiſſima, & eorum ſummam rationem habeant. Ea tamen conditione, ut ſi omnes præſentes ſint, neque vel adverſa valetudine, vel aliis juſtis & legitimis cauſis impediantur, unanimiter de rebus propoſitis conſultent & decernant. In noſtris autem & Ducatus noſtri negotiis, quatuor iſtos Capitaneos memoratorum noſtrorum caſtrorum, & ex Senatu trium Civitatum Regiomontanarum tres, qui ſpeciali devinciantur juramento, pro negotiorum ratione omnes, vel aliquos adhibeant, qui etiam operam ſuam neutiquam denegare debent. Atq; huc omnia ſupramemorata in noſtrum, Conjugis noſtræ, Filii noſtri, & totius Duca-

ANNO 1542. tus commodum & emolumentum ita provideant & peragant, ſicut vigore juramenti præſtiti Deo, Nobis, Illuſtri Conjugi noſtrae, Filio, & toti Ducatui, ſatisfactum iri, tanquam probi & fideles Conſiliarii exiſtimaverint.

Si etiam cauſarum ratio poſtulare videatur, hi undecim, quibus præcipuum Gubernationis onus injunctum eſt, cæteros Aulae, & Curiae Conſiliarios, qui quotidie Regiomonti praeſentes eſſe debent, convocent, illorum judicia, conſilia, ſententias & vota ſciſcitentur, audiant, & quod Nobis, Haeredibus & Succeſſoribus noſtris utiliſſimum fuerit, in nomine Dei ſequantur, decernant & ſtatuant, quem ut horum conſiliorum Moderator & Rector eſſe velit, ardentibus votis comprecamur.

Cum autem in contingentibus cauſis quilibet ex conſcientia ſua ſententiam dicere debeat, fieri poteſt ſaepius, ut opiniones invicem diſcrepent. Ad praecidendas igitur omnium incommoditatum, quae hinc oriri poſſint, occaſiones, ſancimus, ut quilibet peculiari & libero ſuo voto gaudeat, & majoris partis opinionem & ſententiam Conſiliarii iſti ſequantur.

Succeſſor proximus, ad quem Ducatum iſtum, iſtiuſque Gubernationem quovis tempore devolvi contingat; praeſens hunc Ducatum noſtrum adminiſtrare (ſicuti & Nos hoc omni tempore fecimus) debet. Conſtituimus etiam, ſuademus ut & petimus, ejuſmodi Gubernationis forma, quemadmodum a Nobis bono conſilio concepta & conſtituta eſt, ita etiam ab ipſo, quamdiu Gubernationem tenebit, pie & inviolate conſervetur.

Ut autem onus hoc Conſiliariis iſtis eo ſit tolerabilius, neq; tam temere recuſandi illud cauſam habeant, volumus, ut ipſi de reditibus et proventibus Ducatus noſtri honeſte, et quidem ea ratione, quemadmodum in Teſtamento noſtro diſponetur, ſuſtententur et foveantur, ut eo melius operas ſuas Magiſtratui et Ducatui praeſtent, et laborum ſuorum moleſtiarumque, nec non neglectae rei familiaris ſuae compenſationem accipiant. Si etiam vel in noſtris, vel Ducatus noſtri negotiis ablegentur, et praeter culpam, ſpem, et opinionem intercipiantur, pretium redemptionis, et caeterae impenſae in eam rem factae ex noſtris et Ducatus noſtri reditibus exſolvantur.

Certo autem Nobis pollicemur (atq; etiam ut faciant, Conſiliariis praenominatis hac noſtra Conſtitutione ſerio injungimus) ipſos nihil in ſe, quod quidem in ipſorum fide et diligentia poſitum fuerit, deſiderari paſſuros, et quidem Nobis, Illuſtri Conjugi noſtrae, Filio et toti Ducatui, caeteriſq; omnibus ſuae ſubjectionis, obſervantiae, et honeſtatis ſtudia ita eſſe comprobaturos, ut Deo, Nobis, Illuſtritati ipſorum, et univerſo Ducatui, ſalvam conſcientiam fidemque inviolatam teſtentur, ſubditi in officio et debita propenſione erga Magiſtratum retineantur, et ipſi quoque gloriam cum nominis ſui celebritate conjunctam inde ferant. ANNO 1542.

Rem œconomicam Regiomontanam quatuor iſtis Conſiliariis, Curiae Magiſtro, Burgravio, Cancellario et Marſchalco diligenter et fideliter adminiſtrandam committemus. In qua quidem, ut ſupra commemoratum eſt, unanimiter decernant & ſtatuant.

Similiter Præfecti univerſorum noſtrorum Caſtrorum his quatuor Conſiliariis, adjunctis Quæſtoribus, rationes redituum, proventuum, & emolumentorum Ducatus noſtri annuatim deponent, ita ut ordo Cameræ obſervetur, & non tranſiliatur. Imprimis autem in id erunt intenti, ut omnia ordine et legitime in re œconomica et architectonica provideantur, et ut in illis noſtri, Hæredum, Succeſſorum, et Ducatus noſtri, ſicuti jusjurandi religio hoc ipſis dictat, præcipua habeatur ratio. Redditis etiam rationibus, teſtimoniales literas, quas vulgo quietantias vocant, tradant.

Cum autem omnes morti obnoxii ſimus, & nihil tam Nobis certi, quam mors, expectandum veniat, ſi forte horum Conſiliariorum unum vel plures obire contigerit, permittimus, ut cæteri ſuperſtites ex quatuor iſtis memoratorum Caſtrorum Præfectis, quibus res & negotia Ducatus hujus prae caeteris cognita & perſpecta ſunt in defuncti locum ſubſtituent. Si autem in illorum numero nullus ejus eruditionis & ſcientiae reperiatur, cui Cancellarii munus recte committi poſſit, tunc alium probatae ſcientiæ, & integræ vitæ inquirant & adhibeant. Eorumq; in locum qui ex iſtis Præfecturis ad Gubernacula Ducatus adſciti ſunt, alios honeſtos et candidos Viros Barones vel Nobiles, quos ex juramenti ſui religione idoneos judicaverint, ſufficient. Præterea a Caſtrorum Præfectis et ſubditis Ducatus, nomine Magiſtratus et totius Ducatus, donec legitimus Succeſſor adveniat, conſuetum juramentum et homagium annuum ab iis, qui vel ex provincialibus vel civibus hoc nondum præſtiterunt, exigant, Capitaneos et caeteros Officiales, ſi quoquo modo in culpa reperiantur, removeant, juramenta remittant, cautiones

Anno 1542. ſyngraphàrias, ſtipendiarias, et cujuscunque generis Reſcripta dent et concedant, cumque ſecundum mores et Conſtitutiones hujus Ducatus ipſis officium, unicuiq; jus et juſtitiam ſine mora et moleſta aliqua dilatione adminiſtrandi incumbat, ſententias ferant, et eaſdem una cum iis, quæ ſupra commemorata ſunt, ſub ſigillo conſueto promulgent et extradant. Cui autem ex iſtis memoratis Præfectis per ejuſmodi electionem officium committetur, hic illud certo ſibi ſtipendio conſtituto detrectare non debet. Quilibet etiam Officialium noſtrorum ſummam adhibebit diligentiam et curam, ut non tantum in re œconomica omnia legitime adminiſtrentur, provideantur, et augeantur, verum etiam ne hypothecæ et bona alia, quæ ex gratia ea lege poſſeſſoribus conceſſa ſunt, ut ad Nos vel Hæredes noſtros certis quibusdam conditionibus revertantur, deteriorentur. Inprimis autem id operam dabunt, ut religio ſalva et incorrupta conſervetur, miniſtriq; ipſius juſto tempore ſtipendia ſua accipiant, et incolis et ſubditis Ducatus hujus, cujuscunque ſint conditionis, ad ſollicitationem ipſorum ſacroſancta juſtitia in grave ipſorum diſpendium non protrahatur.

Quam ad rem rite peragendam quilibet Capitaneus duos ſuae Diœceſeos incolas inter caeteros peritiores & magis idoneos & pios adhibeat, eorumque conſiliis & judiciis in cauſis occurrentibus utatur; ſi qui autem erunt, qui huic Conſtitutioni noſtrae morem non geſſerint, illi ſtatim, ſint qualescunque velint, officiis removebuntur, vel graviori etiam pœnae ſubjacebunt. Si autem forſan ea ratione & modo per ipſum res & cauſae componi & decidi non poterunt, tunc, & non prius, ad competens & legitimum Judicium eas remittet, ubi jus partibus minime defuturum erit.

Cum autem in Gubernationibus ſaepius ejusmodi occurrant negotia, ut rebus ita poſtulantibus, vel ſpeciales vel generales Conventus conſcribi neceſſe ſit, plenam poteſtatem praenominatis Conſiliariis noſtris tribuimus, pro negotiorum ratione vel paucos, vel plures, vel etiam Generalem Conventum, quamdiu Gubernio praeſunt, conſcribendi, & ſubditos omnium Ordinum convocandi. Omnibus igitur ſubditis noſtris, Praelatis, Baronibus, Nobilibus, Civitatibus & Univerſitatibus Ducatus noſtri ſerio mandamus, ut cujuscunque ſint conditionis, quandocunque vocati fuerint, dicto audientes non ſecus, ac ſi ab ipſo Duce vocati eſſent, in Conventibus Gen. vel alias compareant, et quod ex Magiſtratus, totiusque Ducatus re, utilitate Anno 1542. & commodo futurum ſit, conſiderent & ſtatuant, eidemque, quod ita ſtatutum erit, morem gerant, ſicuti omnes noſtri ſubditi, in Comitiis Generalibus Anni 1540. fideliter & ſponte ſe hoc praeſtituros Nobis promiſerunt.

Cum vero ut propugnaculorum finitimorum, quorum quaedam de conſilio ſubditorum noſtrorum extructa ſunt, quaedam vero in imperfecto conſiſtunt opere, ratio habeatur, noſtra et Ducatus noſtri multum intereſt, certi quidam fideles & periti homines, praecipue iis, quae in finibus et portubus, ut Mimmelium et alia ſunt ſita, praeficiantur, ne temeritate vel negligentia detrimenti aliquid capiant, quod tandem tam ad Magiſtratum ipſum, quam totum Ducatum redundaturum ſit.

Quando vero in aliis Terris, Regnis & Ducatibus reperiatur, quod certæ quædam ædes, cuſtodiendis & conſervandis privilegiis, libertatibus ipſius Terræ & omnium incolarum deſtinari ſoleant, & Nos etiam in Conventibus Generalibus ſubditi noſtri de certis quibusdam aedibus, in quibus ipſorum privilegia, et res aliae, quæ ipſis charæ ſunt, conſervari et cuſtodiri poſſint, deſtinandis aliquoties ſollicitaverint, petitioni ipſorum facile pro noſtra in ipſos benevolentia locum dedimus. Concedimus igitur pro Nobis, Hæredibus et Succeſſoribus noſtris ipſis eum in uſum Arcem Tapiavienſem, vel etiam Brandeburgenſem, aut aliam quamcunque ex ipſorum placito. Cui quidem Arci, quam Ducatus ita elegerit, talis præficietur Capitaneus quovis tempore, qui non minorem privilegiorum Ducatus, vel etiam ſingulorum incolarum ibidem reconditorum, quam noſtrarum, vel etiam ſuarum ipſius rerum curam gerat, atque etiam ex proventibus Ducatus noſtri Arx illa ita munietur, ne clandeſtinae et inopinatae machinationes tam facile periculi aliquid inferre queant, Deo porro unico et fortiſſimo Protectori ſummam protectionem committentes.

Volumus etiam, ut conſtituti Gubernatores, (qui in abſentia noſtra Vicegerentes, poſt obitum vero noſtrum, donec Succeſſores noſtri conjunctum jus habentes advenerint, conſtitutos Gubernatores ſeſe inſcribere debent) atque Ducatus ipſe in quemcunq; caſum proprio et peculiari ſigillo, nempe nigra Regia et rubea Marchionum aquilis conjunctis, in ſuperiore parte inſignium, et inferiori parte nudis inſignibus nigris et aliis utantur. Quod vel Cancellarius, vel qui vi-

ANNO 1542. ces ipſius gerit, in ſua poteſtate et cuſtodia habeat. Quidquid autem illo obſignatum fuerit, ſive literae propter nuptias donationem continentes, ſive cautiones ſyngraphariae, ſive inſtrumenta emptionum, vel cujuscunque generis inſcriptiones et reſcripta, vel judicialia vel alia fuerint, non ſecus, ac ſi a Nobis vel Haeredibus et Succeſſoribus noſtris ſignata fuiſſent, vim et effectum ſuum ſortiantur, absque fraude et dolo.

CCXIX.

Articuli gubernationem Ducatus Pruſſiæ continentes, ex Teſtamento ALBERTI *Ducis Pruſſiæ excerpti.* Anno 1542. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. ſub Lit. W. fol. 312*

Quæ noſtra diſpoſitio & ultima voluntas, ut eo majorem in omnibus punctis & articulis ſortiatur effectum, & manuteneatur, ac ut noſtris utriusque ſexus liberis impuberibus, præſentibus & futuris, donec ad juſtam ætatem aſpiraverint, eo fidelius conſulatur, conſtituimus ſupremum Tutorem teſtamentarium & Exequutorem Conjugi noſtræ dilectiſſimæ, & liberis impuberibus noſtris, in meliori qua poſſumus forma, Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem & Dominum, Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ &c. Dominum & Hæredem, Dominum noſtrum clementiſſimum, & Avunculum chariſſimum, oramusque Regiam Suam Majeſtatem, ut Teſtamentum hoc noſtrum & ultimam voluntatem, omniaque in his comprehenſa & conſtituta, ſibi quam commendatiſſima habeat, eaque, ſicuti R. S. Majeſtas per Legatum ſuum ſe facturam quam clementiſſime receperat, tueatur, ut iis omnibus ſatisfiat, nec quidquam contra eadem committatur.

Ne autem R. S. Majeſtas hoc munere nimium prægravetur, ſed, quantum fieri poteſt, moleſtiis eximatur, neceſſarium duximus, aliquos Subtutores teſtamentarios & Exequutores fideles noſtros dilectos Conſiliarios, quorum conſilio etiam pridem uſi ſumus, ei adjungere & ſubſtituere, cum quibus Regia Sua Majeſtas omni tempore in gravibus & arduis negotiis, & noſtros Liberos Hæredesque, & ipſum Ducatum concernentibus, conſultet & decernat.

Poſtquam vero Pacta perpetua clare & perſpicue diſponant, & hic etiam Ducatus eiusmodi libertatibus gaudeat, ſi Principes Ducatus Pruſſiæ ſine Hæredibus mori contigerit, ut huic Terræ Gubernator Nationis Baro & Nobilis, & quidem hujus Ducatus Indigena, præficiatur & conſtituatur, ut Nos etiam huic Conſtitutioni ipſimet ſatisfaciamus, & viam ſternamus, ſancimus, conſtituimus & volumus, ut quatuor hi Conſiliarii noſtri, Curiæ noſtræ Magiſter, Burggravius, Cancellarius & Mareſchalcus, quales iſti quovis tempore poſt mortem noſtram futuri ſint, Subtutores & Gubernatores ſint, quibus chariſſimam noſtram Conjugem, Liberos noſtros impuberes, univerſum Ducatum noſtrum, & plenam gubernandi, providendique & adminiſtrandi ejusdem poteſtatem committimus, ea quidem ratione & modo, ut his fideliter conſulant, & utiliter proſpiciant, poſtulamusque, ut hiſce noſtris quatuor ad Gubernationem conſtitutis Conſiliariis omnes fideles noſtri dilecti ſubditi, cujuscunque ordinis & ſtatus, debitam obedientiam præſtent, ſicuti hoc Nobis omnes Ordines in Conventu Generali polliciti ſunt. Econtra vero Conſiliarii, Gubernationi præfecti, omnibus noſtris ſubditis jura, privilegia & libertates tueantur, & ſarta tectaque præſtent, neque vel ipſi contra illa quidquam attentent, vel aliis etiam attentari permittant. Inprimis vero una cum noſtris fidelibus dilectis Aulæ & Curiæ Conſiliariis jus & juſtitiam pro æquitate tam diviti quam pauperi, ſine reſpectu perſonæ, fideliter unicuique adminiſtrent & communicent, & aperta feuda petentibus ſucceſſoribus concedant.

Volumus etiam, ut prænominatorum Conſiliariorum noſtrorum ſententiæ, mandata, reſcripta, & quidquid hujus generis praeterea ab ipſis noſtro nomine decretum & ſtatutum fuerit, eam vim & effectum habeant, ac ſi vel a Nobis, vel a noſtris Haeredibus decreta vel ſancita eſſent, cui etiam nullus ſubditorum noſtrorum reſiſtere aut contradicere, multo minus controverſiam aliquam movere debet, ſub pœna amiſſionis omnium feudalium bonorum.

Concedimus etiam & damus praenominatis noſtris Conſiliariis plenariam poteſtatem, Praefectos Arcium & ſervitores alios, quorum opera Gubernatio carere non poteſt, ſuſcipiendi, juſtaque ſtipendia ipſis conſtituendi, eosque pro rerum ratione vel admittendi, vel prorſus etiam removendi, & ex aequo & juſto puniendi, omnes reditus & rationes totius Ducatus recipiendi, quietandique, & ab ipſis ſubditis & aliis juramentum debi-

Anno 1542. debitum, ſecundum Pacta perpetua, in Haeredes noſtros praeſtandum, ſecundum jura exigendi, non aliter, ac ſi Nos ipſi, ſive Haeredes noſtri, Gubernationem ipſam teneremus.

Neque tamen veteres vel noſtri, vel Haeredum noſtrorum, Ducatusque hujus Miniſtri, qui in juventute ſua operas Nobis gratas & fideles praeſtiterunt, & moleſtius pertulerunt temere ſemoveantur, rejiciantur, & officiis exuantur, ſed potius in iis retineantur, ut & ipſi, & liberi ipſorum ſuorum ſervitiorum & fidei fructum debitum conſequantur, nec per novitios ii, qui de Nobis, Haeredibus & Succeſſoribus noſtris & toto Ducatu bene meriti ſunt, excludantur & rejiciantur. Cur autem id ita obſervari cupiamus, cauſae multae ſunt, quas commemorare non eſt neceſſe.

Cum autem omnes Praefectos, & alios Officiales ita Nobis obſtrinxerimus, ut poſt obitum noſtrum illis concreditas arces, munitiones & civitates nulli, quam noſtris ad Gubernacula conſtitutis Conſiliariis, cedant & tradant. Statim Gubernatores noſtri hanc ultimam voluntatem noſtram promulgent & exequantur, eamque Gubernationem, quam plenarie decernimus & tradimus, ſuſcipiant & obeant, Præfectos quoque & Civitates quamprimum, præcipue vero ad ea, quorum ſupra facta eſt mentio, juramentis devinciant, iisdemque injungant, ut Arces & Civitates tempore hujus Gubernationis nemini tradant, ſummamq; earum curam gerant. Nullos ſive incolas ſive extraneos, notos ſive ignotos ad Arces & Civitates admittant; peregrinantibus tamen liberum tranſitum per Civitates non prohibeant. Quapropter Conſiliarii Regiminis ſtatim omnes Arces & Civitates occupent, easdemque gubernent & adminiſtrent, donec vel noſtri Hæredes ad legitimam venerint ætatem, vel noſtri Succeſſores, Agnati proximi, ſecundum Pacta hunc Ducatum ingreſſi fuerint. Quod ita noſtri Gubernatores pro fide & juramento ſuo, quo Nobis obſtricti ſunt, proſequantur.

Mandamus quoq; prædictis Conſiliariis noſtris, ut ſtatim, quoad fieri poſſit, in omnibus noſtris relictis diſtrictibus, poſſeſſionibus & bonis (ſaltem exceptis iis, quæ noſtræ chariſſimæ Conjugi ratione donationis propter nuptias debemus) inventaria conſcribant, omniaque diligenter aſſignent, annotent & conſervent.

Præcipue vero in hoc incumbant, ut omnes reditus, proventus & commoda, qualiacunque illa ſint, quam diligentiſſime cuſtodiantur, augeantur & reſerventur. A Præfectis, Quæſtoribus, tum etiam aliis, qui acceptorum & expenſarum rationem gerunt, quotannis liquidæ & claræ rationes exigantur, & in omnibus Filio noſtro quam diligentiſſime conſulatur & proſpiciatur. Neque patiantur, ut Arces & Civitates deteriorentur, vel reditus diminuantur, aut debita penes Officiales, & qui rationes tractant, augeantur, aut ſine aliqua neceſſitate accumulentur. Neque etiam chariſſimæ noſtræ Conjugi extra donationem propter nuptias quidquam ſibi arrogandi, vel Conſiliariis noſtris ipſi concedendi ſit poteſtas. Anno 1542.

Volumus etiam & mandamus noſtris Conſiliariis, in id potiſſimum ſint intenti, ut impuberum noſtrorum Hæredum res œconomica accurate inſtituatur, quo omnia ſuperflua reſecentur, & tantum, quæ ipſa neceſſitas poſtulat & requirit, ferantur. Nihil tamen his, quæ ad tuendam dignitatem Principis pro ratione temporis neceſſaria ſunt, derogatum volumus. Quod ut eo fiat commodius, poſt obitum noſtrum Liberi & Hæredes noſtri, quotquot illorum poſt mortem noſtram impuberes extiterint, Regiomonti reſidebunt, nec ultra trium vel quatuor menſarum, quamdiu impuberes fuerint, apparatu utantur, quod tamen omni tempore Subtutorum Conſiliariorum diſcretioni committimus.

Mandamus quoque memoratis Conſiliariis noſtris, ut noſtrorum Liberorum, Hæredumque, & in hac quidem Provincia, curam & rationem habeant, atque etiam nihil ad ſummam fidem & diligentiam relinqui facient, ut inprimis ad veram Dei agnitionem, amorem ſalutaris & ſinceræ doctrinæ, bonas diſciplinas & virtutes Principe Homine dignas & convenientes a juventute excitentur, in iisque bene & feliciter informentur, & exerceantur. Præcipue vero volumus, mandamus & monemus, ut Filius noſter Dominus Albertus Fridericus, qui ſub Teſtamento hoc ſolus extat, fideliter & quam diligentiſſime in vera Chriſti Religione, in Sacris Literis Bibliorum comprehenſa, inſtituatur ac inſtruatur; tum etiam in omnium Liberalium Artium diſciplinis, & linguarum cognitione, præſertim in latine loquendi & ſcribendi facultate, & omnibus virtutibus Principe Viro dignis in hiſce ſuis juvenilibus annis informetur & erudiatur. Et cum ipſius Celſitudo attigerit ætatem adultiorem, ad cauſas & conſilia adhibeatur, ut ita tandem Celſitudo ſua ad Nominis Divini laudem, Orbis Chriſtiani ſolatium, & totius Familiæ Brandenburgenſis ornamen-

ANNO 1542. namentum adoleſcat & educetur, & ſecundum DEI Optimi voluntatem, temporis ſucceſſione Gubernationem pie & ſalutariter, in totius hujus Provinciæ ſalutem & commodum, gerere queat.

Poſtquam autem chariſſimus hic Filius noſter ætatem ſuam legitimam, videlicet decimum octavum annum, attigerit, tum demum, & non prius, volumus, ut conſtituti Subtutores & Conſiliarii Gubernatione cedant, ac reditus claris & liquidis rationibus, ad quas reddendas obſtricti ſunt, ſuæ Illuſtritati Gubernationem offerant, quam etiam ſua Illuſtritas acceptet & ſubeat.

Volumus etiam, ut prænominati Conſiliarii noſtri Regiomonti reſideant, cauſis decidendis una cum Curiæ & Aulæ noſtræ Conſiliariis adſint, et omnibus aliis quam rectiſſime et fideliſſime conſulant.

Paulo poſt ſequitur in Teſtamento:

Debebit autem hæc Teſtamenti noſtri Diſpoſitio et regendi Ducatus Conſtitutio omni tempore valere, ita, ut ii, qui maxime conſiliis valent, hiſce quatuor Præfecturis, quæ Regiomonti proxime ſunt, præficiantur, ut, quoties ipſorum opera opus fuerit, eo citius convocari poſſint.

CCXX.

1545. *Ratificatio Pactorum inter* SIGISMUNDUM I. *Regem &* ALBERTUM *Seniorem Ducem Pruſſiæ initorum, per* ALBERTUM *Juniorem facta.* Datum Regiomonti die 1. Februar. Anno 1545. *Ex Originali. Sigill. unum.*

NOS ALBERTUS Junior Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, in Pruſſia, Stetinenſium, Pomeraniæ, Caſſubiorum ac Vandalorum Dux, Burgrabius Norimbergenſis, Rugiæque Princeps. Fatemur, ſignificamus, ac notum eſſe volumus tenore præſentium, quorum intereſt, univerſis. Quod poſtquam Illuſtriſſimus Princeps Patruus ac Tutor noſter, Dominus GEORGIUS felicis memoriæ Marchio Brandenburgenſis, in Pruſſia, Stetinenſium, Pomeraniæ, Caſſubiorum ac Vandalorum Dux, Burgrabius Norimbergenſis, Rugiæque Princeps, ad Sereniſſimum Principem Dominum, Dominum SIGISMUNDUM Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Ruſſiæ, totiusque Pruſſiæ, ac Maſoviæ etc. Dominum et Hæredem, Dominum et Avunculum noſtrum Clementiſſimum, Anno poſt Chriſti Nativitatem milleſimo quingenteſimo et vigeſimo octavo ſuæ Illuſtritatis et noſtro, tanquam Pupilli ſui nomine, literas ſigillo confirmatas miſiſſet, quibus ſua Illuſtritas tum pro ſe, tum pro Nobis teſtata eſt, pactiones illas perpetuas inter Sereniſſimam Majeſtatem Regiam et Illuſtrem Principem Patrem Nobis chariſſimum Dominum ALBERTUM Seniorem, Marchionem Brandeburgenſem, in Pruſſia, Stetinenſium, Pomeraniæ, Caſſubiorum ac Vandalorum Ducem, Burgrabium Norimbergenſem, Rugiæque Principem, juxta ſententiam firmati Contractus ab utroque noſtrum approbatas et agnitas eſſe, nunc vero poſtquam, divina gratia juvante, propemodum juſtam ætatem attigerimus, tenore præſentium notum facimus ac fatemur, Nos illa pacta ac perpetuæ pacis fœdera agnoſcere, atque hiſce Nos obligamus, quod univerſa et ſingula, quæ Contractus requirit, libenter ac prompta animi voluntate exequi volumus, Noſq; in omnibus ita, ut fidelem feudatarium Principem decet, uti antea quoque una cum Patruo noſtro, Domino GEORGIO Marchione etc. pupillari ætate diligenter ac ſedulo fecimus, exhibituros. Officioſe et amice petentes, Sacra Regia ejus Majeſtas juxta tenorem Inveſtituræ in perpetui Contractus participatione, ut Clementiſſimus Dominus, ac ſanguine junctus Rex, Nos retinere, tueri ac defendere dignetur. Id et debita fide ac ſubditis officiis erga Sereniſſimam Regiam ejus Majeſtatem ſtudioſiſſime et amiciſſime promerebimur. In cujus rei evidens ac certum teſtimonium haſce noſtras literas appenſione ſigilli noſtri roboravimus. Datum Regiomonte prima Februarii, Anno a nato Servatore noſtro Jeſu Chriſto milleſimo quingenteſimo et quadrageſimo quinto. ANNO 1545.

CCXXI.

Oratio Staniſlai Laſki Poloniæ Legati in Comitiis Auguſtanis pro jure Polono in Pruſſiam. An. 1548. *Ex Archivo Zaluſciano.* 1548.

ETſi Cauſa Pruſſiæ apud Majeſtates Veſtras, Cæſar Invictiſſime, & Rex Romanorum Potentiſſime, Sacrique Romani Imperii Electores, Principes, & reliqui Ordines, aliquoties Sereniſſimi Poloniæ Regis, Domini mei clementiſſimi, nomine declarata eſt, tamen, quia ſemper in Conventus ulteriores rejiciebatur, viſum eſt Sereniſſimo Regi meo, ut per me eandem cauſam iterum exponeret, ne, ſi id prætermitteret, negligentiæ vel alicui ſuſpicioni cauſam præbere videretur. Neque vero dubitat Sereniſſimus Rex

meus,

ANNO 1548. meus, ſe, quod tantopere poſtulat, impetraturum, Veſtraſque Majeſtates, & æquitatis cauſæ, & promiſſorum, quæ Regi per alios Internuntios petenti humaniſſime dederunt, dignam tandem rationem habituras eſſe.

Qua de re dicturo mihi, ſolemni conteſtatione in primis uti libet, non me apud Majeſtates Veſtras, tanquam Judices, ſed tanquam apud Perſonas omni honore, & obſervantia dignas agere dicereq; velle. Principio autem repetenda mihi quædam videntur de Ordine Prutenico, deq; ejus officiis Regibus Poloniæ debitis, idq; quam breviſſime, cum quidem rem totam ſæpe in hoc celebri Conſeſſu abunde expoſitam non ignorem. Bona pars Pruſſiæ Theutonico Ordini Principum Sarmaticorum beneficio olim conceſſa erat, ea quidem lege, ut ejus opera contra hoſtes Chriſtiani nominis uterentur. Sed Ordo ipſe & tanti beneficii ingratus, & pactæ fidei immemor, pro hoſtibus Chriſtianorum Dominos ſuos elegit, in quos arma converteret. Itaque ſæpe inter Prutenos & Sarmatas pugnatum eſt, ac varietatem ſucceſſuum multæ, & variæ pactiones ſubſequebantur. Quæ quidem omnia nihil attinet referre. Pleraque enim aut vetuſtate aut poſterioribus ſeu contractibus ſeu moribus antiquata ſunt. Illud, quod a memoria noſtra non ita remotum eſt, referam, Prutenos a CAZIMIRO Rege ingenti prælio victos eſſe: unde tandem res eorum adeo calamitoſæ extiterunt, ut pacis perpetuæ rationes a Rege petere coacti eſſent. Itaque convenit inter eos, ut qui deinceps Magiſtri Pruſſiæ eſſe vellent, ii Regibus Poloniæ ſubjectionis & fidelitatis jusjurandum more Majorum darent; cujus quidem jurisjurandi ne Pontifici quidem Romano gratiam eis facere liceret. Ad hæc, ne quem alium, præter Reges Poloniæ, Dominum agnoſcerent, quorum Beneficiarios ſeu Vaſallos, quemadmodum erant, ita ſe eſſe faterentur, cum eisque contra hoſtes Chriſtiani nominis in expeditionem ire tenerentur. Alia quoque Reipublicæ onera eis præſcripta ſunt, quibus commemorandis nunc ſuperſedere viſum eſt. Neque dubium eſt, Magiſtros multos cum ſuis populis officium Polonis præſtitiſſe, muniaque debita expleſſe. Quod ſi quando ad tempus ab expeditionibus bellicis, voluntate Principum ac Regum Poloniæ vacationem habebant, id quidem magni beneficii loco ducebant. Quod & publicis literis prodiderunt ipſi Magiſtri, & cum magna animi gratitudine teſtati ſunt.

Præclara tunc tempora erant, cum clientes grati, & beneficiorum memores, fidem Patronis & Dominis ſuis præſtabant. Verum euntibus annis, ut pleraq; in deterius labuntur, ſic Magiſtri quidam a fide & pactionibus Majorum ſuorum deficere in animum induxerunt, atq; ſubjectionem Polonis debitam excutere conati, ſe in fidem & tutelam alienam conferre ſtuduerunt. Quorum e numero ALBERTUS erat Illuſtris Marchio Brandeburgenſis, qui cum in Magiſtrum Pruſſiæ electus eſſet, oblitus neceſſitudinis, quæ illi cum Sereniſſimo Rege Poloniæ, Nepoti cum Avunculo intercedit, fœdera a ſuo Ordine inita contemnens, denique beneficiorum in Ordinem Prutenicum a Polonis collatorum immemor, ad nutum & ſubjectionem alienam ſe conferre voluit. Cumque intra ſemeſtre jusjurandum ſubjectionis Regi Poloniæ dare deberet, prorſus illud dare detractavit. Rex Sereniſſimus, etſi pacis ſemper fuerit ſtudioſiſſimus, tamen cum muneris ſui eſſe videret, rebellem & inobedientem Magiſtrum ad officium adducere, arma in illum ſumpſit. Cogebantur utrinque exercitus, & licet juſtum prælium nullum erat, tamen cædes innumeræ, ut fit, perpetratæ, expugnationes quoque urbium factæ ſunt. Magiſter Prutenicus, cum ſe viribus inferiorem ſciret, belli inducias aliquot hebdomadarum petebat, atque Regem, qui tum Thorunii erat, pacis cauſa adibat. Sed quam non ex animo id ageret, res tandem ipſa declaravit. Nam cognito adventu exercituum, qui illi ex Germania mittebantur, rebus infectis Thorunio diſceſſit, ac bellum cœptum proſequi contendit. Sed noxam Magiſtri pœna brevi ſubſecuta eſt. Etenim in ipſo belli fervore, in quibus ſpem ſummam Magiſter collocabat, ab iis deſertus eſt. Venerant illi ſuppetias, ut dixi, exercitus numeroſi, & omni bellico apparatu inſtructi ex Germania, quibus Deus, fidei violatæ, & pactorum non ſervatorum Vindex hanc mentem injecit, ut nullo cum noſtris prælio commiſſo (tantum pagis nonnullis exuſtis, & prædis abactis) ad ſua reverterentur. Hoc ubi factum eſt, Magiſter, quam prius ſimulate a Rege pacem petebat, eandem coactus eſt tandem vere petere, multa utrinque agebantur, varii hinc inde ſermones, ut pax perpetua conſtitui poſſet, miſcebantur. Poſt multas tandem, & varias conſultationes fœdus (eorum poſtulatione, qui pacem hanc a principio conſtituere curabant) ictum eſt, atque in verba Regis a Duce ALBERTO juratum, eaque omnia, quæ ad bonum, & frugi Clientem, & Beneficiarium, ſeu quis dicere malit, Vaſallum, pertinerent, ſancte promiſſa.

ANNO 1548.

Anno 1548. Hæc ita narravi, ut geſta ſunt; hoc igitur in hac cauſa in primis poſitum ſit: Pruſſiam poſt hominum memoriam, & poſt Chriſti Religionem illic inplantatam & jure belli & pactionibus multis ad Regnum Poloniæ ſemper pertinuiſſe. Si quiſpiam alius ſe in illa aliquid habere exiſtimat, id omne Magiſtrorum inſolentia, & (gravius enim loqui non libet) injuria factum eſt, qui cum eſſent cum ſuis populis, Regum quidem noſtrorum ſumma voluntate, nominis Germanici, conabantur perſæpe Pruſſiam ad alienos transferre, ſed certe inique, & præter honeſti rationes. Quid enim attinebat, ut Magiſtri a non ſuis Dominis peterent umbras rerum, cum a ſuis & legitimis res ipſas accepiſſent? Atque illæ ipſæ umbræ cum plerasque inimicitias inter Polonos & Germanos pepererunt, tum poſtremo hoc Decretum, quo Albertus Dux Pruſſiæ Illuſtris proſcriptus eſt. Quo enim jure uſi ſunt illi, qui alienum Vaſallum in jus ſuum vocarunt, & proſcripſerunt, nam, quod ſe ille non ſtetit ad diem, non a ſuis judicibus ſibi dictum, a Rege Poloniae Sereniſſimo prohibitus fecit, Regia ut iam, ſi qua eſt, non illius, hæc eſſe culpa videatur, ſin autem propterea proſcriptus eſt, quod ad fidem & autoritatem Regis ſui ſe contulit, quæ eſt, ſi non hæc eſt ſumma iniquitas, quod aliquis ad officium rediit, unde diſceſſerat, ideo de illo pœnas perſequi velle? Hoc igitur proſcriptionis Decretum injuſtum, et non a ſuis judicibus latum, petit Rex Poloniæ Sereniſſimus tolli et abrogari.

Ad quam rem multa Majeſtates Veſtras, Cæſar Invictiſſime, et Rex Potentiſſime, hortari poſſunt, atque inprimis æquitas cauſæ, quæ a me declarata eſt. Non debent Majeſtates Veſtræ exiſtimare, Regem meum Sereniſſimum libidine augendi Imperii ſui Pruſſiam ſibi propriam facere velle. Neglexit ille ampliſſima Regna, quæ ultro ad eum a populis illorum deferebantur. Quomodo igitur, qui rejecit Regna ſibi oblata in ullam ſuſpicionem Pruſſiæ appetendae venire poſſet, quam certe, ſi honeſte poſſet, nunc quoque negligeret. Verum ita res habet: Pruſſiam virtute Sarmaticorum Principum in jus et poteſtatem noſtram veniſſe, id adeo notum eſt, ut nec annalium nec hominum teſtimonium deſideret, id per manus a Majoribus traditum ad Nos pervenit, ſemper Magiſtri, qui quidem Germanici nominis, ut prius dixi, erant, jusjurandum ſubiectionis debebant Principibus ac Regibus Poloniæ; ſi qui detrectabant, contra fidem a Majoribus ſuis datam faciebant. Itaque ad officium armis Polonorum redire cogebantur, nec unquam, niſi temeritate, inſolentia, ſuperbia, Magiſtrorum fiebat, quoties a fide et ſubjectione Regibus Poloniæ debita diſcedebant, cujus temeritatis, audaciæ et injuſtitiæ ſuae, Deo ulciſcente, graves et juſtas pœnas ſemper perſolverunt. Anno 1548.

Non ignorabat hæc Avus Majeſtatum Veſtrarum Divus Maximilianus, itaque et rei æquitate permotus, et quod hunc Ordinem de ſe, deque Divo Parente ſuo male meritum eſſe meminiſſet, quo tempore cum Sereniſſimo Rege meo Viennæ congreſſus erat, et verbis et literis, quæ ejus rei ſunt teſtes, fidem ſuam ſuae Majeſtati obſtrinxit, non ſuo tantum, ſed et Majeſtatum Veſtrarum Sereniſſimorum Nepotum ſuorum nomine, quod Ordinem hunc nunquam neque conſilio, neque re, contra ejus Majeſtatem adjuturus eſſet. Itaque ſi maxime vellent Sacrae Majeſtates Veſtrae aliquid iis conſilii, opisque ferre, qui Terras Pruſſiae invadere vellent (quod tamen eas velle, ut credat, Sereniſſimus Poloniae Rex in animum inducere non poteſt) minus certe liberas iam habent ejus rei facultates. Poſteaquam Divus Maximilianus etiam de Veſtris Majeſtatibus fidem Regi meo Sereniſſimo dedit, quod Ordini contra ejus Majeſtatem nunquam eſſent ſuppetiarum aliquid laturae. Cujus graviſſimi, prudentiſſimique Imperatoris apud Majeſtates Veſtras inſignes pietate Nepotes plus, procul dubio, valebit autoritas, quam neſcimus quorum conſilia, qui publicam quietem cupiunt perturbatam; bona ſpes tenet animum Sereniſſimi Regis mei, Majeſtates Veſtras promiſſi, ac fidei per Avum pro eis datae memores fore.

Neque vero novum erat, quod Divus Maximilianus fecit, imo ipſe Majorum ſuorum veſtigia ſecutus eſt, qui & ipſi cum Regibus Poloniæ fœdera inibant contra hunc Ordinem. Nam ut nihil dicam de Sigismundo Imperatore (qui ante annos plus minus, centum viginti octo cum Avo Sereniſſimi Regis mei Divo Vladislao Rege Caſſaviæ congreſſus auxilio ſe illi futurnm contra Ordinem, atque eum bello perſecuturum, promiſit) Proavus Majeſtatum Veſtrarum Divus Fridericus cum Parente Sereniſſimi Regis mei ſocia arma contra Mathiam Regem junxerat, qui viciſſim cum Ordine iſto, qui tunc erat in Terris Regiis Pruſſiæ contra Divum Fridericum Imperatorem, & Cazimirum Parentem Regis mei Sereniſſimi, fœdus & ſocietatem inierat, atque ita Proavo Majeſtatum Veſtrarum cum Parente Regis mei, Ordini vero

Anno 1548. ro cum hoſtibus Divi Friderici fuit amicitia contracta, per quem Ordinem impediebatur Divus Parens Sereniſſimi Regis mei, quo minus Divo Friderico Imperatori juſtas aliquas auxiliares copias mittere poſſet, cui nihilominus nervum belli pecuniam, quantam debebat, ſuppeditavit, adeo hic Ordo nunquam non hoſtili fuit animo erga Inclytam Auſtriæ Domum, cum qua ſumma ſemper Regibus noſtris fuit conjunctio, qui non cum alia Domo libentius, quam cum hac affinitates contrahebant, ex qua etiam Mater erat Sereniſſimi Regis mei.

Quamobrem Majeſtates Veſtras Rex meus orat, ut Majorum ſuorum, totque neceſſitudinum memores ſui potius, quam cujusvis alterius rationem habere dignentur. Quod ſi quis ejus Ordinis, ut ſe obſtrictum putet ad propugnandam fidem Catholicam, is in Pruſſia, quod agat, non habet, quæ cum ex omni parte Chriſtianis cincta ſit, non erit, contra quos, quod ſe profiteri dicit, exerceat. Ecce poſſidetur a Crucis hoſtibus magno cum dolore Regum, Principum & Populorum Chriſtiani nominis ſacer Hieroſolymorum locus, ad quem locum contra barbaros hoſtes tuendum primum Ordo hic inſtitutus eſſe dicitur. Tenetur Conſtantinopolis; quod ſi in horum poſſeſſione præſcriptum jam ab hoſtibus eſſe putatur, capta ſunt & expugnata non ita pridem Orbis Chriſtiani fortiſſima propugnacula. De Hungaria taceo, res enim notiſſima eſt omnibus Quin illo potius hic Ordo proficiſcitur, ereptas Civitates, Arces, Provincias, Regna, Imperia recuperat? Aut ſi vires illi ad hæc tanta præſtanda non ſuppetant, quin arcet ſaltem hoſtem a reliquiis? Nam ſi contra Chriſtianos arma ſumpſerit, ſi Chriſtianum ſanguinem profundere, ſi civile bellum gerere maluerit, alio quovis nomine potius, quam Ordinis, vocari merebitur, niſi forte, quia Rex meus Sereniſſimus jus ſuum in Terris Pruſſiæ recuperavit, ferendum eſſe non putat. Illud autem ei tolerabile videtur, quod, qui jus in armis fert, barbarus hoſtis prope dimidiam Orbis Chriſtani partem ſub imperium poteſtatemque ſuam ſubjunxit. Sed ſemper in hoc Ordine ordo deſideratus, itaque non modo ex Terris Pruſſiæ, verum etiam ex Bohemiæ Regno ante annos centum quinquaginta ejectus eſt & exterminatus. Neque tamen quiſquam nunc eſt, qui Terras, ex quibus in Bohemia pulſi ſunt, in feudum ſibi dari poſtulet, ſola Majeſtas Regia Poloniæ idonea viſa eſt, quæ hac tam inſigni injuria afficiatur, cum Regnum Poloniæ multo graviora ab hoc Ordine, quam quiſquam alius, paſſum ſit, cujus Magiſtri, qui erant in Terris Pruſſiæ, præter primos illos, perpauci officio ſuo functi ſunt. Quin ita ſe geſſerunt potius plerique, ut vix quiſquam contra barbaros & infideles gladium ſtringere viſus ſit, ſed contra Dominos ſuos, quorum beneficio Terras Pruſſiæ poſſidebant, arma ſua vertere maluerint, & plurimus eorum opera ſanguis Chriſtianus ſæpe ſit profuſus. Quos enim alios bello laceſſebat? quorum ſanguinem libentius hauriebat? quibus cum crebriora & atrociora prælia committebat? quam cum Chriſtianis nobiſcum, & cum Majoribus noſtris, contra quos crudeliſſimos etiam Chriſtiani nominis hoſtes Tartaros ſollicitare, fœdus cum eis & ſocietatem inire, & eorum opera in effundendo ſanguine Chriſtiano uti non dubitarunt, quod a Michaële Kochmeiſter Ordinis Magiſtro factum Annales loquuntur. Itaque tanti non ſunt Terræ iſtæ omnes Pruſſiæ, quanti earum cauſa labores ſuſcepti, quanti ſumptus impenſi, quantæ Chriſtianorum cædes factæ ſunt. Anno 1548.

Rogat ergo Majeſtates Veſtras Sereniſſimus Rex meus, ut finem jam tandem cædium iſtarum eſſe jubeant Chriſtiani ſanguinis profundendi. Nam ſi quis eſſet, qui Illuſtrem Dominum Albertum Pruſſiæ Ducem bello perſequi vellet, facile perſpiciunt Majeſtates Veſtræ, facere Sereniſſimum Regem Poloniæ non poſſe, quin, cui duplici nomine eſt obſtrictus, eum pro virili ſua tueatur. Quandoquidem & Sororis Sereniſſimi Regis eſt Filius, qua ratione etiam Majeſtates Veſtras neceſſitudine attingit, & Princeps beneficiarius ſeu Vaſallus Regni eſt. Quod ſi vero omnino deliberatum eſt huic Ordini, cujus etiam quædam ad Sereniſſimum Regem meum minæ perferuntur, armis Nobiſcum experiri, teſtatur Rex Imperatoriam & Regiam Majeſtates Veſtras, atque omnes Sacri Imperii Electores, Principes & Ordines, quod huc invitus, & non niſi provocatus, pertrahetur. Qui, quantum in ſe eſt, pacem, concordiam, amicitiam cum omnibus conſervatam cupiat, omnesque curas & cogitationes ſuas in eo ſemper conſumpſerit, ut quibuſcunque poſſet officiis ſuis cunctorum Regum & Principum Chriſtianorum præſertim ſtudia ſibi adjungeret, amicitias firmaret, veteres conjunctiones & neceſſitudines, non modo retineret, verum etiam augeret & amplificaret, neque majore ſtudio quicquam cavit, quam ne quid aliquando ſua culpa eveniret ejusmodi, quamobrem eum re-

Anno 1548. reſcindere conſtitutam cum aliquo amicitiam oporteret, a nulla vero re æque animus ejus omni vitæ tempore abhorruit, atque a Chriſtiano ſanguine profundendo, cuius conſilii nunquam Sereniſſimum Dominum meum pœnituit. Longo enim uſu, quem ætas ejus provectior attulit, didicit, nullam eſſe tam lætam victoriam, cui pax honeſta anteponenda non ſit. Itaque Dei immenſa miſericordia factum eſt, ut quanto fuerit Rex meus pacis & quietis amantior, tanto magis ex animi ſententia ceſſerint illi omnia contra eos, a quibus bello quandoque laceſſitus eſt. Dei miſericordia factum eſt, ut parva ſæpe manu (quod vix dictu ſit credibile) ingentes copias, ac validos hoſtium exercitus vicerit & fuderit; adeo non obſcuris argumentis declaravit Deus quieta conſilia Regis mei ſibi probari. Quæ ſi quis turbare eſſet conatus, de eo Deus juſtus & miſericors, cujus hac in re clementiam libenter agnoſcit, pœnas ſemper graviſſimas expetivit. Quamobrem in veteri ſuo inſtituto libenter etiam nunc Rex perſeveraret, nequa aliud ſibi cum Principibus Chriſtianis, quam amoris & benevolentiæ certamen ſuſcipiendum eſſe putat. Cæterum non eſt alius quiſquam, qui cum in hujusmodi certamen deſcendendi plures, & juſtiores cauſas habeat Sereniſſimus Rex, quam cum Imperatoria & Regia Majeſtatibus Veſtris, cum quibus arctiſſimis neceſſitudinibus ſanguinis ſit colligatus. Veſtrarum ergo Majeſtatum amicitia nihil unquam Regi Sereniſſimo prius fuit & antiquius. Eam amicitiam ad Sereniſſimum Dominum Sigismundum Augustum Poloniæ Regem &c. unicum uniceque ſibi dilectum Filium transmittere, & ei viciſſim quaſi per manus tradere vehementer optat, atque ea omnia amoliri, quæ impedimenti aliquid ad eam amicitiam alendam & amplificandam adferre poſſit. Petit igitur Sereniſſimus Rex meus, odioſam illam & iniquam proſcriptionem per eos, qui de Illuſtri Pruſſiæ Duce nullam ſtatuendi poteſtatem habent, latam, tanquam eam, in qua futuri mali ſemen quoddam latitet, tolli, per Majeſtates Veſtras abrogari, evelli & eradicari. Crebris ea de re cum Majeſtatibus Veſtris egit Rex meus & literis & Internuntiis; quod vero uſque in hunc diem nihil profecit, id iniquitate magis temporum ita accidiſſe exiſtimat, quam quod voluiſſe credat Majeſtates Veſtras. Nunc vero, cum ad officium ſuum auctoritatemque Majeſtatum Veſtrarum cuncti redierunt, videt Rex meus Sereniſſimus ſummam Majeſtates Veſtras id faciendi jam habere poteſtatem, quod ſe facturas in gratiam Regis mei, non unis literis perhumaniter & perbenigne Sacræ Majeſtates Veſtræ pollicitæ ſunt, cum ſe ad id gratificandum Regi meo voluntate magis promptas, quam facultate paratas eſſe dicerent. Quamobrem tot opportunitatibus ſe offerentibus, in magnam ſpem venit Rex meus impetrari poſſe, ut hæc proſcriptio tollatur, ne illius obtentu Terris Pruſsiæ quisquam negotium exhibeat. Si vero quieſcere nolet Ordo, ſaltem fidei per Divum Maximilianum datæ Majeſtates Veſtræ meminerint, Divorumque Sigismundi & Friderici Imperatorum veſtigia ſecutæ, Regi potius, quam Ordini faveant. Anno 1548.

Sed de his ſatis. Illud quoque prætereundum non eſt, quod interdum ſcribantur ad Regias Pruſsiæ Urbes Gedanum & Elbingam Mandata, quibus ad Imperii Comitia, ut aliæ Imperii Civitates, vocantur, cum tamen in eas nemo quisquam juris, præter Regem, habeat, quemadmodum hoc literis Divorum Imperatorum expreſſe cautum & determinatum eſt. Quare Rex Sereniſsimus poſtulat, ne talia Mandata ad alienos ſubditos, pro fide ſemel data, deinceps ſcribantur. Ipſe vero Rex Sereniſsimus, una cum Rege Sereniſsimo Filio ſuo, atq; cum ſuis omnibus ad Veſtras Majeſtates, omnesque Sacri Imperii Ordines, ſtudia ſua omnia & officia amice & libentiſsime defert, & quæ antea, pro multis neceſſitudinum cauſis, Veſtris Majeſtatibus, & Sacri Imperii Ordinibus debebat, ea deinceps, ſi locum (id quod ſperat & optat) precibus ejus dederitis, magis ac magis ſe debere profitebitur.

Veſtrarum Majeſtatum

Humilis
Stanislaus *in* Lasco
Palatinus Siradienſis,
Sereniſſ. Poloniæ Regis Legatus.

CCXXII.

Reſponſum Adminiſtratoris Magiſtratus Theutonicorum ad præcedentem Poloni Legati Orationem. Anno 1548. *Indidem.*

Sereniſſime Imperator, Invictiſſime Cæſar, Rex Roman. Potentiſſime, Clementiſſimi Domini, & Vos Electores Principes, & Ordines Imperii, Domini & Amici Cariſſimi.

Inter innumeras virtutes, quibus Majeſtates Veſtræ divinitus ſunt exornatæ, hæc

Anno 1548. hæc vel præcipuam meretur laudem, qua eædem Majeſtates Veſtræ jus ſuum cuique pure, ſancte & ſincere tribuunt, non attentis quibusdam verborum tum fucis, tum perſuaſionibus. Hujus laudatiſsimi propoſiti evidens ex eo argumentum eſt, quod Majeſtates Veſtræ libellum ab Oratore Regis Poloniæ, in cauſa Prutenica, contra me, meumque Ordinem exhibitum, pro iſtius cauſæ radicitus eruenda veritate, mihi quam gratioſiſsime communicare non ſunt dedignatæ. Cujus ego quidem beneficii nunquam immemor ero, ſed pro mea virili, humillimis meis obſequiis, perpetuiſque ſervitiis promereri conabor. Quod autem ad dictum libellum attinet, illum ego cum ſumma cura & diligentia ſatis attente perlegi, & quid Regius Orator petat, & ex quibus cauſis petat, diligentiſsime perpendi.

Primum aſſerit Regius Orator, Prusſiam Teutonico Ordini a Principibus Sarmaticis eſſe conceſſam, Magiſtroſq; Prusſiæ ſubjectionis jusjurandum Principibus ac Regibus Poloniæ ſemper debuiſſe. Hoc fundamento præcipue nititur, quo labefactato, quia univerſum ædificium ſuum mox ruiturum videt, idem diligenter probare conatur, & longam propterea orditur narrationem, non a prima, ut oportuit, origine, ſed unde illi commodum viſum eſt. Nempe ab injuſta quadam vi & metu, qui in conſtantisſimum virum cadere poteſt, extorta transactione, priora omnia, & alia multa callide tranſiliens, quæ ſine pernicie, & certa jactura cauſæ ſuæ, in lucem ſimul non poſſe proferri vidit. Quam quidem narrationem ita demum concludit; Prusſiam ad Regnum Poloniæ ſemper pertinuiſſe, & nullo jure illos uſos eſſe, qui Marchionem ALBERTUM Magnum quondam Magiſtrum Pruſſiæ Theutonici Ordinis, Regis Poloniæ Vaſallum in jus vocarunt & proſcripſerunt. Quare deniq; petit, illud proſcriptionis Decretum, a non ſuis judicibus latum, tolli & abrogari. Hæc fere univerſa ſumma totius verboſiſſimi libelli eſt, quam ideo in compendium redegi, ut hujus cauſæ ſtatus, & totius controverſiæ cardo facilius cognoſci ab omnibus poſſit. Nam, quæ ſequuntur, ad ipſam cauſam proprie, non pertinent, jactat quippe Orator Regius victorias, triumphos, & continentiam Regis ſui, qui ampliſſima Regna ultro etiam oblata, aliquando contempſerit. Commemorat præterea affinitates, & arctiſſima Regibus Poloniæ cum Illuſtrisſima Domo Auſtriaca inita fœdera. Nec ceſſat interim Ordinem meum fictis criminibus, quaſi venenatis telis impetere, hoc nimirum conſilio, ut invidioſa oratione (quando in ipſa cauſa parum præſidii eſſe videt) animos Majeſtatum Veſtrarum, tum etiam Electorum, Principum & Statuum Imperii adverſus me, Ordinemque meum accendat. Quaſi vero Ordo meus hactenus malorum ſatis perpeſſus non ſit, qui tam ampla & opulenta Prutenica ditione præter jus & fas ſpoliatus eſt, niſi ad illius ruinas hoc quoque adderet acerbitatis. Et quaſi hic apud Majeſtates Veſtras, laudatiſſimos nimirum Principes, apud incorruptiſſimos Electores, Principes & Status Imperii, lites & cauſæ, ex victoriis, triumphis fœderibus, affinitatibus, & id genus reliquis, & non potius ex vero pendi, & judicari vel ſoleant, vel debeant. Cogor itaque reſpondere, ne tacendo periclitetur veritas, ſed hoc verbis faciam, quam fieri poteſt, pauciſſimis. Partim quia mihi ad hoc, pro magnitudine iſtius negotii, quod non me ſolum, ſed totum Romanum Imperium, cujus præcipue intereſt, & totius Germaniæ Nobilitatem in primis tangit, breve admodum tempus conceſſum eſt. Partim, quia omnem fiduciam meam non in fucata oratione, ſed ſecundum Deum & Majeſtates Veſtras, ſummos in hoc mundo juſtitiæ Propugnatores, in nuda, ſimplicique veritate collocavi, quæ heroicis ingeniis ſemper gratiſſima fuit, & ipſa ſe per ſeipſam contra calliditatem hominum & fictas omnium inſidias, facile tueri poteſt. Sed priusquam rem ipſam aggrediar, ſolenniter proteſtari libet, primum, me non velle ab illa anno milleſimo quingenteſimo, trigeſimo ſecundo, ſumma cum maturitate lata ſententia, qua aſſertus Dux Pruſſiæ una cum prætenſis ditionis ſuæ ſtatibus, & ſubditis, juſtiſſimis de cauſis banniti, & proſcripti ſunt, ullo modo recedere. Præterea mihi in animo non eſſe, ullum mortalem hac mea reſponſione velle injuriari, multo minus cum Regia Celſitudine maledictis reciprocisque criminationibus contendere, non quod mihi uberrima in promptu non ſit materia, ſed quia magis cordi eſt modeſtia, cujus laude hac in parte contentus ero. Poſtremo, quidquid hujus rei facio, ex officio me, & neceſſitate coactum facere, non in meum, Ordinisque mei ſolius commodum, ſed in communem omnium utilitatem, tam Sacri Romani Imperii, quam totius Germaniæ Nobilitatis, & in hunc denique finem, ut veritas a Regio Oratore partim præterita, partim ſuppreſſa, partim variis debilitata incommodis, in lucem producta Sacrarum Majeſtatum Anno 1548.

Anno 1548. Veſtrarum præſtantiſſimo incoruptiſſimoque judicio & æquitate recreetur. Et quia tota hæc (ut dixi) cauſa ex eo dependet, ad utrum ab initio Regnum Pruſſia pertinuerit, ad Sacrumne Romanum Imperium (ſub cujus finibus comprehenſa eſt) an vero (quod Orator Regius affirmat) ad Regnum Poloniæ. Hoc enim perveſtigato, aliorum facilis erit dijudicatio. Nam ſi ad Sacrum Romanorum Imperium Pruſſia ab initio pertinuit, & ab Imperatoribus Romanis Ordini meo non ſolum conceſſa, ſed eorum etiam ope & auxilio primum ſubjugata eſt, quo ore Regius Orator porro dicere poterit, proſcriptionis Decretum eſſe injuſtum, a non ſuis judicibus latum, & propterea jure abrogandum? Ut ergo hujus quæſtionis, in qua tota controverſia vertitur, facilius indagari veritas queat, & ne mihi multa hic, quæ antea quoque dicta ſunt, repetere ſit neceſſe, primum omnium quam humilline rogo Majeſtates Veſtras, Electores, Principes, & Status Imperii, ut ea, quæ ab Anteceſſore meo, Valthero de Cronberg piae memoriæ, Ratisbonae, anno milleſimo, quingenteſimo trigeſimo ſecundo in eadem hac cauſa, latine germaniceque Majeſtatibus Veſtris, Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii ſunt exhibita* & ego nunc rurſus cum A. & B. literis ſignata reverenter exhibeo, clementiſſime iterum audire dignemini. Invictiſſime Cæſar, & Rex Romanorum Potentiſſime, Electores Principes, ac Status Imperii, ex hac Prædeceſſoris mei ſimplici & vera rerum geſtarum narratione perſpicuum eſſe arbitror, Regem Poloniæ in Pruſſia, Terra Imperii & Ordinis mei, nullum unquam jus habuiſſe ante illam iniquam vi & metu extortam tranſactionem, anno videlicet milleſimo quadringenteſimo & ſexageſimo ſexto. Id quod dictæ perpetuæ pacis teſtimonio, ad quam ſimul hic exhibendam ſum paratus, ducentis & eo amplius ſigillis confirmatæ, & aliis antiquis quibusdam monumentis apertiſſime demonſtratur, in quibus ne titulo quidem Prutenico Rex Poloniæ utitur, tantum abeſt, ut aliquod jus in Pruſſia ſibi reſervarit, aut tum temporis competere exiſtimarit. Idem duorum Imperatorum (ut interim Romanos Pontifices prætercam) nempe FRIDERICI Secundi, HENRICI Septimi, LUDOVICI Quarti CAROLI Quarti, SIGISMUNDI, FRIDERICI Tertii, MAXIMILIANI laudatiſſimorum Principum confirmationibus, donationibus, laudis, ſententiis, proſcriptionibus, literis, decretis (quorum aliquot pro meliori hujus cauſæ informatione, exemplaria literis C. D. E. & F. ſignata, hic ſimul exhibeo) aliiſq; argumentis quam plurimis clariſſime comprobatur. Quibus ipſius inſuper dicti Marchionis contra ſeipſum in primis valiturum accedit teſtimonium, qui & verbis, & factis teſtatus eſt, Terram Pruſſiæ ad Sacrum Romanum pertinere Imperium, cum Norinbergæ anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto, in Imperialibus conſultationibus ſeſſione Magno Pruſſiæ Magiſtro debita, frequenter uſus ſit, & quæ illic concluſa ſunt, ſigillo ſuo, cum aliis Imperii Principibus, confirmarit. Quare ego quidem mirari ſatis non poſſum, quod Regius Orator coram Majeſtatibus Veſtris, coram Electoribus, Principibus & Statibus Imperii, conſtanter affirmare audeat, Pruſſiam ab initio ad Regem Regnumque Poloniæ ſemper pertinuiſſe. Cujus contrarium, quia indubitatis argumentis, & ipſius denique rei teſtimonio jam eſt evictum, non eſt, quod Majeſtatum Veſtrarum aures, mitiſſimas quidem illas, occupatiſſimas tamen in re manifeſta pluribus onerem. Notiſſimi quippe juris eſt, Regiam Celſitudinem, quæ ab initio, nullum jus in Pruſſia habuit, per dictam injuſtam illam vi & metu contra priora ſanctiſſima perpetuæ pacis fœdera extortam tranſactionem, nullum jus etiam potuiſſe acquirere, quod nihil tam juri, conſenſuique contrarium ſit, quam vis & metus eſt, atque hoc in primis, quantum ad Sacrum Romanum attinet Imperium. Cujus jus, etiamſi nulla vis, & nullus metus omnino intervenïſſet, Magnus quondam Magiſter Pruſſiæ in Regem, Regnumque Poloniæ, ſine expreſſo conſenſu Summorum Pontificum, & Sacrorum Imperatorum, Electorum, Principum, & Statuum Imperii, tum etiam Magiſtrorum Alemaniae, & Livoniæ, eorundemque Præceptorum, transferre non potuit, quod tam manifeſtum eſt, ut nulla prorſus confirmatione indigeat. Iam multo minus etiam juris per praetenſam illam potuit nanciſci pactionem, quam dictus Marchio quinto demum anno, vel circiter, a finito noviſſimo bello, cum Rege Poloniæ pro recuperanda Pruſſia ſine ullo conſenſu Magiſtrorum Alemaniæ, Livoniæque, & eorum Præceptorum ſuſcepto, non expectata eorum ſententia, in quos compromiſſum erat, datæ fidei, votorum & profeſſionis ſuæ oblitus, cum eadem Regia Celſitudine inivit. Quam ipſa Majeſtas Veſtra anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo, juſtiſſimis de cauſis, ex certa ſcientia, motuq; proprio, ac plenitu-

* Vid. ſupra pag. 284. ſqq.

Anno 1548. nitudine poteſtatis caſſavit, prorſusque ſuſtulit. Quemadmodum ex ejusdem caſſationis copia, quam hic ſimul cum G. litera ſignatam exhibeo, porro videre licet, ut hic prorſus nulla ampliore diſputatione ſit opus, ſed fatendum omnibus, dictum Marchionem a ſuis judicibus, & ſufficientibus de cauſis juſtiſſimo Decreto eſſe proſcriptum. Quo minus hic Regiis annuendum eſt precibus, non minus exiſtimationi Cæſareæ Veſtræ poteſtatis ampliſſimæ, Romanoque Imperio, & totius denique Germaniæ Nobilitati, quam mihi Ordinique meo nocituris. Quæ omnia cum Adverſarius ſuæ ipſius conſcientiæ teſtimonio haud dubie ſciat eſſe veriſſima, dimiſſo rerum ſcopo quærit diverticula, variisque verborum fumis cognitæ veritatis lucem nititur obſcurare, & quando in ipſa cauſa nihil videt eſſe præſidii, incipit meum Ordinem immeritis onerare calumniis, quibus paucis reſpondebo. Et primum Ordinem meum ingratitudinis, perfidiæque inſimulare aggreditur, quaſi beneficiorum, pactæque fidei ſemper immemor fuerit. Cum & Deo & hominibus notum ſit, tum annalium, literarumque teſtimoniis facile probari queat, partem adverſam raro Ordini meo ſervaſſe fidem, ſed paſſim fœdera, quamvis ſancte inita, quamvis jurata, violaſſe. Invitus hæc dico, & tantum ad tuendam Ordinis mei innocentiam dico, nequaquam dicturus, ſi Orator Regius iniquiſſimis ſuis criminationibus me non provocaſſet. Quis unquam vidit literas pluribus ſigillis ex una duntaxat, videlicet Regis Poloniæ, parte obſignatas, & in quibus ambæ partes arctioribus ſeſe jurisjurandi vinculis mutuo obſtrinxerunt? quam ſunt literæ pacis perpetuæ Anno milleſimo quadringenteſimo & trigeſimo ſexto, inter Regem Regnumque Poloniæ, ejusdemque Status, & Ordinem meum erectæ. Et tamen ne earum quidem fides diu ab iſtis inviolata permanſit, tantum abeſt, ut priora ſervarint. Qualis inſuper gratia Ordini meo pro gratis reſtituta Samogitia, & Litvaniæ bona parte relata ſit, quas Terras Ordo meus, Regi Poloniæ ſuppetias ferens, piis armis ab infidelium manibus, non ſine ſuorum cæde & ſanguine fortiſſime pugnans, eripuerat, ex Anteceſſoris mei narratione ſatis cognitum eſt. Et poſſem ego quidem multa ſimilia hujus generis adducere exempla, ſi criminationibus hujusmodi certare liberet, aut Majeſtatibus Veſtris, Electoribus, Principibus & Statibus Imperii, talibus odioſis contentionibus intendere vacaret. Quare ad illa pergam, quæ de Divo Ma-

ximiliano, Friderico & Sigismundo, laudatiſſimæ quondam memoriæ Imperatoribus, objicit, quæ tam vana & frivola ſunt, ut nulla vere reſponſione digna putem. Quandoquidem ſatis conſtat, Cæſarem Sigismundum (ut de eo primum incipiam) multis modis Ordinem meum adverſus hoſtes ſuos clementiſſime juviſſe. Anno etiam a nato Chriſto milleſimo quadringenteſimo duodecimo honorificam ſententiam pro Ordine meo contra Regem Poloniæ tuliſſe. Et Fridericus Imperator Ordini meo adverſus rebelles & inobedientes ſubditos ſuppetias ferre ſedulo conatus eſt, quos primum omnium rebellionis convictos proſcripſit, deinde Conventum omnium Procerum, Statuumque Imperii Norimbergam in favorem Ordinis mei edixit, ubi de auxilio Ordini contra dictos rebelles ferendo conſultatum, atque etiam concluſum eſt, prout ex Anteceſſoris mei ulteriori narratione latius videre licet. Divus Maximilianus vero multum ſemper clementiſſime diligentias adhibuit, quo res Ordinis mei in meliorem ſtatum reduci poſſent. Item in Comitiis Auguſtæ Anno milleſimo quingenteſimo celebratis, Friderico Duci Saxoniæ, tunc temporis Magno Magiſtro Pruſſiæ, autor fuit, quia Ordo Germanicae Nationis tantum a prima fundationis ſuae origine ſemper fuiſſet nulli, praeterquam Sacro Romano Imperio ſubditus, ne deinceps in verba Poloniae Regis, in derogationem Romani Imperii juraret, qua de re etiam ad Regem Poloniae, tum ſuo, tum communi totius Imperii nomine, literas dare dignatus eſt. Ad haec idem Divus Maximilianus in iisdem Comitiis unanimi conſenſu omnium Procerum & Statuum Imperii, honorifico Decreto Ordinem meum contra Polonos defendendum & manutenendum cenſuit. Nec non Commiſſarios ſuos ad componendam hanc, ſi aequis forte conditionibns fieri potuiſſet, inter Regem & Ordinem controverſiam, Poſnaniam in favorem Ordinis mei mittere clementiſsime dignatus eſt, Anno milleſimo quingenteſimo decimo. Tot nimirum argumentis ſummi illi Orbis Terrarum Principes (ad quos Ordo meus rebus in adverſis, tanquam ad veros & legitimos Dominos ſuos, ſemper confugit, quos etiam viciſsim, ut par eſt, ſumma reverentia coluit, amavit, honoravit, veneratus eſt) ſuam benevolam erga Ordinem meum voluntatem clementiſsime declaraverunt, ut nulli mortalium veriſimile fieri poſsit, ſimultatem aliquam interceſsiſſe. Allegat praeterea Ordinem meum ad recuperandum ſacrum Hieroſolymo- 1548. Anno

Anno 1548. ſolymorum locum, multis praeterea mi-cteriſmis & ſcommatibus Ordini meo inſultans. Quae quamvis facile retaliari poſsint, mei tamen officii eſſe putavi, Regiae Celſitudini ubique, quantum ejus quidem fieri poteſt, parcere, hoc unum duntaxat mihi dicat velim. Cur Rex ſuus, qui & fortuna major, & omnibus potentior eſt, illa non recuperat, quae Magnus ille Moſcovitarum Dux, non ita multos ante annos, hoſtili manu ademit? Non multo minora, quam tota fere Pruſsia eſt, aut ſi tam propitia ubique habet Numina, cur fines Regni ſui adverſus creberrimas Tartarorum incurſiones, longe lateque devaſtantium omnia, tutatus non eſt? Quos ambos tamen, ſi cum Ordine in perpetuae illius pacis, ducentis & ſex ſigillis confirmatae, manſiſſet concordia, junctis viribus a ſuis, juvante Deo, finibus facile potuiſſet arcere. Neque tamen haec ideo dico, quod ullum ex illato Regiae Celſitudini damno gaudium capiam, quod ego quidem admodum inhumanum eſſe puto, ſed ut Orator iſte Regius mihi Ordinique meo, ultra acceptum damnum, tam amarulentis inſuper invitiis tandem inſultare deſinat, ſimulque diſcat, Deum juſtum eſſe, violatae fidei, omnisque injuſtitiae certum perpetuumque Ultorem. Quod porro de Bohemis ſequitur, non video, quid cauſae ſuae opitulari queat, quaſi ideo ſpoliare tuto liceat, quod hujus improbi facinoris alicubi reperiatur exemplum, aut quaſi illa Bohemica calamitas ex Joannis Hus damnata haereſi primum orta, mei ſolius Ordinis, non communis omnium veterum Orthodoxae Fidei cultorum, ibidem tum temporis degentium, fuerit. Illud autem ego nequaquam infitior, varia fortuna cum Polonis, & ſaepe, & diu pugnatum, multumque humani ſanguinis eſſe effuſum, idem tamen Ordinis mei culpa accidiſſe, hoc vero pernego, qui pacis ſervandae ſemper cupidiſsimus fuit, & nunquam, niſi injuria laceſsitus, neceſsitateque coactus, ita, ut aut injuſta pœna illi luenda, aut juſta repetenda, arma ſumpſit. De Tartarorum quod deinde ſocietate objicit, more eorum facit, qui, quod ipſi deliquerunt, aliis imputare ſolent, alioqui ſatis notum eſt, utra Pars Tartarorum opera in fundendo Chriſtiano ſanguine uſa ſit, quod et locorum ſitus, et alia multa ſatis arguunt. Amorem porro pacis, quem Regius Orator multis merito laudibus effert, adeo ego Regiae Celſitudini non invideo, ut illum laudabilem affectum juſtitiae, pietatisque laude conduplicatum, magisque exornatum eſſe cupiam. Ita futurum ſperans, Regiam illius Sublimitatem Pruſsiam, Deo dicatam Terram, quam Ordo meus ad veram Omnipotentis Dei gloriam, ſudore & multo ſanguine ab infidelium manibus extortam, partim etiam donationis, partim vero emptionis, & id genus aliis honeſtiſsimis titulis, cum approbationibus, ratificationibus & confirmationibus ſummorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Romanorum denique Imperatorum ac Regum acquiſitam, longo tempore quiete poſſedit, Ordini meo ſua ſponte reddituram. Hoc quippe modo faceret rem & Deo gratam, & animæ ſuæ ſalutarem, tum ſua iſta veneranda ſenectute & Regia ſublimitate dignam, præterea ad pacem tantopere adamatam, & communem Chriſtianorum concordiam conſervandam valde utilem, per me quoque, Ordinemque meum omni ſervitiorum genere perpetuis temporibus pro viribus compenſandam. Quod porro ad appendicem duarum Civitatum, Gedani videlicet & Elbingen attinet, verum eſt, illas Civitates Ordinis mei ab initio ſemper fuiſſe, & ſic Romanis quoque Imperatoribus, Sacroque Romano Imperio ſubjectas eſſe, quod tum literarum perpetuæ pacis teſtimonio, tum aliis quam pluribus fide dignis rerum geſtarum monumentis facile probari poteſt, et nihil unquam Rex Poloniae juris in illis habuit, niſi per damnatam et olim proſcriptam ſubditorum perfidiam, contra jurata perpetuae pacis fœdera quaeſitam. Sed jam ſatis multa de cauſa, extra cauſam etiam nimis fortaſſis multa. Quid reſtat? niſi quemadmodum antea ſaepe feci, Majeſtates Veſtras, tam Vos Electores, Principes, et omnes Imperii Status, ſupplex orem obteſterque, ut, non attentis frivolis iſtis objectionibus, oppreſsi atque ejecti Ordinis mei vel tandem miſerere velint. Juſtitiaeque ad executionem jam pridem anhelanti auxiliares Veſtras, omnium gentium victrices manus clementiſsime porrigere dignemini, quae loco pulſa ſuo, vi oppreſſa, genibus Veſtris advoluta, gemebunda jacet, opem Majeſtatum Veſtrarum, tum Electorum, Principum et Statuum totius Romani Imperii ſupplex implorat. Quam ne deſerant, quam plurima ſunt, quae Majeſtates Veſtras, tum Electores, Principes et Status Imperii exhortari debent. In primis aequitas cauſae, jam ſatis, ut opinor, declarata, tum publica utilitas, ne Sacrum Romanum Imperium tam inaeſtimabile, amiſſa Pruſsia, tam Anteceſſori meo quam mihi a Caeſarea Veſtra Majeſtate, ſolenni more, cum unanimi conſenſu omnium Electorum, Anno 1548.

Prin-

Anno 1548. Principum & Statuum Imperii feudali jure conceſſa, patiatur damnum. Poſtremo officii ratio, & gladius iſte, Majeſtatibus Veſtris a Deo traditus, ad religionem defendendam, injuſtam vim depellendam, ſuccurrendumq; oppresſis. Cujus praeclari facinoris tanta in omne aevum futura gloria eſt, ut determinari nullo unquam oblivionis tempore posſit. Ego autem cum univerſo Ordine meo ad omnia ſervitia, quae quidem mearum, Ordiniſque mei, virium erunt, perpetuis vicisſim temporibus ero paratisſimus.

Cæſareæ & Regiæ Majeſtatum Veſtrarum

Deditisſimus

Wolffgangus *Magiſtratus Generalis Militiæ Hieroſolimitanæ Ord. Beatæ* Mariæ *Theutonicorum Adminiſtrator, ac ejusdem per Germaniam, & Italiam, parteſq; tranſmarinas Magiſter.*

CCXXIII.

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Reſponſum Regis Poloniæ Oratori Domino de Laſco &c. in negotio Pruſſiæ Auguſtæ datum. Anno 1548.

Sacra Cæſarea Catholica Majeſtas &c. Dominus noſter Clementiſſimus, auditis, quæ Sereniſſimi Principis & Domini, Domini Sigismundi Regis Poloniæ &c. Orator, nomine & verbis ejusdem Regis ſui, tam in cauſa banni Imperialis contra Marchionem Albertum Seniorem Pruſſiæ poſſeſſorem, quam duarum Civitatum Gedani & Elbingæ longa & diſerta oratione propoſuit, ac re cum Electoribus, Principibus & Statibus Imperii in hiſce Comitiis Auguſtenſibus congregatis, & abſentium Mandatariis, & Deputatis (ut in tanta cauſa par eſt) communicata, eorumque conſilio & deliberatione præhabita, ac omnibus mature expenſis, cum animadverterit, quod bannum Imperiale decretum in ſupremo Tribunali Imperii, nempe Iudicio Cameræ, contra prædictum Marchionem Albertum, quum in eo præſumendum ſit legitime proceſſum eſſe, extra juris ordinem, & abſq; cauſæ cognitione, vel partium conſenſu, nequaquam debere, aut poſſe caſſari, aut ſuſpendi, quin potius conveniret, ut juſtitiæ relinquatur curſus ordinarius, juxta Conſtitutiones Imperii, ut Reverendiſſimus Dominus Adminiſtrator & Magiſter Ordinis Theutonici, una cum ipſo Ordine, in jure quaeſito manuteneatur, Sacrumque Imperium in jure ſuo conſervetur. Attamen ſi quis eo banni Decreto & declaratione ſeſe gravatum exiſtimet, ſive ille Magnus olim Magiſter Ordinis, ſive quicumque alii fuerint, prætacta Caeſarea Majeſtas liberum permittit, ut prætenſa ſua gravamina & nullitatis cauſas, ſi quas habuerint, proponere, & mediante juſtitia, prout convenit, ſive abſolutionem, ſive liberationem a banno petere poſſint. Quoniam autem Serenisſimus Poloniæ Rex jus quoque aliquod in hac cauſa prætendit, diligenterque pro eo per ſuum Oratorem inſtitit, Majeſtas Cæſarea, cum nihil magis in votis habeat, quam veterem amicitiam, quæ Majeſtati ſuæ cum ipſo Sereniſſimo Rege intercedit, firmam, ac perpetuam retinere, atq; inſuper memoria repetens, jam olim fuiſſe propoſitum & agitatum in aliquot præteritis Comitiis de amicabili tractatione, quæ tamen hactenus ad effectum deducta non fuit, Majeſtas ſua ex eorundem Ordinum Sacri Romani Imperii conſilio, eam viam denuo amplectendam, & Commiſſarios deputandos eſſe operæ pretium fore judicavit, qui cauſæ (abſque tamen præjudicio vel impedimento judiciarii proceſſus) componendæ ſtudium, & diligentiam omnem impendant. Proptereaque Sereniſſimum Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Regem &c. permovit, ut ipſius Majeſtas, tanquam Bohemiæ Rex, hujusmodi tractationem in ſe ſuſceperit, quem etiam Majeſtas ipſius Sereniſſimo Poloniæ Regi gratum, & neutri Partium ſuſpectum eſſe debere exiſtimat

Quod vero ad duas illas Civitates Gedanum, & Elbingam attinet, quas Orator Regius Polonici Juris eſſe, immeritoq; ad Imperii Comitia vocari contendit, Ordines autem Imperii, a Cæſarea Majeſtate hac de re conſulti, dictas Civitates non hodie primum, ſed jam olim ad Imperium pertinere, & in Albo Civitatum Imperialium notatas eſſe confirmant, adeo, ut ſine gravi injuria, & præjudicio Imperii illas divelli non poſſe exiſtiment, facile animadverterit Sereniſſimus Rex, Cæſaream Majeſtatem, tanquam Imperii Caput, reclamantibus Ordinibus, & jus Imperii conſervari petentibus, hac in re nihil poſſe innovare, ſed Imperio, & unicuique jus ſuum integrum relinquendum eſſe. Atque hae quidem ſunt, quae Majeſtas Caeſarea Oratori Regio paucis reſpondenda duxit ad Sereniſſimum Regem Poloniae Dominum ſuum referenda, cujus

ANNO 1548. cujus ſenili prudentiae Majeſtas Caeſarea plurimum & deferre, & ex jure veteris amicitiae gratum illi facere ſummopere cupit, & fauſta feliciaque omnia precatur.

Decretum per Cæſaream Majeſt. Die 10. menſis Martii 1548.

CCXXIV.

Literæ ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Poloniæ Regem, in quibus ei nuntiatur, quid cum Duce Pruſſiæ de juribus ejuſdem Ducatus actum ſit.* ANNO 1548. *Lib. Legat. ſub Lit. P. fol. 339.*

Cum veniſſet ad nos Illuſtris Dominus Dux (neque enim nos unquam venire ad ſe patiebatur) pauca ad Illuſtritatem ejus in hanc ſententiam verba feci. Non ignorare Illuſtritatem ejus, quae ſit cura, & ſollicitudo Sacrae Majeſtatis Veſtrae, quo poſſit Terrarum harum omnium tranquillitati proſpicere, non harum modo, quas ipſa Sacra Majeſtas Veſtra poſſidet, verum & illarum, quas jure feudi poſſidendas Illuſtritati ejus conceſſit. Itaque cum haec ratio potiſſima videretur ad quietem & tranquillitatem harum Terrarum tuendam, & conſervandam, ſi Sereniſſimus, & Excellentiſſimus Dominus Romanorum Rex Parens Majeſtatis Veſtræ chariſſimus, Arbiter eſſet a Majeſtate Veſtra electus, qui cauſam inter Sacram Majeſtatem Veſtram, Illuſtremque Dominum Ducem, & Magiſtrum Ordinis amice tranſigendam curaret, & ſi nihil adhuc habeat certi Majeſtas Veſtra, quem diem, quemve locum ei rei Regia Romanorum Majeſtas deſignatura ſit, velle tamen illam inſtructa & parata habere omnia, quae ad harum Terrarum jura defendenda pertinerent. Itaque miſiſſe nos, ut cum Illuſtritate illius conferremus, certioreſque ab illa fieri conaremur, ſi quid jurium, & privilegiorum haberet, quae quidem ad Majeſtatis Veſtrae cauſam pertinere viderentur.

Reſpondit Illuſtritas ejus ſe habere quidem jura, vel potius eorum exempla, quibus Ordinis Magiſter contra Majeſtatem Veſtram niteretur, quae vero pro illa facerent, ſe nulla prorſus habere. Dediſſe autem ſe Gdani cum eſſet, arculam quandam Divo Parenti Sacrae Majeſtatis Veſtrae, in qua fuerunt omnia jura, & privilegia Ordinis, eorumque Literae originales, cum multis ſigillis appenſis, quae in Caſtro Marieburgenſi aſſervari debebant, exiſtimare ſe, quod ibi adhuc aſſervarentur. Reſpondi ad haec, Illud quoque plurimum noſtra referre, ut ne ſimus neſcii, quo jure nitantur adverſarii, nam praeviſa jacula minus nocere. Caeterum quod de arcula illa diceret, ante triennium fuiſſe mihi datum negotium a Sacra Majeſtate Veſtra, ut Lubavia Marieburgum proficiſcerer, ac ſi quae ibi eſſent jura & privilegia, diligenter inveſtigarem, quod cum feciſſem, ne unam quidem literam me reperiſſe. Tum Illuſtris Dominus Dux: Nollem iniquit, arculam illam cum literis periiſſe, cum plurimum interſit Regiae Majeſtatis, & Regni, ne unquam iſta privilegia in manus Ordinis perveniant, quibus prorſus videtur omnibus eſſe deſtitutus. Quamobrem daremus operam, ut ea, ſi quae ſunt in abſtruſo loco recondita, reperiri poſſent, quod nos ita facturos eſſe recepimus, ac Sacram Majeſtatem Veſtram literis noſtris ea de re certiorem eſſe reddituros. Cupere autem nos, ſi quem haberet ſaltem indicem eorum jurium, conſcriptum nobis exhiberet, ut ſi quid novi eſſet, quod antea non vidiſſemus, id legi a nobis poſſet. Nam quae ipſi haberemus ea nunc a nobis legi nihil eſſe neceſſe. Tum Illuſtris Dominus Dux curaturum ſe dixit, ut, peracto prandio producerentur ea, quae apud ſe eſſent, omnia: atque ita tum diſceſſimus. Peracto prandio, venit iterum ad nos, recenſuitque nobis Cancellarius illius quaedam jura, ſive privilegia. Protulit poſtea, quae acta ſunt Poſnaniae ante annos 43. Germanice ſcripta, ſed ea omnia lecta pridem a nobis fuerant. Itaque cum nihil exhiberetur novi, dixi Illuſtriſsimo Domino Duci: facile nos perſpicere quod nihil haberet, quod quidem ad tuenda jura Regni in Terris iis pertineret. Caeterum nos, quod ad eam partem attinet quam posſidet Sacra Majeſtas Veſtra, ſecuros eſſe, juraque illius cognita habere & eſſe ea ejusmodi, ut refelli nulla ratione poſſe videantur, de hac tantum parte, quam ipſe posſidet Illuſtris Dominus Dux, cupere nos ab Illuſtritate ejus perdiſcere, quemadmodum eam jure defendi contra Magiſtrum & Ordinem ejus poſſe exiſtimaret. Tum ille Regia, inquit, Majeſtas, cujus ego me Principem eſſe Vaſallum profiteor, me tueri & defendere conetur, ejus eae partes ſunt. Tum ego, Fatemur, inquam, hoc, ſive ferro ſit ſive jure diſceptandum, vel, quod ſolum amplexa eſt Majeſtas Regia, per amicabilem compoſitionem, in qua tamen dici de juribus aliquid oportet, cauſa tranſigenda ſit. Majeſtatem illius Illuſtritatem Veſtram

contra

Anno 1548. contra omnes inimicos illius, qui negotium Terris iis exhibere vellent, defendere teneri, ſed cum ſit Illuſtritas Veſtra primarius Regni Conſiliarius, cumq; illius cauſa agatur, tenetur & ipſa conſilium Regiae Majeſtati impertiri, quibus rationibus defendi jus ſuum poſſe exiſtimet. Ac quo ſit aliquis tamen ad cauſam hanc ingreſſus, reperi, inquam, ante dies tres aut quatuor, in libro quodam ſitu obducto amicabilem quandam compoſitionem, quam Anno 1463. facere conabantur Epiſcopus Lubecenſis, & ejuſdem Civitatis Magiſtratus, inter Divum Regem Casimirum, & Ordinem. Coram illis cum Regio nomine propoſitio facta eſſet, petebatur ab Ordine univerſa Pruſsia, quod diceretur nihil in eam juris Ordini competere, cum antequam nomen etiam Ordinis auditum eſſet in Polonia, Terras Pruſſiæ Poloni Regno ſubjugaſſent omnes, ſibique vectigales feciſſent, quamobrem, ut eis cederet Ordo, poſtulabatur; facturam autem Regiam Majeſtatem, ut Fratres Ordinis in aliis Terris, quae Chriſtiani nominis hoſtibus eſſent finitimae, collocaret. Quantum autem firmitatis habeat haec propoſitio, me non videre, cum conſtet Pruſsiam a Regno poſtea defeciſſe, Regibusque ſive Ducibus tum Poloniae rebellaſſe, ac non modo tributum ullum pendiſſe, verum etiam cum inter multos Duces Regnum eſſet partitum, neque ſatis ipſis inter ſe conveniret, oportunitatem hanc nactos Pruthenos, ſaepe in Culmenſes, Pomeraniæque Terras, quin & Cujaviam & Maſoviam irrupiſſe, magnisque eas calamitatibus affeciſſe, ita, ut neceſſe habuerit Dux Maſoviæ Conradus, Fratres Ordinis in auxilium vocare, quibus etiam Culmenſis & Dobrzynenſis Terra tradita eſt, ſed ea tamen conditione, ut, cum eſſent Terris Pruſſiæ potiti, Culmenſem, Dobrzynenſemque Terram Duci reſtituerent, & quicquid in Pruſſiæ Terris occupaſſent, ejus dimidia parte Duci cederent. Quod cum non modo factum non ſit ab Ordine, verum inſuper eos ipſos, quorum beneficio Pruſſiæ Terras fuit conſecutus, bello ſæpe ſit adortus, multisque cladibus affecerit, merito illum jure Terrarum omnium excidiſſe. Ac contractum quidem illum inter Conradum Ducem, Epiſcopumque Culmenſem Christianum ab una, & Magiſtrum ac Fratres Ordinis ab altera parte factum me non vidiſſe. Cæterum legiſſe teſtium quorundam dicta, qui fuerunt examinati per Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Commiſſarios, qui ſe vidiſſe eas literas contractus dicerent, quas Fratres Ordinis de medio tollendas curaverint, neque dubitare me, quin reperiri adhuc Romæ poſſent, cum Contractum ejusmodi Gregorius Nonus confirmaſſe dicatur. Extare Lubaviæ quoque literas quaſdam ſub forma vidimus, quibus ejuſdem rei ſignificatio quædam datur. Verum hæc nimis alte petita videri poſſent. Quamobrem cupere nos, ut diceret Illuſtriſſimus Dominus Dux, quod, quemadmodum triginta iis annis factum eſt, defendi poſſe putaret. Tum Illuſtris Domini Ducis nomine reſpondit Cancellarius: Quandoquidem jam inde ab annis nonaginta & amplius Magiſtri Ordinis omnes Vaſalli Regni fuerint, jusjurandum fidelitatis ei præſtiterint, contraque hoſtes Regni ipſi perſonaliter ad bellum proficiſci obligati fuerint, ac quinque Magiſtri Ordinis, qui depicti etiam ſunt in Eccleſia quondam Cathedarali Regiomontana, quin ea omnia facerent, non recuſaverint, qui vero proximus Illuſtrem Dominum Ducem anteceſſit, tum ipſe quoque Dominus Dux juramentum ejuſmodi facere detrectaverit, vaſallum, quæ debet, non præſtantem, jus omne ſuum amittere, atque id in Dominum ſuperiorem transferri. Itaque excidiſſe Magiſtrum & Ordinem omni jure, quod habebat ad Terras Pruſſiæ, atque id ad Divum Sigismundum primum Regem proxime in Chriſto defunctum eſſe devolutum, habuiſſeque Majeſtatem illius poteſtatem, jus ad ſe devolutum, cui vellet, quaque conditione vellet, conferendi, eo jure uſam eſſe, dediſſeque Illuſtri Domino Duci Terrarum hanc Pruſſiæ partem jure feudi poſſidendam. Tum ego probari nobis dixi, quæ dicta eſſent Illuſtris Domini Ducis nomine. Quoniam vero prodiit ante annos quatuor in publicum libellus a Magiſtro Ordinis editus, in quo: quo jure ſibi competere putet Terras Pruſſiæ diligenter admodum perſcripſit, videri nobis operæ pretium, ut excuterentur rationes illæ omnes, quas ad jus ſuum defendendum adfert Magiſter, ac conſcribi faceret Illuſtris Dominus Dux viciſſim argumenta ſua, quibus illius argumenta omnia refellere, quod quidem ad ſe, Terrarumque Pruſſiæ partem, quam ipſe poſſidet, pertineret, conaretur. Nam quod ſpectat ad eam partem, quæ poſſidetur a Majeſtate Veſtra, ſolida illi argumenta minime defutura. Placuit Illuſtri Domino Duci conſilium, ſe conſcribi curaturum promiſit, ac conſcriptum ad me miſſurum, ſimul poſtulavit, ut de iis, quæ conſcripta eſſent, meum ipſe quoque conſilium impartirem. Ego me non gravatum facturum eſſe recepi. Atque ita finis huic negotio per nos eſt impoſitus.

Anno 1549.

CCXXV.

Recognitio Conſiliariorum Pruſſiæ de præſtito Sigismumdo Augusto *fidelitatis juramento.* Dat. Piotrcoviæ Anno 1549. Feria 2. infra Octavas Trium Regum. *Ex Originali Sigil. 6.*

Nos Terrarum Pruſſiæ Conſiliarii infraſcripti fatemur & recognoſcimus præſentibus, quod, cum eſſemus in conſilium Terrarum Pruſſiæ recepti, juxta formulam nobis miſſam, ſuperſtite adhuc Divo Rege Sigismundo primo, non illi ſolum, ſed & Sereniſſimo Principi & Domino, Domino Sigismundo Augusto, jam inde ab annis prope decem & novem Regi electo & coronato, juramentum debitæ fidei & ſubjectionis præſtitimus, quo nos fatemur teneri, & ſemper teneri volumus. Ac juxta præſtiti per Nos juramenti formam fideles nos & obedientes ſubditos & Conſiliarios fore Majeſtati ejus promittimus & ſpondemus, in cujus rei fidem & teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus appendi juſſimus, & manibus noſtris ſubſcripſimus. Actum & Datum Piotrcoviae in Comitiis Generalibus Feria ſecunda intra Octavas Trium Regum Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

CCXXVI.

Poſtulata ad Cæſaream Majeſt. per Oratorem Regis Poloniæ in negotio Pruſſiæ. Anno 1549. *Ex Tabulario Zaluſciano.*

Aſſentitur deinde Regia Poloniae Majeſtas, ut Sacra Regia Romanorum Majeſtas arbitrium, ſive amicam tractationem & compoſitionem, inter Magiſtrum Ordinis Theutonicorum, & Illuſtrisſimum Dominum Albertum Seniorem Marchionem Brandeburgenſem ſuſcipiat atque tentet, non tanquam delegatus ab aliquo, ſed ſumma voluntate Regiæ Polonae Majeſtatis Arbiter electus. Duo tantum petit: primum, ne quid ea de re tractare Regia Romanorum Majeſtas incipiat, priuſquam Comitia, quae proxime inſtant in Regno Poloniae, peracta fuerint, deinde ut Illuſtrisſimi Domini Alberti Senioris Marchionis Brandeburgenſis, cujus etiam negotium agi videtur, ſecuritati proſpiciat, atque efficiat, ut proſcriptionis Decretum, contra Illuſt. ejus a Judicibus Camerae latum, juſtum in tempus aliquod ſuſpendatur, quo & Mandatarios ſuos mittere, ſi res ita poſtulaverit, & omni cura vacuus eſſe queat, ne quis in Terras illius incurſionem interea faciat, aliter enim de compoſitione hac recte tractari non poſſet.

Anno 1549.

CCXXVII.

Sacræ Romanorum Regiæ Majeſtatis Reſponſum datum Oratori Regis Poloniæ in negotio Pruſſiæ. Ibid. *Indidem.*

Quantum autem ad cauſam, & controverſiam de Terris Pruſſiæ attinet, in qua Reverendiſſimus Dominus Orator oſtendit, Sereniſſimum Regem Poloniæ aſſentiri, ut Romanorum Regia Majeſtas tractationem inter partes ſuſcipiat & tentet, non tanquam ab aliquo ad id delegata, ſed tanquam ſumma Sereniſſimi Regis Poloniæ voluntate in Arbitrum & Mediatorem electa, Sacra ejus Regia Majeſtas tenet memoria, quum proximis ſuperioribus menſibus Sereniſſimi Regis Poloniæ reſponſum ſuper emanata Cæſarea Commiſſione accepiſſet, ſe tunc perſcripſiſſe illud ad Majeſtatem Cæſaream, fuiſſe enim in hanc ferme ſententententiam conſcriptum; Sereniſſimum Regem Poloniæ grave ſibi exiſtimare, vigore alicujus Commiſſionis in tractationem hujusmodi conſentire, alioqui ſe Majeſtatem Regiam pro Arbitro non detrectaturam eſſe. Quamobrem cum ſuper his a Majeſtate Cæſarea Regia Majeſtas nondum certam reſolutionem habuerit, exiſtimat ſibi non licere, quicquam in hac cauſa tractandum ſuſcipere, ſine præſcitu & aſſenſu ejuſdem Cæſareæ Majeſtatis: tanto minus, quum ipſe Reverendiſſimus Dominus Orator, Regis ſui nomine, petat Decreti proſcriptionis ſuſpenſionem. Quodſi autem Majeſtas ejus cognoverit hanc Sereniſſimi Regis Poloniæ oblationem, Cæſareæ Majeſtati non improbari, Majeſtas ejus Regia non detrectabit, accedente etiam Magiſtri Ordinis Teutonicorum pari voluntate, id oneris ſuſcipere, atque adeo ea, quæ communi partium conſenſu electum Arbitrum & Compoſitorem decent, diligenter agere, tractareque, et ſi ad hoc ante dictorum Comitiorum Regni Poloniæ finem deveniendum fuerit, Romanorum Regia Majeſtas Sereniſſimo Regi Poloniæ, expectando ſcilicet, priuſquam agere quicquam incipiat, dictorum Comitiorum finem, libenter gratificabitur.

CCXXVIII.

Commiſſio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ad Sereniſſimum Romanorum

Anno 1549. *rum, Hungariæ, ac Bohemiæ Regem &c. de ſuſcipienda amicabili tractatione (abſque tamen præjudicio, vel judiciarii proceſſus impedimento) inter Regem, Regnumque Poloniæ, & ab eodem cauſam prætendentes ex una, & Adminiſtratorem Ordinis Theutonicorum ex altera partibus ſuper proprietate, jure & Dominio Provinciæ Pruſſiæ.* Dat. Bruxellis Anno 1549. Die 11. Febr. *Lib. Legat. ſub lit. M. fol. 122.*

CAROLUS Quintus Divina favente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Sereniſſimo Principi Domino FERDINANDO, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regi, Archiduci Auſtriæ, Marchioni Moraviæ &c. Sacri Romani Imperii Archipincernæ, Principi Electori, Fratri noſtro Chariſſimo Salutem, & fraterni amoris perpetuum incrementum. Sereniſſime Princeps, Frater Chariſſime. Quum in controverſia, quæ inter Regnum Poloniæ, & ab eodem Regno cauſam prætendentes, ex una, & Adminiſtratorem Magni Magiſtratus Pruſſiæ, ac Magiſtrum Ordinis Theutonicorum tam in Germania, quam in Italia, ex adverſa parte, ſuper proprietate, jure & dominio Provinciæ Pruſſiæ vertitur, jam antea in aliquot Dietis Imperialibus, cum participatione & voto Imperii Ordinum de amicabili tractatione inter partes ineunda, propoſitum & agitatum ſit, ea vero res, ob alia impedimenta, hactenus ad effectum deducta non ſit. Et Nos in proximis Comitiis noſtris Imperialibus apud Auguſtam Vindelicam habitis, ex Voto & Suffragio eorundem Imperii Ordinum hanc viam amicabilis tranſactionis denuo amplectendam, & propterea Commiſſarios, qui cauſam amicabiliter (abſque tamen præjudicio, vel impedimento judiciarii proceſſus) componere ſtuderent, deputandos eſſe duxerimus, atq; ad eam tranſactionem Serenitatem Veſtram, tanquam Bohemiæ Regem, utriq; parti opportunam rati: ab ipſa Serenitate Veſtra, impetraverimus, ut ſuaſu & hortatu noſtro inducta, hanc Provinciam in beneficium pacis & tranquillitatis publicæ, ſubire conſenſerit. Proinde, ut controverſia hæc ad deſideratam concordiam (id quod pro fraterno illo erga Sereniſſimum Poloniæ Regem amore noſtro, & inter noſtros, & Imperii Sacri, & illius Serenitatis, ac Regni Poloniæ Status & ſubditos, pacis & amicitiæ alendæ cauſa ſummopere cupimus) aliquando conduci valeat. Eandem Serenitatem Veſtram, tanquam Bohemiæ Regem, hujus cauſæ Commiſſarium (citra tamen præjudicium, vel impedimentum judiciarii proceſſus) deputavimus, ac tenore præſentium Imperiali auctoritate noſtra deputamus, & plenam illi facultatem, poteſtatem, & vicem noſtram hac in re concedimus, ſummopere illam hortantes, ut vocatis ad diem conſtitutum, & in locum opportunum partibus, eisque ſummarie auditis, omni ſtudio anniti velit, cauſæ & controverſiæ huic amicabiliter componendæ & tranſigendae. Quod ſi vero, adhibita omni diligentia, res per Veſtram Serenitatem componi non poſſet, (quamvis meliora ſperamus) in eum caſum Serenitas Veſtra de tota cauſa, & quid impedimenti obſtiterit, quo minus componi potuerit, ad Nos referat, quo deinde poſt, ſive cum ulteriore participatione Statuum Imperii, ſive aliter, prout opportunum fuerit, provideri, conſtituiq; poſſit id, quod negotii qualitas exigere videbitur, in quo Serenitas Veſtra rem ſe dignam, publicæ tranquilitati utilem, & Nobis gratam factura eſt. Datum ſub impreſſione Sigilli noſtri in oppido noſtro Bruxellenſi die 11. menſis Februarii. Anno Domini MDXLIX. & Regnorum noſtrorum XXXIV. Anno 1549.

CAROLUS
V. ANTH. PERE.

Ad Mandatum Cæſar. & Cathol. Majeſtat. proprium
Johann. Obernburger ſcripſit.

CCXXIX.

Exemplum Literarum S. Rom. Reg. Maj. ad Regem Poloniæ præfixionem diei ad tractandam concordiam in cauſa Pruſſiæ continens. Dat. Pragæ 18. Jul. Anno 1549. *Ex Tabulario Zaluſciano.*

FERDINANDUS &c. Sereniſſimo &c. Significamus Serenitati Veſt. Nos accepiſſe patentes quasdam Literas Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis & Domini, Do-

Anno 1549. Domini Caroli Quinti Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti &c. Fratris & Domini noſtri chariſſimi, paucis ante diebus Nobis redditas, tenoris de verbo ad verbum ſequentis, videlicet:

CAROLUS &c. *ut ſup. pag. 326.*

Cum Nos autem tum præfatæ Sacræ Cæſareæ & Catholicæ Regiæ Majeſtatis ſuaſu & hortatu, tum ob veterem neceſſitudinem, quæ Nobis cum Serenitate Veſtra intercedit, & deniq; pro beneficio pacis & tranquillitatis publicæ inducti, tractandæ amicabilis concordiae & compoſitionis provinciam in hac cauſa, inter Serenitatem Veſtram, & partes, in præinſertis Cæſareis Literis nominatas vertente, jam pridem libenti animo ſuſceperimus, nihilque magis ea in re etiam nunc cupiamus, quam tam diuturnam periculoſamq; controverſiam plane tollere, conſopireque, atq; adeo inter Serenitatem Veſtram & dictas partes non niſi firmam, perpetuamq; pacem, quietem & concordiam conſtituere, idcirco ad executionem præinſertarum Literarum, Dilectionis, & Majeſtatis ſuæ Cæſareæ, juxta traditam Nobis in illis formam procedere volentes, eas Serenitati Veſtrae hiſce noſtris inſertas amico & fraterno animo inſinuamus, adque ejus notitiam deducimus, nec non huic amicabili tractationi ſextam diem menſis Octobris proxime venturi, locum vero eum, in quo Nos tum eſſe, & moram trahere contigerit, dicimus, deſignamus & deputamus. Eandem proinde Serenitatem Veſtram amice & fraterne hortantes, ut (ſi tractationem ipſam a Nobis fieri Ser. Veſt. placuerit) Commiſſarios & Mandatarios tam ſuo, quam eorum, qui a Regno ipſius Poloniæ cauſam habere prætendunt, nomine, plena & ſufficienti ad id poteſtate ſuffultos, in aulam noſtram, ubi tum fuerimus, ad dictam ſextam diem futuri menſis Octobris, qua etiam adverſæ partis Procuratores & Mandatarios adfore non dubitamus, emandare, & expedire velit, & Nos quidem tunc juxta præſcriptam Nobis Literis Cæſareis formam, in cauſa & controverſia hujusmodi proceſſuri, illam eo deducere, quantum in Nobis erit, annitemur, ut deſiderata concordia omnium, quorum intereſt, conſenſu atq; voluntate, conſtitui queat. Cæterum Serenitatem Veſtram feliciſſime valere optamus. Datum ſub impreſſione ſigilli noſtri in arce noſtra Regia Pragæ die 18. Julii 1549.

CCXXX.

CCXXX.

Anno 1549.

Exemplum Literarum Sigismundi Augusti *Regis Poloniæ ad Sacr. Rom. Reg. Majeſtatem, quo ejus arbitrium in negotio Pruſſiæ reſpuit.* Dat. Cracoviæ 14. Aug. 1549. *Indidem.*

Sereniſſimo & Excellentiſſimo Principi Domino Ferdinando Divina favente Clementia Romanorum Regi ſemper Auguſto, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regi, Infanti Hiſpaniarum, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Marchioni Moraviæ, Comiti Tyrolis, Parenti noſtro obſervandiſſimo, Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, &c. Dominus & Hæres, Salutem & perpetui amoris ac omnis felicitatis continuum incrementum. Sereniſſime & Excellentiſſime Princeps, Domine Parens noſter Obſervandiſſime. Accepimus patentes Literas Majeſtatis Veſtræ, quibus ea partim voluntate ac delegatione Cæſareæ Majeſtatis, partim paterno ſuo in Nos amore, & quietis publicæ cupiditate, ſe adductam, Arbitri partes componendæ inter Nos Regnumq; noſtrum, & Magiſtrum Ordinis Theutonicorum controverſiæ de Terris Pruſſiæ, libenter ſuſcepturam eſſe profitetur, (ſi Nobis videbitur) & diem ad inchoandam eam rem Nobis præſtituit ſextam Octobris proxime venturi, ac de ſingulari quidem iſta & paterna erga Nos benevolentia, curaq; rerum noſtrarum & Regni noſtri, ſummas, uti par eſt, gratias agimus Majeſtati Veſtræ, dabimuſq; operam, ut ei pari ſtudio & obſervantia, morigero Filio conſentanea, quoad maxime poterimus, reſpondeamus, pacis & quietis Regno noſtro conſervandæ & ſtabiliendæ, Nos quoq; ut qui maxime cupidi ſumus, Chriſti Dei noſtri, præceptorum & ſalutaris doctrinae haud immemores, ac Divi Parentis noſtri, nunquam ſatis laudati Regis, domeſtico exemplo delectati. Itaque cavemus ſedulo, ne quam cuiq; offenſionis & inimicitiarum ocaſionem demus. Neque Nobis conſcii ſumus, Magiſtrum iſtum ulla injuria, ſive a Nobis, ſive a Divo Parente noſtro, ſeu deniq; a quoq; noſtrorum affectum eſſe. Quodſi aliter tamen forte illi videtur, non recuſamus, quominus ipſi, ubi id a Nobis poſtularit, non modo contra quemvis noſtrorum hominum, ſed etiam contra Nos ipſos, ex æquo & bono, jus dicamus, & ſatisfacia-

Anno 1549. ciamus, quemadmodum id ipſum etiam Caeſareae Majeſtati per Oratorem noſtrum ſumus polliciti. Neq; vero Majeſtatis Veſtrae, de cujus amore paterno omnia Nobis ſumma pollicemur, ac ne aliorum quidem hominum judicium detractamus. Neq; Majores noſtri, quoties aliquid controverſiae cum iſto ipſo Ordine ſubortum ipſis erat, unquam detractaverunt, ſed vel ad ordinarios & communes Judices, vel certe ad Arbitros, quos ſibi ipſi, mutuo cum adverſariis conſenſu, depopoſciſſent, judicium id referebant. Caeterum ferre Nobis Arbitros ab aliis, id vero ſi non durum, certe novum & inuſitatum eſt, ita, ut maximam id Nobis apud noſtros homines invidiam conflaturum eſſe videatur. Quocirca, cum eo rem ſpectare animadverteremus, ex eo reſponſo Caeſareae Majeſtatis, quod Nobis Divi Parentis noſtri Orator poſt mortem ejus attulit, alia mandata Oratori noſtro, qui, cum diutius opinione noſtra apud Majeſtatem Veſtram ſubſtitiſſet, nuper tandem ad Caeſaream Majeſtatem profectus eſt, ea de re dedimus, inde ergo Nobis reſponſum expectandum eſſe exiſtimamus, quo accepto, & communicato cum Conſiliariis Regni noſtri conſilio, tum demum certius aliquid de voluntate noſtra Majeſtati Veſtrae indicabimus. Quam excuſationem noſtram, & moram exiguam, ut Majeſtas Veſtra aequo animo ferat, neve inde ſiniſtri aliquid de noſtra erga ſe voluntate, & fiducia ſibi perſuadeat, etiam atq; etiam poſtulamus. Nos quidem ut neminem habemus in terris arctioribus propinquitatis & neceſſitudinis vinculis Nobis devinctum, quam Veſtram Majeſtatem, ita nemini plus fidimus, neq; libentius Nos & noſtra committimus. Quam diutiſſime felicem & incolumem eſſe cupimus. Cracoviae 14. Aug. Anno Domini 1549. Regni vero noſtri 20.

CCXXXI.

Libellus Oratorum Duci Pruſſiæ, quo ejus abſentiam excuſant, & renovationem feudi poſtulant a Sigismundo Augusto *Poloniæ Rege.* Anno 1550. *Libr. 61. fol 159.*

Poſteaquam Sacra V. R. Majeſt. Illuſtriſſimum Principem Pruſſiæ Dominum meum Clementiſſimum ad diem Divæ Catharinæ ſacrum in hunc locum Regiis ſuis literis vocavit, ut ipſius Celſitudo renovationem Inveſtituræ Ducatus Pruſſiæ a Sacra Veſtra Regia Majeſtate acciperet & debitam obedientiam atque fidelitatem juraret, commiſit ſeſe ipſius Celſitudo ad ejusmodi clementiſſimamSacræ Veſtræ Regiæ Majeſtatis poſtulationem declarandæ ſuæ obedientiæ, atque promptiſſimæ voluntatis gratia itineri, ea ſpe atque fiducia, Deum Optimum Maximum hoc ſuſceptum iter ita gubernaturum, ut ipſius Celſitudo incolumis & ſalva in hunc locum ad Sacram V. Regiam Majeſtatem perveniret, & coram ac præſens omnia, quæ S. V. R. Majeſtas, & fædera pacis perpetuæ ipſius Celni. concedere potuiſſent, non tantum ut ſe obedientem & ſubjectum Principem, atque clientem Beneficiarium declararet, ſed etiam, ut Sacram V. R. Majeſtatem, ut Dominum ſuum clementiſſimum & Conſangvineum dilectiſſimum, in hac ſua ſenecta ſemel adhuc, ſi ſæpius per fata non licuerit, viſeret, coram obloqueretur, incolumem ac ſalvam cerneret, & ob ejuſdem Sacræ V. R. M. incolumitatem & ſalutem laetitia & gaudio pro officio fidelis ſubditi & Domini ſui atq; Conſangvinei amantiſſimi perfrueretur. Horum cum omnium ipſius Celſitudo magno deſiderio jam pridem affecta teneretur, Divina ope non ſemel ardentibus votis implorata, ut haec ex ſententia contingerent, ſed aliter Deo Optimo Maximo, omnium hominum ſalutem ſua omnipotentia gubernanti, hoc tempore viſum eſt, qui votis boni atque fidelis Principis, minime annuendum pro ſuo Divino conſilio cenſuit. Etenim non longe, poſtquam ipſius Celſitudo iter ingreſſa eſt, magna imbecillitate & graviſſimis doloribus corporis correpta eſt, adeo, ut longius pogredi nec equo, nec vehiculo valeret, periculo quidem ſuſtinendi vehiculi nec quidquam facto, ſiquidem inde dolores aucti & vires corporis adeo proſtratæ ſunt, ut, quod graviter ingemiſcentes & vix abſq; lachrimis eloquimur, ipſius Celſitudinem Soldaniæ in lectulo & in dubia Medicorum cura languentem relinquerimus. Et quanquam ipſius Celſitudo a Deo Opt. Max. emendationem & firmam valetudinem brevi redituram ſperabat, & ſecum decrevit recuperatis viribus Nos celerrimis itineribus inſequi, tamen eventus jam oſtendit, id fieri non potuiſſe, eo quod ſpes repentinæ reſtitutionis ipſius Celſitudinem fruſtrata eſt, & morbus, ut conjectura adſequi poſſumus, opinione tenacior fuit. Quamobrem magna hæc & fatalis neceſſitas ipſius Celſitudinem ab inſtituto itinere, & honeſto propoſito retraxit. Quod ipſius Celſitudini eo gravius atque perturbatius accidiſſe, quo maiori cupiditate viſendi & ſalu- Anno 1550.

Anno 1550. ſalutandi Sacram Veſtram R. Majeſtatem rapiebatur, facile cuivis æſtimare licet. Voluit igitur ipſius Celſitudo per hos ſuos Legatos Sacram V. R. Majeſtatem ſupplici voce rogari, ut Sacra Veſtra R. Majeſtas hanc ipſius Celſitudinis adverſam valetudinem Divino Judicio in hac profectione objectam, patienter ferat, & abſentiam inde evenientem pro Regia Clementia boni conſulat, & excuſationi juſtiſſimæ locum det. Ne autem ipſius Celſitudo ullius vel inobedientiæ vel negligentiæ nomine in ſuſpicionem veniret, neve aliquid ob jam dictam cauſam in adipiſcenda renovatione Inveſtituræ Feudalis, & ad præſtandum jusjurandum, emitteretur, hoſce ſuos Conſiliarios, Miniſtros atque ſubditos cum pleno Mandato ad accipiendam Renovationem Inveſtituræ, & ad præſtandum Jusjurandum fidelitatis huc ablegavit, quemadmodum hujus rei neceſſaria documenta Literarum ſub ſigillo & manu ipſius Celſitudinis ſecum habent, eaq; ad S. R. Majeſtatis Veſtræ voluntatem reverenter exhibere atq; offerre parati ſunt. Hi igitur Legati Illuſtriſſimi Principis ſui, ac Domini Clementiſſimi nomine & verbis S. V. R. Majeſtatem humiliter atq; enixe orant, ut S. V. R. Majeſtas ipſius vice & loco Principis ſui renovationem Inveſtituræ Ducatus Pruſſiæ clementer conferre, ac ſolenni ritu præbere dignetur, adductis etiam aliis Convaſallis agnatis ſuæ Celſitudinis Margravio ALBERTO Juniore, & GEORGIO FRIDERICO, nec non & aliis Margraviis Brandeburgen. quemadmodum id a Legatis nuper ipſius Celſitudinis apud S. V. R. Majeſtatem ſubjectiſſime rogatum atque perfectum eſt, ut hoc beneficio feudali pariter tota Domus Brandeburgen. quæ inclito huic Regno S. V. R. Majeſtati inſigni ornamento atque præſidio eſſe poteſt, afficiatur. Quare præcipue S. V. R. Majeſtas ſuam clementiſſimam voluntatem, erga Illuſtriſſimum Principem Pruſſiæ & totam Domum Brandeburgen. alioquin etiam S. V. R. Majeſt. ſumma neceſſitudine conjunctiſſimos declarabit, & Illuſtr. Dux Pruſſiæ reverenter offert, atque promittit ſe viciſſim non ſolum quod debitum officium, fides atq; obedientia addictiſſimi Vaſalli poſtulant, libenter & ſtudioſe facturum, atq; executurum, non ſecus, acſi ipſe præſens Juramentum fidelitatis denuo præſtitiſſet, ſed etiam daturum operam, ut pro neceſſitudine atq; propinquitate ſua, erga S. V. R. Majeſt. atq; totum hoc inclitum Regnum gratiſſimus atq; obedientiſſimus agnoſcatur. Porro cum ipſius Celſitudo, ut ſupra expoſitum eſt, magno deſiderio viſendæ S. V. R. Majeſtatis & coram alloquendi in hac ſua poſtrema ætate teneatur, decrevit atq; ſtatuit, ſe cum primo quoq; tempore reſtitutæ valetudinis, & recuperatarum virium (quod ſummis votis a Deo Opt. Maximo contendimus) S. V. R. Majeſtatem inviſere, ſeq; omni officiorum genere, pro eo ac decet paratiſſimum Principem, Vaſallum, Miniſtrum atque Cognatum exhibere, offerre, atq; declarare. Si modo id S. V. R. Majeſtatem non inique laturam intellexerit. Proinde S. V. R. Majeſt. hi Legati ſubjectiſſime atq; humillime rogant, ut ipſis ſignificare dignetur, quando, & quo in loco, quave ſolennitate, ordine & forma, nomine Illuſtriſſimi Principis ſui Ducis Pruſſiæ, renovationem Feudi accipere, & juramentum fidelitatis præſtare debeant, quibus cognitis humiliter ſe offerunt, omnia pro mandato & officio ſuo ad S. V. R. Majeſt. nutum, atq; clementiſſimam voluntatem, quemadmodum fideles ſubditos atq; Miniſtros decet, ſummo ſtudio facturos. Anno 1550.

CCXXXII.

Ceremoniale pro renovatione Feudi Ducatus Pruſſiæ, conferenda per SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Poloniæ Regem, præſentibus Legatis Marchionum Brandeburgenſium.* An. 1550. *Libr. 61. fol. 160.*

Regia Majeſtas, ex arce deſcendens, in Prætorio Veſtitum Regium induet, atque ita ſolium aſcendet cum Conſiliariis. Adequitabunt, deinde prope ſolium Oratores & Conſiliarii Principum, & cum ſolenni pompa ſolium aſcendent, primique Oratores Ducis renovationem Feudi a Rege reverenter flexis genibus petent. Reſpondebit Regia Majeſt. per Cancellarium, ſe paratam eſſe promiſſa facere, modo ii, qui petunt, ea præſtent, quæ præſtari in hujusmodi actu ſolent. Poſtea caeterorum quoque Marchionum Oratores idem petent. Deinde poſt Reſponſum Regium exhibebunt Mandatum Ducale, quod a Cancellario legetur. Eo perlecto Rex vexillum Ducalibus Oratoribus genua flectentibus tradet, cujus extremum cæterorum Marchionum Legati ſinguli a tergo attingent, obnuntiante Cancellario per illud Duci quidem Inveſtituram Ducatus a Divo SIGISMUNDO conceſſi in Feudum renovari & confirmari, cæteris vero Marchionibus ſucceſſive, ſecundum illa ipſa pacta, deſtinari, cum ſuo tempore rite inve-

Anno 1550. veſtituram accipient. His peractis ponitur Liber Evangeliorum in ſinu Regis ad Oratores obverſus, prædiceturque jusjurandum Oratoribus Ducis in hæc verba conceptum.

Juramentum.

Ego N. nomine & mandato ſeu Plenipotentia Illuſtriſſimi Principis mei Domini Alberti Marchionis Brandeburgenſis ac Ducis in Pruſſia &c. juro ſuper hæc Sancta Dei Evangelia, quod idem Albertus Princeps meus, ab hac hora deinceps uſq; ad ultimum diem ſuum vitæ ſuæ erit fidelis Tibi Sigismundo Augusto & Succeſſoribus legitimis tuis Regibus Poloniæ Dominis ſuis, contra omnem hominem, nemine prorſus excepto, & quod nunquam erit ſcienter in conſilio vel auxilio vel in facto, quod Tu amittas vitam, vel membrum aliquod, vel quod accipias in perſona aliquam læſionem aut injuriam vel contumeliam, vel quod amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel poſt habebis, et ſi ſciverit vel audiverit de aliquo, qui velit aliquid iſtorum contra te facere, pro poſſe ſuo, ut non fiat, impedimentum præſtabit. Et ſi impedimentum praeſtare nequiverit, quam cito poterit, Tibi nuntiabit, & contra eum juxta pacta auxilium Tibi præſtabit. Et ſi contigerit, Te rem aliquam, quam habes, vel habebis, injuſte & fortuito caſu amittere, eam recuperare curabit, & recuperatam omni tempore retinere. Et ſi ſciverit Te velle juſte aliquem offendere, & inde generaliter vel ſpecialiter fuerit requiſitus, ſuum Tibi, ſecundum pacta, præſtabit auxilium. E tſi aliquid ipſi de ſecreto manifeſtaveris, illud ſine tua ſcientia nemini pandet, neque quidquam, per quod pandatur, faciet. Et ſi conſilium ab eo ſuper aliquo facto poſtulaveris, illud Tibi dabit conſilium, quod ipſi videbitur magis expedire, & nunquam ex perſona ſua aliquid ſcienter, quod pertineat ad tuam vel tuorum injuriam, vel contumeliam. Deniq; pacta cum olim Divo Sigismundo Rege, & inclyto hoc Regno Poloniæ conventa ſervabit & implebit. Sic me Deus adjuvet &c.

Aſſignabitur deinde a Marſchalco Principi Legationis Ducalis locus ſui Principis juxta Regiam Majeſtatem.

Poſt petitionem omnium Oratorum reſpondebit Cancellarius.

Sacra Majeſtas Regia Dominus noſter Clementiſſimus cum ſit memor Pactorum, quæ Divo Parenti ſuo Sigismundo Regi & inclyto huic Regno cum Illuſtriſſimo Domino Alberto Seniore Marchione Brandeburgen. Duce in Pruſſia interceſſerunt, ac ſuæ cum eodem neceſſitudinis, quemadmodum in aliis, quo ad recte poterit ejus Illuſtriſſimæ D. gratificari ſolet, ita in eo quoque, quod nunc D. V. Illuſt. D. ejus nomine petunt, non gravate id facit, & ob id huc deſcendit, ut expetitam diutius, verum ex juſtis cauſis hucusque dilatam Inveſtituram Feudi Ducatus in Pruſſia D. ejus Illuſt. in Perſonis D. Veſtrarum conferat, ſeu verius renovet ad gloriam Dei Omnipotentis, ad ſuum Regniq; hujus decus, honorem & commodum Illuſtriſſimæ D. ejus, deniq; ad ſalutem & incolumitatem illius populi. Confidit autem Sacra Majeſtas ejus R. ita ſe geſturum eſſe Illuſtriſſimum Dominum Ducem erga ſuam quidem Majeſtatem, uti fidelem & obſequentem Vaſallum decet, erga Regnum autem hoc inclytum, uti ſocium & fæderatum decet, erga ſubditos vero, uti juſto, benigno, & Chriſtiano Principi convenit. Illuſtriſſimos quoq; D. Georgium Fridericum & Albertum Juniorem Marchiones Brandeburgen. non recuſat S. Majeſtas ejus quin, ad ſucceſſionem ejuſdem Feudi admittat, ea conditione, & eo ordine, qui in pactis continetur. Cæterum Mandatum, ſeu Plenipotentia Illuſtriſſimi Domini Ducis, ut prius perlegatur, operæ pretium eſt. Anno 1550.

Quando Vexillum traditur.

Quod bonum fauſtum & fortunatum ſit, S. R. Majeſtas per hujus Vexilli traditionem Illuſtriſſimo Domino Alberto Marchioni Brandeburgen. ac Duci in Pruſſia, in Perſonis D. Veſtrarum Inveſtituram Ducatus in Pruſſia confert, ſeu potius a Divo Parente ſuo collatam renovat; Illuſtres vero Dominos Georgium Fridericum & Albertum Juniorem itidem Marchiones Brandeburgenſes ad ſucceſſionem ejusdem Feudi ſecundum præſcriptum pactorum olim initorum, admittit, dummodo Illuſtritas eorum ea præſtent ſuo tempore, quæ Domino Feudi a Vaſallis ex pacto aut conſuetudine præſtari ſolent ac debent.

Poſt Gratiarum Actionem.

Libenter facit S. Majeſtas Regia, quaecunq; ad honorem & commodum Illuſtriſſimorum Dominorum Marchionum Brandeburgenſium, propinquorum ſuorum, pertinere exiſtimat, confiditq; D. eorum Illuſtriſſimas, ita ſe viciſſim ſedulo erga Majeſtatem ſuam geſturas eſſe, ut neceſſarios & gratos Principes decet. Curabunt vero D. V. ut ea, quæ hic modo acta ſunt, Illuſtriſſimorum Principum ſuorum Tutorumq; Pupilli literis comprobentur.

Anno 1550.

CCXXXIII.

Petitio Alberti *Junioris per Legatos ſuos, ut ad Inveſtituram Pruſſiæ admittatur.* 29. Nov. 1550. *Indidem fol. 163.*

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps, Domine Clementiſſime. Illuſtres & Ampliſſimi Senatores.

Compertum habet Sacra Regia Majeſtas, Principem noſtrum apud Sacram Regiam Majeſtatem ſuam jam ante egiſſe, ut ejus, modo eo, quod aut præponeretur juniori Principi Marchioni Georgio Friderico Patrueli ſuo, aut ſaltem æqualiter admitteretur, in inveſtitura & conceſſione Feudi ratio haberetur, ſed Sacra Veſtra Majeſtas Regia ejuſmodi tractatum tum temporis in prædictum Juniorem Principem, ejuſq; Tutores ac Curatores juſtis de cauſis rejecit. Cum vero a Sacra Veſtra Regia Majeſtate Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino Alberto Seniori Duci Pruſſiæ, ac Marchioni Brandeburgen. una cum ejus conſortibus, nempe prædicto Illuſtriſſimo Principe noſtro ac Patruele ipſius tempus accipiendæ Inveſtituræ præſtitutum ſit, prædictus Princeps noſter non importunum ratus, eandem petitionem, & iis deinde cauſis, Sacræ Veſtræ Majeſtati Regiæ, ac Regni Senatui nunc denuo proponere, præſertim cum compertum habeat, Illuſtriſſimum Ducem Pruſſiæ Patruum ſuum idem hoc optare, ac a Sacra Veſtra Majeſtate Regia humiliter atq; enixe petere. Intelligit enim Sacra Veſtra Majeſtas Regia, quod eveniente caſu, quem tamen Deus Omnipotens benigne avertere velit, quo hujuſmodi Feudum & Ducatus ad hos ambos Principes, modo tamen in ſucceſſione poſteriore, & illo juniore adhuc in minori ætate conſtituto devolveretur, quod tunc Illuſtriſſimæ D. ſuæ potiſſimum omnes curæ, ſolicitudines ac moleſtiæ incumberent. Omnia denique pericula, niſi ſalutem ac defenſionem illius Terræ ac Ducatus, quod tamen minime facturus eſſet, negligere velit, ſubeunda eſſent. Commoda vero ac emolumenta ejus, fortaſſe ad ſe nunquam, ſed ad Patruelem ſuum ſolum pervenirent, quod quidem perquam eſſet iniquum.

Præterea cum Principatus ille Franconicus ab inclytis Parentibus ipſorum acceptus, quem nunc Dei benignitate ac clementia poſſident, & Ducatus Pruſſiæ ſint inter ſe remotiſſimi, & uterque æmulis hoſtibus & dimicationibus vix reſiſtunt, idcirco pene impoſſibile videre, quod unus illorum partem ſuam Ditionis Franconiæ & prælibatum Ducatum recte & ſine periculo alterius amittere, aut ſaltem ſine irreparabili jactura & detrimento adminiſtrare poſſit. Nec etiam facultates unius ad hoc tam ſublime opus ſufficientes fore, multominus id per Legatos vel Locumtenentes effici poſſe. De qua re tamen, ſi inæqualitate illa ſublata conſilia facta ab utroque pro viribus ac unanimiter in commune conferantur, minime diffidendum erit. Hanc etiam fuiſſe cauſam non ambigimus, qua motus piæ ac inclytæ memoriæ Princeps Do. Georgius Marchio Brandeburgenſ. aliquoties, cum de componendis controverſiis inter ipſum & Principem noſtrum Albertum ejus ex Fratre Nepotem ageretur, ſemper hoc medium de æquali Inveſtitura ac diviſione Ducatus Pruſſiæ inter ſe & Nepotem, ſi is caſus eveniret, propoſuit, utiq; exiſtimans hac re perfecta cæteras controverſias, variis ac magnis de cauſis inter ipſos, ortas facile ſublatum iri, ac Filii ſui Hæreditatem tam acquiſitam, quam aquirendam Nepotis autoritate fulcitam, magis etiam ſtabiliri. Nec dubitamus, etiamſi Illuſtriſſima D. ſua diutius ſupervixiſſet, quin rebus omnibus cum Principe noſtro compoſitis, idem, quod Nos nunc, Illuſtr. Dom. etiam a Sacra Veſtra Majeſtate Regia petitura fuiſſet.

Cum igitur prædictæ & cæteræ cauſæ alio tempore adductæ per ſe ſint juſtiſſimæ, & e re Principis Junioris Domini Georgii Friderici Marchionis Brandeburgen. ac menti etiam Patris ſui piæ ac inclytæ memoriæ defuncti conformes, Sacram Majeſtatem Veſtram Regiam necnon Illuſtriſſimum ac Ampliſſimum Senatum Regni, nomine Illuſtriſſimi Principis noſtri rogamus, benignam ac clementem rationem habere dignetur, ne inæqualitas illa Inveſtituræ nunc, vel in poſterum Illuſt. D. ſuæ in magnum & inevitabile præjudicium vergat. Commendamus igitur ſæpedictum Principem, ac Dominum noſtrum tutelæ ac patrocinio Sacræ Veſtræ Majeſtatis Regiæ ac Illuſtriſſimi Senatus hujus florentiſſimi Regni quam humiliſſime clementiſſimum reſponſum hac in re optantes.

Sac. Veſtræ Majeſt. Regiæ.

Subditiſſimi.

Legati & Oratores Illuſt. Principis, ac Domini Domini Alberti *Marchionis Brandeburgenſis Junioris.*

CCXXXIV.

ANNO 1550.

CCXXXIV.

Plenipotentia ab ALBERTO *Seniore Duce Pruſſiæ data Legatis ejusdem ad renovandam Inveſtituram Ducatus Pruſſiæ per* SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Poloniæ Regem.* Dat. in Doldan d. 11. Nov. 1550. *Ex Archivo Regni Libr. 61. fol. 151.*

Poſteaquam Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps & Dominus, Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ totius, Maſoviæ, Samogitiæ &c. Dominus & Hæres, Dominus noſter clementiſſimus, & Conſobrinus chariſſimus, diem Divæ Catharinæ ſacrum ad renovationem Inveſtituræ Ducatus Pruſſiæ, & ad præſtandam ſuæ Regiæ Majeſtati debitam, juxta ritum & formam perpetui fœderis, atque pactorum literis obſignatorum, fidelitatem, ad multiplicem atque humilem requiſitionem pro ſua Regia clementia Nobis ALBERTO Seniori, Dei Gratia Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubarum ac Sclavorum Duci, Burgravio Norenbergenſi, Rugiæque Principi, per literas deſignavit. Nihil ſane prius duximus, quam Sacræ Regiæ Majeſtatis Clementiſſimæ voluntati atque petitioni morem gerere, & ad dictum diem declarandæ noſtræ obedientiæ gratiæ coram Sacra Regia Majeſtate Nos ſiſtere, omniaque ad votum ſuæ Majeſtatis exequi, eamque ob cauſam Nos mature accinximus, & aliquam partem ejus, Deo juvante, confecimus; verum cum in hac parte profectionis Omnipotentis Dei iudicio gravi valetudine, magnisque doloribus corporis affecti eſſemus, adeo, ut nec equo, nec vehiculo progredi ulterius valeremus, invitos Nos ac graviter dolentes mutare conſilium opportuit. Ac quod ipſi coram per Nos metipſos exequi atque conficere inſtitueramus, aliis deinde mandare, & per alios noſtro nomine expedire. Itaque Generoſos, Nobiles, Strenuos & Præclaros Viros Fridericum Truchſes Baronem a Waretpurgs, Joannem a Kreiczen Cancellarium, Andream Ryppin Caymenſem, & Abnerum Brandt in Tapian Capitaneos, nec non Chriſtophorum Jonam, Juris utriuſque Doctorem, ac Magiſtrum Lucam David Conſiliarios & ſubditos noſtros omnes & ſingulos, ita, ut unius aut alterius abſentia cæteris nihil deroget, ad præſtitutum renovandæ Inveſtituræ diem Cracoviam ablegavimus, eisque plenam poteſtatem dedimus & conceſſimus, ſic, ut his patentibus literis omni meliore forma, jure, ſolennitate & modo, quo id fieri, juxta morem vel ordinationem juris, debuerat, vel neceſſe erat, damus & concedimus, ut noſtro nomine & loco renovationem Feudi a Sacra Regia Majeſtate, Domino noſtro clementiſſimo, ſolenniter accipiant, juramentum fidelitatis, & debitum homagium, ut vocant, rite in animam noſtram præſtent, omniaq; alia faciant & exequentur, quæ Nos ipſi coram & præſentes in actu infeudationis & jurisjurandi fidelitatis faceremus, præſtaremus & exequeremur. Denique & illa ad Sacram Regiam Majeſtatem referant, de quibus plenum & ſufficiens mandatum a Nobis acceperunt, ac quicquid hiſce rebus atque negotiis juſſu & nomine noſtro egerint, fecerint, aut præſtiterint, illud non ſecus atque a Nobis geſtum, factum & præſtitum approbabimus, ratum & gratum habebimus, quemadmodum etiam his praeſentibus literis approbamus, ratum & gratum habemus, abſque omni fraude & dolo malo. Quod hiſce literis praeſentibus publice, palam & coram omnibus, praecipue vero coram Sacra Regia Majeſtate Domino noſtro clementiſſimo libere fatemur, & teſtatum eſſe volumus. In cujus rei & praedictorum omnium indubitatam fidem has literas noſtras ſigillo noſtro magno munivimus, confirmavimus, manuque propria ſubſcripſimus. Datae ex arce noſtra Doldanenſi die undecima Novembris Anno 1550.

Qui ſupra. mppr.

CCXXXV.

Renovatio Feudi Ducatus Pruſſiæ per SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Poloniæ Regem* ALBERTO *Duci facta, ubi etiam* GEORGIUS FRIDERICUS & ALBERTUS *Junior ad Feudum admittuntur.* Dat. Cracoviæ Feria ſexta ante Feſtum S. Thomæ Apoſtoli Anno 1550. *Ex Arch. Regni Lib. 61. fol. 165.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOS SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujavia, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniae, Samogitiaeque &c. Dominus & Haeres, Signi-

ANNO 1550. Significamus tenore praeſentium &c Quod Nos Divi SIGISMUNDI Regis Poloniae, Patris noſtri deſideratiſſimi, in cujus Regio Solio collocati ſumus, veſtigiis incedentes, ad petitionem Illuſtris Principis Domini ALBERTI Senioris Marchionis Brandenburgenſis, ac Ducis in Pruſſia, primum per ſe ipſum intra legitimum tempus: deinde vero per literas atque Nuntios ad Nos factam, Feudum Ducatus Pruſſiae, a ſupra memorato Parente noſtro olim conſtitutum & conceſſum, Illuſtritati ejus, & veris ac legitimis maſculini generis ejus Feudi Haeredibus, ſi quos reliquerit, in Perſonis ſex Conſiliariorum, Oratorum & Procuratorum, luculentum & ſufficiens Mandatum ad id habentium, ſolenni ceremonia per vexilli noſtri traditionem renovavimus, & harum literarum noſtrarum tenore renovamus & confirmamus, damusque & concedimus in perpetuum & indiviſum Feudum, quemadmodum id a Divo Parente noſtro antea Illuſtritati ejus, & aliis Marchionibus de Domo Anſpach datum & conceſſum fuit, Terras, Civitates, Oppida & Arces infraſcriptas, videlicet Arcem Konigspergk cum tribus Civitatibus, item arces & oppida Lochſtete, Wargen, Girman, Puberen, Rudau, Schockenn, Caimenn, Cremitten, Waldau, Tapiau, Taplainken, Narbetten, Inſterburgk, Altenburgk, Wenſtren, Gerdanen, Angenburgk, Nordenburgk, Labiau, Laukiſken, Tieſſet, Ragnet, Reſſiten, Wunbergk, Mimmel, Brandenburg, Creuzburgk, Früdland, Dominau, Barthen, Lerzen, Balge, Heiligebeil, Zinthen, Landspergk, Prinſcheilen, Barthenſtein, Scheſden, Samsburg, Rein, Ruſtenburgk, Lick, Johansburgk, Hollandz, Liebſtadt, Mulhanſenn, Morunge, Paſſenheim, Orthelspurg, Oſterrode, Hegenſtein, Neidenburgk, Soldau, Pilgenpurgk, Schippenbeil, Deudſcheilau, Prenſchmark, Libemuhel, Salfeld, Raſtenburgk, Marienwerder, Tirenbergk, Laptau, Schonbergk, Beminden, Jorgenburgk, Roſenbergk, Gordenſehe, Neuhaus, Frienſtadt, Salau, Viſchauſen, Biſchoffwerder, Medenau, cum omnibus & ſingulis ſubditis, vaſallis, fructibus, dominiis, ſuperioritatibus, libertatibus ac juribus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, manſis, curiis, molendinis, molendinorum locis, cenſibus, vectigalibus, redditibus, theloneis, ſervitiis, feudis ſpiritualibus & ſaecularibus, lacubus, fluminibus, piſcationibus, aquis, aquarum decurſibus, ferarum venationibus, ſylvis, nemoribus, paſcuis, pratis, actibus, etiam cum omnibus metallis, quae modo ſunt, ſeu in futurum fieri poſſunt, auro, argento, cupro, ſtanno, plumbo, & ſalinis ſupra & ſubtus terram, ſimiliter una cum omnibus & ſingulis eminentiis, juribus & pertinentiis univerſis, nullis exceptis, ſicuti ejusmodi Terras Magiſtri Generales & Ordo quondam habuere, & uſque ad praeſens nuperrime geſtum bellum uſu & fructu tenuerunt, inpoſterum perpetue & haereditarie in commune & individuum Feudum tenendas, habendas, fruendas, utendas & poſſidendas. Ubi vero ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio & Dux in Pruſſia ſine legitimis maſculis Feudi Haeredibus, vel ejus legitimi maſculi Feudi Haeredes non relicta prole virili deficerent, extunc ſupradictae Terrae, Civitates, Oppida & Arces in omni forma & modo, quemadmodum eas ſupradictus ALBERTUS Marchio habuit, ad Illuſtrem Principem Dominum GEORGIUM FRIDERICUM, GEORGII Filium, Marchionem Brandeburgenſem, cujus Oratores in hac renovatione Inveſtiturae Vexillum contigerunt, & ipſius legitimos ſexus maſculini Feudi Haeredes venire & devolvi debent. Si vero etiam Marchio GEORGIUS FRIDERICUS ſine legitimis Feudi Haeredibus maſculis, vel ejus Haeredes poſt ejus obitum ſine legitimis maſculini generis Feudi Haeredibus ex humanis concederent, dictae Terrae, Civitates, Oppida & Arces ad Illuſtrem Principem Dominum ALBERTUM Juniorem Marchionem, CASIMIRI Filium, cujus etiam Legatos in hac noſtra renovatione Inveſtiturae ad Vexilli contactum ſingulari gratia & benignitate noſtra admiſimus, & ejus maſculos Feudi Haeredes derivari & devolvi debent. Ita, quod dictae Terrae, Civitates, Oppida, & Arces, ubi Divina Ordinatione hujusmodi caſus futuris temporibus acciderent, de uno in alium, & eorum legitimos Feudi Haeredes maſculos illo ipſo ordine, qui expreſſus eſt, cedant & devolvantur, ſine noſtro, Haeredumque & Succeſſorum noſtrorum Regum, & Regni noſtri Poloniae impedimento. Ita tamen, ut quoties ſe obtulerit ejusmodi caſus devolutionis de uno in alium, in praedictos Marchiones, & eorum legitimos Feudi Haeredes maſculos, debebunt illi, & quiſq; eorum debebit Nobis, & Succeſſoribus noſtris Regibus ac Regno Poloniæ, infra tempus debitum & legitimum, debitam ſubjectionem & Feudi obligationem & homagium praeſtare. Quodſi praedicti Marchiones de Domo Anſpach, divina ſic diſponente voluntate, ſine maſcula pro-

ANNO 1550. prole Feudi Haerede legitma ex lumbis eorum ordine ſupraſcripto procedente, aut eorum hujusmodi proles ſine maſculo Feudi Haerede, legitime ex lumbis eorum procedente, decederet, tunc omnes & ſingulæ terræ, civitates, oppida, bona & arces ſupraſcriptæ ad Nos & Succeſſores noſtros Reges & Regnum Poloniæ ſine omni impedimento & contra dictione devolvi & redire debent. Debebit item ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio & Dux in Pruſſia, ejuſq; prænominati Succeſſores & Feudi Hæredes, pro hac noſtra in ſe beneficentia, Nobis & Regno noſtro tale obſequium præſtare, quod ubi ratione hujus concordiæ & conceſſionis Feudi a quocunque, cujuſvis eminentiæ & conditionis Principe ſeu Potentatu impeteremur, aut Succeſſores noſtri impeterentur, tenebitur ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio, aut ejus prædicti Succeſſores Duces in Pruſſia, in propria Perſona Nobis & Regno noſtro ubiq; una cum omnibus ſuis ſubditis, & pro ſummis viribus ſuis adeſſe. Quod viciſſim Nos & Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniæ in eodem caſu facere debebimus, & debebunt. Ubi autem contingeret, quod Nos vel Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniæ altera quavis ex cauſa, tam ab infidelibus, quam a quocunque alio impeteretur, & ipſi in propria Perſona ad bellum cum ſubditis noſtris proficiſceremur, aut Succeſſores noſtri proficiſcerentur, debebit dictus Illuſtris Dominus ALEERTUS Marchio & Dux in Pruſſia, aut ejus prænominati Succeſſores Duces in Pruſſia Nobiſcum cum centum equitibus armatis proficiſci, & intra limites Terrarum Pruſſiæ Nobis ſervire. Quodſi educere extra terminos Pruſſiæ illum aut ejus Succeſſores Duces in Pruſſia cum ipſo equitatu voluerimus, aut Succeſſores noſtri voluerint, debebimus & Nos & Succeſſores noſtri ad eoſdem centum equites ſtipendium tale præbere, quale dari aliis noſtris mercenariis equitibus eſt ſolitum. Ubi vero Nos vel Succeſſores noſtri vellemus ipſum Dominum ALBERTUM Marchionem, aut ejus nominatos Poſteros, Nobis & Succeſſoribus noſtris majori comitatu ſervire, debebimus Nos & Succeſſores noſtri his omnibus militibus, quos ultra centum prædictos conducere poſſet, mox poſt egreſſum e domibus ipſorum ſtipendium, quod noſtris militibus dabitur, illis, quam diu ſervierint, perſolvere. Si autem plures quam centum prædictos equites ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio aut ejus Succeſſores Duces in Pruſſia educere non poſſet, non debebimus Nos, aut Succeſſores noſtri ab illo, aut poſteris ejus Ducibus in Pruſſia plura exigere. ANNO 1550.
Præterea non debebit ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio, & ejus nominati Feudi Succeſſores Duces in Pruſſia, quidquam ex Terris, civitatibus, oppidis arcibus & bonis prædictis vendere. Verum ſi ad hoc illum, aut Succeſſores ejus ingens urgeret neceſſitas, tenebitur Nobis & Succeſſoribus noſtris, tanquam Dominis ſuis hæreditariis, ante omnia denuntiare. Quodſi Nos ipſi emere non curaverimus, aut Haeredes & Succeſſores noſtri non curaverint, in hoc caſu poſtea ipſe Dominus ALBERTUS Marchio & Dux in Pruſſia, aut ejus legitimi Feudi Haeredes ſeu Succeſſores cuicunque voluerint, vel potuerint, liberam vendendi habebunt facultatem, Regalibus tamen noſtris Feudi & obſequiorum juribus ſemper ſalvis remanentibus. Poterit autem ipſe Dux in Pruſſia & ejus Feudi Haeredes, ubi eos neceſſitas urgens premeret, ex bonis ſuis praedictis, quantum opus foret, impignorare, ſuis duntaxat ſubditis & vaſallis, ut eadem bona unita & indiviſa permaneant. Quae omnia & ſingula ſupraſcripta, & quaecunque alia, quae Vaſallus & Feudalis Princeps, erga ſuum naturalem haereditarium ac ſuperiorem Dominum praeſtare ac obſervare tenetur, debebit ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio & Dux in Prusſia, ac ejus Feudi Haeredes, legitimi Succeſſores, firmiter & inviolabiliter adimplere. Noſque vicisſim illum & Succeſſores ejus omni gratia & favore Regio complecti, ac illos in juribus & immunitatibus ipſorum conſervare, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniae pollicemur. In quorum omnium fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum eſt appenſum, et manu propria praeſentibus Nos ſubſcripſimus. Datum Cracoviae Feria ſexta ante Feſtum Sancti Thomae Apoſtoli proxima Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, Regni noſtri vigeſimo primo. Praeſentibus etc.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS
Rex.

CCXXXVI.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS *Pol. Rex approbat inſcriptionem dotis per* ALBERTUM *Seniorem Ducem Pruſſiæ Conjugi ſuæ factam.* Datum Piotrcoviæ Anno 1552. 1552.

 Ex

ANNO 1552.

Ex Archivo Regni Lib. ſub Lit. Z O. fol. 250.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS &c. Significamus &c. Quia cum Illuſtris Dominus ALBERTUS Senior Marchio Brandeburgenſis in Pruſſia, Stetiniae, Pomeraniae, Slavorum, Caſſubarum &c. Dux, Rugiae Princeps, Burgrabius Nurembergenſis, Conſobrinus noſter chariſſimus, inter caetera, quae per Oratores ſuos apud Nos in hac Conventione Generali Piotrcovienſi egit, id quoq; a Nobis ſua Illuſt. petiisſet, ut reformationem dotis & donationis propter nuptias per Illuſtritatem ſuam, Illuſtri Principi Dominae ANNÆ MARIÆ Braunſchvicenſi & Luneburgenſi Duci, Conjugi ſuper bonis noſtris Regiis, quae jure Feudi obtinet, Caſtri ſcilicet Labiaw, Lakiſzken, Neuhaus, & Waldaw factam approbare & confirmare dignaremur. Nos itaque pro ea ſanguinis ac neceſſitudinis, quae Nobis cum Illuſtritate ſua intercedit, conjunctione, petitioni ſuae annuendum cenſuimus, atq; diligenter in hoc Generali Conventu cum Senatoribus Regni noſtri, Equeſtriſque Ordinis hominibus ea de re egimus. Ad noſtrum itaque adſenſum Conſiliariorum quoque omnium, Equeſtriſq; Ordinis hominum, in Conventione hac Generali Piotrcovienſi congregatorum, conſenſu accedente reformationem dotis & donationis propter nuptias, quam ipſe Illuſtrisſimus Dominus ALBERTUS Senior in Pruſſia Dux in bonis noſtris feudalibus Illuſtrisſimae Dominae ANNÆ MARIÆ praefatae Conjugi ſuae legitimae inſcripſit & reformavit, in omnibus approbamus & confirmamus, ratamque et gratam habentes, ſub ea tamen conditione, ſi bona, in quibus reformatio Illuſtrisſimae olim DOROTHEÆ ex Regum Daniae ſtirpe progenitae ſuae Illuſtritatis primae Conjugis eſt facta et inſcripta, ſint a praefata inſcriptione et reformatione dotis et donationis propter nuptias, munda et libera, nec aliquibus quibusvis inſcriptionibus innodata. Quarum quidem Literarum noſtrarum vigore, praefata Illuſtrisſima Domina ANNA MARIA, Conjunx Illuſtritatis ſuae praefata Caſtra Labiaw, Lakiſzken, Neuhaus, et Waldaw, cum omnibus et ſingulis ſubditis, vaſallis, cenſibus, fructibus et proventibus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, manſis, curiis, molendinis, vectigalibus, redditibus, teloneis, ſervitiis, lacubus, fluminibus, piſcationibus, aquis, ferarum venationibus, ſylvis, nemoribus, paſcuis, pratis, campis, ac metallis omnibus, ſi quae ibidem exiſtunt, aut poſthac induſtria humana produci poſſunt, & generaliter omnibus & ſingulis utilitatibus, quæ nunc in præfatis bonis, caſtris, ſcilicet Labiaw, Lakiſzken, Neuhaus et Waldaw, ac illorum attinentiis exiſtunt, aut poſt hac fieri poſſunt. Ita, ut generalitas ſpecialitati, et ſpecialitas generalitati in nullo deroget, tenebit, habebit, utifruetur, et posſidebit ad extrema uſq; vitæ tempora, juxta literas donationis propter nuptias Illuſtritati ſuæ per Illuſtr. Dominum ALBERTUM in Pruſſia Ducem et Conſobrinum noſtrum chariſſimum factas. Harum etc. Datum Piotrcoviae in Conventione Regni Generali Sabbatho ante Dominicam JUDICA. Anno Domini MDLII. Regni noſtri XXIII.

CCXXXVII.

1553. *Reſponſum S. Regiæ Majeſtatis Duci Pruſſiæ ſuper loco & ſuffragio in Conſultationibus, ſuper appellationibus, & jure cudendæ monetæ datum.* Piotrcoviæ Anno 1553. *Lib. Legat. ſub lit. P. fol. 1.*

Principio agnoſcit Majeſtas illius ex diſertis Pactorum verbis primum et proximum locum in Conſiliis, Terrarum Comitiis, et publicis Conventibus Illuſtritati ejus apud Serenisſimos Poloniae Reges deberi; An autem ad dextram manum debeatur, id ex Pactis oſtendi poſſe non putat, æque enim ad ſiniſtram vel ad dextram manum primus & proximus locus eſſe poteſt. In Pactis autem, quæ cum Magiſtris Pruſſiæ Majores S. R. Majeſtatis conſtituerunt, diſertis verbis ſcriptum eſt, quod primum locum ad ſiniſtram manum Regum Poloniæ habituri eſſent. Quamobrem cum in Pactis cum Illuſtri Domino Duce locus ſic de ſeſſione ſcriptus ſit, ut in utramque partem trahi poſſit, interpretationem illius ex Pactis cum Magiſtris initis petendam eſſe Sacra Majeſtas illius exiſtimat, præſertim cum Reverendiſſimo Domino Gneſnenſi Archiepiſcopo dextræ manus locus perpetua conſuetudine debeatur.

Minus autem multo ex Pactis Illuſtri Domino Duci jus dicendæ ſententiæ in Senatu competit, niſi fortaſſis incidat aliquid ejuſmodi, quod ad Illuſtrem Dominum Ducem, Ducatumq; illius pertineat, de quo conſultatio eſſet ſuſcipienda; tunc enim adhibendum eſſe conſilium, ſententiamq; rogandam Majeſtas Regia exiſtimaret, quod ipſum verbum illud in Pactis publicis innuere videtur,

atq;

ANNO 1553. atq; Illuſtritatem illius ab his conſultationibus excludere, quæ de ſolius Regni ſtatu, privatisque negotiis ſuſcipiuntur. Quod ſi Illuſtritas illius vellet Regni juribus ſe, Ducatumq; incorporare, oneraq; Regni in ſe & Ducatu ſuo tam in expeditionibus bellicis, quam tributis conferendis ſuſtinere, facile effecturam ſe Majeſtas Regia confidit, ut univerſorum Regni omnium aſſenſu jus dicendæ ſententiæ Illuſtritati illius concedatur.

Ab Electione vero Sereniſſimorum Poloniæ Regum Pacta diſerte Illuſtrem Dominum in Pruſſia Ducem excludere videntur, cum Illuſtritati illius locum primum & proximum in Conſiliis, Comitiis, & Conventibus apud Regiam Majeſtatem concedant; aperte enim hoc volunt, abſente Majeſtate Regia, quod in Electionibus fieri ſolet, Illuſtri Domino in Pruſſia Duci nullum locum deberi. Sed neque jus feudi hoc cuiquam tribuit, niſi expreſſis verbis ſingularique Privilegio hoc illi concedatur.

Non negat Sacra Majeſtas Regia ſuperioris Domini auctoritatem aliis rebus, non ſola provocationis permiſſione agnoſci. Sed & illud fatetur, abſque provocatione Superioritatem & Dominium retineri poſſe, ſed ita tamen, ſi hoc alicui volens ſuperior Dominus concedat. Natura certe feudi ea eſt, ut a Vaſallo ad ſuperiorem Dominum appelletur, quam qui admittere nollet, auctoritatem ſuperioris tollere velle videretur. Negat Illuſtris Dominus in Pruſſia Dux à ſententia Magiſtrorum in Pruſſia appellatum aliquando fuiſſe, ſed fateatur oportet, longe aliam Magiſtrorum conditionem fuiſſe, qui nunquam ſolemnem Inveſtituram a Sereniſſimis Poloniæ Regibus accipiebant, ſola jurisjurandi præſtatione ſuperioritatem illorum agnoſcebant. Neque videt S. Majeſtas Regia, quid verba ex literis Inveſtituræ in Legatione perſcripta: *ſimiliter cum omnibus & ſingulis ſuperioritatibus &c.* ad eam rem faciunt, cum generalitas hæc in fine earundem Literarum reſtricta ſit hiſce verbis: *quæ omnia & ſingula ſupraſcripta & quæcumque alia, quæ Vaſallus & feudalis Princeps erga ſuum naturalem hæreditarium ac ſuperiorem Dominum præſtare ac obſervare tenetur, debebit ipſe Illuſtris Dominus* ALBERTUS *Marchio & Dux in Pruſſia, ac ejus Hæredes legitimi Succeſſores, firmiter ac inviolabiliter adimplere.* Sed & ex Pactis ad nulla alia Privilegia obſervanda Illuſtri Domino Duci S. Majeſtas Regia illius tenetur, niſi quæ Superioritati Regiæ non repugnent, quod ex ea Pactorum clauſula aperte liquet. „ Item debet Regia Majeſtas Marchionem ALBERTUM Suoſq; Hæredes, & omnes Incolas ſupra ſcriptarum Terrarum Pruſſiæ in omnibus earum Privilegiis, huic Tranſactioni & Superioritati Regiæ non repugnantibus, conſervare, & alias ab iniqua violentia defendere & manutenere. „ ANNO 1553.

Quamobrem non debet Illuſtri Domino in Pruſſia Duci grave videri, ſi hoc poſtulat S. Majeſtas Regia, quod ſibi jure ſuperioritatis debetur, quæ Pactis integra illi ſervata eſt, in quibus, quod nulla appellationis facta eſt mentio, vel hoc ipſum magno argumento eſt, deberi illam Majeſtati Regiæ. Nam ſi hoc dare Dominus Parens Majeſtatis ejus Illuſtri Domino Duci voluiſſet, expreſſe hoc in Pactis poſitum fuiſſet, præſertim cum tam multa de jurisdictione ſcripta eſſent, de evocationeq; diſertis verbis cautum eſſet.

De cudenda moneta præteritis Comitiis Illuſtri Domino in Pruſſia Duci ſatis reſponſum eſſe S. Majeſtas Regia exiſtimat; nam poteſtas Illuſtritati ejus facta eſt utendi, quo velit, Privilegio, ſive novo, quod ſibi ex Pactis competeret, ſive veteri, quod ſecum ad Regnum attuliſſe dicit; quamobrem ne nunc quidem aliud reſpondere poteſt S. Majeſtas ejus, quam tum reſponſum erat. Audit quidem S. Majeſtas ejus dici, quod Magiſtri in Pruſſia jus cudendæ monetæ habuerint; ſed illud quoque non ignorat, quod ditionis illorum intra fines continebatur, neque uſus ejus in Regno fuit. Quod autem Illuſtris Dominus in Pruſſia Dux excutere non vult, quæ ſit poteſtas S. Majeſtatis Regiæ in cudenda moneta, quidve Regni Leges & Statuta perſcribant, committit hoc Illuſtritati ejus S. Majeſtas Regia, illud tamen conſiderandum illi relinquit, num vetuſtis Regni Privilegiis & Statutis de cudenda moneta, nova pacta derogare tacite potuerint, cum expreſſa eorum mentio facta non ſit. Ea enim verba pactorum: *Item quod Dux in Pruſſia &c.* aliud non habent, quam quod moneta concordari debuit, niſi fortaſſis aliud Privilegium Illuſtritas ejus habeat, quod ad eam diem S. Regiæ Majeſtati exhibitum non eſt. Quod tamen ampliorem facultatem Illuſtri Domino Duci in cudenda moneta dare non poteſt, quam eſt ea in re S. Majeſtatis Regiæ poteſtas, niſi omnium Ordinum Regni expreſſus conſenſus acceſſiſſet. &c.

CCXXXVIII.

Decretum SIGISMUNDI AUGUSTI *Poloniæ Regis ſuper nullitate Appel-* 1554.

ANNO 1554. *Appellationum a colonis Elbingenſium fieri ſolitarum.* Dat. 8. Septembris Anno 1554. *Ex Archivo Regni Libr. 68. fol. 420.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex Poloniæ &c. Notum facimus &c. expoſitum Nobis eſſe famati Magiſtratus Elbingenſis nomine, poſſidere hæreditario jure Civitatem certas villas & poſſeſſiones, partim legitimo juris titulo adeptas, partim vero a Divis Majoribus noſtris donatas, in quibus plerique coloni ea temeritate & pertinacia ſint, ut a Magiſtratu Civitatis, penes quem ſummum ſit in illos Dominium, ad alios appellare non dubitent, ſupplicatumq; Nobis eſſe, ut quum & Equeſtris Ordo, & alii quique noſtri homines in earum poſſeſſionum colonos, quas hæreditario & legitimo jure poſſident, merum imperium habeant, Civitatem quoque Elbingenſem in pari ratione pari jure uti ne prohiberemus, quas illorum preces & æquas eſſe, & propterea admittendas putavimus, decrevimusq; ac decernimus, & ſtatuimus Literis hiſce noſtris. Quandoquidem in ſuos cuique ſubditos juriſdictionem ſalvam & integram eſſe oporteat, ut earum villarum & poſſeſſionum colonis, quæ legitimo juris titulo a Civitate Elbingenſi poſſidentur, proprieq; Civitatis ſunt, nullam ad Nos appellationem Magiſtratus admittere deinceps habeat neceſſe, ſed eadem ratione, qua cæteri in Pruſſia in ſuos proprios colonos domini juriſdictionem in illos ſuam, nullo obſtante, legitime exerceant. In quorum fidem &c. Datum ex venationibus noſtris Volhinicenſibus die 8. Septembris Anno Domini 1554. Regni vero noſtri Anno 25.

CCXXXIX.

1555. *Idem Privilegium Gedanenſibus datum.* Vilnæ Anno 1555. *Ex Archivo Regni Libr. 67. fol. 76.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex Poloniæ &c. Notum facimus Literis noſtris &c. Expoſitum Nobis eſſe ex parte Spectabilis ac Famati Senatus Gedanenſis noſtri, poſſidere jure hæreditario eam Civitatem certas villas & pagos, poſſeſſionesque partim a Majoribus noſtris donatas, paralio legitimo juris titulo acquiſitas. In quibus coloni ea temeritate & pertinacia ſint, ut a Magiſtratu Civitatis, penes quem ſummum eſt in illos imperium, ad alios appellare non dubitent; ſupplicatumque Nobis eſſe, ut quum & Equeſtris Ordo, & alii noſtri homines in iſtiusmodi villarum ac poſſeſſionum colonos, quas hæreditario & legitimo jure poſſident, merum imperium habeant, Civitatem quoque Gedanenſem in pari ratione, pari jure uti ne prohiberemus. Quas illorum preces & æquas eſſe, & propterea admittendas putavimus, decernimusque, ac decrevimus, & ſtatuimus literis hiſce noſtris. Quandoquidem in ſuos cuique ſubditos juriſdictionem ſalvam & integram eſſe oporteat, quod illarum villarum & poſſeſſionum colonis, quæ a Civitate Gedanenſi poſſidentur, ac jure proprietatis Civitatis ſunt, nullam ad Nos appellationem Magiſtratus admittere deinceps habeat neceſſe, ſed eadem ratione, qua cæteri in Pruſſia in ſuos proprios colonos domini juriſdictionem in illos ſuam, nullo obſiſtente, legitime exerceant. In quorum fidem &c. Datum Vilnæ Feria quinta ante Feſtum Sancti Mathiæ Apoſtoli, Anno Domini MDLV. Regni vero noſtri Anno vigeſimo ſexto. ANNO 1555.

CCXL.

Reſponſum S. Regiæ Majeſtatis ad conſueta Ducis Pruſſiæ poſtulata. Datum in Piotrkow Anno 1555. Menſe Junio. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. ſub Lit. P. fol. 375.*

QUamvis eandem ſæpe cantilenam occinentibus vel idem, vel nihil ſuccini ſoleat, Regia tamen Majeſtas poſt præterita ſua, ac Divi Parentis ſui reſponſa, ita nunc de ſententia ampliſſimi Senatus Regni ſui breviter ad poſtulata Illuſtriſſimi Domini Ducis in Pruſſia Conſobrini ſui chariſſimi reſpondet.

Sententiæ dictionem in conſilio Regio jure Illuſtritas ejus vendicare ſibi non poteſt, niſi cum accerſetur, & conſuletur, quemadmodum in HENRICO de PLAWEN Magiſtro, imo & alio quodam fortaſſe factum eſſe dubium non eſt. Plerumq; enim nulla alia de re agitur, & conſultatur in conſiliis Regiis, quam de judiciis, & juſtitia adminiſtranda ſubditis, ac de defenſione Regni. Cum autem juris, & judiciorum Polonicorum rationem Illuſtritas ejus non teneat, non ſatis decorum ipſi eſſet, de rebus incognitis velle dicere. Alius quidem quisque etiam ridiculus & ineptus diceretur, qui de rebus, quas non noſſet, apud peritos earum ſermonem habere vellet. Porro quod ad defenſionem attinet, ejus duplex ratio eſt in Polonia. Aut enim generali expeditione res geritur, aut conſenſu Ordinum ac Decreto Regio pecunia vulgo confertur

ANNO 1555. tur in ſtipendia mercenariorum militum. Ab utraque hac ratione diverſa eſt conditio Illuſtritatis ejus, qua Regi, & Regno Poloniæ obnoxia eſt. Eſſet autem abſurdum & invidioſum, ſi quis aliis, qui ei ſubjecti non ſint, vellet onus imponere, quod ipſemet non ſubit. Aut certe ferre & ipſe debet, quod in alium ſtatuit. Conſultat quidem de rebus hujusmodi etiam Ordo Eccleſiaſticus, qui habet militiæ vacationem: verum is non magis aliis quam ſuis ipſius ſubditis onus defenſionis injungit. Quin & ipſe nonnunquam in eam de ſuo contribuit. Cogitet igitur Illuſtriſſimus Dominus Dux pro ſua prudentia, quali obtrectationi & odio ſeſe objiceret, ſi in conſilio Regio ſententia ſua in alios decernere vellet aliquid ejusmodi, quod in ſe ipſe, ſuosque non ſuſciperet. Cæterum, ſi quod bellum huic Regno ingrueret, futurum eſſet procul dubio, ut Illuſttitas ejus, cujus virtus, ſolertia, & peritia rei militaris perſpecta eſt Regiæ Majeſtati, cunctisque Regni Ordinibus, in conſilium adhiberetur. In aliis Regni negotiis nihil eſt, quod Illuſtritas ejus ipſa ſibi ultro negotium & moleſtiam ſupervacaneam ſumat. Quod certe neque Sileſiorum Duces in Conſilio Bohemico ſibi uſurpant, neque Maſoviorum in Polonico unquam uſurparunt.

Quod quidem de electione quoque Regis debet intelligi, ac longe magis etiam propterea, quod præpoſterum eſſe videretur, ſi Vaſallus non ſubeſſe ei, cui ſeſe ſemel ſubjecit, ſed præficere ſibi arbitratu ſuo Dominum contenderet. Niſi id diſerte initio ſibi ipſe caviſſet, vel ſingulari beneficio ejus, cui ſubeſt, conſecutus eſſet, quemadmodum Principes Electores in Imperio, ubi cæteri non admittuntur, quamvis potentes & inclyti.

De Appellatione, quod eadem reſpondentur, quæ prius, non eſt ratio, cur id minus liceat reſpondenti, quam petenti. Ingenue vero agnoſcit Illuſtriſſimus Dominus Dux provocationem in natura ſuperioritatis ac dominii feudi contineri. Nec Regia Majeſtas diffitetur, eam remitti a Domino feudi poſſe. Pacta enim legem ſtatuunt paciſcentibus. Verum remiſſam eſſe, id vero demonſtrandum fuit. Generalis quidem illa clauſula & confirmatio: *Omnes & ſingulas ſuperioritates &c.* id non demonſtrat. Nihil enim vetat exiſtimare, etiam temporibus Magiſtrorum fuiſſe provocationem ad Regem, & neminem tamen provocaſſe, cum nemini fieret injuria, aut itidem per vim, & injuriam, Rege vel inſcio, vel majoribus negotiis occupato, inhibitam eam eſſe aut cum uſitata fuiſſet, nihil tamen de eo memoriæ mandatum eſſe. Non remiſſam autem eſſe provocationem pactis feudalibus, ex eo liquet, quod placuit in commune, ut lites & cauſas controverſas Regii ſimul cum Ducalibus Conſiliariis, certo loco congreſſi, dijudicarent. Quodſi inter eos non conveniret, exiſtimandumne eſt, hoc voluiſſe paciſcentes, ut controverſiæ indeciſæ manerent? Minime. Sed cum id, quod præter morem feudorum amanter convenerat, de cognitione controverſiarum per amborum Conſiliarios apertis verbis cautum eſſet, ſilentio præteritum eſt id, quod naturam feudi conſequitur, & caveri neceſſe non eſt, niſi ſi remittatur. Nam quod Illuſtriſſimus Dominus Dux offenſiones ex ea re ſubditorum ſuorum, & ad alia remedia recurſum reformidat. Magis id adeo metuendum eſt, ſi negetur, quam ſi concedatur provocatio, quæ non in gravamen, ſed in beneficium injuria affectorum conceditur & exigitur. ANNO 1555.

Monetæ cudendæ jus melius uſurpare ſibi non poteſt Vaſallus, quam Dominus feudi, ſicut ne alias quidem prærogativas. Hoc enim eſſet, Dominum eſſe, non Vaſallum. Magnum eſt, ſi pares habeat cum Domino ipſius indulgentia. Eſt quidem ita, quod exæquata eſt moneta Illuſtritatis ejus cum Regia moneta, ſed non per Conſiliarios & Ordines Regni, imo ægre ferentibus iis & frementibus, nec plus concedere cuiquam Regia Majeſtas potuit, quam ipſa habet. Nec tamen illud cautum eſt eo privilegio, quod neceſſe eſſet eam monetam in Regno accipi. Alioqui neceſſe etiam eſſet eam probari, quemadmodum fit in Polonia a primoribus Regni Conſiliariis. Eſſet enim iniquum, prægravari invitum Regem Regnumque a Vaſallo. Quodſi Illuſtritas ejus arbitratu ſuo uti vult jure cudendæ monetæ, quod ad Regnum ſecum attulit, utatur ſane, ſed tali, quale attulit, ac quali Magiſtri uſi ſunt, non quale a Regno accepit, hoc eſt, ut nihil ea moneta commune cum Polonica habeat, neque uſus ejus ad Poloniam pertineat. Alioqui fieret fortaſſe de ea, quod de Czwidnicenſi factum eſt.

CCXLI.

Literæ Plenipotentiæ a JOACHIMO *Marchione Brandeburgenſi datæ Oratoribus ad petendam Inveſtituram Ducatus Pruſſiæ in Comitiis Petrciov. Regni.* Datum Francofordiæ ad Menum 1562.

 d. 20.

Anno 1562. d. 20. Novembr. Anno 1562. *Ex Archivo Regni Libr. ſub Litt. XC. fol. 147.*

Nos Joachimus Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius & Elector: Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum, Vandalorum, & Croſnæ in Sileſia Dux, Burggravius Norinbergenſis, Princeps Rugiæ &c. Fatemur his literis, & notum facimus univerſis & ſingulis, quod poſtquam Sereniſſimus Rex, & Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, & Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, totius Pruſſiæ, Samogitiæ ac Maſoviæ Dominus & Hæres &c. Dominus & Affinis noſter chariſſimus, conſentientibus & approbantibus inclyti Poloniæ Regni Statibus & Optimatibus, ad ſedulas & obnixas noſtras petitiones clementiſſime annuit, ut ſimultanea Ducatus Pruſſiæ Inveſtitura Nobis, Hæredibusque noſtris maſculis, ex Nobis prognatis, conferretur, Legatos & Oratores noſtros, Nobilem & Magnificum Virum Liborium de Bredow Capitaneum Prignicenſem, una cum doctiſſimo & clariſſimo Viro Abdia Prætorio Profeſſore noſtro in Academia noſtra Francofordiana primario, & aliis eorum adjunctis ad inclyta Polonici Regni Comitia, quæ Petricoviæ celebrantur, cum plenaria poteſtate ablegaverimus, & demandaverimus ipſis, ut noſtro, noſtrorumque nomine ſimultaneam Ducatus Pruſſiæ Inveſtituaram, de qua antea promiſſio facta eſt, denuo juxta formam mandati petant. Et collationem ejus realem & actualem noſtro, noſtrorumque nomine, juxta conſuetos ac uſitatos in Polonia ritus & ſolemnitates impetrent, & cum Sereniſſima Regia Dignitate de Articulis, ad reciprocam noſtri obligationem pertinentibus, paciſcantur: &, ſi juramanto fidelitatis opus eſt, in noſtram animam jurent, & omnia illa, quæ Nobis ipſis, ſi coram adeſſemus, in caſu Inveſtituræ ipſo jure facienda forent, faciant. Ad hæc omnia plenariam ipſis authoritatem, harum Literarum poteſtate, concedimus eo modo & forma, quibus de jure melius, ſeu quam optime fieri decet, & poteſt. Permittimus inſuper ipſis, & damus hanc poteſtatem, ut in caſu adverſæ valetudinis ſuæ, in locum ſuum pariter, vel ſingillatim, pro uno videlicet, vel utroque, alios ex adjunctis ſubſtituant, & illis expeditionem eorum, de quibus dictum eſt, plenariam commendent. Ad has vero res, ſi aliis etiam vel generalibus vel ſpecialibus mandatis opus fuerit, debet ipſis illud etiam vigore harum literarum in meliori ſeu optima forma cum omnibus neceſſariis clauſulis, plenarie permiſſum, conceſſum, & demandatum eſſe. In his omnibus fatemur, promittimus & teſtamur, Nos omnia illa, quæ ex ſententia & authoritate hujus mandati & permiſſionis fecerint & egerint, pro ratiſſimis habituros, comprobaturos, & ſemper bona fide, ſine fraude & violatione, ſervaturos, non minus quam ſi Nos ipſi conſenſiſſemus, acceptaſſemus, & promiſiſſemus. Ad iſtius vero rei confirmationem munivimus has literas noſtras proprio & ſecretiſſimo noſtro ſigillo & chyrographi noſtri ſubſcriptione. Actum Francofordiæ ad Menum die 20. Novem. Anno Virginei Partus 1562. Anno 1562.

JOACHIMUS &c.

CCXLII.

Promiſſio & obligatio ejusdem Joachimi *Electoris Brandeburgenſis citra ſervauda fideliter omnia, quæ illi ſuisque Succeſſoribus a Rege & Ordinibus Regni præſcripta ac impoſita fuerunt.* Dat. Francofordiæ ad Menum d. 20. Novemb. Anno 1562. *Ex Archivo Regni Libr. ſub Litt. XC. fol. 148.*

Nos Joachimus Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius & Elector: Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum, Vandalorum, & Croſnæ in Sileſia Dux, Burggravius Norimbergenſis, Princeps Rugiæ &c. Notum facimus his præſentibus Literis noſtris univerſis & ſingulis, & recognoſcimus. Poſtquam Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Sigismundus Augustus Rex Poloniæ &c. tam ſuo, quam omnium totius Regni Poloniæ Procerum & Conſiliariorum nomine, pro Regia propenſa, amica & liberali erga Nos voluntate, ad ſtabiliendam, arctiusque devinciendam amicitiam, affinitatem & neceſſitudinem, quæ illius Regiæ Dignitati non ſolum Nobiſcum, ſed multo magis cum tota Domo Illuſtriſſimorum Principum Marchionum Brandeburgenſium intercedit, tantum in Nos beneficium contulit, ut Nobis commune jus, certo ordine & modo, in feudali Ducatu Pruſſiæ ſuccedendi, quod ſimultaneam Inveſtituram vocant, benigne tribuerit. Nempe ut deficientibus aliis Marchionibus Vaſallis Ducatus Pruſſiæ, prout in Pactis, eo nomine initis, ordine nomi-

Anno 1562. nominati & deſcripti ſunt, Feudum illius Ducatus in Nos, noſtroſque Succeſſores tranſiret, ac devolveretur. Nos propenſam hanc Regiam voluntatem, & ſingularem gratiam animo, ut par eſt, grato amplectendam, & accepti beneficii teſtificationem, & gratitudinis noſtræ, qua in perpetuum Regiæ Dignitati, & inclyto Regno Poloniæ devincti eſſe volumus, declarationem literis noſtris edendam & conteſtandam eſſe duximus. Primum igitur authoritate harum literarum profitemur & agnoſcimus, Nos Regium beneficium ſimultaneæ Inveſtituræ, & feudalis conſortii in Ducatu Pruſſiæ eo modo & ordine, ſicut a Regia Dignitate Nobis datum & conceſſum, ac literis Regiis confirmatum eſt, pro Nobis & legitimis Succeſſoribus noſtris, grato animo amplecti & recipere. Noſque viciſſim ad omnia, quæ in Pactis de feudo Ducatus Pruſſiæ interpoſita, ab aliis Conſortibus & Vaſallis illius Ducatus recepta & promiſſa ſunt, ultro adſtringimus & obligamus. Ita, ut non minus, quam alii Beneficiarii Marchiones Brandeburgenſes, ſimultaneam Inveſtituram Ducatus Pruſſiæ ante Nos adepti, ad omnia & ſingula, in Pactis contenta, devincti eſſe velimus & debeamus, eaque omnia Nos bona fide ſervaturos & præſtituros pollicemur. Deinde ubi caſus evenerit, ut aliis deficientibus, Nobis, vel Succeſſoribus noſtris, ſucceſſio in communi feudo Ducatus Pruſſiæ re ipſa deferatur, ſpondemus & promittimus, Nos intra legitimum tempus ſolennem Inveſtituram illius feudi a Regia Dignitate & Regno Poloniæ reverenter petituros, & juramentum fidelitatis pro more præſtituros, facturoſque omnia, quæ fidelem & obedientem Principem Vaſallum ac Beneficiarium decet, omni fraude et dolo penitus excluſo. In quorum omnium majorem authoritatem et fideles has Literas ſigillo noſtro appenſo, et propria ſubſcriptione munivimus. Actum Francofordiæ ad Menum 20. Novemb. Anno Virginei Partus 1562.

JOACHIMUS *Elector ſcripſit.*

CCXLIII.

1563. *Admiſſio* JOACHIMI *Marchionis, & Electoris Brandeburgenſis ad ſimultaneam Inveſtituram Ducatus Pruſſiæ; quæ etiam extenditur ad alterum* JOACHIMI *filium* SIGISMUNDUM *Archi-Epiſcopum-Magdeburgenſem, facta a* SIGISMUNDO AUGUSTO *& Ordinibus Regni cum obligationibus & conditionibus in Succeſſores Electores Brandeburgicos impoſitis.* Anno 1563. d. 4. Martii. *Libr. Legat. ſub lit. SX. fol. 118.* Anno 1563.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque &c. Dominus, Significamus tenore præſentium, quorum intereſt, univerſis & ſingulis, harum notitiam habituris. Quia cum Illuſtriſſimus Princeps, Dominus JOACHIMUS Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacri Rom. Imp. Archi-Camerarius & Elector, Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum, Vandalorum & Croſnæ in Sileſia Dux, Burgrafius Norinbergenſis, Princeps Rugiæ &c. Affinis noſter chariſſimus, ſuperiori tempore a Nobis per Legatos petiiſſet, ut ſuam Celſitudinem cum maſculis Hæredibus ad ſucceſſionem Feudi Ducatus in Pruſſia benigne admitteremus: Noſque illius Celſitudini hujuſmodi reſponſum dediſſemus, nihil unquam Nobis magis in votis fuiſſe, quam ut ſuæ Cælſitudini in omnibus, quoad recte fieri poſſet, gratificaremur, idque jam tum temporis præſtare paratos Nos fuiſſe, ſi Legati Celſitudinis ſuæ, ejus obligationis ſtabiliendæ, quam in ſe viciſſim, beneficii gratitudine, Illuſtriſſimus illarum Princeps recipere vellet, ac ea, quæ ad Vaſallum et beneficiarium Principem erga Dominum ſuum ſuperiorem pertinent, recognoſcendi integram haberent facultatem: quam, quia negarunt ſibi datam fuiſſe, Nos promiſſa noſtra tum eſſe expleturos, cum Illuſtriſſimus Princeps Elector alios Legatos mitteret, cum pleno de ejuſmodi obligationibus firmandis mandato, quod tunc Celſitudini ſuæ facere liceret, cum commode et ex ſua re eſſe arbitraretur. Nunc igitur, cum ad hæc Regni frequentia Comitia alios Legatos, cum integro mandato ad hujuſmodi obligationes ſtabiliendas, Celſitudo ſua miſiſſet, et hoc ipſum denuo impenſius a Nobis poſtulaſſet; pro noſtra in Celſitudinem illius propenſa benevolentia, ac pro ea ſummæ neceſſitudinis conjunctione, quam cum Illuſtriſſima Marchionum Familia a Majoribus adhuc utrinque inſtitutam, conſtanter obſervamus, facile in animum induximus, ut, quod antea jam frequenti Senatu appromiſeramus, Celſitudinem illius, et eum, qui perpetuo ex illius legitima poſteritate in Electoratum ſuccederet, nunc jam ad ſucceſſionem feudi Ducatus in Pruſſia admitteremus; quemadmodum hiſce literis noſtris in perſona

Anno 1563. trium Oratorum admittimus, eidemque cum Hæredibus maſculis in Electoratum ſucceſſuris ſimultaneam, ut vocant, Inveſtituram Feudi Ducalis in Pruſsia concedimus atque conferimus. In quo tamen pactis, cum Illuſtriſsimis Principibus, *D*omino Alberto *D*uce in Pruſsia, Georgio Friderico, et Casimiro Marchionibus olim initis et conventis, nihil penitus derogatum eſſe volumus. Quoniam vero idem Illuſtriſsimus Princeps a Nobis ſumme poſtulavit, ut alterum ejus Filium, Illuſtriſsimum et Reverendiſsimum *D*ominum Sigismundum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, Nepotem noſtrum ex Sorore chariſsimum, ad hanc ipſam Feudi *D*ucalis in Pruſsia ſucceſsionem, pro Regia noſtra benignitate, admitteremus, quam ita Nos jam quidem prius ad ſeniorem Fratrem, Illuſtriſsim. *D*ominum Joannem Georgium, Electoratus Succeſſorem, ejusque omnes maſculos Hæredes, qui in Electoratum loco et tempore ſuo ſucceſſuri ſunt, de communi Senatorum noſtrorum, omniumq; Regni noſtri Ordinum ſententia reſtrinximus, ut eam nunc invicem aut in commune Illuſtriſsimo et Reverendiſsimo *D*omino Sigismundo Archiepiſcopo Magdeburgenſi concedere, ſalvis jurium pactis, neque poſsimus neque debeamus. Operam tamen in hoc noſtram apud Senatum, Regniq; Ordines interpoſuimus, ut is Princeps, qui ex clariſsima ſanguinis noſtri propagine natus et eductus eſt, hac quoque Regni noſtri prærogativa cohoneſtaretur. Quare de ejusdem Senatus, totiusque Regni Ordinum aſſenſu eidem Illuſtriſsimo et Reverendiſsimo *D*omino Sigismundo, Archiepiſcopo Magdeburgenſi, jus et facultatem in Feudum *D*ucatus Pruſsiae ſuccedendi, harum literarum teſtimonio, in perſona eorundem trium Oratorum tribuimus atque conferimus, eo modo et ordine, ſicut in pactis eo nomine initis nominatus et deſcriptus eſt, Illuſtriſsimo nempe *D*omino Joanne Georgio, ejusque legitimis in Electoratum Succeſſoribus ſine maſculis feudi Hæredibus decedentibus. Quoties autem ſe obtulerit ejusmodi caſus devolutionis de uno in alium, prædictos Marchiones, et eorum legitimos feudi Hæredes maſculos, debebunt illi, et quiſque eorum debebit non prius feudum *D*ucatus in Pruſsia occupare, aut poſſeſſionem adire, quam Nobis, Succeſſoribusque noſtris Regibus Poloniæ, in propria perſona fidelitatis juramentum, debitam ſubjectionem, et feudi obligationem ac homagium præſtent etc. Ut autem hujuſce noſtri beneficii ab iisdem Illuſtriſſimis *D*ominis Marchionibus aliqua grata voluntatis nunc et inpoſterum ſignificatio Nobis, Succeſſoribusque noſtris, et huic inclyto Regno extare poſsit, providere omni ope debebunt, et quiſque eorum debebit, ut ne hoſtium exercitui per ditiones ſuas in Terras Pruſsiae vel alia dominia noſtra tranſeundi poteſtatem faciant. Quodſi vero eorum vim viribus et facultatibus ſuis ſuſtinere non poterint, de eo Nos, Succeſſoreſque noſtros et celeriter præmonere, et fideliter præcavere debebunt. Regni item noſtri rationes omnes favore ſuo proſequentur, atque apud Sacrum Roman. Imperium, quoties id neceſsitas poſtularet, authoritate ſua promovebunt. Ac ea item omnia, quæ fideles Vaſalli et beneficiarii Principes *D*omino ſuo ſuperiori debent, fideliter implere, atque amanter præſtare tenebuntur. Nos autem viciſsim illos, et Succeſſores eorum legitimos feudi Hæredes, gratia et favore noſtro Regio complecti pollicemur, idemque pro Succeſſoribus noſtris Poloniæ Regibus promittimus atque recipimus. In quorum omnium et ſingulorum præmiſſorum fidem, firmiuſque et evidentius teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillum majus noſtrum infra eſt appenſum. *D*atum Pietrcoviæ in Conventu Regni noſtri Generali, Feria quinta poſt *D*ominicam *Invocavit* proxima in Quadrageſima, die vero quarta Menſis Martii, Anno *D*omini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, Regni noſtri trigeſimo quarto Anno. Anno 1563.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS
Rex.

(L.S.)

CCXLIV.

Inſtructio Legatorum ad petendam Inveſtituram ſimultaneam in Comitiis Petricovienſibus. Dat. d. 26. Januar. Anno 1563. *Indidem fol. 149.*

Poſt Salutationem, & officiorum commendationem, ſunt hæc ſequentia a Legatis Illuſtriſſimi Principis Electoris Brandenburgenſis &c. in publico Sacræ Regiæ Majeſtatis, & inclytorum Procerum Poloniæ Regni conſeſſu, ex mandato Illuſtriſſimi Electoris dicta. 26. Jan. Anno MDLXIII.

Illuſtriſſimus Princeps Elector, Dominus noſter clementiſſimus, non dubitat, Sacram Regiam Majeſtatem recentiſſima adhuc memoria tenere, quid apud S·

Anno 1563. S. Majeſtatem Celſitudo ſua ſuperioribus Comitiis, hoc ipſo in loco habitis, de feudali Ducatus Pruſſiæ conſortio, & ſimultanea ejus Inveſtitura, per Legatos Oratoreſque ſuos quærendum, petendum curaverit; & quid inſuper ad illam Celſitudinis ſuæ petitionem, a Regia Majeſt. ex communi Statuum Procerumque Regni ſententja, fuerit eo tempore clementiſſime reſponſum. De ea vero Majeſtatis ipſius reſponſione ſuæ quidem Celſitudini a Legatis hæc potiſſimum renuntiata fuerunt: S. R. Majeſt. una cum Statibus & Proceribus inclyti Poloniæ Regni ſummam clementiam & benevolentiam erga Legatos Celſitudinis ſuæ declaraſſe, & ipſis etiam Celſitudinis ſuæ petitionibus, de feudali Ducatus Boruſſiæ conſortio, clementiſſime & benigniſſime acquieviſſe; ſed addidiſſe tamen, S. R. Majeſtatem hanc quoque conditionem, quod jus illud feudalis conſortii & Inveſtituræ ſimultaneæ ad eos ſolos Celſitudinis ſuæ Hæredes, qui Sacri Romani Imperii Electores eſſent, pertinere, & illis ſolis conferri deberet. Inſuper autem illud etiam Celſitudini ſuæ renuntiatum fuit, Sacræ Regiæ Majeſtatis ſententiam fuiſſe, ut Celſitudo ſua ad proxima Comitia denuo Legatos & Oratores ſuos ablegaret, ac eoſdem ita inſtrueret, ut cum Sacra Regia Majeſt. de uſitatis capitibus, ad feudale conſortium pertinentibus, paciſcerentur. Et additam iſti ſententiæ hanc quoque promiſſionem fuiſſe, quod S. R. Majeſtas poſt initas illas pactiones & conventiones continuo ſimultaneam Inveſtituram clementiſſime conferre confirmareque vellet. Hæc igitur ſunt, quæ ad Celſitudinem ſuam a Legatis Celſitudinis ſuæ, ut S. R. Majeſtatis reſponſa, perlata fuerunt: & quidem additis Diplomatis S. R. Majeſtatis ſigillo majori confirmatis. Ex his vero S. R. Majeſtatis reſponſionibus non poteſt non Dominus noſter clementiſſimus ratiocinari, quantopere S. R. Majeſtas, una cum Statibus Proceribusque Regni Celſitudini ſuæ & Hæredibus ejus cupiat conſultum. Agit itaque Celſitudo ſua Sacræ Regiæ Majeſtati, una cum Statibus Proceribusque Regni quam maximas gratias, & ſimul etiam perpetuam animi ſui gratitudinem viciſſim defert atque pollicetur. Quod vero de Legatis denuo mittendis Sacra Regia Majeſtas eo tempore cenſuit, ea in re Sacræ R. Majeſtatis ſententiæ acquieſcendum eſſe Celſitudo ſua ſemper eſt arbitrata. Ea de cauſa ſemper etiam in votis Celſitudinis ſuæ fuit, Legatos aliquos ad S. R. Majeſtatem ablegare, quo negotium illud feliciter inchoatum, ad optatiſſimum exitum deduceretur. Sed conſtat interea, in inclyto Poloniæ Regno nulla Generalia Comitia habita fuiſſe, quantum quidem ad Celſitudinem ſuam perlatum fuit. Juſtiſſimam igitur excuſationis cauſam habere ſe Celſitudo ſua de legatione hucuſque intermiſſa exiſtimat. Sed precatur tamen id, quod omiſſum fuiſſe videtur, ut Sacra R. Majeſtas una cum Statibus Celſitudinem ſuam excuſatam habere non dedignetur. Imprimis vero non dubitat Celſitudo ſua, S. R. Majeſtatem una cum Statibus rectiſſime meminiſſe, quid Celſitudini ſuæ de feudali conſortio, ex unanimi Procerum conſenſu, ſummaque voluntate ſuperioribus Comitiis clementiſſime fuerit promiſſum. Ea igitur de cauſa precatur Celſitudo ſua quam amantiſſime, ut S. R. Majeſtas ad collationem illam feudalis conſortii & Inveſtituræ ſimultaneæ ſolemniter faciendam & confirmandam clementiſſime procedere neque gravetur, neque dedignetur. In ea vero parte, quod ad pactionum, ſeu conventionum articulos attinet, de quibus etiam in S. R. Majeſtatis reſponſione dictum fuit, omnem ſuam promptitudinem Celſitudo ſua defert; & ipſum etiam Magnificum ac Generoſum Dominum Legatum, una cum adjunctis, ita inſtruxit, ut nullam dilationis cauſam ſupereſſe poſſe arbitretur. Quod vero S. R. Majeſtas in eadem juſſione jus illud feudalis conſortii ad eos ſolos Celſitudinis ſuæ Hæredes, qui Sacri Romani Imperii Electores eſſent, reſtrinxit, ea res ſuas quaſdam Celſitudini ſuæ peperit cogitationes. In eo vero caſu S. R. Majeſtatem una cum Statibus Celſitudo ſua celare non poteſt, duos Celſitudinis ſuæ Filios, ex beneficio & gratia Dei, ſuperſtites & incolumes eſſe, inclytum videlicet Principem & Dominum, Dominum Joannem Georgium, cui ex Sacri Romani Imperii legibus ſucceſſio in Electoratu poſt Celſitudinis ſuæ fata debetur: & Reverendiſſimum ac Illuſtrem Principem ac Dominum D. Sigismundum Archiepiſcopum Magdeburgenſem Primatem Germaniæ, S. R. Majeſtatis ex ſorore Nepotem; & quidem ex illa ſorore, quæ eſt & natu maxima, & S. R. Majeſtatis, omniumque Poloniæ Procerum amantisſima & obſervandisſima. Pro his duobus Filiis ſuis æque ſollicita eſt Celſitudo ſua, & quod vero paternum eſt, utrique uno eodemque modo, quantum fieri poteſt, conſultum cupit. Precatur igitur S. R. Majeſtatem, & ipſos etiam inclyti Poloniæ Regni Status & Ordines quam officioſiſſime & quam amantisſime, ut S. R. Majeſtas una cum Statibus utriuſque eorum Anno 1563.

 in

Anno 1563. in feudali conſortio, & ſimultanea ejus Inveſtitura rationem habere, & collationem ejus ad utrumque referre non dedignetur. Id ipſum autem S. R. Majeſtatem una cum Statibus clementisſime & benignisſime facturam omnino confidit, adeo, ut non posſit non perſuaſisſimum ſibi habere. Exiſtimat enim Celſitudo ſua mutuam illam ſanguinis necesſitudinem, qua S. R. Majeſtati Filius ille Celſitudinis ſuæ junctus eſt, apud S. R. Majeſtatem, & omnes inclyti Poloniæ Regni Proceres, permagni ponderis atque momenti eſſe. Nec dubitat Celſitudo ſua S. R. Majeſtatem, una cum inclytis Ordinibus, ex aliorum fide dignorum relatu perſæpe cognoviſſe, quibus dotibus Filius iſte Celſitudinis ſuæ ab Optimo Maximo divinitus donatus ſit & ornatus. Propter has igitur cauſas non dubitat Celſitudo ſua, eundem Celſitudinis ſuæ Filium S. R. Majeſtati, & omnibus in hoc Regno Proceribus commendatisſimum ſemper fuiſſe, & nunc quoque, non minus commendatum eſſe. Nihilominus tamen ſua quoque voce pro eo intercedit, ac precatur quam officioſisſime, ut Sacra Regia Majeſtas, una cum Statibus, filium iſtum Celſitudinis ſuæ a feudali Ducatus Borusſiæ conſortio vel non excludat, vel excluſum eſſe non patiatur. Sed id potius conſtituat, ut jus illud utrique Celſitudinis ſuæ Filio commune ſit, & ad utrumque ſimul referatur. Has ipſas vero petitiones ſuas exiſtimat Celſitudo ſua honeſtisſimas, æquisſimas, & humanitatis officiique plenisſimas eſſe. Eædem ſunt etiam cum multiplicibus, & quidem manifeſtis utilitatibus, ad ſalutem Boruſſiæ pertinentibus, conjnnctæ, cum ea ratione Provinciæ iſti non incommode conſultum eſſe videatur. Non tamen ad ſolius Borusſiæ, verum etiam ad hujus quoque Regni ſalutem, petitiones iſtæ pertinere videntur; cum ſine dubio toti Poloniæ Regno utilisſimum ſit, multos in Germania Principes conjunctos, ac beneficiis obſtrictos, obligatos, & quaſi obnoxios habere. Quid? quod ſit etiam illud toti Polonico Regno quam maxime honorificum & glorioſum apud omnes in omnibus nationibus Optimates. Quoquo vero modo cætera ſeſe habeant, illud tamen ſilentio prætermittendum non eſt, quod S. R. Majeſtas, una cum Statibus, beneficiis iſtis, de quibus dictum eſt, ita ſibi Celſitudinem ſuam devincere queat, ut S. R. Majeſtas neminem ſit habitura neque gratiorem, neque obſervantiorem, neque addictiorem, neque in officiis ad Vaſallos pertinentibus fideliorem, neque in tuenda conjunctione conſtantiorem.

Hæc eſt ſeries eorum, quæ coram S. R. Majeſtate & inclytis Proceribus Poloniae Regni, tum exponere, tum precari juſſi ſunt Celſitudinis ſuae Legati. Anno 1563.

Liborius de Bredow, Abdias Prætorius & Christophorus.

CCXLV.

Confirmatio ratihabitionis Illuſtriſſimi Principis Domini Georgii Friderici *Marchionis Brandeburgenſis.* Dat. Petricoviæ die 24. Aprilis Anno 1563. *Ex Archivo Regni Libr. ſub Litt. XB. fol. 112.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae etc. Significamus etc. Quod cum Cracoviæ Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, Menſe Decembre Tutores et Commiſſarii Illuſtris Principis Domini Georgii Friderici Marchionis Brandeburgenſis, Conſanguinei et Vaſalli noſtri chariſsimi, renovationem ſimultaneæ, ut vocant, Inveſtituræ Ducatus Pruſsiæ a Nobis nomine Illuſtritatis ejus, tunc adhuc minorennis, petiiſſent, eamque obtinuiſſent, cumque literariam cautionem eodem tempore præſtitiſſent, Illuſtritatem ejus, ubi ad annos pubertatis veniſſet, hoc factum illorum ratum et gratum eſſe habituram; et denique cum Illuſtritas ejus, fidem Tutorum et Conſiliariorum ſuorum apud Nos pro ſe interpoſitam liberare cupiens, literas ad Nos proxime ſuperioribus annis ejus ratihabitionis ſuæ Vilnam miſiſſet, petens, ut quandoquidem præſens ipſe venire tum non potuerit, literis ejusmodi ſatisfieri Nobis pateremur, eamque ratihabitionem noſtra vicisſim authoritate comprobaremus et confirmaremus. Nos petitionem ejusmodi Illuſtritatis ejus, etſi juri et æquitati maxime conſentaneam eſſe intelligeremus, tamen cum Vilnæ Senatum Regni noſtri, ac Conſiliarios noſtros præſentes Nobiſcum non haberemus, ſine quorum praeſentia res ea recte confici potuiſſe non videretur, neceſſario ad ipſa uſque Regni Comitia differre neceſſe habuimus. Itaque hoc tempore Comitiorum noſtrorum de communi Ordinum Regni noſtri, qui convenerant, conſenſu et voluntate, ratihabitionem illam Illuſtrisſimi Principis Georgii Friderici Marchionis Brandeburgenſis, qua factum ſuorum Tutorum et Conſiliariorum, qui ipſius Illuſtritatis nomine renovationem ſimultaneæ Inveſtituræ a Nobis acceperant,

Anno rant, ratam habuit, hiſce præſentibus
1563. literis approbamus, confirmamus, ac in perpetuum valere volumus, abſque impedimento noſtro, et Hæredum vel Succeſſorum noſtrorum, fraude doloque omni penitus excluſo. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Petricoviæ vigeſima quarta die Aprilis Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, Regni vero noſtri trigeſimo quarto.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS
Rex.

CCXLVI.

1569. *Libellus a Conſiliariis Pruſſiæ* SIGISMUNDO AUGUSTO *Poloniæ Regi porrectus, in quo primum de libero Auguſtanæ Confeſſionis exercitio, tum de quibusdam aliis fit poſtulatio.* Dat. Anno 1569. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. ſub Lit. V. fol.* 237.

Primum ut Celſitudini ſuæ, univerſæque ditioni ea doctrina religionis, quæ communi conſenſu ſenioris Ducis piæ memoriæ, omniumque Celſitudinis ſuæ ſubditorum in Eccleſia, juxta formulam Auguſtanae Confeſsionis et Apologiae ejusdem, recepta et comprobata eſt, incorrupta, &, ut dicitur, ſarta, tecta, adverſus omnes omnium impugnationes et turbationes relinquatur, conſervetur et defendatur. Nec audiantur vel admittantur, ſi qui diverſis ſectis et opinionibus Eccleſiae illius conſenſum turbare aut disturbare conabuntur.

Secundum, ut finium regundorum cauſa, de qua tot annis jam laboratum eſt, tam in Magno Lithuaniae Ducatu, quam in Maſovia et aliqua parte Pruſsiae, primo quoque tempore communis inter utriuſque Partis ſubditos tranquillitatis cauſa expedienda ſuſcipiatur, et ad optatum exitum perducatur.

Tertium, ut vectigalia et thelonea nova, Pactis adverſantia, tam in Lithuania, quam in Polonia quamprimum tollantur.

Quartum, ut Illuſtriſsimo Pruſsiae Duci debitus in Senatu Regni locus juxta Pacta aſsignetur, nempe primus et proximus a Sacra Regia Majeſtate, qui alius quam a dextero latere eſſe non poteſt.

Quintum, ut Celſitudini ſuae libera cudendi monetam poteſtas relinquatur.

Sextum, ut controverſia de Appellatione, quandoquidem de ea in hac immatura Celſitudinis ſuae aetate, et non niſi deliberatione prius cum ſubditis ſuis habita, nihil certi conſtitui poteſt, in aliud opportunius et maturius tempus rejiciatur. Anno 1569.

CCXLVII.

Reſponſum Sacræ Regiæ Majeſtatis ad præcedentem Conſiliariorum Pruſſiæ Libellum. Datum Lublini Anno 1569. *Indidem fol.* 238.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniae ~~etc.~~ Significamus tenore praeſentium, quorum intereſt, univerſis et ſingulis. Quod cum ab Illuſtri Principe Domino ALBERTO FRIDERICO Marchione Brandeburgenſi et in Pruſsia Duce etc. Nepote noſtro chariſsimo, et a ſuae Illuſtritat. Conſiliariis intellexiſſemus, univerſos Ordines Ducatus Pruſsiae in eam doctrinam Religionis, quae communi conſenſu Senioris Ducis piae memoriae, omniumque Illuſtritatis ſuae ſubditorum, juxta formulam Auguſtanae Confeſsionis et Apologiae ejusdem, recepta et publicata eſt, conſenſiſſe: ob eam rem multis et gravibus cauſis adducti, Illuſtrem Dominum in Pruſsia Ducem, omnesque ſuae Illuſtritatis ſubditos, et univerſam ditionem, in hac ipſa doctrina religionis clementer conſervare ſtatuimus, ſicut et praeſentibus Literis noſtris Nos conſervaturos inpoſterum pro Nobis, et Sereniſsimis Succeſſoribus noſtris Poloniae Regibus, in verbo Regio promittimus et pollicemur: ea tamen conditione. ut Auguſtanae Confeſsionis doctrina incorrupte ſervata, omnia alia peregrina dogmata et haereſium genera, quae poſt Auguſtanam Confeſsionem exorta ſunt, quaeq; ab ea ſunt aliena, non modo non ferantur, ſed penitus prohibeantur et aboleantur. Neque vero levioribus cauſis adducti, precibus Illuſtritatis ſuae acquieſcendum eſſe ſtatuimus, quibus a Nobis ſollicite atq; enixe contendit, ut diuturnae controverſiae illi de Appellatione ad Nos, Tribunalque Regium noſtrum ex Ducatu Pruſsiae deferenda, finem aliquando imponere dignaremur. Qua de re cum utrinque diu diſceptatum inter Nos eſſet, tandem adducti ſumus, ut Nos pro amore, gratia et benevolentia noſtra benigne in hoc conſentiremus, ſicut et auctoritate praeſentis Diplomatis noſtri, pro Nobis et Sereniſsi. Succeſſoribus noſtris Poloniae Regibus conſentimus et volumus, ne ab Illuſtritate ſua ad Nos, Tribunalque noſtrum Regium, ullae alia: per Appellationem cauſae toto vitae

Anno 1569. Illuſtris *D*omini in Pruſsia *D*ucis moderni tempore devolvantur, quam eae, quae infra ſcriptae ſunt. Nimirum, ut *D*ux ipſe nullo jure, ſed manifeſta et notoria violentia aliquem ex Nobilitate vel in corpore, vel in honore, vel in bonis et facultatibus ſuis enormiter laedit, nec ullum ei jus adminiſtrare, nec cauſam ejus legitimae cognitioni juxta pacta permittere vult. *D*einde, quando cum privatis litem exercendo Nobiles, contra legitimum et uſu receptum ordinem atque proceſſum judiciarium, per praepoſterationem aut praecipitantiam, quae recte noverca juſtitiae appellatur, notorie gravantur, aut injuria afficiuntur. Poſtremo, quando in privatis litibus pro reviſione actorum ſupplicantes, aut ad Judicium Parium Curiae juxta Pacta provocantes non exaudiuntur. In plebejorum autem cauſis nullam ad Nos, Tribunalque noſtrum Regium Apellationem fieri volumus, ſed ſi plebeji aliqua in re per ſententiam Illuſtris Domini Ducis ſe læſos exiſtimaverint, eam vel conſueto modo ſupplicandi ad reviſionem actorum, & reformationem ſententiæ in melius, vel ordine in Pactis præſcripto, per provocationem ad Pares Curiæ perſequantur. Quod ſi neque ſupplicando, neque provocando ad Pares Curiæ exaudiantur, tum demum illis via ad Nos, Tribunalque noſtrum Regium appellandi pateat. Quibus omnibus & ſingulis ut majorem fidem atque auctoritatem attribuamus, præſentes Literas noſtras manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo communiri mandavimus. Datum Lublini in Conventione Generali.

CCXLVIII.

Edictum Sigismundi Augusti *Poloniæ Regis, quo Senatoribus & Legatis Pruſſiæ injungitur, ut illi in Senatu, & illi in ſtuba, quoties opus fierit, adeſſe non ommittant.* Datum Lublini in Comitiis Generalibus 17. Martii Anno 1569. *Ex Archivo Regni Libr. Legat. ſub Lit. S. fol. 90. Traductum ex idiomate Polonico.*

Sacra Majeſtas Regia Dominus noſter Clementiſſimus ad effectum Regii Mandati ſui, paucos ante dies emanati contra Conſiliarios & Legatos Terrarum Pruſſiæ, notum fieri jubet, quod ſi quicunque ex prædictis Conſiliariis & Legatis Terrarum Pruſſiæ in ſtuba adeſſe, & cum cæteris Regni Poloniæ Conſiliariis & Legatis de negotiis ejuſdem Reipublicæ atque Terrarum Pruſſiæ unitis viribus agere detractaverit, S. Majeſtas R. declarat tales contravenientes officiis ſuis privatos fore, quæ talibus conferentur, qui juxta voluntatem & Mandatum S. R. Majeſt. ſe gerere non abnuerint. Similiter & Legati Terrarum Pruſſiæ, quamvis a conſilio cum reliquis Regni Poloniæ Legatis abſfuerint, nihilominus omnia, quæ in iis Comitiis Regni Generalibus ſtatuta fuerint, obſervare tenebuntur, & tam onera, quam commoda cum reliquis Regni Poloniæ incolis ſuſtinere. Quod præſens Edictum & Mandatum S. Regia Majeſtas Dominus noſter clementiſſimus iis, quorum intereſt, denuntiari, & per publicum præconem proclamari juſſit. Datum Lublini in Comitiis Generalibus die 17. Martii Anno Domini 1569.

De Mandato Sacræ Regiæ Majeſtatis proprio.

Franciscus Krasinski
Præpoſitus Plocenſis & Vice-Cancellarius Regni.

CCXLIX.

Cauſæ ex quibus Conſiliarii Terrarum Pruſſiæ in Conſeſſu Regni ſedere non teneantur. Dat. Lublini Anno 1569. *Ex Tabulario Załuſciano.*

1. Quia habent expreſſa verba Privilegii Casimiri Regis felicis memoriæ: *Omnes cauſas notabiles, dictas Terras concernentes, cum communi Conſiliariorum Spiritualium & Sæcularium, Nobilium & Civitatum Majorum conſilio Terrarum prædictarum tractabimus, terminabimus & definiemus.* Et Rex modernus idem ipſis juramento confirmavit, & obtinuerunt ejus uſum uſque ad præſentia tempora.

2. Quod nemo ex Conſiliariis Regni, neque Rex ipſe, unquam dederit Dominis Pruthenis alium titulum, quam Conſiliariorum Terrarum Pruſſiæ, fueruntque a tempore Casimiri in poſſeſſione hujus tituli uſque ad præſentia tempora ab annis centum quindecim, & ſunt etiam nunc.

3. Quod nunquam Domini Prutheni Litteris Conventionalibus Regni fuerint interpellati, neque ad Conventum Generalem evocati, niſi hoc tempore, cum tamen jam habent ſuos ſpeciales Conventus in Terris Pruſſiæ, non tantum in exercendis Judiciis, ſed aliis etiam graviori-bus

Anno 1569. bus cauſis determinandis, quæ ſæpiſſime incidunt.

4. Quod etiam eam ob cauſam in initio fuerit datus Gubernator Terris Pruſſiæ, ut cauſæ incidentes in Terris Prusſiæ determinarentur, ne Domini Prutheni ex Terris proficiſcerentur, quem tamen Gubernatorem S. Majeſtas Regia deputare debuit cum conſilio Conſiliariorum Terrarum Pruſſiæ, & non Senatorum Regni; quemadmodum verba formalia in Privilegio D. Casimiri Regis ſunt expreſſa.

5. Quod S. R. Majeſtas, neceſſitate poſtulante, ſemper Legatum ſuum miſerit ad Dominos Pruthenos in Conventum Terrarum, nec eos unquam evocaverit ad Conventum Regni.

6. Quod in Statutis Regni ſeorſim exprimantur Conſiliarii Regni, ſeorſim quoque Conſiliarii Terrarum Pruſſiæ, ita etiam juramentum Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ ſeorſim præſcriptum eſt.

7. Quod Regia Majeſtas & Domini Conſiliarii Regni vigore Statuti, non debent cum Civitatibus ſedere, ſed cum Domini Prutheni cum Civitatibus ſedeant, manifeſtum eſt, quod ad Conſilium Regni non pertineant.

8. Quandocunque Internuntii aliqui ex Terris Pruſſiæ ad Regiam Majeſtatem miſſi ſunt in negotiis Terrarum, quod ſæpiſſime accidit, nunquam conſederunt Internuntii Terrarum Pruſſiæ cum Nuntiis Terreſtribus, quod & vetuſtiſſimis, & recentioribus etiam exemplis comprobari poteſt.

9. Quandocunque Domini Conſiliarii, vel Legati Terrarum Pruſſiæ adiverunt Majeſtatem Regiam laudatiſſimæ memoriæ, quandoquidem etiam Regem modernum, tum ſemper ſimul in peculiari ſcamno ſeorſim conſederunt, & per unum tantum ex communi conſilio reſponderunt. Unde apparet, quod nunquam diſperſa loca inter Conſiliarios *R*egni habuerint.

10. Quod inter Conſiliarios Terrarum Pruſſiæ locum ſuum habeant Succamerarii contra uſitatam conſuetudinem Regni, unde etiam liquet, quod peculiaria conſilia habeant.

11. Quod Conſiliarii Terrarum Prusſiæ ſigillum peculiare, quo tam in exercendis Judiciis, quam aliis communibus ſcriptis, pro rei neceſſitate, in Judiciis Terrarum utuntur, habeant.

12. Quod ſæpiſſime in Regno de defenſionibus deliberationes habitæ fuerint, ſæpe etiam contributiones collatæ ad expeditionem bellicam, aliquando etiam bellum ſuſceptum, ad quæ omnia Conſiliarios Terrarum Pruſſiæ nunquam evocaverint, neque unquam contributiones *R*egni communes contulerint, neque in expeditionem bellicam profecti fuerint, quod manifeſtum faciunt verba *R*egis Sigismundi laudatiſſimæ memoriæ, quorum tenor eſt talis: *Quoniam Terræ Pruſſiæ ultro ſe facturas receperunt, ut contra vim hanc facultatibus ſuis Nobis & Regno huic non deeſſent, mittet Sacra Regia Majeſtas Conſiliarios ad Comitia, quæ Menſe Majo Marienburgi habebuntur, ut Ordinationem, quæ hic facta eſt, illis declarent, & ad eandem inducant.* Ubi nullum fit verbum de evocatione ad Conventum *R*egni, ſed quod ad illos Majeſtas *R*egia miſſura ſit, neque dicit, quod Conventum *R*egni adire debeant, ſed quod velit demandare Legatis ſuis, quod eos bona voluntate ipſorum eo inducant, ut Ordinationem, quæ facta erat, obſervarent. Deinde hoc etiam ſæpe factum eſt, ut, requiſiti a *R*egia Majeſtate per Legatum de rebus ad expeditionem bellicam ſpectantibus, ultro, & cum bona voluntate, pro temporum & circumſtantiarum ratione, Domino ſuo aliquid præſtarent. Anno 1569.

13. Quod Sac. Reg. Majeſtatis Anteceſſores a Jure Polonico eos exemerint, Jureque Culmenſi donaverint.

14. In Privilegio Terrarum hæc verba Regis Casimiri continentur: „ Si Civitas, vel alia quælibet perſona privata Privilegium amiſerit, ſe id viciſſim de conſilio Conſiliariorum Terrarum illarum clementiſſime dare & largiri velle,“ Unde conſtat, quod non cum conſilio Conſiliariorum Regni, ſed Terrarum Pruſſiæ hæc ſemper facta fuerint.

15. Anteceſſor Majeſtatis Reg. Ruſſiam Regno Poloniæ incorporavit, utque Jure Polonorum uteretur, & Statutis Regni judicaretur, voluit; Dominos autem Pruthenos, quamvis ad Poloniæ Regnum receperit, jura tamen ipſis omnia inviolata permiſit, ea enim ſunt verba Privilegii Pruthenici: *Promittimus, quod præfatos Barones, Nobiles, Cives, & ſingulos incolas Terrarum noſtrarum prædictarum Pruſſiæ in juribus, libertatibus, litteris, munimentis eorum, quæ a Principibus ſpiritualibus & ſæcularibus, Regibus & Dominis Terrarnm prædictarum obtinent, confirmabimus, fovebimus, defendemus, nec unquam ea violabimus, aut prævaricabimur, aut violari & prævaricari permittemus.*

16. Quod pactis inter Majeſtatem Regiam & Capitulum Varmienſe manifeſtum cautum extet, ut Epiſcopus Varmienſis, poſt accepta Sacra, ſpatio trium Menſium

Anno 1569. ſium ad Sacram Majeſtatem Regiam, ſi in Terris Pruſſiæ fuerit, proficiſcatur, ſi non fuerit, ut Mariæburgi certis perſonis præſentibus juramentum præſtet, unde apparet, quod nihil ipſi fuerit commune cum Conſiliariis Regni, cum nullibi, niſi in Terris Pruſſiæ juramentum, præſtare debuerit. Et ſi Præſidem & Senatorem primarium a Conſilio Regni liberum fecerunt, multo magis id de cæteris Terrarum Conſiliariis præſumendum & ſtatuendum erit.

17. Si accidit, ut quidam ex Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ ad Conventum Regni proficiſcerentur, id eo forte factum eſt, quod quædam privatæ perſonæ propter excellentiam doctrinæ, & maximum rerum uſum a Majeſtate Regia vocati fuerint, ſederintque in Conſilio Regni, ſed num ejusmodi privatæ perſonæ publico Terrarum Privilegio præjudicium adferre potuerint, in dubium vocant. Tum etiam Nuntii Terrarum nunquam conſederunt cum Nuntiis Regni, quod nullo prorſus exemplo manifeſtum fieri poteſt.

18. Quod Ducatus Oſchwatzinenſis & Satorienſis, licet ſint minores, tamen non coacti, ſed ultro & ſua ſponte, Polonico Juri ſe ſubdiderunt, ad quod Terræ Pruſſiæ pertrahi non poſſunt, cum nunquam in animum induxerint, ut a libertatibus & immunitatibus diſcederent.

Ex his omnibus rationibus & cauſis exiſtimant Domini Conſiliarii Terrarum Pruſſiæ, ſe ad ſeſſionem hanc cum Conſiliariis Regni non pertinere, precanturque, ut ab ea liberi eſſe poſſint, offerentes ſuam promtitudinem, quacunque urgente neceſſitate, ſemper ſe futuros paratos, ſeorſim, pro veteri more, cum Regia Majeſtate conſilia captandi, de rebus ad Terras Pruſſiæ ſpectantibus, ſolenniter caventes, ſe quotannis ad Conventum Regni evocari nolle, cum habeant ſuos Conventus peculiares in Terris Pruſſiæ bis in anno.

Audivimus etiam ab aliis exteris Cæſ. Majeſt. ſubditis tam Sileſiis, Moravis, quam Luſatis ad Regnum Bohemiæ pertinentibus, quod, quamvis ad id Regnum pertineant, nihilominus in Terris illis ſuos peculiares Officiales & Conſiliarios habeant, & rebus ita poſcentibus, Cæſarea Majeſtas in illis Terris conſultare conſueverit. Simili modo Hiſpaniarum Rex Philippus in Ducatu Flandriæ, Brabantiæ Geldriæ, Friſiæ, Hollandiæ, & aliis ditionibus Inferioris Germaniæ, habet Officiales & Conſiliarios peculiares, cum quibus conſilia pro ditionum illarum exigentia capere conſuevit, omnesque illi, licet ſua jura obtineant, unum Dominum optima unionis ratione agnoſcunt, cujus rei exempla per Orbem Chriſtianum multifaria extant, & creſcit Reſpublica, ubi ſub uno Domino res varietatibus condiuntur, cum quilibet jus ſuum inviolatum obtinet, exque multis membris unum Corpus conſtituitur. Anno 1569.

Quæ cum ita ſint, humillime precantur iterum atque iterum Domini Legati Terrarum Pruſſiæ, ne rebus novis onerentur, ſed potius ſecundum jura & antiquas conſuetudines, libertates, immunitates, quas apud omnes Reges Poloniæ conjuncta manu obtinuerunt, conſerventur. In quibus, poſt Deum Optimum Maximum, ſalus ipſorum & ſolatium unicum vertitur, cum libertas cujusque ſit altera vita, ne cum ſumma animorum exacerbatione, & ſua ac poſterorum ignominia iis priventur. Eadem ratione a Sacra Regia Majeſtate humillimis precibus contendunt, ne ab executione in hac cauſa exordium facere velit, ſed re bene deliberata, num ad eam Seſſionem pertineant nec ne, legitimum proceſſum inchoare dignetur, ut prius initium actionis fiat, quam executio demandetur, & ut Sacra Majeſtas Regia quosdam ex Conſiliariis ſuis clementiſſime deſignare dignetur, cum quibus Domini Pruteni colloqui, & rem omnem probe ponderare poſſint, quo tanto citius & melius res omnis ad optatum finem producatur ſine mora & temporum jactura.

CCL.

Reſponſum Conſiliariorum Regni Poloniæ ad præcedentia Nuntiorum Pruſſiæ puncta. Ibidem. *Indidem.*

Ad *primum* Articulum reſpondent, quod intelligant ea, quæ habentur in Privilegio Casimiri de Judiciis dici, & cauſas notabiles appellari Judicia Forenſia quas Regia Majeſtas definit & determinat, cum per Appellationem ad Tribunal Regium devolvuntur, de quibus tamen antea Conſiliarii Terrarum Pruſſiæ & Civitates domi conſultarunt, & quod his ſit verus eorum verborum ſenſus, ex verbo definiemus, manifeſtum ſit, quia eſt verbum juris, & deciſionem vocant juris decretum. Reverendiſſimus Epiſcopus Cujavienſis addidit: Regem Casimirum non vocare negotia Terrarum, ſed cauſas, id eſt: actiones juris.

Ad *ſecundum*, quod hic ſit ſtylus Cancellariæ, quoniam & hoc tempore, quando Literæ Conventionales mittuntur, ſcribitur Palatinis Majoris Poloniæ, Conſiliariis

ANNO 1569. riis Majoris Poloniæ, Palatinis Minoris Poloniæ, Conſiliariis Minoris Poloniæ, eadem ratione Ruthenis & Pruthenis.

Ad *tertium*, negatur Pruthenos alia Comitia, quam judiciaria celebrare, ad quæ Majeſtas Regia Legatum ſuum mittere conſuevit, ita, quemadmodum mittit ad alios Conventus ditionum Regni Poloniæ. Et quod dicitis, vos nunquam fuiſſe evocatos ad Regni Comitia, eo factum eſt, quod ſeorſim pecuniam contuleritis ad Fiſcum Reg. Majeſtatis, quæ pecunia in uſus Regni non eſt verſa. In ſumma, Acciſa id effecit.

Ad *quartum*, Gubernator conſtitutus eſt, neceſſitate urgente, non tantum in Terris Pruſſiae, ſed etiam in Regno Poloniæ. Fuit Gubernator Cracovienſis, Ruſſiæ, Prusſiæ, Majoris Poloniæ, & reliquarum Terrarum: ſed cum id fuerit maximum gravamen, Gubernator ille ab officio depoſitus eſt, & quod eligebatur a Conſiliariis Pruſſiæ, per hoc non excludebantur Conſiliarii Regni. Fuit hæc communis omnium conſultatio, nam Gedani Anno 26. tempore Regis SIGISMUNDI, cum quidam ſui delicti pœnas dediſſent, non aderant tantum Domini Prutheni, ſed & Conſiliarii Regni & manifeſtum eſt, omnia ea fuiſſe facta eorum conſilio, quamvis ſimul conſilia captarint; notum eſt enim vobis, quinam Senatores ibi fuerint cum Majeſtate Regia, quomodoque vocati.

Ad *quintum* ut ad *tertium*.

Ad *ſextum*, quia poſtremo poſt Palatinatus alios creati fuere, quemadmodum nunc Maſovitæ.

Ad *ſeptimum*, quælibet Terra, quilibet Palatinatus ſua utitur conſuetudine. In Conventu judiciario ſedent Civitates, quia uno jure omnes judicantur, Regiaque Majeſtas & nunc facile conſentit.

Ad *octavum*, non miſerunt eos ad conſultandum, ſed ad munus Nuntiorum obeundum, ideoque locum inter Conſiliarios Regni non habuerunt, ſed Dominationes Veſtræ ad conſultandum evocantur, quare locum ſuum nobiſcum obtinent.

Ad *nonum*, nihil dicemus, licet aliquando factum ſit, fuit tamen abuſus.

Ad *decimum*. Et apud nos in Judiciis eodem modo, ac apud vos in Judicio, quia ſunt Conventus judiciarii.

Ad *undecimum*. Et apud nos hoc habet quilibet Palatinatus, vocataque fuit Cancellaria, quia ad quamcunque ditionem Regia Majeſtas veniebat, ejus Cancellaria utebatur, fuit Cancellaria Polonica, Cracovienſis, Ruthenica, quod nunc primum ceſſavit electo Regni Cancellario. ANNO 1569.

Ad *duodecimum*. Tempore Regis SIGISMUNDI Terrae Pruſſiae non erant ſecurae, quare non ſollicitabantur, quia ſemper erant tumultus Germanici metuendi, eamque ob cauſam nobiſcum ad expeditionem bellicam non proficiſcebantur, quod tamen rebus quietioribus factum fuiſſe conſtat, & ſuperſunt adhuc, quibus expeditio Wangrovienſis nota eſt, firmiorique memoria haeret, ad quam univerſa Pruſſia armis contenderat, & Pater Domini Palatini Culmenſis Præfecti locum obtinuit.

Ad *decimum tertium*. Et apud nos id quælibet Terra facile obtinere poteſt. Liberum enim eſt Nobili ſuo uti jure, liberum etiam jus alicujus Civitatis accipere.

Ad *decimum quartum*. Cum melius notum ſit vicinis Terris, vel Ditionibus proximioribus, cum quid amiſſum ſit, quam longe diſſitis, & apud nos ita fieri conſuevit, cum quis jus amiſſum precibus repetit, tum homines ejus ditionis vel Terræ convocantur ad perhibendum de ea re teſtimonium, qui etiam, quomodo res geſta ſit, teſtimonium veritatis perhibent.

Ad *decimum quintum*. Quia id petitum fuit, uti & apud nos receptum eſt, Pruthenos penes Jus Culmenſe, quemadmodum & Maſovitas penes Jus Maſoviæ conſervavit.

Ad *decimum ſextum*. Epiſcopus Varmienſis in ſuo juramento ſe nominat Conſiliarium Regis & Regni, recipitque ſe præſtiturum conſilia Regi, quandocunque a Majeſtate Regia evocabitur. Recitata quoque fuit formula juramenti Henrici Varmienſis, & NICOLAI, ac ARNOLDI Culmenſium Epiſcoporum, qui idem promittunt & jurant, præterea unde juramenta eorum in Statutis noſtris Polonicis, niſi quod in Polonia præſtita fuerint.

Ad *decimum ſeptimum*. Non recordamur id factum fuiſſe. Addit Dominus Marſchalcus, oportuit ibi fuiſſe peculiarem ſolem.

Ad *decimum octavum*. Non cogimini diſcedere a Juribus Pruthenicis. Dederunt & Sileſii tributum in capita pecorum, ſed cum ſe gravatos perſentiſcerent, miſerunt ad nos in Regnum, malueruntque nobiſcum eſſe. Dominus Oſchwazinenſis conſedit inter Conſiliarios Regni ante factam unionem. Fit etiam a vobis mentio Sileſiæ & Moraviæ; fatemur quoque, ipſos habere ſua jura, ſed nihilominus ad Conventus Genarales Pragam ſem-

Anno 1569. per proficiſcuntur, quemadmodum & vos facere tenemini.

Super haec omnia oſtenſum eſt vobis Privilegium, quo probatur Magiſtrum Pruſſiae fuiſſe Conſiliarium Regni, ex quibus Magiſtris quidam operam ſuam Regno Poloniae navando diem ſuum obierunt. Poſteaquam ergo Dominationes Veſtrae locum ipſorum occuparunt, Juramentum etiam Regi & Regno praeſtetis, ſitisque Regni Poloniae membra, tenimini conſilia communicare cum Regno, cur vos ſeparetis? Oſtendimus jam rationes veſtras vobis nihil prodeſſe, ſi alia habueritis jura, cur ea non oſtenditis? Notum eſt nobis, quid vos tantopere premat, executio ſcilicet; quod ſi ita eſt, cur id nobis tanquam fratribus non manifeſtatis? quodſi nobis volueritis habere fidem, recipimus nos fratres veſtros id effecturos eſſe, ut mitius nobiſcum in omnibus agatur, modo animum nobis veſtrum per declarationem aperiatis.

CCLI.

Replicatio Conſiliariorum Pruſſiæ ad præcedens Polonorum Reſponſum. Ibid. *Indidem.*

Cum Dominationes Veſtrae conati fuerint rationes noſtras refutare, quibus fulti non exiſtimamus nos ad Seſſionem inter Conſiliarios Regni obſtrictos eſſe, petimus, ne aegre ferant Dominationes Veſtrae, ſi ad confutationes eas brevibus reſponderimus, & oſtendamus, nos iis Conventibus Regni Generalibus ſine praejudicio noſtrorum privilegiorum & conſuetudinum antiquarum maximo intereſſe non poſſe.

Explicatio eorum privilegii laudatiſſimae memoriae Regis Casimiri verborum, omnes cauſas notabiles, videtur nobis coactum quiddam eſſe. Nam quod Dominationes Veſtrae aſſeverant, id de cauſis forenſibus ſive judicialibus accipiendum eſſe, verba ſunt manifeſtiſſima, quae non eas, ſed notabiles cauſas demonſtrant, Terras Pruſſiae concernentes. Cauſae enim forenſes ſive judiciales de fundo, de rebus creditis, de violenta invaſione, & ſimiles ejuſdem generis, non ſunt notabiles, neque concernunt Terras Pruſſiae, ſed privatas perſonas, quare in eum ſenſum ea verba non ſunt trahenda. Tum omnibus notum eſt, Sacr. Regiam Majeſtatem nunquam conſueviſſe cauſas forenſes cum communi conſilio Terrarum Pruſſiae Conſiliariorum tractare, quia ab his Appellatio eſt ad Regiam Majeſtatem, cum ſint Judices ſecundae inſtantiae, ut in tertia inſtantia eorum conſilio, quod jam ſemel officio ſuo functi ſunt, Regia Majeſtas uti non poſſit, luce meridiana clarius eſt, ea verba in alium ſenſum detorqueri non poſſe, quia quod ſibi adſtipulari Dominationes Veſtrae exiſtimant, quae poſtea in tertio Articulo ſcribuntur, ut liceat cuicunque de uno jure in aliud transmigrare, nihil eſt, quia alia ibi tractatur materia, deinde Articulo praeſenti, de quo nunc verba fiunt, nihil prorſus adjici poteſt. Anno 1569.

Interjectus fuit unus Articulus de conſervandis antiquis limitibus & terminis Terrarum Pruſſiae, poſt illum ſequitur de conſervandis hominibus in variis juribus, quibus utebantur, Marienburgenſi, Culmenſi, Polonicali, ea tamen conditione, ut liceat transmigrare ex uno in aliud, qui Articuli cum priore de cauſis notabilibus nihil habent commune, nec admitti poteſt ejus interpretatio.

Quare peculiares ſunt Conſiliarii Terrarum Pruſſiae, quibus cum Majeſtas Regia cauſas notabiles illas, Terras Pruſſiae concernentes, tractat, determinat ac definit, quales Conſiliarios nulla alia Terra habet. Quia diligenter inquiſivimus, num & alii hujusmodi ornentur titulo, verbi gratia: Conſiliarii Majoris aut Minoris Poloniae, Ruſſiae, aut Maſoviae, ſed nihil tale comperimus, ſed e contrario hanc invenimus ſcriptam formam: *Univerſis & ſingulis Prælatis ac Baronibus, & univerſæ Nobilitati in N. congregatis*, quae maximam ab ea, qua nos inſignimur a Maj. Regia, obtinet differentiam.

Quod reſponſum eſt ad illum Articulum: Conventus, qui bis in anno celebrantur, eſſe judiciales, quandoquidem etiam in plerisque ditionibus Regni Poloniae fiant, verum quidem eſt propter Judicia aſſignatos fuiſſe illos Conventus, ſed non propter Judicia tantum. Conſuevit enim Majeſtas Regia ad ejusmodi Conventus, vel alios extra ordinem celebratos, ſuum mittere Oratorem, per quem nos monere dignata eſt, ut de negotiis Regni conſultaremus ibi in Terris Pruſſiae, ut exigente neceſſitate omnia ad defenſionem eſſent paratiora & expeditiora, ita, ut in ejusmodi Conventibus non tantum Terrarum Pruſſiae, ſed & Regni commodis conſulamus, ut ei undique ſit proſpectum, nervumque belli ſaepius ſuppeditamus, quod in aliis Regni ditionibus fieri non conſuevit, & ex ſupradictis rationibus nunquam ad Conventum Regni evocati ſumus, neque Conſiliarii, neque Nuntii Terrarum, ſed in ipſis Pruſsiae Terris conſilia inivimus, quibus rationibus hoſti eſſet obviam eundum.

Du-

Anno 1569. Ducatus Maſoviae poſtremo Regno Poloniae incorporatus eſt, ſed Conſiliarii ejus Ducatus nullum habent ad captanda & ineunda conſilia peculiarem locum, unde apparet, quod conſilium peculiare non habeant, quemadmodum Prutheni habent; id enim, ſi eſſet, in fine Statutorum locum haberent. Sed inter Regnicolas & Loca Regni poſiti ſunt, nos vero non. Liquet inde, Terras Pruſsiae peculiare Conſilium Conventionale habere.

Ad Civitates majores quod attinet, quas Dominationes Veſtrae tantum Aſſeſſores Judiciorum nominant, quemadmodum in Judiciis Terreſtribus Polonicis fiat, longe apud nos alia eſt ratio, quia eae Civitates inter Conſiliarios locum obtinent non tantum in Judiciis, ſed etiam aliis negotiis Terras Pruſsiae concernentibus. Praeterea Majeſtas Regia ſemper ad illas ſcribit, tanquam Terrarum Conſiliarios, & ad Conventum noſtrum Majeſtas Regia, ſi ſcribere dignatur, hoc nos ornat titulo: Reverendiſsimo, & Reverendo in Chriſto Patribus, Magnificis, Generoſis, Spectabilibus & Famatis Dominis Epiſcopis, Palatinis, Caſtellanis, & reliquis Terrarum noſtrarum Pruſsiae Conſiliariis. Eadem ratione in Privilegio Casimiri Regis numerantur inter Conſiliarios Terrarum Pruſsiae, manifeſtumque inde fit, eas Civitates eſſe partem & membra Conſiliariorum Terrarum, & non Conjudices tantum.

Inſuper elapſi ſunt anni centum quindecim, quod Status Pruſsiae nunquam ad Conventum Regni evocati ſint, neque ſederint inter Conſiliarios Regni, ita nunc quoque intelligunt, neque Conſiliarios Terrarum Pruſsiae ad Conſeſſum Regni, neque Nuntios Terrarum, ut cum Nuntiis Regni conſideant, teneri, quod ex Statuto Regis Sigismundi laudatiſsimae memoriae, quo ejus Majeſtas promittit Statibus Regni, adducturum ſe Terras Pruſsiae ad unionem & ad onera Regni, quantum poſsibile factu erit, Cracoviae Anno 1510. manifeſtum fit.

Quod etiam quibuſdam videtur abuſus, quod Nuntii Terrarum Pruſſiae ſemper peculiare ſedile occupaverint, neſcimus, quî fiat, nobis certe abuſus non videtur, praeſertim cum per centum quindecim annos duraverit, a quo tam longo tempore abuſus fuiſſet, facile abrogari potuiſſet.

Succamerarii a Majeſtate Regia eodem quo & caeteri Terrarum Conſiliarii ornantur titulo, quare non exiſtimantur tantum perſonae ad Judicium pertinentes.

Et quod Domini Maſovitae cenſederint inter Regni Conſiliarios, habentes jus peculiare, factum eſt eorum bona voluntate, quod a Statibus Terrarum Pruſſiae nunquam factum fuit, ſuo juri ſemper inhaerentibus. Anno 1569.

Quod Henricus Warmienſis, & Arnholdus Culmenſis Epiſcopi non in Regno, ſed in Terris Pruſſiae juramentum praeſtiterint, & quod Reverſales Litteras in teſtimonium praeſtiti juramenti apud Theſaurarium Regiae Majeſtatis depoſuerint, pro nobis militat, quod ex ea ratione neque nos ad conſilia, & Conventus Regni teneamur, quandoquidem nec illi coacti fuere, ut juramentum in Regno praeſtarent.

Non eſt nobis integrum, Gratioſi Domini, res novas inchoare, cum a Statibus Terrarum Pruſſiae Nuntii eo ablegati ſimus, ut cum ipſis ſentientes nihil novi in Terras noſtras inducamus. Si autem Majeſtas Regia dignata fuerit, Conventum aliquem in Terras Pruſſiae aſſignare, tum ibi ea de re tractatus inſtitui poterint, quod fieret cum majori commodo & utilitate earum Terrarum, concludique de communi omnium Statuum conſilio aliquid recti poſſet, quod hic, quo cum certis & limitatis advenimus mandatis, fieri non poterit. Nec enim decet, ut ſine eorum conſenſu, & voluntate res novas tractemus, vel ſuſcipiamus.

CCLII.

Decretum Sigismundi Augusti *Poloniæ Regis, quo ſtatuitur, Conſiliarios & Legatos Pruſſiæ in Comitiis Regni de negotiis tam Reipublicæ quam Ducatus Pruſſiæ ſimul tractare debere.* Dat. Lublini 16. Mart. 1569. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. ſub Lit. S. fol. 69.*

Sigismundus Augustus, Dei Gratia Rex Poloniae &c. Significamus &c. Quod cum Conſiliarii & omnes Ordines Terrarum Pruſſiae ſuppliciter petiiſſent a Nobis, ne videlicet per Nos adducerentur ad conſeſſum cum Senatu Regni in Comitiis Generalibus, quinimo clementer juxta privilegia, jura & conſuetudines antiquas ſuas conſervarentur, atque Nos aliquot ex Senatu Regni deputaremus, qui cognoſcerent de eo, videlicet, quod ad ejuſmodi conſeſſum cum Senatu Regni Privilegiis Terrarum illarum, & rationibus juſtis & aequis non teneantur; ei petitioni Nos benigne annuentes, licet

Anno 1569. jam antea plurimas rationes & allegationes, ab ipſis in medium in eam rem prolatas, intellexiſſemus, memores tamen debiti officii clementiae noſtrae *R*egiae, tum etiam propoſiti noſtri, quo ſemper conſuevimus, omnibus ex aequo ſubditis noſtris jura & conſuetudines inviolatas conſervare, & eorum petitis conſentaneis locum dare, conceſſeramus ipſis nonnihil temporis, ut cum Deputatis ea de re tractatus haberent.

Qui quidem Deputati rationibus & argumentis, deductionibuſqe ipſorum, in quibus vim totam ac ſeriem negotii ſui ponebant, cognitis & perpenſis, eadem Nobis retulere. Proinde ſatis deliberate intellectis & examinatis rationibus omnibus, partim ab ipſiſmet propoſitis & porrectis, partim etiam ex relatione Deputatorum acceptis, eundo obviam, ne inpoſterum ea res, ſeu controverſia aliquid difficultatis, vel impedimenti negotiis *R*eipublicae afferre forte poſſet, committere nulla ratione voluimus, ut ad ulteriora in *R*epublica negotia progrederemur, antequam de hiſce privilegiis & conſuetudinibus, quae adducere pro ſententia ſua comprobanda videbantur, exacte cognoſceremus. Itaque quod ad comprobandam ſuam ſententiam adducebant imprimis paragraphum illum ex Privilegio Casimiri *R*egis, his verbis comprehenſum: *Omnes cauſas notabiles, dictas Terras concernentes, cum communi Conſiliariorum conſilio Terrarum prædictarum tractabimus, terminabimus, definiemus;* atque eo quidem probare contendant, cum ipſos quidem non eſſe nec cenſeri debere *R*egni, ſed Terrarum Pruſſiae Conſiliarios, tum etiam ex conſequenti ad conſeſſum & ſuffragium ferendum in Senatu Regni non teneri. Deinde in medium proferebant, ſe ſolitos habere Conventus proprios Terrarum Pruſſiæ, a Conventibus Regni abſimiles, cum videlicet iis ipſis Conventibus Terrarum Pruſſiæ Civitates Pruſſiæ non ſolum intereſſe ſed etiam pars Conſilii eſſe, quod quidem in Senatu Regni uſu venire non ſoleat, conſueverint. Poſtremo plerisque aliis rationibus, & argumentis in rem adductis nitebantur, quæ potius ex conjecturis, quam ex privilegiis, legumque ratione pendere, & deſumpta eſſe videbantur. Nos igitur, qui ſummus, ſupremus & unicus Interpres legum, & privilegiorum omnium, una cum Conſiliariis Regni eam ejusmodi privilegiorum, & rationum ex legibus adductarum interpretationem fecimus, imprimiſque facile in eam deſcendimus ſententiam, perſpecto eo videlicet, quod Rex Casimirus ſelicis recordationis Terras Pruſſiæ Regno counierit, & incorporaverit, (ut id ex propria confeſſione ipſorum liquere potuit, qua ingenue in ſua anteriori præfatione, ſe eſſe membra hujus Corporis, Regni ſcilicet Poloniæ, faſſi ſunt, atque etiam juramenta ab illis edita id atteſtantur) ex quo exiſtimamus, ut quemadmodum omnia membra in humano corpore omnem vim atque denominationem ab eodem homine, cujus ſunt membra, capiunt, ita, etiamſi ipſi vulgo communiter Conſiliarii Terrarum Pruſſiæ dicantur, quod tamen Terræ Pruſſiæ indiviſibili vinculo & nexu Regno Poloniæ ſint adjunctæ, membraque ipſius ſint & cenſeantur, merito & optimo jure, & ipſos vocari poſſe Regni & Regis Poloniæ Conſiliarios. Anno 1569.

Proindeque illum ipſum paragraphum Privilegii de cauſis notabilibus haud judicamus eſſe referendum, ſeu quoquo modo pertinere, ad rationem Conſeſſus Senatorum Pruſſiæ in Senatu Regni, ſed id videlicet eundem velle, & præſcribere, ut Nos, ſeu Sereniſſimi Reges Poloniæ de notabilibus cauſis, ſive eæ judiciariæ ſint, ſive etiam quæpiam aliae graves & ſeriæ, ex re & pro tempore incidentes, nihil diſponamus, ſeu conſtituamus, quod cum Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ non communicaſſemus. Sicut etiam inde & Senatus Regni nulla ratione excluſus ſit.

Et quod huic Tractatui locum aliquem ſpecialem non præſcribit, ſatis innuit, ejuſmodi cauſas & negotia etiam in Conventu Regni Generali, ſeu alio loco, pro rei exigentia & neceſſitate, vocatis Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ, una cum iis & Regni Senatu, nos, & Sereniſſimos Reges Poloniæ tractare, & de illis conſtituere poſſe. Quod vero Conventus in Terris Pruſſiæ celebrari conſuetos, & potius juriſdicendi, juſtitiæque adminiſtrandæ, quam aliorum quorumpiam negotiorum gratia a Divo olim Parente noſtro ipſis permiſſos in confirmationem ſententiæ ſuæ adducant, non intelligimus, qua ratione inde immunes & liberi a Conventibus Regni eſſe posſint. Quandoquidem eodem exemplo, & ſimiliter in omnibus, & ſingulis Palatinatibus Regni Conventus, Colloquia Generalia vulgo appellata, haberi ſoleant, in quibus Dignitarii & Officiales Palatinatuum jus dicere, & juſtitiam adminiſtrare conſueverint, nihilominus tamen iidem Dignitarii, Palatini, videlicet, & Caſtellani Judicio illi præſidentes, vocati per Nos, ad Regni Conventus Generales ſe conferunt atque in Senatu, conſeſſu facto, ſententias

tias

Anno 1569. tias non ſolum de Reipublicæ rebus neceſſariis incidentibus, ſed etiam de cauſis, per Appellationem a Judicio illorum colloquiali ad Conventionem devolutis, lateri noſtro aſſiſtentes, tenentur.

Atque quemadmodum in illis eisdem Conventibus Palatinatuum, ſeu Colloquiorum Generalium, non ſolum illi ipſi Dignitarii Regni juridicundo ſunt intenti, ſed etiam de iis Reipublicæ negotiis incidentibus invicem conſultant, & conſilia ſua Nobis communicant, de quibus forte ad ipſos Nos referre per literas noſtras contigerit, hoc eodem etiam pacto in hiſce Conventibus Terrarum Pruſſiæ, jurisdictionis gratia inſtitutis, uſu venire ſolet, ut Nos nonnunquam de negotiis emergentibus ad Conſiliarios Terrarum Pruſſiæ referre, & ea cum ipſis communicare conſueverimus. Hanc Proinde cauſam ipſos allegare non poſſe, nec eoſdem juvare, ut non teneantur ad Conventum Regni pro debito officii ſui ſeſe conferre.

Nec illud quidem obſtare, juvareve, ipſis poteſt, quod in medium attulerint, Civitates Terrarum Pruſſiæ ad conſilium earundem pertinere, partemque conſilii illius eſſe, cum tamen Civitates Regni in Senatu locum habere minime uſus & conſuetudo ferat, Nam Nos eum morem Civitatibus Terrarum Pruſſiæ, in conſilio conſeſſum habendi, Privilegiis deſuper conceſſis confirmatum, minime abrogatum eſſe volumus, quinimo easdem juxta recenſita Privilegia ſua & prærogativas, uſumque receptum, quorum in poſſeſſione hactenus extiterunt, quæque ipſis, dum Regno unirentur & incorporarentur, conceſſa & permiſſa ſunt, pro clementia & benignitate noſtra conſervatas cupimus. Et quamvis coram Nobis non produxerint, exhibuerintve, Originalia Privilegia, ad quæ ſe ipſos referebant, tamen Deputati ex Originalibus Privilegiis ſatis ſuperque ipſos docuerunt, eosdem ad ea teneri & obligari. Eam etiam rem in excuſationem ferre minime poſſunt, quod in Conventus Regni vocari ante minime ſoliti ſint, cum Cancellaria Regni ſufficiens & locuples teſtimonium exhibeat, ipſos fuiſſe antea ſemper vocatos. Cum itaque ex Originali Privilegio Incorporationis Terrarum Pruſſiæ conſtat, eas eſſe Terras Regni Poloniæ, longo poſtliminio in jus, ſortem, proprietatem & titulum Coronæ Regni Poloniæ reſtitutas, atq; eo incolæ earundem Terrarum Pruſſiæ in unum & individuum corpus Regni coaluerint. His & aliis quamplurimis ex cauſis recenſitis Nos judicamus & declaramus, decernimusque præſentibus Literis noſtris perpetuo & in ævum, Conſiliarios Terrarum Pruſſiæ eſſe Conſiliarios Regni, inque Senatu Regni locum habere, & vocatos a Nobis, Succeſſoribusque noſtris Regibus Poloniæ, in medium conſulere, votaque & ſuffragia in Senatu Regni cum Conſiliariis ejusdem Regni ferre teneri, tam de negotiis Terras Pruſſiæ, quam etiam Regni, cum ſint unius individuique corporis membra, concernentibus. Eodem modo & Nuntios Terrarum Pruſſiæ inter Nuntios Regni locum habere, & una cum eisdem de rebus ejusmodi ſimiliter in commune conſulere.

Atque proinde etiam injungimus atq; præcipimus, vigore hujus Decreti noſtri, ipſis quidem Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ, ut loca ſua omnino inter Conſiliarios Regni in præſenti Conventu, ſimiliter & Nuntiis Terreſtribus Terrarum Pruſſiæ, ut loca itidem ſua inter Nuntios Terrarum Regni capiant, deque negotiis & neceſſitatibus Reipublicæ, Regni & Coronæ unanimi & concordi conſilio conſulant. Quicunque vero illi fuerint, qui ex ipſorum numero mandatis & juſſui noſtro, tum & debito officii ſui, quamvis id de nemine ipſorum intelligamus, ſatisfacere noluerint, contra ejusmodi Nos, uti ſuperioritati noſtræ contravenientes, merito & jure hoc modo procedemus: Conſiliarios quidem, quicunque illi fuerint, Senatoria Dignitate & quolibet officio privabimus, atque hac ratione vacantem dignitatem & quodvis munus in eos, qui huic Decreto noſtro morem geſſerint, conferemus; Nuntios vero ad omnia ea, quæcunque in Generali Conventu Regni ſancita erunt, cum omnibus incolis Terrarum Pruſſiæ ſervanda & ſuſtinenda adducemus. Ita, quod in hac re univerſa tam commoda, quam onera non ſecus, atque ipſi regnicolæ, ſubditi noſtri, ferre ac præſtare tenebuntur. In cujus rei fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appreſſum. Datum Lublini in Conventu Regni Generali, d. 16. Menſis Martii Anno 1569. Regni vero noſtri quadrageſimo.

CCLIII.

Proteſtatio Dominorum Conſiliariorum Terrarum Pruſſiæ contra præfatum S. R. Majeſtatis Decretum. Ibid. *Ex Tab. Załuſc.*

Sereniſſime Rex & Domine, Domine Clementiſſime.

Agnoſcimus nos Majeſtatis Veſtræ Regiæ eſſe fideles ſubditos, & pro ſubjectio-

Anno 1569. jectionis noſtræ ratione nobis non competere, niſi ut obſequamur Sac. Reg. Majeſtati Veſtræ Domino noſtro. Cum autem in Conventu Elbingenſi hoc a Nobis poſtulatum, & aliis idem quoque mandatum fuerit, ne rem aliquam novam, & inprimis Seſſionem hanc cum Inclyti hujus Regni Conſiliariis ſuſciperemus, & eo actu juribus, libertatibus, & antiquis conſuetudinibus noſtris præjudicium aliquod afferremus, & Majeſtas Veſtra Regia, Regio ſuo verbo præterita die Lunæ clementiſſime polliceri dignata ſit, per hanc ſeſſionem noſtram juribus & conſuetudinibus noſtris nihil derogatum iri, confiſi iis verbis, parati ſumus ſatisfacere mandatis S. R. Majeſtatis Veſtræ, & teſtamur ipſam Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram, deinde omnes hujus Inclyti Regni Conſiliarios, precamurque, quo ejus rei dignentur benigniſſime memores eſſe, quod ea, quæ nunc facimus, nos non facere, niſi jubente & ita mandante Majeſtate Regia, Domino noſtro clementiſſimo, cui ut nos opponamus, haud decet, iterum, iterumque rogantes, ne per præſentem actum ad inviſendos omnes Regni Conventus, atque Seſſionem hanc obligemur, ſed ut penes jura & conſuetudines noſtras clementiſſime conſervemur, ne etiam, quæ in præteritis Regni Comitiis concluſa & decreta ſunt, vel in futuris Conventibus concludentur & decernentur, nobis, vel iis, quos domi reliquimus, præjudicium aliquod pariat, quibus nec nos, nec anteceſſores noſtri conſenſum unquam accommodavimus, neque ſine conſenſu omnium Statuum, & domi relictorum fratrum conſentire poſſumus.

CCLIV.

Proteſtatio Legatorum Nobilitatis & minorum Civitatum Pruſſiæ contra idem Regium Decretum. Ibid. *Indidem.*

Sereniſſime & Clementiſſime Rex.

Cum huc ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram, Dominum noſtrum clementiſſimum, miſſi ſumus a fratribus noſtris Ordinis Equeſtris, & minoribus Civitatibus, una cum Dominis Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ, ut ſimul, & non ſeparatim, cum Dominis Conſiliariis tueremur Terrarum jura, libertates & immunitates, ab Anteceſſoribus Regiæ Majeſtatis Veſtræ iis Terris conceſſas, & a Sacra Regia Majeſtate Veſtra confirmatas, precamur Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem, Dominum noſtrum clementiſſimum, ut eadem Sacra Regia Majeſtas Veſtra Conſiliarios Terrarum clementiſſime liberos facere, neque ad hanc ſeſſionem inconſuetam & indebitam adigere velit, cum Domini Conſiliarii Terrarum nihil aliud in mandatis habeant a relictis fratribus, quam & nos, niſi ut quam diligentiſſime jura, privilegia, immunitates, ac antiquas & receptas conſuetudines Pruſſicas tueantur, conjunctaque manu nihil novi ſuſcipientes defendant. Anno 1569.

CCLV.

Altera eorundem Proteſtatio, poſtquam Conſiliarii Pruſſiæ in Senatu Regni conſederunt. Ibid. *Indidem.*

Sereniſſime ac Clementiſſime Rex,

Cum videamus Dominos Conſiliarios Terrarum Pruſſiæ loca inter hujus Inclyti Regni Conſiliarios occupaſſe, non ex debito, ſed ex mandato Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, precamur S. Regiam Majeſtatem Veſtram, uti Dominum Chriſtianum, & juſtitiæ amantem, nos conjunctim ab Ordine Equeſtri & minoribus Civitatibus Terrarum Pruſſiæ miſſi Internuntii, ne id præjudicium aliquod privilegiis, juribus, libertatibus, ac hactenus bene obſervatis conſuetudinibus Terrarum illarum adferat, fit enim hoc ſupra omnem ſpem & voluntatem noſtram, ac domi relictorum fratrum, ſupraque mandata nobis ab iisdem conceſſa, ex præcepto Majeſtatis Veſtræ, cui ut obtemperaremus, æquum eſt. Cum autem Domini Conſiliarii Terrarum Pruſſiæ per ſe ſine nobis & fratribus noſtris nihil ſtatuere poſſint, precamur obteſtamurque Majeſtatem Veſtram Regiam per Divini Numinis gloriam, ne id fiat in derogationem jurium, libertatum ac immunitatum noſtrarum, teſtamurque ſumma, qua poſſumus, reverentia & ſubjectionis ſtudio, quemadmodum etiam antehac a nobis factum eſt, inprimis Sacr. Majeſtatem Veſtram Dominum noſtrum clementiſſimum, deinde hunc Ampliſſimum ad latera S. Majeſtatis Veſtræ Conſeſſum, nos conſenſum noſtrum ad hæc accommodare non poſſe, nec conſentire, cum id in mandatis non habeamus a fratribus noſtris domi relictis, rogantes S. Regiam Majeſtatem Veſtram, ne ea re offendatur Majeſtas Veſtra, id enim a nobis non fit gratia opponendi ſeſe Majeſtati Veſtræ, ſed quod id agnoſcentes nos eſſe homines honeſtos tueri deceat, quod nobis a fratribus noſtris eſt mandatum & concreditum.

CCLVI.

ANNO 1569.

CCLVI.

Tertia eorundem Proteſtatio, cum ipſi inter Nuntios Regni conſedere juſſi ſunt. Ibid. *Indidem.*

Sereniſſime ac Clementiſſime Rex.

Regia Majeſtas Veſtra nos adigere conatur, ut inter Nuntios hujus Inclyti Regni contra morem receptum conſideamus, ſed cum nobis a fratribus noſtris accurato mandatum ſit, ne novi aliquid contra antiquas conſuetudines noſtras ſuſcipiamus, quod ſit contrarium privilegiis, antiquis conſuetudinibus & immunitatibus Terrarum Pruſſiæ, agnoſcimus nos eſſe obſtrictos Majeſtati Veſtræ omnibus bonis, ſanguine ac corporibus noſtris, nihilominus etiam agnoſcentes Officium Regium S. M. Veſtræ, quo nos penes jura, privilegia, antiquas conſuetudines & immunitates, ab Anteceſſoribus Majeſtatis Veſtræ clementiſſime conceſſas, & a Sacra Regia Majeſtate jurejurando confirmatas, conſervare ac tueri debeat. Iis igitur de cauſis, Sereniſſime Rex, ſummo, quo poſſumus, venerationis ac ſubjectionis ſtudio precamur Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram, quo Majeſtas Veſtra debitum Officii ſui Regii clementiſsime conſiderare, ac inprimis propter Deum ipſum, deinde humillimas preces noſtras fideliſsimorum ſubditorum & ſervitorum Majeſtatis Veſtræ implere dignetur. Nobis non eſt integrum, nec convenit aliud facere, quam tueri mandata fratrum noſtrorum domi relictorum, ne aliquam transgreſsi mandati ſuſpicionem nobiſcum afferamus.

CCLVII.

Proteſtatio Nuntiorum Civitatis Torunenſis & Elbingenſis contra præfatum S. R. Majeſtatis Decretum. Ibid. *Indidem.*

Sereniſſime Rex.

Quod ad Seſsionem in hoc Auguſtiſsimo Regni Senatu nobis oblatam attinet, nos Thorunenſis & Elbingenſis Reipublicæ Nuntii confiteri neceſſe habemus, nobis in mandatis & inſtructione noſtra expreſſe datum & injunctum eſſe, ne in illam conſentiamus, ut nos intromittamus in ullum præjudicium vel ſequelam adverſus communia privilegia, libertates, jura, immunitates, conſuetudinesq; Terrarum Pruſsiæ, tanquam Patriæ noſtræ cariſsimæ. Cum igitur finem mandatorum ſuſceptorum excedere nobis non ſit integrum, ſumma cum ſubjectione reverenter ac humillime petimus, nos in hoc caſu excuſatos, neque de ulla inobedientia aut temeritate ſuſpectos haberi, quin potius hoc, quicquid hujus ſit, fidei noſtræ ſacramento in Majeſtatem Regiam, & cariſsimam Patriam clementiſsime adſcribere. Quoniam Sacra Majeſtas Regia imperat nobis ſeſsionem in Senatu Regni pro hac vice capiendam, humillimis precibus noſtris plane poſtpoſitis, hoc unum nobis ſupereſſe videtur, ut cum Majores noſtri, habita matura deliberatione, legibus & moribus vetuſtis conſtanter ſibi inhærendum conſueverint, neque diſcedendum vel latum unguem ab ea proteſtatione, quæ ſuperioribus Comitiis ſolenniter ſumma cum veneratione publice pro neceſsitate communis cauſæ propoſita fuit. Igitur volentes finibus mandatorum fideliter inhærere, illam ipſam ſuperiorem proteſtationem in omnibus clauſulis & articulis pro repetita, ſemperque duratura etiam atque etiam haberi humillime ſupplicamus, noſque levatos omni ſiniſtra temeritatis ſuſpicione clementiſsime de hac ipſa repetitione Regia Majeſtas excuſatos accipere dignetur.

ANNO 1569.

CCLVIII.

Literæ Sigismundi Augusti *Poloniæ Regis ad* Albertum *Juniorem Pruſſiæ Ducem, in quibus de adventu ejus perſonali ad reddendum homagium, & de quibusdam aliis agitur.* Dat. Lublini 27. Martii An. Dom. 1569.

Illuſtris Princeps, Nepos noſter Chariſſime.

Quod ſuperioribus diebus ex reſponſo Internuntiis Illuſtritatis Veſtræ dato putamus intellexiſſe Illuſtritatem Veſtram, id etiam nunc Illuſtritati Veſtræ a Nobis exiſtimavimus perſcribi oportere, nimirum diſtuliſſe Nos adventum Illuſtritatis Veſtræ, gravibus & neceſſariis de cauſis ad Menſem Majum, locumque homagio præſtando ac celebrando Civitatem Lublinenſem aſsignaviſſe. Quamobrem hortamur Illuſtritatem Veſtram, ut ad diem primam Maji Lublinum veniat, ac homagium, Nobis Regnoque noſtro debitum, more Majorum præſtet. Cæterum quod Illuſtritas Veſtra quærit, armatusne ac magno hominum equitatu advenire debeat. Etſi eam rem in poteſtate & arbitrio Illuſtritati Veſtræ relinquimus, minus tamen id eſſe neceſſarium arbitramur, quam fuit olim piæ memoriæ Illuſtritatis Veſtræ Patri, qui & ea jam

BIBLJOTEKA w Wilnie

ANNO 1569. jam ætate fuit, cum hoc ipſum homagium præſtaret, ut nulli potius rei, quam militari intentus eſſe deberet; & iis rebus geſtis, ut non tam ipſe armis, quam eo ipſo arma honeſtarentur. Cum autem ad Nos hoc tempore tanta undique hominum multitudo confluat, ut eam is locus, in quo degimus, vix poſsit capere: alienum certe a ratione videri poſset, ſi Illuſtritas Veſtra ad Nos, qui hanc ipſam Filii chariſsimi loco habemus, armis munita & magnis militum præſidiis circumſepta veniat. Grata eſt Nobis majorem in modum opera Illuſtritat. Veſtræ, quam poſuit in certioribus Nobis reddendis de conatibus JOANNIS Ducis Megapolenſis, quos quidem ſic opprimi facile poſſe exiſtimamus, ſi ad noſtram diligentiam, quam magnam in iis rebus inveſtigandis & perquirendis adhibemus, & inpoſterum adhibituri ſumus, Illuſtritatis quoq; Veſtræ ſtudium atque ſedulitas acceſſerit. Ac inprimis ſi operam dederit Illuſtritas Veſtra, ut arces & munitiones militum praeſidiis firmentur, tum ut militibus præficiantur viri probi, & ad res gerendas idonei; poſtremo, ut conſtituantur, qui ejusmodi milites obſervent, tranſitumque prohibeant. De qua re quoque & ad Illuſtres Pomeraniæ Duces, & ad Gedanenſes, Elbingenſes ac Torunenſes literas noſtras propediem miſſuri ſumus. Jam vero quod ad Inveſtituram Feudi Franconici adtinet, non denegamus Illuſtritati Veſtræ ejus a Majeſtate Cæſarea petendæ atque obtinendæ facultatis. Quod reliquum eſt, cupimus Illuſtritatem Veſtram bene ac feliciter valere. Dat. Lublini die 27. Martii Anno Domini 1569.

CLIX.

Petitio Inveſtituræ Illuſtris Domini GEORGII FRIDERICI *Marchionis Brandeburgenſis &c. nomine.* Anno 1569. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. ſub Lit. V. fol. 224.*

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps & Domine, Domine longe Clementiſſime.

Poſtquam Illuſtriſſimo Principe ALBERTO Seniore, Marchione Brandeburgenſi, & Pruſſiæ Duce &c. anno ſuperiori ex hac miſeriarum valle ad cæleſtem beatitudinem pie evocato, Sacra Regia Majeſtas Veſtra Filio Celſitudinis ſuæ Illuſtrisſimo, nimirum Principi ac Domino, Domino ALBERTO FRIDERICO Marchioni Brandeburgenſi & Pruſſiæ Duci &c. Domino noſtro benefico, ad præſtandum pro more homagium Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ, & Ampliſſimo Poloniæ Regno debitum, accipendamque Inveſtituram Terrarum Pruthenicarum, diem primam Maji preteritam adſignavit, atque huic ſolemni actui non tantum jam dictum Pruſſiæ Ducem &c. coram interreſſe, verum etiam Illuſtrem Principem & Dominum, Dominum GEORGIUM FRIDERICUM Marchionem Brandeburgenſem, & in Sileſia Carnoviæ Ducem &c. Dominum noſtrum clementem, ratione ſimultanei juris ea de re certificandum, & commonefaciendum eſſe benigne ſtatuit, Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram demiſſe celare non poſſumus, ab Illuſtriſſima Celſitudine ſua certa quaedam negotia ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram Celſitudinis ſuæ nomine perferenda, nos in mandatis accepiſſe. De quorum fide ut conſtare poſſit, initio literas ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram creditivas humiliter exhibere, factaque jam nobis dicendi copia rem omnem breviſſimis exponere, officii noſtri eſſe duximus. ANNO 1569.

Primum omnium itaque, Clementiſſime Rex, Illuſtriſſimus Princeps noſter poſt eam, quam aliqnot antehac literis ſua Celſitudo abunde teſtata eſt, paratiſſimorum obſequiorum oblationem Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ tam corporis, & animi valetudinem firmam, quam ſtatum Regni, & totius gubernationis ſalutarem, feliciſſimumque a Deo Optimo Maximo comprecari juſſit, ſeriisque votis optat, ut omnia conſilia, & actiones Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ principaliter quidem cedant in gloriam Nominis Divini, ſecundario autem, tum in communem Ampliſſimi Regni, atque Ordinum utilitatem, tum vero privatum etiam Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, perpetuumque commodum & incrementum.

Cæterum, quod de die, & loco, ad præſtandum beneficiariæ fidelitatis jusjurandum Illuſtrisſimo Pruſsiæ Duci conſtituto, Illuſtrem quoque Principem noſtrum, & quidem miſſo nuntio curſorio tempeſtive ſatis edocere Sacra Regia Majeſtas Veſtra non eſt dedignata, agnovit inde Celſitudo ſua propenſam Regiæ Majeſtatis Veſtræ erga ſe voluntatem ac beneficentiam, pro qua ut maximas eidem gratias reverenter ageremus, Celſitudo ſua ſerio, diligenterque nobis injunxit.

Quemadmodum autem Celſitudo ſua hactenus nihil in votis magis habuit, quam ut in hoc celeberrimo Regni Conventu, atque Ordinum frequentia, non tantum ſo-

Anno 1569. ſolenni Inveſtituræ actui intereſſe, ſed & Sereniſſimam Regiam Majeſtatem Veſtram hac occaſione reverenter inviſere, eique pro ſanguinis, & beneficii accepti debito, nec non eximia ſpe, quam Celſitudo ſua de Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ erga ſe animo & benevolentia a teneris concepit, ſolita obſervantiæ officia exhibere ſibi licuiſſet; ita repentinis quibusdam, iiſque gravisſimis & neceſſariis impedimentis ab hoc inſtituto ſe avocatum ac detentum eſſe, equidem hoc tempore graviter moleſtisſimeque tulit.

Tantæ enim expeditiones bellicæ partibus Germaniæ ad Rhenum ſitis, & Franconiæ finitimis regionibus, ex Galliis nunc imminent, totque motibus undique communis Patria hactenus vexata eſt, & in hunc uſque diem in Belgico miſere premitur, ut cuivis ex Imperii Romani Statibus ſollicite ſibi cavere, ſuiſque poſſesſionibus attente invigilare inprimis neceſſarium, adeoque non ſatis tutum ſit, periculoſisſimo hoc rerum omnium ſtatu, finibus exire, nedum iter tam longinquum ac diuturnum inſtituere.

Quæ quidem cum procul dubio & literis multorum & famæ publicæ indicio ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram jam dudum perlata ſint, ſperat Illuſtrisſimus Princeps, Veſtramque Regiam Majeſtatem propterea officioſisſime rogatam voluit, ut in hac parte excuſatam ſe habere, ſuamque abſentiam temporis potius iniquitati, quam ſpontaneæ intermisſioni, vel negligentiæ gratioſe adſcribere non gravetur.

Jam vero Sereniſsime Rex, Clementisſime Domine, nuncupatus ſæpiuſcule Princeps noſter, Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram in recenti adhuc memoria tenere, & vel binis ſuperioribus literis ſatis abunde commonefactam eſſe arbitratur; Quo pacto olim a Sereniſsimæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ Domino ac Parente, Domino Sigismundo Poloniae Rege &c. glorioſæ & ſalutaris memoriæ Parens Celſitudinis ipſius Illuſtrisſimus Princeps Georgius Marchio Brandeburgenſis &c. una cum Fratre Alberto Prusſiæ Duce &c. reliquiſque tunc temporis ſuperſtitibus, nunc vero pie defunctis Marchionibus, vigore pacificationis Anno ſalutis M. D. XXII. initæ, ad ſimultaneam feudorum Ducatus Pruſſiæ conceſſionem clementer admiſſus ſit, ac deinceps tum memoratus jam Dominus Parens, tum Celſitudo ſua, quoties in eum caſum res devenit, ſemper feudum illud agnoverit, in ejuſque Inveſtitura firmiter hactenus ſteterit, & adhuc perſiſtat.

Quod enim Anno Meſſiæ ſupra milleſimum quingenteſimum quinquageſimo, renovata a Sacra Regia Majeſtate Veſtra Seniori Duci Alberto &c illa ipſa Inveſtitura Locumtenens, atque Tutor ſuæ Celſitudini tunc in pupillari ætate conſtitutæ, Regium vexillum, inſignia Ducatus Pruſſiæ continens, una apprehendit, eamque apprehenſionem Celſitudo, annos pubertatis adepta, ratam poſtmodum firmamque habuit, & tandem hanc ratificationem Sacra Regia Majeſtas Veſtra in Conventu Regni Anno Virginei Partus M. D. LX. III. Petricoviæ habito, communi omnium Statuum conſenſu, dato inſuper ſingulari Diplomate, clementer approbaverit, id omne Celſitudo ſua non tantum Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati Veſtræ, verum etiam Inclytis Regni Ordinibus, & ſcit, & cupit eſſe quam notiſſimum.

Quapropter & hoc tempore, quo e vivis ſublato Illuſtriſſimo Principe Alberto Patruo Celſitudinis ſuæ chariſſimo, Sacra Regia Majeſtas Veſtra Filium ejusdem Patruelem Celſitudinis ſuæ unice dilectum ad præſtandum homagium nuper huc vocavit, eaque de re Celſitudinem etiam ſuam benigniter certiorem reddidit, nominatus Illuſtriſſimus Princeps noſter neutiquam prætermittendum eſſe cenſuit, quin ad indicta futuræ infeudationis ſolennia ſuos quoque Mandatarios, proſequendi juris ſui ſimultanei gratia, deputaret, prout ejus rei cauſa ab Illuſtriſſima Celſitudine ſua nos plena cum poteſtate huc miſſos eſſe Sacra Regia Majeſtas Veſtra ex Diplomate mandati, quod eidem debita ſubjectione offerimus, liquido clementiſſimeque cognoſcet.

Veſtram itaque Sacram Regiam Majeſtatem nomine Illuſtriſſimi Principis noſtri, & vigore muneris a ſua Celſitudine nobis injuncti, dediti ſſimo ſtudio ſummopere rogamus, ut ad diem, qua Illuſtrisſimus Princeps Albertus Fridericus Pruſſiæ Dux &c. a Sacra Regia Majeſtate Veſtra feudum pro ſe accepturus eſt, tunc præſentes, ſuæque Celſitudini conjunctos Nos eſſe, & Regium vexillum pro veteri conſuetudine, qua Tutor Illuſtriſſimi Principis noſtri, vice Celſitudinis ſuæ, olim id arripuit, Nobis quoque in evidens ſignum & recognitionem ſimultaneae Inveſtituræ apprehendere clementer permittat, & hoc ipſo ritu atque ceremonia jus ſucceſſionis hæreditarium, jam olim legitime adeptum, Celſitudini ſuae renovando gratioſe confirmet.

Quod quidem ut Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ inprimis honorificum, ac per ſe juſtum & æquum, pactiſque ve-

Anno 1569. teribus maxime conſentaneum eſt, ita beneficentiam hanc Regiam Illuſtriſſimus Princeps noſter perpetua fide & obſequiis, ſtrenuo & induſtrio vaſallo dignis, promereri omni cura & ſollicitudine contendet, ut intelligat Sacra Regia Majeſtas Veſtra, quidquid eſt ejus beneficii, in Agnatum minime ingratum vel immemorem collatum eſſe.

Et quoniam Illuſtriſſimi Principis Electoris Brandeburgenſis, Patrui Celſitudinis ſuæ longe amantiſſimi, Legati & Oratores propediem etiam, ut fertur, hic adfuturi ſunt, memoratus ſupra Illuſtriſſimus Princeps noſter a Sacra Regia Majeſtate Veſtra officioſiſſime petit, ut dicto Infeudationis actui in id tempus exiguam moram interponere non gravatim dignetur.

Quod ſupereſt, Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps, etſi præfatus Illuſtrisſimus Princeps noſter multis hactenus exemplis cognovit, Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram Patruelem Celſitudinis ſuæ, Illuſtrem Prusſiæ Ducem, tum ob propinquam ſanguinis conjunctionem, tum vero ſupremam tutelæ provinciam, ſibi quam commendatisſimum habere; tamen cum Celſitudo ſua non ſolum agnoſcat ſe pari ratione agnationis omnia illi pietatis & benevolentiæ officia debere, verum, etiam propter eximiam indolem & mores, tali Principe vere dignos, Paterno quaſi amore Celſitudinem ſuam complectatur; Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram etiam, atque etiam obſervantisſime rogatam cupit, ut ſua etiam cauſa, eo quo cæpit favore, patrocinio, atque auctoritate, res dicti Nepotis ſui & dignitatem univerſi Ducatus Prusſiæ, uti hoc ipſum Albertus Dux Senior teſtamento ſtudioſe petiit, poſthac benigniter juvare, tueri, fovere, atque ornare pergat.

Quodſi pro ea, quam & Senior Parens piæ memoriæ, & Illuſtrisſimus Princeps noſter certo concepit, fiducia, Sacra Regia Majeſtas Veſtra fecerit, novo prorſus beneficio utrumque Principem ſibi devinxerit. Et ſiquidem Juniori Prusſiæ Duci, propter ætatis imbecilitatem, meritum illud nunc aſſequi non licet, in poſterum majori cura & contentione in hoc incumbet, ut auxiliante Deo, progreſſu temporis & accedentibus annis, Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ, & florentisſimo Regno gratisſimum, ac omnino talem Vaſallum ſe exhibeat, qui re ipſa aliquando comprobet, ex beneficentia in ſe collata, ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram, & Magnificos Regni Proceres fructus non vulgares rediiſſe.

Tandem vero Rex clementisſime ad capita petitionis noſtræ, gratioſum Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtrae reſponſum debita obſervantia rogantes, noſtra etiam qualiacunque ſtudia & officiola, ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram ſubjectisſime deferimus, Eidemque Nos, & omnia noſtra, quod decet, animorum humilitate, quam deditisſime commendamus. Anno 1569.

Legati, & Oratores fuere.

Georgius a Wanbach
Udalricus a Pogerell
David Hossman.

CCLX.

Petitio nomine Illuſtr. Domini Joachimi *Electoris Brandeburg. & Filii ejus* Joannis Georgii, *per Nuntios in Theatro habita.* Anno eodem. *Ibid. fol. 226.*

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,
Clementiſſime Princeps ac Domine.

Quod a Sacra Majeſtate Veſtra, Statibusque Regni Illuſtriſſimi Principis Electoris Brandeburgenſis, & Celſitudinis ſuæ dilectiſſimi Filii verbis ac nomine de ſimultanea Ducatus Pruſſiæ infeudatione ſuperioribus ſeptimanis nos quoque ſumma cum veneratione petiverimus, ejus & conſtantiſſimam & benigniſſimam recordationem ac memoriam eſſe, tam non dubitatur, ut inter certisſima potius habeatur ac referatur, idem autem nunc etiam in hoc ſolenni ac publico Sacræ Majeſtatis Veſtræ, Procerumque conſeſſu, ad Regium hunc Majeſtatis Veſtræ Thronum procumbentes, ſuppliciter, veraque cum animi ſubjectione precamur.

Quibus precibus noſtris ſi Majeſtas Veſtra cum Statibus clementiſſime annuere dignata fuerit, viciſſim Nobis a Principibus noſtris injunctum eſt, ut Celſitudinum ſuarum nomine ac loco gratitudinem illam, quæ & Beneficiarium Vaſallumque decet, & pactis præſertim conſentanea eſt, officioſiſſime ac fideliſſime deferamus atque polliceamur. Quæ omnia cum ex auctoritate publica, & ex ſolennibus Principum noſtrorum mandatis, tam generalibus quam ſpecialibus, faciamus, tanto majoris fuerint ponderis atque momenti. Quo nomine denuo nunc ſimultaneam Principum noſtrorum una cum cæteris inaugurationem, ſupplici voce, ſummaque ac vera cum animi ſubmiſſione, devotione, ac veneratione petimus, rogamus atque precamur.

Gra-

Anno 1569.

Gratiarum Actio.

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps ac Domine, Domine longe Clementiſſime.

Cum a S. Maje. Veſtra, & ab ejusdem inclyta Corona, in hac ſimultaneæ Inveſtituræ collatione, ſummis & infinitis beneficiis noſtri quoque Principes benigniſſime affecti ſint, debere ab ipſis etiam gratitudinem perpetuam & publicam teſtificationem, merito agnoſcimus atq; fatemur. Proinde & gratias Celſitudinum ſuarum verbis ac nomine ſedulo nunc agimus. Ac eas quidem cum immortales ac infinitas, tum & vera cum animi ſinceritate ac veneratione conjunctas. De reliquis vero gratitudinis partibus, quod & illas Celſitudines ipſorum ſumma cum animi promptitudine, fide ac obſervantia quovis tempore ac loco, pro pactorum præſcriptis, formis atque rationibus præſtituræ ſint, Celſitudinum ſuarum verbis ac nomine, juxta ſolennia ipſarum tam ſpecialia, quam generalia mandata, recipimus, promittimus atque ſpondemus. Sed oramus inſuper & nos etiam Æternum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut inauguratio hæc felix fauſtaque ſit, & cedat inprimis cum ad Nominis Divini gloriam ſempiternam, tum & ad Majeſtatis Veſtræ, Procerumque Regni hujus & noſtrorum etiam, conjunctorumque Principum ſalutem, dignitatem ac incrementa.

CCLXI.

Petitio Inveſtituræ nomine Illuſtris Principis Domini Georgii Friderici *Marchionis Brandeburgenſis publice in Theatro habita.* Anno eodem. *Indidem fol. 227.*

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps & Domine, Domine longe Clementiſſime.

Quantum Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ, nec non Ampliſſimo Poloniæ Regno dignitatis & ornamenti attulerit, quantumque ſtudii & obſervantiæ conciliarit, quod Illuſtriſſimos Germaniæ Romanique Imperii Principes Marchiones Brandeburgenſes &c. Dominos noſtros clementes, beneficio ſimultaneæ Inveſtituræ Ducatus Pruſſiæ jam olim ſibi devinctos reddidit, non eſt hujus loci atque temporis enarrare. Quemadmodum autem Illuſtriſſimus Princeps & Dominus, Dominus Georgius Fridericus Marchio Brandeburgenſis &c. & in Syleſia Carnoviæ Dux &c. Dominus noſter beneficus, gratiſſimo animo libenterque profitetur, ſe hoc ipſo nomine Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati Veſtræ, & Inclytis Regni Ordinibus plurimum debere: ita certam ſimul ſpem concepit, Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram in hac Regia benignitate erga ſe, & confeudatarios Principes conſtantem, & ſibi, ſuorumque Majorum perpetuo ſimilem futuram.

Anno 1569.

Proinde cum in eum caſum res nunc devenerit, ut Illuſtriſsimo Pruſsiæ Duci Alberto Friderico, Alberti Senioris pie defuncti Filio &c. Domino noſtro gratioſo, Feudum illud a S. Regia Majeſtate Veſtra præſtito homagio pro ſe accipiendum ſit. Nos quoque mandato & nomine præfati Illuſtriſsimi Principis noſtri ea, qua decet Vaſallum obſequentem, animi ſubmiſsione, Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram obnixe rogamus, ut Celſitudini ſuæ una cum reliquis Convaſallis (ſalva tamen cujuslibet prærogativa) ſimultaneam Ducatus Pruthenici Inveſtituram, apprehenſione Regii Vexilli, uti moris eſt, conjunctim conferre, eaque ſolenni conceſsione jus hæreditarium, jam olim firmiſsimarum conventionum vigore a Divo S. R. Majeſtatis Veſtræ Parente ſuæ Celſitudini conſtitutum, benigniter renovare, & de integro ſtabilire dignetur.

Quod quidem ut Sereniſsimæ Regiæ Majeſtati Veſtræ, & univerſis Regni Statibus inprimis honorificum, pactisque veteribus maxime conſentaneum eſt: ita dictus Illuſtriſsimus Princeps noſter e contra omnem ſuam operam, ſtudium, obſervantiam atque fidem, in quovis officii genere, quod ad dignitatem S. Reg. Majeſtatis Veſtræ, & celeberrimi Regni honorem & amplitudinem tuendam a fideli Vaſallo expectari ſolet, ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram, & Magnificos Regni Proceres demiſſo paratiſsimoque animo defert.

CCLXII.

Reſponſio Marchionibus, id eſt, tam Illuſtri Pruſſiæ Duci, quam cæteris Marchionibus Brandeburgenſibus, nomine Sac. Regiæ Majeſtatis, poſt petitionem feudi data. Anno 1569. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. V fol. 228.*

Sacra Majeſtas Regia, Dominus noſter clementiſsimus, cum memor ſit Pactorum, quæ Divo Parenti ſuo Sigismundo Regi, & Inclyto huic Regno cum Illu-

ANNO 1569. Illuſtriſsimo Domino ALBERTO piæ memoriæ, Marchione Brandeburgenſi, Duce in Pruſsia, Patre Celſitudinis Veſtræ, intercellerunt, ejusdemque Majeſtati ob oculos obverſetur tam arctum neceſsitudinis vinculum, quo Celſitudo Veſtra Majeſtati illius Regiæ devincta eſt, non modo non gravate, ſed etiam libenter conferendam duxit Celſitudini Veſtræ Inveſtituram feudi Ducatus in Pruſsia, in eum uſque diem dilatam. Quem honorem & dignitatem optat Majeſtas illius Reg. cum ad Dei Omnipotentis gloriam, tum non magis ad Majeſtatis ſuæ & Regni hujus decus & ornamentum, quam ad Celſitudinis Veſtræ commodum, & ad illius populi ſalutem & incolumitatem evenire. Neque vero dubitat Majeſtas illius Regia, Celſitudinem Veſtram ita ſe geſturam eſſe erga ſuam Majeſtatem, ut fidelem & obſequentem Vaſallum, erga Regnum autem hoc Inclytum uti ſocium & fœderatum decet, erga ſubditos vero uti juſto, benigno & Chriſtiano Principi convenit.

Cæterum quod Illuſtriſsimos Dominos GEORGIUM FRIDERICUM & , ... Marchiones attinet, non recuſat Majeſtas illius Regia, quin ad ſucceſsionem ejusdem feudi admittantur, ea tamen conditione, ut ne quid mutuis pactis & fœderibus detrahatur.

CCLXIII.

Actus Inveſtituræ Ducatus Pruſſiæ in Perſona ALBERTI *Junioris.* Anno 1569. *Ex Archivo Regni Lib. 61. fol. 160.*

Legatus ALBERTI FRIDERICI Marchionis Brandeb. pro renovatione feudi verba ad Regem facit.

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps, & Domine omnium Clementiſſime.

Principio Deo Optimo Conditori & Conſervatori generis humani merito ſummas agimus gratias, quod tandem hic dies ejus benignitate illuxit, quo S. Regia Majeſtas Illuſtriſsimo Principi & Domino D. ALBERTO FRIDERICO Marchioni Brandeburgenſi, & in Pruſsia &c. Duci &c. ad multiplices Celſitudinis ſuæ preces feudum Ducatus Pruſsiæ, ab Illuſtriſsimo Celſitudinis ſuæ Domino Parente pie defuncto jure haereditario ad ſe jam delatum, cum Inclytis hujus Ampliſsimi Regni Ordinibus clementiſsime renovare conſtituit. Invocamus itaque eundem Deum toto pectore, ut is primum hunc Inaugurationis & Inveſtiturae actum ad Divini ſui Nominis gloriam, & rei Chriſtianae commune emolumentum, deinde ad S. Reg. Majeſtatis, ac totius hujus Inclyti Regni dignitatem & incrementum, nec non ad Celſitudinis quoque ſuae, & Terrarum ei ſubjectarum ſalutem & tranquillitatem clementer dirigere dignetur. Etſi autem Celſitudo ſua de eo jam a Sac. Regia Majeſtate benigniſsime praemonita ſit, tamen partium ſuarum eſſe duxit, ut prius, quam Celſitudo ſua ad hoc Regium Solium, ad inaugurationem renovationemque Inveſtiturae extructum, accederet, Internuntios, Vaſallos & Servitores quosdam ſuos ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram praemitteret, qui de aditu Celſitudinis ſuae clementer patefaciendo Sac. Majeſtatem Veſtram humilibus precibus ſupplices orarent; id muneris cum nobis a ſua Celſitudine impoſitum ſit, Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram ſuae Celſitudinis nomine & verbis, quantis maxime poſſumus precibus ſupplices oramus ac interpellamus, ut S. R. Majeſtas Veſtra, una cum Ampliſſimo Regni Senatu, Celſitudini ſuae aditum in hoc Regium Solium, ad inaugurationem & renovationem feudi paterni Ducatus Pruſsiae petendam & accipiendam, clementer ac benigniſsime concedere non dedignetur. Quod ſi S. R. Majeſtas Veſtra ſuae Celſitudini non denegaverit, & reſponſo clementiſsimo ad Celſitudinem ſuam nos remiſerit, pollicemur Celſitudinis ſuae nomine, eam tanti Regii beneficii ac benignitatis nunquam immemorem futuram, ſed id debita ſubjectione, fide, ſtudio & obedientia atque obſervantia, ac omni denique debitorum officiorum genere, quae a fideliſsimo Principe Vaſallo recte praeſtari poſſunt, omnibus diebus vitae ſuae promerituram &c. ANNO 1569.

Vice. Cancellarius reſpondit.

Sacra Regia Majeſtas, Dominus meus longe Clementiſsimus, pro ea, qua in Illuſtriſsimum Pruſsiae Ducem propendet, ſingulari benevolentia ac favore, & ea denique ſanguinis arctiſsima neceſsitudine & conjunctione, quae S. R. Majeſta. ſua cum Celſitudine ejus intercedit, precibus, Celſitudinis ſuae nomine factis, libenter locum dat, utque ad Inaugurationis & Inveſtiturae actum inſtitutum in hoc Regium Solium aſcendat, facile permittit &c.

Legatus.

Sacrae Regiae Majeſtati Veſtrae ſuae Celſitudinis nomine, pro tam benigno ac cle-

Anno 1569. clementiſsimo reſponſo, quo Celſitudini ſuae aditus in hoc Regium Solium ad actum inaugurationis & renovationis Inveſtiturae Ducatus abſolvendum haud gravate concedit, debita ſubmiſsione gratias agimus ingentes, de eo jam Celſitudinem ſuam, facultatem ei accedendi a Sacra Regia Majeſtate Veſtra ex ſententia Ampliſsimi Regni Senatus factam eſſe, certiorem facturi &c.

Miniſter Ducis Pruſſiæ, poſtquam ipſe Dux ſolium Regis acceſſiſſet.

Cum Sacra Regia Majeſtas Veſtra Illuſtriſsimo Principi & Domino, Domino Alberto Friderico, D. G. Marchioni Brandeburgenſi, & in Pruſsia Duci &c. Domino meo clementiſsimo, aditum ad hoc Regium Solium &c. pro quo S. Reg. Majeſt. V. Celſitudo ſua, una cum Illuſtriſsimorum Marchionum Brandeburgenſium, Convaſallorum Oratoribus in genua procumbens, ingentes agit gratias, ac petit quam humillime, quandoquidem per divinam providentiam ſic acciderit, ut obitu Parentis cariſsimi, Domini Alberti Senioris, Marchionis Brandeburgenſis, & in Pruſsia Ducis, &c. Pruſſiae Ducatus ad ſuam Celſitudinem jure haereditario ſit delatus, & Celſitudo ſua Inveſtituram feudi, juxta Leges Pactorum & morem conſuetum petierit: nunc praeſens hoc idem facit, ac petit cum ſumma demiſsione, dignetur S. R. Maj. Veſtra Inveſtituram ſolennem Ducatus Pruſsiae Celſitudini ſuae clementer conferre, ac Celſitudinem ſuam benigniſsime recipere, pacta etiam & fœdera, inter S. R. Maj. V. Inclytumque Poloniae Regnum et Ducatum Pruſsiae exiſtentia, clementer confirmare, eaque tueri & ratificare. Pro qua Regia beneficentia parata eſt ſua Celſitudo S. R. Maj. V. & Inclyto Regno viciſsim debitam fidem jurejurando firmatam, & ſolenne homagium, ut vocant, reverenter præſtare, omniaque alia boni Principis Vaſalli officia ſacroſancte & religioſe implere, ac ita in univerſum erga S. R. Maj. Veſtram & hoc Inclytum Regnum ſeſe gerere, ut cum S. R. Maj. V. tum omnes intelligant, hoc Regium beneficium in Principem gratum, & Majorum ſuorum, inprimis vero cariſsimi Ducis, Parentis ſui veſtigiis, omni cultu virtutis & debitorum Officiorum inſiſtentem, poſitum ac collocatum eſſe. &c.

Hoſemanni Legati Marchionis Onoltzbachenſis petitio.

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps & Domine, Domine longe Clementiſſime. Anno 1569.

Quantum S. R. Maj. Veſtræ, nec non Ampliſſimo Poloniæ Regno dignitatis & ornamenti attulerit, quantumque ſtudii & obſervantiæ contulerit, quod Illuſtriſſimos Germaniæ Romanique Imperii Principes Marchiones Brandeburgenſes &c. Dominos noſtros clementes, beneficio ſimultaneæ Inveſtituræ Ducatus Pruſſiæ jam olim ſibi devinctos reddidit, non eſt hujus loci atq; temporis enarrare. Quemadmodum autem Illuſtriſſimus Princeps & Dominus, Dominus Georgius Fridericus Marchio Brandeburgenſis &c. & in Sileſia, Carnoviæque Dux &c. Dominus noſter beneficus, gratiſſimo animo libenterque profitetur, ſe hoc ipſo nomine S. R. Maj. & Inclytis Regni Ordinibus plurimum debere, ita certam ſimul ſpem concepit, S. R. Maj. Veſtram in hac Regia benignitate erga ſe & confeudatarios Principes conſtantem, & ſibi ſuorumque Majorum perpetuo ſimilem futuram. Proinde cum in eum caſum nunc res devenerit, ut Illuſtriſsimo Pruſſiæ Duci Alberto Friderico, Alberti Senioris pie defuncti Filio &c. Domino noſtro gratioſo, feudum illud a S. R. Maj. Veſtra præſtito homagio pro ſe accipiendum ſit. Nos quoque nomine præfati Illuſtriſsimi Principis noſtri ea, qua decet Vaſallum obſequentem, animi ſubmiſſione S. R. Maj. Veſtram obnixe rogamus, ut Celſitudini ſuæ, una cum reliquis Convaſallis (ſalva tamen cujuslibet prærogativa) ſimultaneam Ducatus Prutenici Inveſtituram, apprehenſione Regii Vexilli (uti moris eſt) conjunctim conferre, eique ſolenni conceſſione jus hæreditarium, jam olim vigore firmiſſimarum Conventionum a Divo S. R. M. Veſtræ Parente ſuæ Celſitudini conſtitutum, benigniter renovare, & de integro ſtabilire dignetur. Quod quidem ut S. R. Majeſtas V. & univerſis Regni Statibus inprimis honorificum, Pactisve veteribus maxime conſentanenm eſt, ita dictus Illuſtr. Princeps noſter e contrario omnem ſuam operam, ſtudium, obſervantiam atque fidem in quovis officii genere, quod ad dignitatem S. R. Maj. Veſtræ, & celeberrimi Regni honorem & amplitudinem tuendam a fideli Vaſallo expectari ſolet, ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram, & Magnificos Regni Proceres demiſſo paratiſſimoque animo defert.

Anno 1569.

Prætorii Legati Electoris Brandeburgenſis petitio.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Clementiſſime Princeps ac Domine.

Quod a S. R. Maj. Veſtra Statibusque Regni Illuſt. Principi Electori Brandeb. & Celſitudinis ſuæ dilectiſſimis Filiis, verbis ac nomine de ſimultanea Ducatus Pruſſiæ Infeudatione ſuperioribus ſeptimanis promiſſum eſt, nos quoque cum ſumma veneratione petiverimus ejus nomine, & conſtantiſſimam & benigniſſimam recordationem ac memoriam eſſe, tam non dubitatur, ut inter certiſſima potius habeatur ac referatur. Idem autem nunc etiam in hoc ſolenni ac publico S. R. Majeſtatis Veſtræ Procerumque Conſeſſu, ac Regio hoc Majeſtatis Veſtræ cum Statibus Conventu annuere, viciſſim nobis a Principibus noſtris injunctum eſt, ut Celſitudinum ſuarum nomine ac loco, gratitudinem illam, quæ & Beneficiarium Vaſallumque decet, & Pactis præſertim conſentanea eſt, officioſiſſime ac fidelisſime deferamus atque polliceamur. Quæ omnia cum ex auctoritate publica, & ex ſolennibus Principum noſtrorum mandatis tam generalibus, quam ſpecialibus faciamus, tanto majoris fuerunt ponderis atque momenti. Quo nomine denuo nunc ſimultaneam Principum noſtrorum una cum cæteris Inaugurationem ſupplice voce, ſummaque ac vera animi ſubmiſſione, devotione ac veneratione petimus, rogamus atque precamur. &c.

Vice-Cancellarius.

Sacra Regia Majeſtas, Dominus meus Clementiſſimus, pro benevolentia & propenſione animi ſumma, qua in Illuſtriſſimum Principem & Dominum, Dominum ALBERTUM Marchionem Brandenburgicum, & in Pruſſia Ducem &c. & cæteros Marchiones Convaſallos affecta eſt, libenter audivit, quæ nunc Celſitudinis Veſtræ & cæterorum Marchionum nomine ab Oratoribus demiſſe poſtulata ſunt, ac primum quod ad Celſitudinem Veſtram pertinet, meminit Majeſtas Regia Pactis ita conſtitutum eſſe, ut decedente uno Duce Pruſſiæ, S. R. Majeſtas alteri Succeſſori proximo Vaſallo Inveſtituram feudalem petenti morem gerere & gratificari debeat. Memor igitur S. R. Majeſtas cum pactorum & fœderum, tum arctiſſimæ neceſſitudinis & propinquitatis ſibi cum Celſitudine Veſtra intercedentis precibus Celſitudinis Veſtræ haud gravate annuit. Cum vero & Onotlzbachenſes Marchiones, inprimis vero Illuſtriſſimus Princeps Dominus GEORGIUS FRIDERICUS jus ſimultaneum in feudo Ducatus Prusſiæ ex pactis, & fœderibus habeat, ac Celſitudinis ſuæ Parens in prima etiam Inveſtitura ad jus ſimultaneum vexilli contactu admiſſus ſit, idcirco Majeſtas Regia & Oratores Celſitudinis ejus ad hunc actum, & vexilli apprehenſionem libenter admittit, ita tamen ut Principem ſuum pactis, et foederibus ſatisfacturum litteris reverſalibus confectis ſpondeant. Illuſtrisſimum vero Dominum Electorem Brandenburgenſem, quia Celſitudini ſuæ ſuperioribus annis novo beneficio jus feudi ſimultaneum in Ducatu Prusſiæ ſuo ordine ex ſingulari gratia & benignitate ſit conceſſum, S. R. Majeſtas quidem etiam per Oratores Illuſtris Celſitudinis ſuæ præſentes admittendum eſſe duxit, ſed hac tamen conditione, ne quid per homagium a ſubditis Ducatus Prusſiæ præpoſtere acceptum, cujus caſſationem a Commiſſariis S. R. M. ſuae ſuperiore tempore factam Majeſtas ſua confirmat & ratificat, ſuæ S. R. M. Juribus derogetur, de quo S. R. M. & Regni Ordines etiam atque etiam ſolenniter proteſtantur. Quod igitur fauſtum & felix ſit, S. R. M. Cels. Veſtram per vexilli traditionem ſolenni ritu feudo Ducatus Prusſiæ inveſtit, ac cæterorum Marchionum Convaſallorum Oratores ad contactum extremitatem vexilli clementer admittit, & optat, ut hæc Inveſtitura cedat ad gloriam Nominis Divini, in decus ac ornamentum S. R. M. univerſique Regni, & ad ſalutem Cels. Veſtrae, omniumque populorum ejus, quorum curam S. R. M. Veſtrae Cels. committit, nec dubitat Cels. Veſtram ita ſe geſturam, populiſque ſuis præfuturam, quemadmodum bonum, pium, & Chriſtianum Principem decet.

Juramentum Ducis Pruſſiæ.

Ego ALBERTUS FRIDERICUS, Dux Prusſiæ juro ſuper hæc Sancta Dei Evangelia, quod ab hac hora deinceps uſque ad ultimum vitæ meæ diem ero fidelis tibi, SIGISMUNDE AUGUSTE ſicuti meo naturali & hæreditario Domino, & Succeſſoribus legitimis tuis Regibus, & Regno Poloniæ contra omnem hominem, nemine prorſus exeepto, & quod nunquam ero ſcienter in conſilio, vel auxilio, vel in facto, quod tu amittas vitam, vel membrum aliquod, vel quod accipias in perſona aliquam læſionem, aut injuriam, vel contumeliam, vel quod amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel poſt habebis. Et ſi ſcivero, vel audivero de aliquo, qui velit aliquid iſtorum contra te facere, pro poſſe meo ut non fiat,

Anno 1569. fiat, impedimentum, praeſtabo. Etſi impedimentum praeſtare nequivero, quam cito potero, tibi nuntiabo, & contra eum juxta pacta auxilium tibi praeſtabo. Et ſi contigerit, te rem aliquam, quam habes, vel habebis, injuſte & fortuito caſu amittere, eam recuperare curabo, & recuperatam omni tempore retinebo. Et ſi ſcivero, te velle juſte aliquem offendere, & inde generaliter, vel ſpecialiter ero requiſitus, meum tibi ſecundum pacta praeſtabo auxilium. Et ſi aliquid mihi de ſecreto manifeſtaveris, illud ſine tua licentia nemini pandam, neque quicquam, per quod pandatur, faciam. Et ſi conſilium a me ſuper aliquo facto poſtulaveris, illud tibi dabo conſilium, quod mihi videbitur magis expedire, & nunquam ex perſona mea aliquid ſcienter, quod pertineat ad tuam, vel tuorum injuriam, vel contumeliam, faciam, denique pacta, inter olim Divum Sigismundum Regem, Illuſtrem piae memoriae Parentem meum cum Inclyto hoc Regno Poloniae conventa, ſervabo & implebo, ſic me Deus adjuvet, &c.

Miniſtri Ducis Pruſſiæ Gratiarum actio.

Poſteaquam Domini beneficio actus Inveſtiturae ritu uſitato ſolenniter peractus eſt, & S. R. M. in illo actu ſolennitate juſta conficiendo non tantum Dominum Clementiſſimum ſe praebuerit, ſed etiam Cels. ſuam novis honoribus, & ſplendidis muneribus affecerit, agit Cels. ſua inprimis Deo Optimo Maximo toto pectore maximas gratias, qui animum S. R. M. ita flexit, & gratiam ad hoc ſuam conceſſit, ut haec tandem ita ſit abſoluta, & fideliter confecta. Precaturque eundem Deum, ut eadem clementia & benignitate concedat, quo haec omnia vergant ad gloriam ſuam divinam, ad decus & ornamentum S. R. M. ad incrementum porro hujus totius Inclyti Regni, & tranquillitatem & ſalutem Reipublicæ communem, pro ſingulari quoque S. R. M. V. benignitate ſibi infinitis modis exhibita ſua Cels. immortales agit gratias, ac Deum Omnipotentem ardentibus votis invocat, tanquam Remuneratorem omnis boni, ut S. R M. V. tantam beneficentiam largiſſime compenſare dignetur. Cels. vero ſua S. R. M. V. viciſſim omnis gratitudinis, & pietatis debita officia, perpetuam fidem, obſequentiam, & omne ſtudium pollicetur. Nec defutura eſt, adjuvante Deo Optimo Maximo, Cels. ſuae diligentia ita gerendi ſeſe erga S. R. M. V. hoc inclytum Regnum, denique erga populos quoque ditioni ſubjectos, quemadmodum id a grato vaſallo, & pio ac Chriſtiano maxime requiritur &c. Anno 1569.

Legati Electoris Brandeburgenſis Gratiarum actio.

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps, & Domine, Domine longe Clementiſſime.

Quod S. R. M. V. non Paterni ſolum foederis, ſed propriarum etiam conceſſionum & pactorum, cum Illuſtriſſima Domo Brandenburgica de feudo Prutenico initorum memor, atque obſervans, Illuſtriſſimos Marchiones Brandenburgenſes &c. Dominos noſtros clementes ſuo quemque loco & gradu, juxta Conventionum ſeriem ſolenni hac atque legitima feudi illius Inauguratione benigniter cohoneſtavit. Nemo ſane eſt, qui non cognoſcat, fateaturque S. R. M. V. priſtinum magnum beneficium novo quaſi magno cumulo auxiſſe. Pro ea igitur beneficientia vere Regia Nos quoque Illuſtrisſimi Principis & Domini, Domini Georgii Friderici, Marchionis Brandenburgenſis, &c. Domini noſtri Gratioſi nomine, S. R. M. V. quantas poſſumus atque debemus maximas & immortales agimus gratias. Eidemque Cels. ſuae verbis demiſſe pollicemur, atque recipimus, Cels. ſuam nihil unquam ſtudii, nihilve laboris, aut fidei praetermiſſuram, quin pro exhibita ſibi inſigni hac gratia S. R. M. V. & Inclytis Coronae Ordinibus, data occaſione Agnatum, atque Vaſallum perpetuo gratum, & merito hoc maxime dignum re ipſa ſeſe reverenter oſtendat & declaret. &c. Oramus etiam Filium Dei toto pectore, ut in gloriam nominis ſui fortunet hanc novam atque ſolennem Inaugurationem, eamque pertinere faciat, tum ad S. R. M. V. & florentisſimi Regni ſempiternum incrementum, tum vero ad communem etiam perpetuamque Illuſtrisſimae Domus Brandenburgicae utilitatem. &c.

Legati Onoltzbachenſis gratiarum actio.

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps ac Domine, Domine longe Clementiſſime.

Cum a S. R. M. V. & ab ejuſdem Inclyta Corona in hac ſimultaneae Inveſtiturae collatione ſummis & infinitis beneficiis noſtri quoque Principes benigniſſime affecti ſint, deberi ab ipſis etiam gratitudinem perpetuam, & publicam ejuſdem teſtificationem merito agnoſcimus atque fatemur, proinde et gratias Cels. ſuarum

Anno 1569. rum verbis ac nomine ſedulo nunc agimus, et eas quidem cum immortales ac infitas, tum et vera animi ſinceritate ac veneratione conjunctas. De reliquis vero gratitudinis partibus, quod et illas Celſ. ipſorum ſumma cum animi promptitudine, fide ac obſervantia, quovis tempore ac loco pro pactorum, praeſumptis formis atque rationibus praeſtiturae ſint, Celſ. ſuarum verbis ac nomine, juxta ſolennia ipſarum tam ſpecialia, quam generalia mandata recipimus, promittimus, atque ſpondemus, ſed oramus inſuper et Nos etiam aeternum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut Inauguratio haec felix, fauſtaque ſit, et cedat inprimis cum ad Nominis Divini gloriam ſempiternam tum ad S. R. M. V. Procerum Regni hujus, et noſtrorum etiam conjunctorum principum ſalutem, dignitatem, ac Incrementum. etc.

CCLXIV.

Literae Inveſtiturae ſeu Homagii Illuſtri Principi Domino Alberto Friderico *Marchioni Brandeburgenſi Duci Pruſſiae a S. R. Majeſtate datae.* Lublini 19. Jul. Anno 1569. *Ex Archivo Regni Lib. Leg. Lit. V. fol. 230.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus *Dux* Lithuaniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Rusſiae, ac omnium Terrarum Prusſiae, Maſoviae, Samogitiae, Pomeraniae, Kijoviae, Volhyniae, Podlachiae, Livoniaeque &c. Dominus & Haeres. Univerſis & ſingulis praeſentibus & futuris, harum ſeriem inſpecturis, manifeſtum facimus. Quod cum Divus Sigismundus Rex Parens noſter, Illuſtri quondam Principi Domino Alberto Seniori Marchioni Brandeburgenſi & in Prusſia, Stetiniae, Pomeraniae, Caſſubarum ac Sclavorum Duci, Burgravio Norimbergenſi, Rugiaeque Principi, Conſobrino noſtro charisſimo, Feudum Ducatus Prusſiae ex certis ac legitimis cauſis contuliſſet, atque is in eodem Feudo talem ſe erga Divum Parentem noſtrum, ac Nos etiam ipſos praeſtitiſſet, ut ab eo nec fides erga Nos, Regnumque noſtrum nec in rebus gerendis & adminiſtrandis prudentia deſideraretur. Quoniam & Divi Parentis noſtri veſtigiis inſiſtere, ac omnia illius pacta, conſilia, inſtituta, Anno 1569. rata & grata habere volumus, atque etiam quod Illuſtrem Principem Dominum Albertum Fridericum Marchionem, praedicti Illuſtris Domini Alberti Senioris Marchionis Filium, Nepotem noſtrum charisſimum, tum propter eam necesſitudinem, qua Nobis conjunctus eſt, Familiaeque ſplendorem ac dignitatem, tum etiam ob praeclariſſimam illius indolem ſingulari amore ac benevolentia proſequimur, eidem tanquam haereditario & legitimo Feudi Succeſſori, poſt Parentis ejus piae memoriae Illuſtris Domini Alberti Senioris Marchionis obitum inaugurationem & renovationem Feudi Paterni Ducatus Pruſſiae, ritu ſolenni in publico actu & praeſentia Conſiliariorum Regni noſtri infraſcriptorum, cum uſitata & ſolenni traditione vexilli noſtri dedimus & contulimus, ſicut & harum Literarum ſerie Illuſtritati ſuae illud ipſum Feudum Paternum conferimus, renovamus & confirmamus, eo plane ordine, & modo, quo illud olim a Divo Parente noſtro, ac deinceps a Nobis ipſis Illuſtri Principi Domino Alberto Seniori, Celſitudinis ſuae Parenti, aliisque Illuſtribus Dominis Marchionibus Brandeburgenſibus, Convaſallis, ſimultaneam, ut vocant, manum, in eodem Feudo habentibus, datum atque conceſſum fuit. Damus autem & concedimus Celſitudini ſuae, cum illius Succeſſoribus Feudi legitimis in perpetuum & indiviſum feudum, omnes Ducatus Pruſſiae, Terras, civitates, oppida, & arces, videlicet arcem Königsberk cum civitatibus, item arces & oppida Lochſtetten, Wargen, Permaw, Pubeten, Rudaw, Schoken, Calmen, Kremitten, Waldaw, Tapiaw, Taplauczen, Narkietten, Inſterburgk, Altenburgk, Wonſdorff, Perdawen, Angerburgk, Nordenburgk, Labiaw, Laukiſchken, Tilſet, Ragnet, Roſſiten, Wintbergk, Mimmel, Brandenburgk, Craiczburgk, Fridelant, Dominaw, Braten, Leczen, Balge, Heiligenbeil, Czinten, Landſpergk, Preuſcheilaw, Bartenſtein, Schenſten, Schusburgk, Rein, Raſtenburg, Leck, Siradaun, Johannesburgk, Holland, Liebſtadt, Mulhaſen, Morungen, Paſſenhein, Ortellburgk, Oſterrode, Hohenſtein, Neidenburgk, Soldau, Pilgenburgk, Schippenbeil, Deutſcheilaw, Preuſchmarckt, Liebmuel, Salfeldt, Riſenburgk, Marienwerder, Tirenburg, Labtau, Schonbergk, Powundem, Georgenburgk, Roſenbergk, Gardenſee, Neuhaus, Freiſtadt, Salan, Fiſchauzen, Biſchofswerder, Medenau, cum omnibus

Anno 1569. bus & ſingulis ſubditis, vaſallis, fructibus, dominiis, ſuperioritatibus, libertatibus & juribus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, manſis, curiis, molendinis, molendinorum locis, cenſibus, vectigalibus, reditibus, theloneis, ſervitiis, feudis ſpiritualibus & ſæcularibus, lacubus, fluminibus, piſcationibus, aquis, aquarum decurſibus, ferarum luſtris, ferarum meatibus, venationibus, ſylvis, nemoribus, pascuis, pratis, actibus, etiam cum omnibus metallis, quae modo ſunt, ſeu in futuro fieri poſſunt, auro, argento, cupro, ſtanno, plumbo, & ſalinis ſupra et ſubtus terram. Similiter una cum omnibus et ſingulis juribus, eminentiis et pertinentiis univerſis, nullis penitus exceptis, ſicuti ejusmodi Terras quondam Magiſtri Generales et Ordo habuere, et uſque ad nuperrime geſtum bellum uſu et fructu tenuerunt, inpoſterum perpetue et haereditarie in commune et individuum feudum tenendas, fruendas, utendas, et poſſidendas. Ubi vero ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS FRIDERICUS Marchio et Dux in Pruſſia, ſine legitimis maſculis Feudi Haeredibus, vel ejus legitimi maſculi Feudi Haeredes, non relicta prole virili deficerent, extunc ſupradictae Terrae, civitates, oppida et arces, in omni forma et modo, quemadmodum eas ſupradictus Dominus ALBERTUS FRIDERICUS Marchio habuit, ad Illuſtrem Principem Dominum GEORGIUM FRIDERICUM, GEORGII Filium Marchionem Brandeburgenſem, cujus Oratores in hac renovatione Inveſtiturae vexillum contigerunt, et ipſius ſexus legitimos maſculini Feudi Haeredes venire et devolvi debent. Si vero etiam Marchio GEORGIUS FRIDERICUS ſine legitimis Feudi Haeredibus maſculis, vel ejus Haeredes, poſt ejus obitum, ſine legitimis maſculini generis Feudi Haeredibus ex humanis concederent, dictae Terrae, civitates, oppida et arces ad Illuſtriſſimum Principem Dominum IOACHIMUM Marchionem Brandeburgen. Sacri Romani Imperii Archicamerarium & Electorem, cujus Oratores in hac Inauguratione & Renovatione Feudi, ex ſingulari gratia & benignitate noſtra, ad vexilli contactum etiam admiſimus, & ad Illuſtrem Principem Dominum JOANNEM GEORGIUM Marchionem Brandebur. ejus Illuſtritatis Filium, Succeſſoreſque maſculos ex lumbis ejus procedentes, & in Electoratu ſuccedentes (ita tamen, ut poſteaquam alicui ex eis aperiretur ſuo ordine Feudum Ducatus in Pruſſia, ne per aſſecutionem priorem Electoratus aliqua in re praejudicaret juribus noſtris & Regni noſtri, quod habemus legitime hæreditarium ad Terras Pruſſiae) derivari & devolvi debent. Necnon hac etiam ſpeciali cautione adjecta, ne per hanc noſtram admiſſionem Oratorum Illuſtr. ſuarum ad contactum vexilli, caſſationi per Nos adprobatae Commiſſariorum noſtrorum, juramenti præpoſtere Nobis inſciis ante biennium à ſubditis Ducatus Pruſſiæ exacti, de quo Nos una cum Ordinibus Regni noſtri ſumus proteſtati, aliquid in omnibus & per omnia derogetur. Sed ſacrum jus noſtrum remaneat, ita, quod dictae Terræ, civitates, oppida & arces, ubi Divina Ordinatione ejusmodi caſus futuris temporibus acciderent, de uno in alium, & eorum legitimos Feudi Hæredes maſculos illo ipſo ordine, qui ſuperius expreſſus eſt, cedant & devolvantur, ſine noſtro Hæredumque & Succeſſorum noſtrorum Regum, & Regni noſtri Poloniæ impedimento & præjudicio, ea ratione, ut quoties ſe obtulerit ejuſmodi caſus devolutionis de uno in alium prædictos Marchiones, & eorum legitimos Feudi Hæredes maſculos, debebunt illi, & quisque eorum debebit Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus ac Regno Poloniæ, infra tempus debitum ac legitimum, debitam ſubjectionem & feudi obligationem ac homagium præſtare. Quodſi prædicti Marchiones, Divina voluntate ſic diſponente ſine maſcula prole Feudi Hærede legitima, ex lumbis eorum ordine ſupraſcripto procedente, aut eorum hujuſmodi proles ſimiliter ſine maſculo Feudi Hærede legitimo, ex lumbis eorum procedente decederet, tunc omnes & ſingulæ Terræ, civitates, oppida, bona et arces ſupraſcriptae ad Nos et Succeſſores noſtros Reges et Regnum Poloniæ, ſine omni impedimento et contradictione, devolvi debent, et redire. Debebit item ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS FRIDERICUS Marchio et Dux in Pruſſia, ejusque prænominati Succeſſores et Feudi Hæredes, pro hac noſtra in ſe beneficentia, Nobis et Regno noſtro tale obſequium praeſtare, quod ubi ratione hujus concordiae et conceſſionis feudi a quocunque cujuſvis eminentiae et conditionis Principe ſeu Potentatu impeteremur, aut Succeſſores noſtri impeterentur, tenebitur ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS FRIDERICUS Marchio et Dux in Pruſſia, aut ejus praedicti feudi Succeſſores Duces in Pruſſia, in Propria perſona Nobis et Regno noſtro, ubique una cum omnibus ſuis ſubditis; pro ſummis viribus ſuis adeſſe. Quod viciſſim Nos et Succeſſores noſtri Reges et Regnum Poloniae in eodem Anno 1569.

ANNO 1569.

eodem caſu facere debebimus, et debebunt. Ubi autem contingeret, quod Nos, vel Succeſſores noſtri Reges et Regnum Poloniae, altera quavis ex causa, tam ab infidelibus, quam a quocunque alio impeteretur, et ipſi in propria perſona ad bellum cum ſubditis noſtris proficiſceremur, aut Succeſſores noſtri proficiſcerentur, debebit dictus Illuſtris Dominus ALBERTUS FRIDERICUS Marchio & Dux in Pruſſia, & ejus prænominati Feudi Succeſſores, Duces in Pruſſia Nobiscum cum centum equitibus armatis proficiſci, & intra limites Terrarum Pruſſiæ Nobis ſervire. Quodſi educere extra terminos Pruſſiæ illum, aut ejus Succeſſores Duces in Pruſſia cum ipſo equitatu voluerimus, aut Succeſſores noſtri voluerint, debebimus & Nos & Succeſſores noſtri ad eosdem centum equites ſtipendium tale præbere, quale dare aliis noſtris mercenariis equitibus eſt ſolitum. Ubi vero Nos, vel Succeſſores noſtri vellemus ipſum Dominum ALBERTUM FRIDERICUM Marchionem, aut ejus nominatos Poſteros, Nobis & Succeſſoribus noſtris majori comitatu ſervire, debebimus Nos & Succeſſores noſtri his omnibus militibus, quos ultra centum prædictos conducere poſſet, mox poſt egreſſum a domibus ipſorum ſtipendium, quod noſtris militibus dabitur, illis, quamdiu ſervient, perſolvere. Si autem plures quam centum prædictos equites ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS FRIDERICUS Marchio, aut ejus Succeſſores Duces in Pruſſia educere non poſſent, non debebimus Nos, aut Succeſſores noſtri ab illo, aut Poſteris ejus Ducibus in Pruſſia, plures exigere. Præterea non debebit ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS FRIDERICUS Marchio, & ejus prænominati Feudi Succeſſores Duces in Pruſſia, quidquam ex terris, civitatibus, oppidis, arcibus, & bonis prædictis vendere, verum ſi ad hoc illum, aut Succeſſores ejus ingens urgeret neceſſitas, tenebitur Nobis & Succeſſoribus noſtris, tanquam Dominis ſuis hæreditariis, ante omnia denuntiare. Quodſi Nos ipſi emere non curaverimus, aut Hæredes & Succeſſores noſtri non curaverint, in hoc caſu poſtea ipſe Dominus ALBERTUS FRIDERICUS Marchio & Dux in Pruſſia, aut ejus legitimi Feudi Hæredes ſeu Succeſſores, cuicunque voluerint, vel poterint, liberam vendendi habebunt facultatem. Regalibus tamen noſtris feudi & obſequiorum juribus ſemper ſalvis remanentibus. Poterit autem ipſe Dux in Pruſſia & ejus Feudi Hæredes, ubi eos neceſſitas urgens premeret, ex bonis prædictis,' quantum opus foret, impignorare ſuis duntaxat vaſallis & ſubditis, ut eadem bona unita & indiviſa permaneant. Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta, & quæcunque alia, quæ Vaſallus & feudalis Princeps erga ſuum naturalem, hæreditarium & ſuperiorem Dominum præſtare & obſervare tenetur, debebit ipſe Illuſtris D. ALBERTUS FRIDERICUS Marchio & *D*ux in Pruſſia, ac ejus Feudi Hæredes legitimi Succeſſores, firmiter & inviolabiliter adimplere, Nosque viciſſim illum & Succeſſores ejus omni gratia & favore Regio complecti, ac illos in juribus & immunitatibus ipſorum conſervare, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniæ pollicemur. In quorum omnium fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum appendi juſſimus & manu noſtra præſentes ſubſcripſimus. Datum Lublini in Conventu Generali Regni, die decima nona Menſis Julii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, Regni vero noſtri quadrageſimo. Præſentibus Magnificis Georgio Proſkowſki *D*omino de Proſkow, Sereniſſimi & Excellentiſſimi Principis *D*omini MAXIMILIANI Secundi Electi Romanorum Imperatoris &c., & Æmilio a Walden Illuſtrium *D*ominorum Pomeraniæ *D*ucum Oratoribus, ac Reverendiſſimo & Reverendis in Chriſto Patribus *D*ominis: Jacobo Uchanſki Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, et Regni noſtri Primate, Philippo Padniewſki Cracovienſi, Stanislao Karnkowſki Cujavienſi, Adamo Konarſki de Kobylino Poſnanienſi, Petro Myſzkowſki Plocenſi, Alberto Siarozrzebſki Chelmenſ. Epiſcopis; nec non Magnificis, Venerabilibus et Generoſis: Sebaſtiano a Mielecz Caſtellano Cracovienſi et Capitaneo Breſtenſi, Stanislao Myſzkowſki de Mirow Palatino et Capitaneo Generali Cracovienſ. Rathnenſique, Petro Zborowſki, *S*andomirienſ. et *S*tobnicenſi Capitaneo, Gregorio Alexandrowicz, Hieronymo Chodkiewicz Caſtellano Vilnenſi, et Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ *S*upremo ac Grodnenſi, Mohilovienſique Capitaneo, *S*tephano de Zbaraz Trocenſi, Alberto Laſki *S*iradienſi, Euſtachio Wolowicz Caſtellano Trocenſi, Magni *D*ucatus Lithuaniæ Vicecancellario, et Breſtenſi Kobrinenſique Capitaneo, Joanne *S*ierakowſki Lancicienſi et Przedecenſi Capitaneo, Joan. Hieronymowicz Chodkiewicz Comite in *S*zkłow et Bychow, Capitaneo *S*amogitiæ, Marſchalco ſupremo Magni *D*ucatus Lithuaniæ, Adminiſtratore, et Exercituum in Livonia, nec non Plotelenſi Teſovienſiq; Capita-

Anno 1569.

pitaneo, Joanne de Sluzewo Brzeſtenſi et Koninenſi Miedzirecenſique Capitaneo, Conſtantino Konſtantynowicz Duce Oſtrogenſi, Kijoviæ et Vlodimiriæ Capitaneo, Joanne Krotoſzki Junivladislavienſi, Joanne Firley de Dambrovicza Lublinenſi, Regni noſtri ſupremo Marſchalco, et Capitaneo Rohatinenſi, Andrea Dembowſki Belzenſi, et Capitaneo Rubieſſovienſi, Paulo Iwanowicz Sapieha Nowogrodenſi, Arnolpho Uchańſki Plocenſi, et Wiſzegradienſi Capitaneo, Nicolao Kiſzka de Czechanowiecz Podlachiæ, et Capitaneo Drohicenſi, Fabiano Czema Mariemburgenſi, et Capitaneo Stargardienſi, Romano Sanguſzkowicz Bracławienſi, Magni Ducatus noſtri Lithuaniæ Campeſtri Capitaneo, Achacio Czema Pomeraniæ, et Capitaneo Mevenſi, Gabriele Iwanowicz Hornoſtai Minſcenſi, et Capitaneo Camenecenſi, Palatinis; Stanislao Sobek de Sulejow Sandomirienſi, Regni noſtri Theſaurario, et Thiſovienſi Malugoſtenſique Capitaneo, Andrea Dembowſki Siradienſi et Lancicienſi Capitaneo, Adamo Drzewiczki Iunivladislavienſi, et Capitaneo Goſtinenſi, Stanislao Herbort a Fulſtin Leopolienſi, et Capitaneo Somborienſ. Drohobycenſique, Stanislao Stupeczki Lublinenſi, Andrea Comite in Thenczyn Belzenſi, Anſelmo Goſtomſki Plocenſi, et Capitaneo Ravenſi, Adamo Koſſinſki Podlachiæ, Ioanne Koſtka de Stembergk Gedanenſi, Terrarum Pruſſiæ Theſaurario, et Pucenſ. Dershovienſique Capitaneo, Hieronymo Oſſolinſki Sandecenſi, Nicolao Firley de Dambrowicza Wizlicienſi, Ioanne Tarło de Scekarzowicze Radomienſi, et Capitaneo Pilznenſ. Lomſenſique, Nicolao Ligęza de Bobrek Zawichoſtenſi et Biecenſ. Zydaczovienſiq; Capitaneo, Alberto Przyjemſki Landenſi, Alberto Sandivogio a Czarnkow Santocenſi, et Capitaneo Pyzdrenſi, Ioanne Sienienſki de Sieno Zarnovienſi, Ioanne Chriſtoporſki Wielunenſi, Ioanne Tremienſki de Gologori Halicienſi, Ioanne Herborth de Fulſtin Sanocenſi, Felice Pariz Warſovienſi, et Capitaneo Czerſenſi, Stanislao Kriſki de Dobnin Raciąznenſi, Caſtellanis; Valentino Dembienſki de Dembiany Cancellario, Franciſco Kraſſinſki Præpoſito Plocenſi, Vice-Cancellario Regni Poloniæ, Stanislao Barzy de Blozew Curiæ Marſchalco et Sniatinenſi Capitaneo, Nicolao Chriſtophoro Radziwił Duce in Olyka et Nieżwiez Marſchalco Curiæ Magni Ducatus Lithuaniæ, Nicolao Naruſſowicz Theſaurario Magni Ducatus Lithuaniæ, Stanislao Sandivogio Czarnkowſki Commendatore Poſnanienſi, Curiæ noſtræ Referendario, Capitaneoque Drahimenſi, Stanislao Oſlowſki Cantore Gneſnen. et Referendario Curiæ, Ioanne Borukowſki Præpoſito Lancicienſi et Canonico Cracovienſi, Stanislao Kraſſinſki Scholaſtico Gneſnenſi, Ioanne Powodowſki Scholaſtico Poſnanienſi, Canonico Gneſnenſi, Nicolao Laſki Inciſore Curiæ noſtræ et Mariemburgen. Craſnoſtavienſique Capitaneo, Ioanne Kiſzka Inciſore Magni Ducatus Lithuaniæ, Mathia Zalinſki Lectiſtratore, et Iaſienecenſi, Mſcibovienſi, Zyzmorienſique Capitaneo, Luca Lenczki Lectiſtratore, Ioanne Zamoyſki, Ioanne Demetrio Solikomſki, Andrea Zborowſki Gladifero, Eraſmo Dembienſki Vexillifero, Petro Kloczewſki et Ioanne Pariz, et aliis quam plurimis fidedignis Secretariis et Aulicis noſtris circa præmiſſa exiſtentibus. Datum vero per manus præfati Reverendi Franciſci Kraſſinſki, Præpoſiti Płocenſis, et Regni Poloniæ Vicecancellarii ſincere Nobis dilecti.

CCLXV.

Confirmatio S. R. M. Summariorum, & præcipuorum Capitum Commiſſionis Pruthenicæ. Dat. Lublini 28. Jul. Anno 1569. *Ex Archivo Regni Lib. ſub Lit. V. fol. 242.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, ac omnium Terrarum Pruſſiæ, Pomeraniæ, Kijoviæ, Volhiniae, Podlachiæ, Livoniæque &c. notum facimus, quorum intereſt, univerſis & ſingulis, qui nunc ſunt, & qui poſtea futuri ſunt. Ablegaviſſe Nos annis ſuperioribus aliquoties ex Senatorum & Regni Ordinum ſententia in Terras Pruſſiæ Illuſtri olim Principi Domino Alberto Seniori Marchioni Brandeburgen. & in Pruſſiæ &c. Duci jure feudi ſubjectas, Legatos & Commiſſarios noſtros, quorum nomina infraſcripta in præſenti ſcripto continentur, idque eo potiſſimum conſilio, ut ex auctoritate noſtra Regia, & pro ſingulari illorum erga Nos fide, & in rebus gerendis dexteritate omnes controverſias componerent, omniaque Terrarum illarum gravamina tollerent atque amoverent. Qui cum rebus plane ex ſententia noſtra confectis & conſtitutis,

Anno 1569. tutis, ad Nos rediiſſent, & frequenti ſenatu omnem rerum a ſe geſtarum ſeriem expoſuiſſent: obtulerunt etiam Nobis harum ipſarum rerum commentarios a ſe conſcriptos & in tres libros diſtinctos, quos quidem Nos cum omni ex parte probaviſſemus, confirmavimus eoſdem, e communi Conſiliariorum noſtrorum ſententia, ac manu noſtra ſubſcriptos, ſigilloque communitos, in archivo noſtro reponi mandavimus. Inſuper etiam obtinuerunt prædictorum commentariorum ſummaria, & præcipua quædam capita, & memoriæ juvandæ, & faſtidii ob librorum ſupradictorum prolixitatem evitandi cauſa congeſta. Quorum ſummariorum, & præcipuorum capitum tenor ſequitur & eſt talis.

Receſſus Principis Statibus Ducatus Pruſſiæ datus, atque a DD. Commiſſariis Sacræ Regiæ Majeſtatis Poloniæ confirmatus.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quum nihil in rebus humanis ſtabile diuturnumque permaneat, ſalubriter inventum eſt, ut quæ ab oblivione, & vetuſtate eſſent vindicanda, Literarum munimentis perenni hominum memoriæ commendarentur. Proinde Nos Joannes a Służewo Palatinus Brzeſten. &c. Petrus a Zborow Caſtellanus Biecen. &c. Joannes Koſtka de Stangenbergk, Caſtellanus Gedanen. &c. Nicolaus a Dambrowicza Sacræ Majeſtatis Regiæ Secretarius, ejusdem Sacræ Majeſtatis Regiæ, Principis & Domini noſtri Clementiſſimi in Terras Pruſſiæ Illuſtriſſimo Principi & Domino Alberto Seniori Marchioni Brandeburgen. & in Pruſſiæ &c. Duci ſubjectas, Legati & Commiſſarii, notum eſſe volumus per præſentes, ad quos pertinet, univerſis & ſingulis. Quod cum mandato & voluntate S. R. Majeſtatis Senatorumque ac Ordinum Regni ſententia, ex Generali Regni Conventu Lublini ptoxime celebrato, Provinciam Legationis, cum plena facultate ad Nos delatæ, in Nos aſſumpſimus, & pro munere noſtro ad controverſias componendas, omniaque harum Terrarum gravamina tollenda & amovenda, manus admoviſſemus etiam Illuſtriſſimus Dominus Dux prænominatus, non immemor, ut officii ſui erga S. R. Majeſtatem, ita æquitatis univerſis ſuis ſubditis debitæ, certos ſuos Conſiliarios, videlicet Generoſos, Nobiles atque Egregios Dominos, Johannem Iacobum Truchſes Baronem in Waltpurgk, Curiæ ſuæ Illuſtritatis Magiſtrum, Jonam Baronem de Eylenbergk, Joannem a Swerin Illuſtriſſimi Domini Junioris Ducis Curiæ Magiſtrum, Sigismundum Kierſtanowſki Diſtrictus Sokau Præfectum, Fridericum ab Aulak, Chriſtophorum Jonam Doctorem, ad agendum, tractandumque cum Statibus & Ordinibus de gravaminibus tollendis, & omni perturbatione harum Terrarum removendis deputavit. Qui tandem habitis ſecum tractatibus communi conſenſu ad Nos, ut S. R. Majeſtatis Comiſſarios, ad id, quidquid fuit, controverſiarum, componendum, determinataque auctoritate S. R. Majeſtatis, inter partem utramque decidendum ſeſe receperunt. Quod Nos pro munere noſtro in corroborationem pactorum fecimus, Illuſtriſſimusque Dominus Dux prænominatus ea omnia rata & grata fore, apud ſe ſcripto & receſſu ejuſmodi, ſigillo ipſius communito & manu propria ſubſcripto teſtificatus eſt. Quorum ſeries in hæc ſummaria redacta eſt. Anno 1569.

Ut duo Epiſcopi juxta vigorem conceſſi privilegii electi, habeant plenariam jurisdictionem in ſpiritualibus cauſis, ſine ullius impedimento decidendi, particulares ac Generales Synodos, pro ſtatu & neceſſitate cauſæ convocandi. Qui etiam conſiliis arduis adhiberi debent.

Epiſcopus delinquens contra leges civiles, puniatur legibus conſtitutis, convictus vero de errore doctrinæ ſubjectus ſit cognitioni, atque judicio Generalis Synodi.

Epiſcopi optimo ſalario, juxta privilegium provideri debent.

Reſidentia Epiſcoporum in conſuetis locis obſervabitur.

Viſitationes ſingulis annis, ſine gravamine Eccleſiarum, juxta Conſtitutionem Principis fieri debent.

Electio Epiſcoporum atque Ordinatio Miniſtrorum Eccleſiæ, juxta priores Canones Eccleſiæ Anno ſexageſimo quarto promulgatos, obſervabitur, ita tamen, ut quivis a Domino feudi prius nominetur, & facta examinatione ab Epiſcopo, & accedente conſenſu Eccleſiæ, poſtea confirmetur.

Proviſio Collegiorum, Scholarum et Bibliopolarum Epiſcopis una cum plenaria juriſdictione omnium ſpiritualium cauſarum committi atque demandari debet, reſervata tamen ad Principem et Conſiliarios ipſius appellatione in matrimonialibus et aliis ſpiritualibus negotiis.

Intra ſpatium unius anni Canones Eccleſiæ, quo ad ceremonias Eccleſiæ, et gubernationem diſciplinæ attinet, ut tamen ſint conformes Confeſſioni Auguſtanae,

ANNO 1569.

næ Anno trigeſimo typis excuſſæ conſtitui debent.

Violatores Canonum, atque ſectatores haereſeos, ſi admoniti non deſiſtant, vel errorem revocent, graviſſima pœna proſequendi ſunt, & omnibus Miniſtris, antea dimiſſis ex his Terris, liberum erit ſecure reverti.

Adminiſtratio ſæcularis imperii, juxta Privilegium Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo conceſſum obſervetur, & Nobiles Indigenæ præ aliis ad officia eligantur.

Ædes in uſum Officialium præ arcibus extructæ nemini, vel jure advitali, vel hæreditario inſcribantur.

Princeps Conſiliarios atque ſubditos ſuos cum gratia, ſine aliqua laeſione famae atque honoris dimittet.

Conſiliarii juxta privilegium principis ſint quinque, Nobiles Indigenae et Doctores, ſi haberi poſſunt, ſimiliter tres indigenae.

In cauſis dubiis Magdeburgen., juxta vetus privilegium procedatur.

In Cancellariam atque Cameram aerarii Pruthenі prae aliis eligantur.

Terrae Ducatus Pruſſiae gravioribus contributionibus minime praegraventur, ſed ſecundum vigorem conceſſi privilegii obſervetur.

Fœdus cum externis principibus irrequiſita S. R. Majeſtate, atque inſciis Statibus Pruſſiae ſancitum, nullius roboris ſive firmitudinis eſſe debet.

Status atque Ordines Pruſſiae non ſunt temere convocandi, et urgente neceſſitate, de praecipuis propoſitionibus, ſtatus ſingulorum diſtrictuum in ipſa indictione Conventus certiores reddendi.

Princeps eſt contentus, quod de mutuo acceptis ſummis pecuniae juſta inquiſitio fiat.

Omnes ſuſpectas perſonas, ac ſervitores non neceſſarios eſſe removendos, neque in uſitatis citationibus quenquam praegravandum, ſed jure cum unoquoque procedendum.

Declaratio, quod mandatum de ſecuritate Schalichii ad malam narrationem impetratum et inſcio Principe; ſicut et cum libellis famoſis accidit, typis excudatur.

Deputati cuſtodes aerarii Statuum de ſingulis acceptis atque extraditis, exactiſſimam rationem reddant.

Electio judicum Terrae tribus ex ſingulis diſtrictibus ad hoc officium a Statibus Principi nominatis obſervari debet.

Jus Culmenſe atque Conſtitutiones Provinciales, quamprimum de his tranſactum fuerit, typis excudi debent.

Unicuique etiam liberum eſto, bona ſua pro meliori modo uſurpare, molendinum ac tabernam in locis antea ſolitis, & vigore Privilegii licitis ædificare, ita tamen, ut nulla nova taberna, infra ſpatium unius milliarii a civitatibus, ſine ſpeciali aliqua immunitate ædificetur.

Dux Pruſſiæ pollicetur omnium ſubditorum privilegia, jurisdictiones ac conſuetudines tueri & conſervare.

Quodſi hoc non fieret, ſubditis licitum erit de quibuscunque gravaminibus ſine ulla aliqua nota rebellionis ſive ſeditionis, S. R. Majeſtatis, & Ampliſſimæ Coronæ Poloniæ defenſionem atque auxilium implorare.

Vult denique Celſitudo ſua, quodſi quiſpiam ex indigenis et peregrinis in aliis regionibus, propter culpatos mores, accuſatus fuerit, ut juxta leges, communicato conſilio cum ſtatibus, juſto juris Ordine puniatur. Dat. Regiomonti die quarta Octobris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

Manu propria.

Et hunc quidem Receſſum ſcripto ſuperiore comprehenſum, compoſitionemq; et complanationem inter Illuſtr. Principem D. Ducem prænominatum ex una, & harum Terrarum incolas, ſubditos ſuae Illuſtritatis ex altera partibus factam; Nos S. R. Majeſtatis, Senatus ac Ordinum Regni, atque noſtra commiſſoriali auctoritate in omnibus ſuis punctis, clauſulis, conditionibus, articulis, confirmandam, approbandam & ratificandam duximus; quemadmodum jam confirmamus, approbamus & ratificamus præſentibus Literis noſtris. Volentes ea omnia præinſerta robur debitæ & perpetuæ firmitatis obtinere. In quorum fidem & evidentius teſtimonium præſentes Literæ ſigillis noſtris ſubter appenſis, & propria cujuscunque noſtrum ſubſcriptione communita ſunt. Dat. Regiomonti quinta die Menſis Octobris in Conventione Provinciali Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

Receſſus Principis Civitatibus datus, & auctoritate Dominorum Commiſſariorum confirmatus.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum ea naturae lege univerſa conſtant, ut nihil diuturnum aut ſtabile in eis reperiatur, ſolers hominum induſtria invenit, ut quæ ab oblivione vindicanda ſempiterna hominum memoria commenda-

ANNO 1569. rentur, literarum monumentis conſignata, ad poſteritatem transmitterentur. Itaque Nos Johannes de Służewo Palatinus Brzeſtenſis &c., Petrus a Zborow Caſtellanus Biecenſis, Joannes Koſtka a Stangenbergk Caſtellanus Gedanenſis, Nicolaus Firley de Dambrowicza, Sacr. Regiæ Majeſtatis Poloniæ in Terras Pruſſiæ, Illuſtriſſimo Domino in Pruſſia Duci &c. ſubjectas, Legati & Commiſſarii notum teſtatumque facimus per præſentes, ad quos pertinet, univerſis & ſingulis, harum notitiam habituris. Quod cum mandato & voluntate Sac. Reg. Majeſtatis, Principis & Domini noſtri Clementiſſimi, de ſententia Senatus, omniumque Ordinum Regni, Provinciam Legationis noſtræ commiſſorialis, in haſce Terras Pruſſiæ cum plena & non limitata facultate in nos aſſumpſiſſemus, & pro munere noſtro ad controverſias componendas, omniaque harum Terrarum gravamina tollenda & amovenda, omnem operam adhibuiſſemus, etiam Illuſtriſſimus Dominus in Pruſſia Dux prædictus, ut officii ſui erga Sacr. R. Majeſtatem, & veris univerſis ſuis ſubditis manutenendi memor, certos ſuos Conſiliarios ad agendum tractandumque cum tribus Regiomontanis civitatibus de gravaminibus tollendis, & omni perturbatione removenda deputavit. Qui tandem, poſt ſecum habitos tractatus per eoſdem Conſiliarios, nomine Illuſtriſſimi Domini Ducis ex una, & cives civitatum ex altera partibus factos, ad nos S. R. Majeſtatis Commiſſarios communi conſenſu ad id, quidquid fuit controverſiarum, componendum, determinataq; auctoritate Majeſtatis S. R. inter partem utramque decidendum ſeſe receperunt. Quod nos de munere facultatis noſtræ in confirmationem & corroborationem Pactorum fecimus. Illuſtriſque Dominus Dux prænominatus, ea omnia rata & grata fore apud ſe, ſcripto & Receſſu ejusmodi, ſigillo ipſius communito, & manu propria ſubſcripto, teſtificatus eſt. Quod ſequitur, & eſt de verbo ad verbum tale. Præcipua vero capita in hæc ſequentia ſummaria redacta ſunt.

Senatus atque Judicium civitatum, ſine ullo impedimento mandatorum & inhibitionum, jus & juſtitiam unicuique adminiſtrabunt, nec quisquam contrarium ipſorum privilegiis a Principe urgebitur, ſalva tamen Principis reputatione, & ordinaria appellatione, nec non prærogativa fiſci, licet nunc Princeps ad interceſſionem DD. Commiſſariorum, & in ipſorum perpetuam memoriam de jure ſuo in cauſa Salomonis Brandt ceſſit, & quartum nummum, jure fiſci ad ſe delatum, donavit. ANNO 1569.

Negotiationes quæſtorum, notariorum caſtri, tabernatorum atque ſcultetorum prohibitæ ſunt, niſi ſi quis ſpeciale privilegium habuerit, piſces incolis præ alijs præcipue vendi debent.

Piſtoribus Princeps concedit in acceptandis menſuris molaribus, quotiescunque placuerit, adeſſe.

Proviſionem tabernarum, & venditionem cereviſiæ Nobilibus denegare non eſſe conſultum, Princeps arbitratus eſt.

Civitatibus juxta privilegia ſua, tam in aquis, quam in fluminibus conceſſa eſt libera piſcandi poteſtas, ita tamen, ne privilegiis ſuis, in præjudicium totius Terræ abutantur.

Thelonea inuſitata, quæ cum Pactis adverſantur, ut abrogentur, Commiſſarii apud Sacram Regiam Majeſtatem intercedent.

Conſiliarii Principis, ſicuti Profeſſores Collegii ab omnibus oneribus civilibus exempti ſunt.

Omnia, quæ fiunt in civitatibus, conſenſu atque voluntate Principis ſtricte obſervari debent.

Interceptiones piſcium inuſitatæ, & ſine aliquo ſpeciali privilegio, in fluminibus prohibitæ ſunt, & Princeps juxta Receſſum eas moderabitur.

De prohibita a Domino Cardinali evectione mercium ex Epiſcopatu in Ducatum Pruſſiæ agent DD. Commiſſarii cum Reverendiſſima Dominatione ſua, ac quo ſe in hoc puncto pactis conformet, diligenter promovebunt.

Mercatores Memmelenſes novo privilegio, tanquam per ſuſpectos homines impetrato, & his præſentibus caſſato, gaudere non poſſunt, & in omni negotiatione ſua, vetus privilegium obſervabunt. Qua in parte veteribus privilegiis, immunitatibus atque conſuetudinibus trium civitatum in depoſitione mercium nihil derogatum ſit.

Depoſitio mercium Judæis, ſicuti in alis locis Terræ Pruſſiæ prohibita eſt.

Monaſterium una cum omnibus proventibus conſervetur.

Status cum civitatibus de hoſpitali pauperum tranſigent.

Jus Patronatus Princeps ſibi tanquam Regale reſervat, obſervatis tamen in electione Miniſtrorum prioribus Receſſibus.

Quartus nummus tribus civitatibus Regiomontanis ad interceſſionem Commiſſariorum donatus eſt.

De ædibus pertinentibus ad Eccleſiam Kniphovienſem, Civitas a Principe contentabitur.

Degra-

ANNO 1569. Degradatio ſenatoriæ dignitatis, quibusdam ad malam narrationem facta, neutiquam ipſorum honori, famæ atque exiſtimationi, & poſteris obeſſe ſive præjudicare debet.

Poſtulationem civitatum in repetendo argento Eccleſiæ, cum illud in utilitates collatum ſit, Princeps iniquam eſſe cenſet.

Quodſi Princeps intellexerit, civitatem Lebnicenſem de mutuo accepta ſumma pecuniæ nondum contentatam eſſe, pollicetur ea in re gratiam ſuam.

Actum Regiomonti die vigeſima ſecunda Octob. Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

Et hunc quidem Receſſum, ſcripto ſuperiori comprehenſum, compoſitionemque & complanationem inter Illuſtrem Dominum in Pruſſia Ducem ex una, & civitates tres Regiomontanas ex altera partibus, mediantibus Nobis, in præſentia Generoſorum & Excellentiſſimorum Dominorum, Joan. Jacobi Truchſes a Waltpurgk, Curiæ ſuæ Illuſtritatis Magiſtri, Ionæ Baronis de Eilembergk, Iacobi a Swerin, Illuſtriſſimi Domini Iunioris Ducis Curiæ Magiſtri, Sigismundi a Kierſtein Diſtrictus Sokau Præfecti, Friderici ab Aulak, Chriſtophori Ionæ Doctoris, ſuæ Illuſtritatis Conſiliariorum factam, Nos Sac. R. Majeſtatis prædicti Commiſſarii & Legati, auctoritate S. R. Majeſtatis, Senatus, Ordinumque Regni, & noſtra commiſſoriali, approbandam, confirmandam, ratificandam duximus, uti approbamus, ratificamus, confirmamusque per præſentes. Volentes eam robur debitæ & perpetuæ firmitatis obtinere. Quod attinet articulum ſuperius præſentibus inſertum, de venditione frumentorum, contra hunc Ordines Equeſtris Status, uti ſibi præjudicantem, proteſtati ſunt: quam nos eorum proteſtationem ſuſcepimus, reſervantes ejus pro futuris proxime Comitiis finalem deciſionem. Harum, quibus ſigilla noſtra ſunt ſubappenſa, teſtimonio & ſubſcriptione Literarum. Datt. Regiomonti vigeſima quinta die Octobris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

Manibus propriis.

Caſſatio Juramenti Marchionibus Brandeburgenſ. præſtiti, quæ erat talis.

Joannes a Służewo Palatinus Brzeſtenſis, Koninenſis Miedzirecenſiſque Capitaneus, Petrus a Zborow Biecenſis, Tlumacovienſis Stobnicenſiſque, Joannes Koſtka a Stangenbergk Gedanenſis, Terrarum Pruſſiæ Theſaurarius, Pucenſis, Derſſovienſiſque Caſtellani & Capitanei, Nicolaus de Dambrowicza S. R. Majeſtatis Poloniæ Secretarius, a S. Regia Majeſtate Poloniæ, Principe & Domino noſtro Clementiſſimo, in hanc Provinciam deſignati Legati & Commiſſarii, univerſis & ſingulis, cujuscunque ſtatus, gradus, conditionis, eminentiæ aut dignitatis fuerint, notum teſtatumque facimus. Quod Nos cum a Sacra Regia Majeſtate, Domino noſtro Clementiſſimo, de conſilio & aſſenſu Senatorum & omnium Ordinum Regni, ex Generali Lublinenſi Conventu Regni proxime celebrato, huc ad pacandum ac reſtituendum labefactatum perturbatumque harum Terrarum ſtatum, cum plena & non limitata facultate ablegati eſſemus, inter alia hujus Provinciæ incommoda, etiam homagium Illuſtriſſimis Dominis Marchionibus Electoribus Brandeburgenſibus &c. non ita pridem ab incolis hujus Ducatus jurejurando præſtitum, non minus nocivum judicavimus, propterea quod quemadmodum id homagium ab Illuſtriſſimo Principe Domino ALBERTO Seniore Marchione Brandeburgenſi, & in Pruſſia &c. Duce ea conditione, ſi videlicet R. Majeſtas, Ordinesque Regni illud approbaverint, dictis Dominis Marchionibus fuit conceſſum, iſteque conſenſus & approbatio jam in Conventu Regni a Regia Majeſtate & Ordinibus poſtulari debebat, conditioni non eſt ſatisfactum, imo neque juramentum ullum ab incolis hujus Ducatus exigi debebat, niſi Ipſi Regiæ Majeſtati ſupremo & directo harum Terrarum Domino, uti debuerunt, & jus feudi poſtulat, fidei ſuæ jusjurandum dediſſent, de qua quidem conditione Illuſtritatis ejus ſuper hoc Statibus datæ literæ latius teſtantur.

Nos itaque hoc malum quoque tollere volentes, animadvertentesq; prædictum homagium Majeſtati Regiæ minime gratum, ratumque, quin potius illi, omnibusque Ordinibus Regni maxime adverſum, de pactis, juribusqne feudalibus (quæ ſine expreſſo Domini feudi mandato Vaſallo a ſubditis juramentum extorquere non concedant) contrarium eſſe, ad inſtigationem & petitionem Statuum & Ordinum hujus Provinciæ illud auctoritate Majeſtatis S. R., omnium Regni Ordinum, & noſtra commiſſoriali, reſcindendum & annihilandum duximus, prout reſcindimus & annihilamus præſentibus. Omnes & ſingulos, qui ſe dicto juramento & homagio Illuſtriſſimis Dominis ANNO 1569.

ANNO 1569. minis Marchionibus Electoribus Brandeburgenſibus &c. obſtrinxerunt, ab eodem abſolventes, & liberos pronuntiantes perpetuo & in ævum. In quorum fidem & teſtimonium præſentes Literas manibus noſtris ſubſcripſimus. Datt. Regiomonti die vigeſima quinta Octobris, An. Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

Manibus propriis.

Proſcriptio Schalichii.

Nos Joannes a Służewo Palatinus Brzeſtenſis, Koninenſ. Miedzirzecenſisque, Petrus a Zborow Thlumacovienſ. Stobnicenſisque, Joannes Koſtka de Stangenbergk Gedanenſis, Terrarum Pruſſiæ Theſaurarius, ac Pucenſ. Derſſovienſisque Caſtellani & Capitanei, Nicolaus Firley a Dambrowicza S. R. Majeſtatis Secretarius, Sereniſſimi Principis & Domini, Domini SIGISMUNDI AUGUSTI, Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque &c. Domini & Hæredis, ad Illuſtriſſimum Principem Dominum ALBERTUM Seniorem, Marchionem Brandeburgenſ. & in Pruſſia &c. Ducem Legati, & ad illicitarum factionum motus compeſcendos in eisdem Terris, eidem Illuſtriſſimo Duci ſubjectis, ejusdem S. R. Majeſtatis Commiſſarii, notum teſtatumque facimus per præſentes univerſis & ſingulis, ad quos pertinet, harum notitiam habituris. Quia Nos cum in praedictas Terras Pruſſiae mandato & voluntate S. R. Majeſtatis, Principis & Domini noſtri Clementiſſimi, & de Inclyti Regni Poloniae Senatus, ac omnium Ordinum ſententia veniſſemus, juxtaque facultatem noſtram in plena forma, et non limitata, ad pacandam omnem hujus Provinciae perturbationem Nobis collatam, de cauſis tantae perturbationis inquirere cepiſſemus, plenam informationem accepimus, quendam Paulum, qui ſibi nomen, & familiam Schalichii, Marchionatum Veronae, et varios Principatus tribuebat, ſeque pro eo, qui minus eſſet, audacter vendicabat, his perturbationibus maximam occaſionem praebuiſſe; quod ſuſpectis & pernicioſis ſuis conſiliis atque conatibus, inſcio Illuſtriſſimo Domino in Pruſſia Duce praedicto, & Conſiliariis ipſius, multa tum Regno contraria, tum Reipublicae & Statibus atque Ordinibus harum Terrarum admodum pernicioſa moliretur, utque id facilius, & via expeditiore efficere poſſet, homines obſcuros & malae fidei, ſuorum conatuum adminiſtros, ad officia rerumque gubernacula intruderet, ac patrocinio ſuo promoveret, quorum opera vetus ille ordo Reipublicae confundi, ac penitus tolli, novus inſtitui, libertates omnium Ordinum in anguſtum redigi ceperant, omnia ad ſeditionem & arma, ſublata pace, confundendaque & invertenda omnia, manifeſtis indiciis ſpectare videbantur, ita, ut ex ea factione Schalichiana & ſumma omnium malorum origo, tanquam e fonte, in grande hujus Reipublicae detrimentum eruperit. Inſuper quod famoſos libellos contra Inclytam Domum Auſtriacam, cum qua S. R. Majeſtati Poloniae, Principi & Domino noſtro Clementiſſimo, arcta neceſſitudo & affinitas intercedit, conſcriptos ediderit, auſusque inſuper fuerit jactare, quaſi illa ſcitu & voluntate S. R. Majeſt. et conſenſu Illuſt. Domini in Pruſſia Ducis fecerit. Deinde quod contra univerſos Illuſtriſſimi Domini Ducis ſubditos iniquum et injuridicum, libertatique eorum contrarium pro ſe Mandatum ex Pſeudo-Cancellaria, quod praeſentibus inſeri voluimus, ediderit ac promulgaverit, idque inſcio Illuſtriſſimo Domino Duce praedicto. Poſtremo quod multas in his Terris poſſeſſiones importunitate ſua et artibus ſuis, in grandem perniciem Reipublicae, una cum magna parte Nobilium eadem opera occupata ad ſe pertraxerit, et aliis levibus hominibus ad ejusmodi rapinam, et deſpoliationem Reipublicae amplam feneſtram patefecerit, unde quam calamitoſe Terra haec diſcerpi ac diripi caeperat, nemini in hac Provincia ignotum eſt. Nos itaque S. R. Majeſtatis praedictae Commiſſarii radicem, cauſam, auctorem et originem hujus univerſae perturbationis penitus ſublatam, et funditus evulſam ac ejectam eſſe cupientes, eum ipſum Schalichium, propter has uti graviſſimas cauſas, auctoritate S. R. Majeſtatis, Senatorumque ac Ordinum Inclyti Regni Poloniae, nec non vigore facultatis noſtrae commiſſorialis, ex his et aliis omnibus Terris, Majeſt. R. et Regno ſubjectis, proſcribendum et alienandum duximus, quemadmodum jam proſcribimus et alienamus praeſentibus Literis noſtris, eique in his omnibus Terris igni et aqua interdicimus, una cum complicibus ejus univerſis, et iis omnibus, qui inpoſterum aliquod commercium habere deprehenſi fuerint, eandem pœnam irrogatam eſſe volumus. Quodſi vero uſque comparuerit, unicuique licere volumus, a quocunque deprehenſus fuerit, nemine excepto, eum capiendi, captivandi, et in carcerem conjiciendi, tanquam pro facinoroſo et perturbatore harum

ANNO 1569. harum Terrarum, publicae pacis et tranquillitatis, legum violatore et univerſi politici Ordinis; hocce declaratum et indicatum, etiam caedem ejus impunitam et licitam eſſe volumus.

Caſſatio Mandati, Illuſtriſſ. Principis nomine ex Pſeudo-Cancellaria pro Paulo Schalichio, inſcio tamen Principe, editi.

Quoniam autem idem Paulus Schalichius ex Pſeudo-Cancellaria, inſcio Illuſtriſſimo Domino Duce, contra omnes ſubditos Illuſtritatis ſuae pro ſe mandatum ediderat, quo libertati omnium Ordinum praejudicatum fuit, illud etiam nullitati ſubjiciendum putavimus, quodque ad majorem certitudinem praeſentibus de verbo ad verbum inſerendum duximus, ſequiturque et eſt tale.

Et hoc quidem pro Schalichio mandatum, ſuperius contigue de verbo ad verbum praeſentibus inſertum, quod typis excuſſum erat, promulgatum, Nos praedicti S. R. Majeſtatis Conſiliarii iniquum, injuſtum, injuridicum, libertatique omnium Ordinum contrarium judicantes, in omnibus ſuis punctis et clauſulis, articulisque ſigillatim et univerſim caſſandum, annihilandum, mortificandum duximus, uti jam S. R. Majeſtatis, Senatus, Ordinumque omnium, et noſtra commiſſoriali auctoritate caſſamus, annihilamus, et mortificamus per praeſentes. Declarantes illud, nullum amplius robur obtinere debere perpetuo et in aevum, ab eoque mandato omnes et univerſos ſuae Illuſtritatis ſubditos et incolas hujus Provinciae, omnium Statuum et Ordinum, immunes, liberos, exemptos pronuntiantes, uti eos, qui fidem ſubjectionemq; ſuam erga Illu. ſuam ſemper ſalvam et integram ſancte et inviolabiliter obſervarunt. Inſuper inſcriptionem oppidi Kreuczburgk, cum villis omnibus et diſtrictu univerſo, bonam partem Nobilium complectentem, eidem Paulo Schalichio factam, et poſtea in lucem per Typographos editam, caſſare et annihilare e Reipublicae commodo fore putavimus.

Caſſatio Inſcriptionis Oppidi Kreuczburgk, Paulo Schalichio factæ.

Quam Nos quidem inſcriptionem ſupraſcriptam praedicti oppidi Kreuczburgk, cum diſtrictu et Nobilitate, quod id et pactis et immunitatibus, libertatibus et privilegiis ipſorum tum ab Ordine collatis, tum ab Illuſtriſſimo Domino Duce confirmatis, quæ illis in debito robore conſervari jus & æquum poſtulat, contrarium ſit, eidem Paulo Schalichio in perpetuum factam, & quidquid eidem aliis in locis inſcriptum, datum, quocunque jure donatum reperiatur, auctoritate prædicta etiam caſſamus, annihilamus, reſcindimus, omnemque vim & robur, illi adimimus perpetuis temporibus confirmantes, prædictas poſſeſſiones rurſus ad manus Illuſtriſſimi Domini Ducis pleno jure redituras. In quorum omnium præmiſſorum fidem, ſigillis & ſubſcriptionibus noſtris præſentes communivimus. Datt. Regiomonti die quinta Octobris Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto. ANNO 1569.

Manibus propriis.

Caſſatio omnium donationum, ab expeditione Mariewerdenſi factarum.

Joannes a Służewo Palatinus Brzeſtenſis, Petrus a Zborow Caſtellanus Biecenſis, Joannes Koſtka a Stangenbergk Caſtellanus Gedanenſis, Nicolaus a Dambrowicza, S. R. Majeſtatis Poloniæ ad Illuſtriſſimum Principem Dominum ALBERTUM in Pruſſia &c. Ducem, & haſce Pruſſiæ Terras Legati & Commiſſarii, notum eſſe volumus per præſentes, ad quos pertinet, univerſis & ſingulis. Quod Nos cum in prædictas Pruſſiæ Terras, mandato & voluntate Sac. R. Majeſtatis, Principis & Domini noſtri Clementiſſimi, & Senatus Ordinumque Regni aſſenſu, compeſcendarum pernicioſarum factionum, reſtaurandique perturbati harum Terrarum ſtatus cauſa veniſſemus, juxtaque facultatem noſtram plenam, & non limitatam, ad damna hujus Provinciæ emolienda, conſilia & conatus noſtros omnes intendiſſemus; reperimus etiam inter cætera mala etiam hoc intollerabile, quod a tempore expeditionis Mariewerdenſis contra Ericum Ducem Brunſvicenſem, Illuſtritatis ſuæ gravida ætas, & ſenio & crebris morborum procellis afflicta, occaſionem reliquerit, ut Paulus Schalichius & ejus factio, Illuſtritatis ſuæ & ætate & auctoritate abuteretur, unde plurimæ cum in derogationem juris & ſuperioritatis Regiæ admiſſa, tum in detrimentum hujus Reipublicæ, & immutationem privilegiorum, jurium ac libertatum omnium Ordinum, imo & Illuſtritatis ſuæ ſummum incommodum diſſipata & dilapidata. Cum autem noſtrarum partium eſſe intelligamus, omnem obliquitatem, in his Terris admiſſam, in ſuam priſtinam formam reducere, omnes In-

Anno 1569. inſcriptiones, & quocunque nomine & ratione donationis a tempore expeditionis Mariæverdenſis, cujuscunque ſtatus, conditionis & eminentiæ hominibus factas, auctoritate S. R. Majeſtatis, Senatus, Ordinumque Regni, & noſtra commiſſoriali caſſandas, reſcindendas, annihilandas, & nullius roboris eſſe declarandas duximus, uti jam caſſamus, reſcindimus & annihilamus per præſentes, omnem vim et robur illis adimentes perpetuo & in ævum. Mandamus autem omnibus, quicunque eo præſcripto tempore aliquas inſcriptiones, vel donationes quocunque nomine, & per quoscunque obtinuerunt, ad Conventum Regiomonti, poſt datam præſentium proxime & immediate celebrandum, conferant. In quo Conventu ejusmodi inſcriptionum reviſio & cognitio futura eſt, præſente S. R. Majeſtatis Nuntio, vel etiam Commiſſariis, ſi opus fuerit, ut quæcunque illegitimæ, & nullo jure emanatæ judicatæ fuerint, ut juris eſt, eam cognitionem in effectu debita executio ſequatur. Quicunque autem ad id tempus literas ſuas non exhibuerit, ipſo facto nullæ ſunt, & omne ſuum robur amittunt. Harum, quibus ſigilla noſtra ſubappenſa ſunt, teſtimonio & ſubſcriptione Literarum. Datum Regiomonti in Conventu Provinciali die vigeſima octava Octobris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto

Capita admonitionis Dominorum Commiſſariorum, Gubernatoribꝰ & præcipuis Officialibus Principis brevi ante diſceſſum in publica Statuum frequentia perlectæ.

Prima admonitio eſt directa ad Dominos Gubernatores & Conſiliarios, qui nullius alterius, ſed tantum ipſorum unanimi relatione res Principi proponant, idque ſolummodo in arduis rebus, neque quiſquam audeat, pro ſua perſona ullum negotium ſine aliorum ſcitu coram Principe tractare, aut quenquam promovere.

Deinde Cancellarius apud Secretarium & Scribas Cancellariæ providebit, ne quidpiam, niſi prius ab ipſo perlectum fuerit, extradatur, & omnia pernicioſa ab ipſo præcaveantur.

Quodſi quid in eo peccatum foret, cum Cancellario potiſſimum & Secretario de hoc expoſtulabitur.

Quodſi quiſpiam tractationem rerum honeſtarum & juſtarum propter gratiam, indignationem, commodum ſive incommodum neutiquam promoveret, Conſiliarii reliqui admoneant, & ad alia ad hortentur. Hoc ſi neutiquam ſuccedet, nullo modo id ſilentio tegant, ſed quamprimum ad Sacram Regiam Majeſtat. & Regni Proceres referant. Anno 1569.

Camerarii ſimiliter admonentur, ne homines leves, aut aliquo modo ſuſpectos admittant, quin potius tales arceant, amoveantque.

Homines ſuſpecti, ne ad Juniorem Principem, quem tamen omnes honeſti adire poſſunt, admittantur, Magiſter Curiæ præcavebit.

Ne quiſquam audeat ſe negotiis illicitis propter gratiam Principis immiſcere, ſed in juſtis & honeſtis operam ſuam navabit.

Providebunt etiam Conſiliarii, ne quidquam, quod in præjudicium S. R. Majeſtatis & Principis vergat, per leves homines expracticetur.

Quodſi Princeps opera quorundam levium hominum ad aliud quoddam pernicioſum S. R. Majeſtati ex his Terris commoveretur, Gubernatores, etiam Conſiliarii & Status reſcientes, hoc malum non extirparent, vel ſi impar ipſorum viribus eſſet, ad Sacram Regiam Majeſtatem & Proceres Regni non referrent: Sacra Regia Majeſtas cum nullo alio, quam cum Conſiliariis, qui vigore juramenti ſui ea mala præcavere deberent, deinde cum univerſis Statibus, quod ea ſilentio prætererint, agendum ſibi reſervat.

De juramento Conſiliariorum præſtando, in quo hactenus non eſt expreſſa facta mentio S. R. Majeſtatis, differtur ad ulteriorem informationem, & S. R. Majeſtatis mandatum.

Proteſtatio Cancellarii & aliorum Conſiliariorum.

Cancellarius de hac admonitione, ſuo nomine, tanquam ſibi admodum gravi, proteſtatus eſt: nomine vero aliorum in caſſationem, & maxime vero juramenti, Marchionibus Brandeburgenſibus præſtiti, ſe non conſentire, a qua ſe etiam proteſtari dicebat.

Sequuntur jam Acta ſecundæ Legationis Regiomonti Anno LXVII.

Literæ Receſſus ab Illuſtriſſimo Principe, Ordinibus & Statibus harum Terrarum datæ, & a Dominis Commiſſariis ad illorum petitionem confirmatæ.

Nos Joannes a Służewo Palatinus Brzeſtenſis, Koninenſis & Medzirecenſis Capi-

ANNO 1569. Capitaneus, Joannes Chriſtoporſki Caſtellanus Wielunenſis, Joannes Koſtka de Stangenbergk Caſtellanus Gedanenſis, Terrarum Pruſſiæ Theſaurarius, ac Pucenſis, Derſſovienſis Capitaneus, Sac. R. Majeſtatis Poloniæ, Principis & Domini noſtri Clementiſſimi, ad Illuſtriſſimum Dominum in Pruſſia Ducem, & Terras Illuſtrit. ipſius ſubjectas, cum plena facultate miſſi Legati & Commiſſarii. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, præſentibus Literis noſtris notum teſtatumq; facimus. Quod cum a prædicta S. Regia Majeſtate, ac Ordinibus Regni Poloniæ ad ea, quæ fuerint corroboranda, ſtabilienda & perficienda, atque ad executionem Literarum Receſſus, ab Illuſtriſſimo Domino Duce Statibus atque Ordinibus dati, faciendam miſſi eſſemus, Illuſtris Dominus Dux denuo per Receſſum Nobis inter ſuam Illuſtritatem & Status atque Ordines decidendum in corroborationem, ſupplementum & executionem prioris Receſſus ea conſcripta manu propria ſubſcripta, & ſub ſigillo proprio Statibus & Ordinibus conceſſit & dedit. Quarum quidem Illuſtritatis ſuæ Literarum hæc ſunt præcipua capita.

Primo Epiſcopis optimo ſalario, vigore Receſſus ab Illuſtriſſimo Principe, cum conſenſu Procerum omnium ſubditorum proſpectum eſt.

Corpus doctrinæ conforme Confeſſioni Auguſtanæ, a Sacra Cæſarea Majeſtate approbatæ, typis excudetur, omneſque incolæ juxta eam doctrinam ſine ullius impedimento conſervabuntur.

Epiſcopis etiam & Synodis ſua auctoritate in proſequenda indilata executione contra delinquentes & contumaces præſto adſint.

Nemo etiam, qui huic Corpori doctrinæ, & unanimi conſenſui adverſabitur, tam in Aula Principis, quam in Civitatibus & aliis Provinciis aliquam dignitatem in publicis officiis obtineat, ſed ea privetur.

Proviſio Epiſcoporum Statibus ſub ſigillo Principis communicabitur.

Adminiſtratio Conſiſtorii in primo adventu Epiſcopi Samlandenſis ordinabitur.

In ſæculari adminiſtratione juxta vetus privilegium obſervabitur.

Juniori Principi pro Magiſtro Curiæ, Camerariis & Præceptore tales perſonæ, qui ſint in pura doctrina non ſuſpecti, honeſtæ ac probatae vitæ, deligantur.

Duciſſa ſimiliter nullas ſuſpectas perſonas & privilegio contrarias ferat.

Omnes ſuſpectæ perſonæ, uti Calvinianæ, & qui aliis erroribus doctrinæ implicati ſunt, in conſiliis non adhibeantur, ſed ſuo officio priventur, & in locum ipſarum alii ordinentur. ANNO 1569.

Judicium etiam Curiæ vigore privilegii atque proceſſuum ordinabitur.

Alius Advocatus Schakovienſis quamprimum ordinabitur.

Similiter in aliis Præfecturis ad Feſtum S. Michaëlis commutatio officiorum fiat, & officia idoneis perſonis, pro commodo Principis & Terræ, juxta Privilegia atque Receſſus demandentur.

Omnes ſuperfluæ penſiones & impenſæ ante Feſtum Nativitatis Domini contrahantur.

Ex Camera ærarii omnes perſonæ ſuſpectæ removeantur.

In Cancellariam Prutheni aliis externis præferantur.

Si quis, quicunque ille ſit, auſus fuerit, ſine conſenſu Gubernatorum apud Illuſtriſſimum Principem, ſive ſit de pecunia & aliis ſimilibus ejus valoris, ſollicitare, de iiſque quidpiam impetraverit, id omne non ſolum irritum atque caſſatum cenſebitur, ſed etiam ille ipſe inſigni aliqua pœna afficiendus erit. Quæ omnia Gubernatores ſtricte obſervabunt.

Judæi ſe a Ducatu Pruſſiæ intra ſpatium quatuor ſeptimanarum omnino ſub graviſſima pœna abſtineant, nullæque Literæ ipſis hac in parte patrocinari debent.

Commiſſarii apud Sacram Regiam Majeſtatem de taxatione monetæ Lithuanicæ, & Talerorum novorum, tam in Terris Pruſſiæ Regiæ Majeſtatis, quam Regno Poloniæ, ut ſit æqualis, intercedent.

Similiter quo naves anguillares in utroque mari ad aliquot annos aboleantur.

Princeps pollicetur, ſe Jus Culmenſe, Proceſſum Juris, atque Conſultationes Provinciales, quamprimum ſupra iis concordatum fuerit, velle typis ſe committere atque publicare.

Et quod ad Conſtitutiones Provinciales attinet, eæ ante Feſtum S. Michaëlis imprimantur. Actum Regiomonti die quinta Julii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Et has Nos quidem Receſſus Literas auctoritate S. R. Majeſtatis, & Ordinum Regni Poloniæ, ac noſtra commiſſoriali plena facultate confirmandas, approbandas, ratificandas duximus, prout confirmamus, approbamus, ratificamus præſentibus Literis noſtris in omnibus earum conditionibus, punctis, articulis & clauſulis robur debitæ & perpetuæ firmitatis tis obtinere debere pronuntiantes. Datum Regiomonti die quatuordecima Menſis

ANNO 1569. ſis Julii Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Literæ Receſſus Civitatibus ab Illuſtriſſimo quoque Principe datæ, & auctoritate Dominorum Commiſſariorum confirmatæ.

Nos Joannes a Służewo Palatinus Brzeſtenſis, Koninenſis Capitaneus, Joannes Chriſtoporſki Caſtellanus Wielunenſis, Joannes Koſtka a Stangenbergk Caſtellanus Gedanenſis, Terrarum Pruſſiæ Theſaurarius, Pucenſ. Derſſovienſisque Capitaneus, Sac. R. Majeſtatis Poloniæ, Principis & Domini, Dom. noſtri Clementiſſimi, ad Illuſtriſſimum in Pruſſia Ducem, & Terras Illuſtritati ejus ſubjectas, cum plena facultate miſſi Legati & Commiſſarii, univerſis & ſingulis, quorum intereſt, præſentibus Literis noſtris notum teſtatumque facimus. Quod cum a prædicta Sacra Majeſtate Regia, ac Ordinibus Regni Poloniæ ad ea, quæ in prioribus Comitiis per priores ſuæ Majeſtatis Commiſſarios acta fuerint, corroboranda, ſtabilienda & perficienda, atque ad executionem Literarum Receſſus, ab Illuſtriſſimo Domino Duce Civitatibus Regiomontanis dati, faciendam miſſi eſſemus; Illuſtriſſimus Dominus Dux denuo per Receſſum Nobis inter ſuam Illuſtritatem & civitates prædictas decidendum, in corroborationem, ſupplementum & executionem prioris Receſſus ea conſcripta, manu ſua ſubſcripta, & ſub ſigillo priori ſupradictis civitatibus conceſſit & dedit. Quarum quidem Illuſtritatis ſuæ Literarum hæc ſunt præcipua capita.

Illuſtris Celſitudo ſua pollicetur, ſe vigore Receſſus Civitatum privilegiis, immunitatibus, jurisdictionibus, conſuetudinibus atque proceſſibus nihil quidquam derogaturam, reſervata Celſitudini ſuæ praerogativa fiſci, ea tamen conditione, ne hac aliquid in praejudicium minorennium liberorum committatur.

Similiter contentationem domorum Ecleſiae, quae peregrinis datae, & ad profanos uſus collatae ſunt, ſperans, a poſſeſſoribus taxationem earum ſupra modum non extenſuram fore.

Quamvis etiam Illuſtriſſimus Princeps ad recompenſationem earum rerum, quae in pios uſus collatae ſunt, minime obligatus ſit, tamen vult, ut publico Hoſpitali ex mera gratia, ad ſolam interceſſionem Dominorum Commiſſariorum, intra ſpatium unius anni tria millia marcarum tradantur.

Quodſi vero praefata ſumma non deponeretur ex Camera aerarii, pro ſingulis centum marcis ſex marcae hoſpitali tradantur. Nihilominus tamen principalis ſumma quam primo deponi debet. ANNO 1569.

Errata aliqua in molendinis inventa, poſteaquam indicata fuerint, corrigi debent, & Praefectus molarum in praeſentia civitatum juramentum praeſtabit.

Si quis vero alicujus infidelitatis convictus fuerit, graviſſima pœna corporis afficiatur.

Notariis caſtri, tabernatoribus, & aliis ſimilibus negotiationes publicae ſcripto interdictae ſint.

Omnes interceptiones in fluminibus aboleantur, niſi quis ſpecialiter ſupra iis privilegiatus fuerit.

Quintam partem piſcium, pro quibus piſcatores quinque groſſos ſolvere tenentur, iisque valde ſe aggravari conqueruntur, Princeps pro ratione & numero acceptorum piſcium moderabitur.

Civitatibus piſcaturam in recenti mari, certis quibusdam conditionibus ſibi reſervatis, juxta vetus privilegium, & declarationem Ordinum Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo, ex gratia concedit, & ſine ullius impedimento liberam eſſe vult.

De ambulatione ex Caſtro in Eccleſiam, ſimiliter & de porta ſub Caſtro acquieſcit Princeps, juxta priorem Receſſum.

Ad Regem Daniae propter gravamina ex parte navigationis in Sundo, Princeps Literas commendatitias dabit.

Ad poſtulata Lebnicenſ. Princeps, vigore datae declarationis, ipſis inſcriptiones tradet, & pecunia reddetur.

Uti in adminiſtratione aliorum officiorum Prutheni prae aliis praeferri debent, ita Princeps conſentit, quo ipſis prae aliis peregrinis ſtipendia ad ſtudia, juxta ſcientiam linguarum, uti Polonis, Pruthenis atque Lithuanis, pro qualitate perſonarum ſubminiſtrentur. Actum Regiomonti quinta die Menſis Julii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Et has Nos quidem Receſſus Literas auctoritate S. R. Majeſtatis & Ordinum Regni Poloniae, ac noſtra commiſſoriali plena facultate confirmandum, ratificandum, approbandum eſſe duximus, prout confirmamus, ratificamus, approbamus praeſentibus Literis noſtris, in omnibus earum conſuetudinibus & conditionibus, punctis, articulis & clauſulis robur debitae & perpetuae firmitatis obtineri debere pronuntiantes. Dat. Regiomonti die quinta Menſis Julii, Anno Domini MDLXVII.

Re-

Anno 1569.

Receſſus a Dominis Commiſſariis omnibus Statibus & Ordinibus Ducatus Pruſſiæ in altero Conventu Regiomontano ſeorſim datus.

Nos a Sacra Regia Majeſtate Poloniae, Principe & Domino, Domino noſtro Clementiſſimo, Domino Sigismundo Augusto, Dei Gratia Rege Poloniae, Magno Duce Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviaeque &c. Domino & Haerede, ad Illuſtriſſimum Principem Dominum Albertum Seniorem Marchionem Brandeburgenſem, Pomeraniae, Stetini, Caſſubarum, Vandalorum, & in Pruſſia Ducem, Burgrabium Norimbergenſem, atque Principem Rugiæ, & Status atque Ordines harum Pruſſiæ Terrarum, Illuſtriſſimo eidem Dom. Duci ſubjectarum, nomine ejusdem S. R. Majeſtatis, Ordinumque Regni Poloniæ deputati & miſſi Legati & Commiſſarii, videlicet Joannes a Służewo Palatinus Brzeſtenſis, Koninenſis, Miedzirecenſis Capitaneus, Joannes Chriſtoporſki Caſtellanus Wielunenſis, Joannes Koſtka de Stangenbergk Caſtellanus Gedanenſis, Terrarum Pruſſiæ Theſaurarius, Pucenſ. Derſſovienſisque Capitaneus, vigore facultatis noſtræ commiſſorialis, ad Nos plenarie a Regia Majeſtate collatæ, univerſis & ſingulis, ad quos pertinet, præſentes Literas noſtras lecturis, aut inſpecturis, aut legi audituris, per eaſdem notum teſtatumq; facimus. Quod cum Anno proxime ſuperiore de prædictæ S. Majeſtatis Regiæ, Senatus, Ordinumque Regni ſententia, has Majeſtatis Regiæ Terras, Illuſtriſſimo eidem Domino Duci ſubjectas, ad tollendam eam perturbationem, quæ in hiſce Terris ex conſiliis & practicis hominum quorundam, cum ſummo tam ætatis, quam auctoritatis ejusdem Illuſtriſſimi Domini Ducis abuſu emerſerat, Commiſſarii ablegati eſſent, per eos ita tractata, acta & confirmata ſunt omnia, ut non ſolum cauſæ & origines, verum etiam maximi hujus perturbationis auctores patefacti, & ad accuſationem & inſtigationem Statuum proceſſu judiciario ſublati fuerint. Qua pene paterna cura & ſollicitudine Majeſtatis Regiæ, quia Principatui in rem ſuam, Filiique ſui idem Illuſtriſſimus Dominus Dux optime conſultum eſt, animadvertit, ſublatis jam cauſis & auctoribus univerſæ perturbationis, in reliqua etiam reſtituenda & reſtauranda, quæ tum a Statibus & Ordinibus harum Terrarum expetebantur, & conditio hujus Provinciæ poſtulabat, benignam voluntatem Majeſtatis Reg. interponendam, Legatis idem Illuſtriſſimus D. Dux ſuam voluntatem & conſenſum præbuit. Quæ omnia cum Sac. Regia Majeſtas, una cum Senatu, Ordinibusque Regni rata & grata apud ſe haberet, Nos iterum ad omnia ea, quæ ſuperioribus Comitiis acta ſunt, executioni demandanda, finienda, corroboranda & ſtabilienda ablegavit. Inprimis itaque quod negotium Religionis, & rerum illi cohærentium attinet, quæ ſuperiore tempore proxime in hac Provincia non modicam in Republica perturbationem faciebat, & in cujus nunc unam formulam Status omnes harum Terrarum conſenſerint, id volumus eſſe omnibus cognitum, Nobis conſtare, muneris noſtri rationes non eo ſpectare, ut aliquid in Religione, aut rebus illi cohærentibus, in hiſce Terris auctoritate noſtra ſtatuere, aut decernere debeamus, ſed ut perturbationem in Republica factam, una cum Illuſtriſſimo Domino Duce corrigamus & amoveamus. Non enim ſtatuendæ aut inducendæ cujuspiam Religionis huc a S. R. Majeſtate ablegati ſumus, quæ meminit & agnoſcit ſe Regem Catholicum eſſe, qui eam, in qua natus, baptiſatus, educatus atque edoctus eſt, Catholicam Religionem, more Divorum Majorum ſuorum, profiteri, eamque ad extremum uſque ſpiritum conſtanter tueri, ac retinere deliberatiſſimum habet, ſentiens hanc unam eſſe Religionem, per quam & ipſa Majeſtas nomen Regis, & ditiones ipſius Regni appellationem ſunt conſecutæ, cum cæteræ opiniones atque ſectæ non ſolum nullum Regnum conſtituant, ſed etiam omnia & ſingula Regna & Imperia funditus evertant. Catholicæ igitur Religioni ſuo honore relicto, quia S. Regia Majeſtas iniquis iſtis temporibus, quorum malignitate multa aliena in Eccleſias & Respublicas irrepſerunt, dandum & concedendum aliquid eſſe putat, facile patitur Majeſtas illius, ut publicæ tranquillitatis & pacis communis cauſa, Confeſſio Auguſtana, in quam unam omnes Status & Ordines harum Terrarum conſenſerunt, a Magiſtratibus harum Terrarum toleretur. Quoniam autem Status & Ordines ſummopere ſunt queſti, quod in hac tam gravi & imbecilli Illuſtriſſimi Domini Ducis ætate, tanta fuit & pecuniæ effuſio, & fundi agrorumque largitio, ſub titulo Illuſtriſſimi Domini Ducis facta, in maximam Illuſtritatis ſuæ, Filiique ſui & harum Terrarum, Reipublicæ detrimentum, & in magnum præjudicium Regum Poloniæ & Regni, propter feudi conditionem deteriorem factam: rogabantque, ut hujuſcemodi illegi-

Anno 1569. legitimæ alienationis, & indignis perſonis collatæ, auctoritate Majeſtatis Regiæ & Regni reſcinderentur & abrogarentur. Priores Comiſſarii in proxime præterito Conventu eas omnes donationes, ſeu etiam qualeſcunque inſcriptiones, & quocunque nomine factas reſciderunt & abrogarunt, hac quidem conditione, ut ad moderna Comitia omnes donationum & inſcriptionum Literæ exhiberentur, ut de illis cognitione & judicio facto, quæ cui legitime, quæ illegitime datæ, collatæ & factæ eſſent, de illis in utramvis partem ſtatueretur & decerneretur. Cujusmodi Literæ jam Nobis in præſentibus Comitiis exhibitæ ſunt, ſed cognitio & judicium per eam controverſiam, quæ inter Status & Ordines, de modo & qualitate hujus cognitionis & judicii, item de electione inter legitime & illegitime factas donationes: item de promeritis, aut non promeritis habita eſt, hoc tempore Nobis perdifficile videbatur. Certis itaque rationibus adducti, & voluntate Majeſtatis Regiæ in ea re permoti, præteritam caſſationem in robore conſervandam ac relinquendam, imo & confirmandam, reviſionem, cognitionem & judicium harum donationum & inſcriptionum, quocunque nomine factas, in aliud tempus, quod commodius Majeſtati Regiæ viſum fuerit, ad ulteriorem informationem ejusdem Majeſtatis Regiæ, & quia præter opinionem noſtram multo plures donationes in præſentibus Comitiis emerſerunt, de quibus in priori Conventu nulla notitia habita fuit, in eo robore & vigore, quemadmodum in præſentibus Comitiis fieri debebat, cumque toto ſuo effectu reſervamus & relinquimus. Diligenter cautum eſſe volentes, ne jam deinceps in hoc rerum ſtatu, videlicet Illuſtriſſimi Domini Ducis Senioris, tanto ſenio confecta, Junioris adhuc immatura & pene minorenni ætate, fiant donationes atque largitiones minus neceſſariæ & illicitæ. Has enim omnes ut Illuſtriſſimo Domino Duci Juniori & huic Provinciae pernicioſas & damnoſas Majeſtas Regia irritas et nullas declaratura eſt. Quod Nos Sacræ ejusdem Majeſtatis et Regni nomine Commiſſarii his, quorum intereſt, ſedulo injungendum eſſe volumus.

Quod attinet Feudum Franconiæ, cujus alienatio in præjudicium Illuſtriſſimi Junioris Domini Ducis, Domini Alberti Friderici, in Perſona Illuſtris Principis Domini Joannis Alberti Ducis Megapoliæ facta eſt, licet et Majeſtas R. cum Senatu Regni agnoſcat, et Nobis abunde conſtet, extra jurisdictionem Majeſtatis Regiæ conſiſtere: tamen quia una cum aliis donationibus & inſcriptionibus bonorum, ſub Majeſtate Reg. conſiſtentium, Illuſtri Domino Megapolenſi Duci factis, quas ipſe Illuſtriſſimus Dominus Dux ſuis Literis penitus abrogavit, in his oris, ditionibuſque Majeſtatis Regiæ illegitime facta eſt, ejuſdem Majeſtatis R. & Regni auctoritate, & noſtra commiſſoriali facultate etiam caſſamus & abrogamus, Illuſtriſſimo dicto Domino Juniori Duci illud idem Feudum Franconicum recuperantes, integrum, plenum & ſalvum jus eſſe declarantes. Præterea inſcriptionem centum millium Talerorum, quam Mathias Horſt in loco ſupplicii ante ipſam mortem recognovit, Illuſtriſſimo Domino prædicto Megapolenſi Duci, nomine Illuſtriſſimi Domini in Pruſſia Ducis, ratione cujusdam debiti factam, quia animadvertimus, & Illuſtriſſimo Principi Juniori, & huic Reipublicæ eſſe damnoſum, etiam caſſamus et abrogamus perpetuis temporibus, omnem vim et robur illi adimentes, auctoritate Majeſtatis Regiæ et Regni. Cæterum quod ad vocabulum Indigenæ ſpectat, S. R. Majeſtas cum Ordinibus Regni ejus explicationem Statibus et Ordinibus harum Terrarum faciendam Nobis ſedulo injunxit. De voluntate itaq; et ultima informatione atque declaratione Majeſtatis R. vocabulum hoc Indigenæ, ſeu *Eintzoglingk*, ita interpretatur: videlicet, quod non tantum hic et inde genito, ſed omnibus ex æquo competat in hoc genere, qui hic poſſeſſiones habuerint, quique hic, ut nunc loquimur, poſſeſſionati fuerint. De Judæis, quod omnium Ordinum conſenſu concluſum eſt, ne hiſce in Terris ſub Illuſtriſſimo Domino Duce ullas negotiationes exerceant. Quodque Illuſtriſſimi Domini Ducis Conſiliarii, pactis non eſſe adverſum, idque antiquitus fuiſſe obſervatum, dixerunt, in quantum pactis cum Regibus Poloniæ et Regno factis contrarium non ſit, acquieſcimus. In quorum omnium plenam fidem et teſtimonium præſentes Literæ noſtræ manibus noſtris ſubſcriptæ, et ſigillis noſtris ſubter appenſis communitae ſunt. Datt. in Conventione Regiomontana die ſecunda Julii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Anno 1569.

Proteſtatio Ordinum contra interpretationem vocabuli Indigenæ, *duobus Commiſſariis, Domino Caſtellano Wielunenſi, D. Solikowſki Secretario poſt diſceſſum*

ſcri-

ANNO 1569.

ſcripto inſinuata, quæ aſſerit, interpretationem noſtram vocabuli Indigenæ *in Receſſu relicto adverſam eſſe genuinæ & veræ ſignificationi ex Privilegiis ipſorum deſumptæ, & rogatur, ut illa ipſorum proteſtatio S. Reg. Majeſtati inſinuetur.*

Ex Actis tertiæ Legationis.

Primo Domini Commiſſarii obtinuerunt contributionem publicam triennalem ex Acciſa, ex qua Princeps S. Reg. Majeſtati ſubjectionis ſuae et gratitudinis teſtimonium exhibere debet.

Gubernationem Principis et Principatus quatuor primariis, teſtamento alioqui Principis nominatis, ſumpto ab illis fidei jusjurando, demandarunt.

Omnes donationes ab expeditione Mariaeverdenſi (cautione adjecta, ſi quae praeterea alienationes, ſine conſenſu Sereniſſimorum Regum Poloniae, ex his Terris contra pacta factae ſint) reſciderunt, abrogarunt, et Principi reſtituerunt, uti ex ſequenti copia Diplomatis apparet.

Generalis & finalis caſſatio olim Illuſtris Domini defuncti Ducis recentiorum, videlicet a Mariæverdenſi expeditione, donationum & alienationum.

Nos Joannes a Służewo Palatinus Brzeſtenſis, Koninenſis et Miedzirecenſis, Joannes Koſtka a Stangenbergk Caſtellanus Gedanen. Terrarum Pruſſiae Theſaurarius, Pucenſis ac Derſſovienſis Capitanei, Joannes Demetrius Solikowſki, S. Reg. Majeſtatis Poloniae Secretarius, ejusdem S. Reg. Majeſtatis, Principis et Domini, Domini noſtri Clementiſſimi, in haſce Terras Pruſſiae, Illuſtri Domino in Pruſſia Duci ſubjectas, cum plena facultate ad præſentem Conventum Heiligbeilen. Legati et Commiſſarii, univerſis et ſingulis, quorum interfuerit, notum et teſtatum facimus. Quod cum annis aliquot ſuperioribus quidam factioſi homines (qui ante biennium ad univerſae Reipublicae accuſationem extremo ſupplicio affecti ſunt) abuſi ingraveſcente ſenio Illuſtriſſimi Domini Ducis defuncti piae memoriae, tantam largitionem mobilium et immobilium bonorum, ſtipendiorum, villarum, manſorum, poſſeſsionum cultarum et incultarum fecerunt, ut et Illuſtriſſimum pie recordationis Principem ingentibus debitis involverint, et has Terras gravi detrimento affecerint, S. R. Majeſtas, Princeps et Dominus noſter Clementiſsimus, eo comperto, tam Principis, quam Principatus ad ſe, Regnumque ſuum perpetuo jure haereditario pertinentis, conditioni conſulere volens, Conſiliarios et Legatos ſuos ante biennium in haſce Pruſsiae Terras ad Comitia Regiomonti in Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto ablegaverat. Qui quidem ſuae Majeſtatis Commiſſarii, ad querelam et inſtigationem Statuum et Ordinum omnium, omnes ejusmodi donationes, largitiones, inſcriptiones, venditiones, atque quaſcunque alienationes, quocunque modo factas, auctoritate ejuſdem S. R. Majeſtatis, Senatusque et Ordinum Regni, in univerſum amputarunt, reſciderunt et abrogaverunt, cognitione reſervata ad proxime futura Comitia, iam milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo Anno Regiomonti celebrata, quae ſint eae alienationes, quae legitime, quae illegitime, quaeve indignis, quaeve dignis, et in quos collatae. In quo quidem praeterito proxime Conventu Regiomontano, poſt exhibitas, lectas et annotatas ejuſmodi alienationum Literas, certis quibusdam de cauſis uſque ad Heiligbeilenſem Conventum judicium et finalis deciſio dilata et reſervata fuit. Cum autem in hoc praeſenti Conventu Status omnium Ordinum, tam Equeſtris, quam Civitatum, recedendo a Receſsibus priorum Comitiorum, quibus electio inter legitimas et illegitimas alienationes erat reſervata, eodem modo, quo ante biennium caſſationis hoc negotium, ut finem ſuum ſortiretur, ſolicitent, inſtigent et urgeant. Idque ut omnes recentiores Illuſtris Domini Ducis defuncti donationes et alienationes, ab expeditione Mariaeverdenſi factas, in univerſum abrogaremus. Nos conſiderata concordi et uniformi omnium Statuum inſtigatione et petitione, inhaerendum illi putavimus. Eadem igitur, qua ſuperioribus binis Comitiis, S. R. Majeſtatis, Senatus et Ordinum Regni auctoritate, priorem ante biennalem caſſationem, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto in Conventu Regiomontano factam, praeſentibus Literis noſtris in robore conſervamus, omneſque donationes et alienationes pro nullis, irritis, caſſatis et abrogatis pronuntiamus. Si autem inſuper largitiones, atque illegitimae donationes immobilium bonorum in his Terris factae, contra Pacta, Sereniſsimis Regibus et Regno Poloniae cum his Terris, jure haereditario ad ſe ſpectantibus, intercedentia, ſine quorum conſenſu alienationes nullae, a Ducibus Pruſsiae fa-

ANNO 1569. ctae, validae eſſe poſſunt, inveniantur, praeſens caſſatio praeſcriptionem nullam, aut praejudicium Juris Regii facere debet. Poſtquam autem Illuſtriſsimus Princeps ad Gubernacula acceſſerit, in ipſius poteſtate erit, habere promeritorum rationem eo modo, qui Pactis non adverſetur. In quorum omnium fidem et teſtimonium praeſentes Literas manibus noſtris ſubſcripſimus, et ſigillis noſtris communiri fecimus. Datt. in Conventu Terrarum Pruſsiae, in Oppido Heiligbeil celebrato, nona die Auguſti, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo.

Manibus propriis.

Hæ literæ caſſationis publice lectæ, et Statib9 exhibitae ſunt per Commiſſarios et executio Tutoribus mandata. Deinde Commiſſarii omnes Status et Ordines admonuerunt, ut debitam obedientiam Gubernatoribus harum Terrarum, et Tutoribus minorennis Principis eorum praeſtarent, uti his, quos et Illuſtris Dominus defunctus Princeps Tutores Teſtamenti nominavit, et S. R. Majeſtas confirmatione teſtamenti in eadem Gubernatione confirmavit. Ad quam etiam tutelae Provinciam fideliter adminiſtrandam hodierna die fidem ſuam Majeſtati Reg. et Regno, tum Illuſtriſsimo Principi, et huic Principatui jurejurando, coram ſe Commiſſariis ſuae Majeſtatis, ſolenniter obſtrinxerunt. Admonuerunt eos deinceps, ut propter imminentia bellorum pericula armis et equis, atque aliis bello neceſſariis rebus, ſemper inſtructi et parati exiſtant. Quodſi talis, quod abſit, ingruat neceſſitas, ut univerſali contra hoſtem opus ſit expeditione, explicuerunt illis, intelligendum eſſe, Pruſsiae limites non eos eſſe, qui Ducalem partem a Regali diſcernant, ſed qui univerſam Pruſsiam, hoc eſt, una cum Regia, univerſa dominia R. Majeſtatis Poloniae ab exterorum Provinciis diſtinguant. Partem etiam Regalem, cum tota Pruſsia uni Domino ſubjecta ſit, idem intellecturam, et ſuos limites non inter Regalem et Ducalem partem, ſed intra univerſam Pruſsiam, et externam viciniam collaturam. Mandarunt etiam Statibus, ut, ſiquidem etiam tutelae inſpectio vigore Teſtamenti ad ipſos pertineat, diligenter caveant & provideant, ne qua ex parte Illuſtris eorum Princeps quopiam incommodo afficiatur. Dixerant inſuper, polliceri Sacram Majeſtatem Regiam omnium Actuum ternorum Comitiorum iſtorum confirmationem, ſiquidem omnia jam ſuum finem obtinuerunt. De Judaeorum libero paſſu Conſiliarii Tutoribus injunxerunt. Poſtremo peracta valedictio. Poſt non brevem deliberationem, nomine omnium Statuum, Cancellarius ad praemiſſa reſpondebat. Principio gratias egerunt, quod harum Terrarum conditioni optime conſulere volentes, tot labores, tot tantasque moleſtias ſubierint, tam dextre et cum fructu omnia ad ſuum finem adduxerint, ut de Illuſtriſsimo Principe eorum, et de univerſis hiſce Terris quam optime eſſent meriti, et perpetuum ſibi nomen et gratiarum actionem conciliarunt. ANNO 1569.

Egerunt deinde gratias quam maxima ſubmiſsione S. Reg. Majeſtati, Ordinibuſque Regni, harum Terrarum Fautoribus, quod Teſtamentum piae recordationis Illuſtriſsimi Principis, Domini eorum immediati, ſua Majeſtas ratum, gratum perpetuo Literarum teſtimonio fecerit: promittentes omnem fidem, gratitudinem, ſervitutem tam R. Majeſtati, quam Regni Ordinibus.

Gratias deinde egerunt de caſſatione facta et completa, pro ſuo munere executionem demandatam Tutores polliciti ſunt. Primum mandati cauſa R. Majeſtatis, deinde Domini Ducis defuncti Teſtamento obligati. Quod in fine caſſationis Literarum attinet punctum de cæteris alienationibus contra Pacta factis, neſcire ſe dixerunt, an unquam Dominus defunctus Princeps ullas contra Pacta alienationes fecerit, ſed uti ſemper Majeſtatem Regiam Poloniæ pro Domino Feudi agnovit, ita ad meliorem conditionem ejusdem Feudi harum Terrarum poſſeſſiones hominibus bene meritis conferebat, fuerunt hæ terræ ante incultæ, ſteriles, deſertæ, afflictæ, corruptæ, non poterant aliter reparari, niſi poſſeſſionibus inter eos homines diviſis, qui Reipublicæ univerſi Regni, cum opus eſſet, operam navarent, & terram ipſam ad uſum humanum, & meliorandam Feudi conditionem excolerent; fecit itaque hac ratione non illegitimas, ſed legitimas alienationes. Neque autem penitus alienavit, quod omnino fuiſſet Feudi conditionem deteriorem reddere, ſed ſibi jus ſuperioritatis reſervavit, & ſervitia atque onera ſibi & Fratribus, Feudique participibus, inprimis autem R. Majeſtati retinuit.

Tandem ſolennis valedictio. Ad id Commiſſarii reſponderunt: Primo quod grato animo accipiunt hanc eorum gratitudinem & gratiarum actionem, quam R. Majeſtati & Ordinibus ſuis etiam Perſonis exhibent. Quod ſpectat ad ultimum punctum in caſſatione, dixerunt

non

Anno 1569. non eſſe ſuam mentem vel intentionem, ut donationes Domini defuncti Ducis in dubium vocarent, ſed cum in ſe Commiſſarios omnium undique oculi conjecti ſint, & oporteat his eos in omnibus rationem Pactorum ob oculos habere poſitam, nec in eam partem, quæ Pacta concernit, nil delinquere volebant, ſed conditionaliter ſubjungendum putarunt de alienationibus aliquibus, ſi quæ contra Pacta fuiſſe invenirentur. Neque etiam ſibi integrum fuiſſe id obmittere, quod apertis verbis in ſua inſtructione ſibi injunctum & mandatum eſſet"

Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta Nos Sigismundus Augustus Rex prænominatus, cum digna approbatione noſtra, digna etiam poſteritatis memoria judicaremus, confirmanda hæc ipſa & approbanda auctoritate noſtra Regia duximus, uti præſentibus Literis noſtris approbamus, ratificamus & confirmamus in omnibus eorum punctis, articulis, clauſulis, conditionibus, rataque & firma harum Literarum noſtrarum auctoritate, temporibus perpetuis eſſe volumus. In quorum omnium teſtimonium & fidem has Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillum noſtrum apprimi mandavimus. Dat. Lublini in Comitiis Regni noſtri Generalibus die vigeſima octava Menſis Julii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, Regni noſtri quadrageſimo.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex.

CCLXVI

1571. *Renovatio ſimultaneæ Inveſtituræ poſt mortem* Joachimi II. Joanni Georgio *data.* Varſaviæ An. 1571. die 16. Sept. *Ex Archivo Regni Libr. ſub Litt. SX. num. 176.*

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Dominus & Hæres. Significamus tenore præſentium, quorum intereſt, univerſis et ſingulis. Quod cum Illuſtriſſimus Princeps Dominus Joannes Georgius Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius et Princeps Elector, Stetinenſ. Pomeranorum, Caſſuborum, Vandalorumque Dux, Rugiæ Princeps, & Burggrabius Norimbergenſis, Amicus & Conſanguineus noſter chariſſimus, bene diligenterque conſideratis iis, quae Vaſallum et Regni noſtri Beneficiarium Principem decent, ſtatim poſt obitum Illuſtriſſimi Parentis ſui, cui ſicut in bona & honores omnes reliquos, ita in feudum etiam Pruſſiæ, quod alioqui cum olim Parente ſuo manu conjuncta, per Mandatarios ſuos a Nobis uterque impetrarunt, in omnibus ſimilis Succeſſor factus eſt, non modo Nobis benevolentiam privatim ſuam teſtatus eſt, ſed etiam ad ea, quae publice Nobis, Regnoque noſtro ex Perſona ejus obſequiorum fidelitatisq; munia debentur, fidelem paratamq; exequendi et praeſtandi obtulerit voluntatem, hoc etiam tempore Literas ad Nos dedit ſuas, quibus non modo hoc ipſum comprobavit, ſeque omnibus iis officiis, quibus Illuſtritatis ſuæ Parens devinctus fuit, Nobis Regnoque noſtro devinctum eſſe faſſus eſt. Sed ſi quæ etiam ſupereſſent, quæ ex Perſona ipſius Regno, Nobisque ipſis de neceſſitate et natura feudorum præſtari debeant, ſcire a Nobis voluit, ad eaque etiam, ea, qua convenit, fide, praeſtanda paratum ſe obtulit. Quibus quidem Literis cum a Nobis petierit, ut hanc ipſius voluntaris erga Nos obſequiorum & fidelitatis ratione iſtius feudi praſtandæ & antea & nunc factam diligentiam Libris noſtris Cancellariæ inſerere, & ejusmodi ipſius factæ diligentiæ noſtram ei recognitionem mittere dignaremur. Nos, qui hoc ab Illuſtritate ejus non niſi grato accepimus animo, curavimus ea & in Cancellariæ noſtræ Libros inſcribi, & has Literas Illuſtritati ipſius confici, quibus recognoſcimus, planum teſtatumque facimus, Illuſtritatem ejus ex debito Officii ſui, Nobis ex perſona ſua voluntatem, debitorumque obſequiorum præſtandorum fidelitatem, ut ſupra ſcriptum eſt, teſtatam feciſſe. In eoque Nos, ut ei præſentem mitteremus recognitionem, ſollicitaſſe & requiſiviſſe, quam quidem Illuſtritati ejus & damus & de diligentia hac Illuſtritatis ejus praeſentibus teſtamur. Quod vero ad illud attinet, in quo etiam Illuſtritas ſua noſtram deſiderat animi declarationem, utrum nimirum alia ſuperſint munera & obſequia, ad quæ Nobis Regnoque noſtro adſtricta eſſe debeat, nec non in eo ex hoc tempore Illuſtritati ejus mentem noſtram aperire non potuimus. Nam quoniam quidem ad hoc feudum ſeu Vexilli contactum Illuſtritatis ſuæ, ejusdemque Parentis, cæterorumque Convaſallorum Mandatarii & Legati in Comitiis Regni Generalibus Lublinenſibus, ubi Nos quidem huic negotio pro ſolio Majeſtatis noſtræ in foro Lublini ſedentes, frequenti Senatu, omniumque Ordinum Regni Statibus, cæterorumque hominum adſtantium magna fre- Anno 1571.

Anno 1571. frequentia interfuimus & præfuimus, ipſi de noſtro, ejusdemque Senatus ac Ordinum conſenſu publice admiſſi ſunt, duximus etiam potius hanc in tali negotio deliberationem ad proxime futura Regni Comitia rejicere, ubi quidem cum Senatu & Ordinibus iuſtituta deliberatione noſtram & eorum ea in re ſententiam Illuſtritati ejus ſignificabimus & declarabimus. In quo tamen Illuſtritas ſua ſub ipſum tempus Comitiorum Nos præmonere, & ſi quæ alia fuerint, ad Nos perſcribere & perferre poterit. In cujus rei fidem & evidentius teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & eiſdem ſigillum noſtrum appendi juſſimus. Datum Varſoviæ die ſedecima Menſis Septembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, Regni vero noſtri Anno quadrageſimo ſecundo.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS
Rex. *mppr. ſ.*

Has Regias easque tranſumptas Literas cum Originali, juſſu ac voluntate Principis Electoris Brandeburgenſis &c. Domini noſtri Clementiſſimi, Nos Rector, Magiſtri & Doctores in Academia Francofordiana diligenter & accurate legimus, & Originale tam in ſcriptura, quam in ſigillo ſanum & incorruptum, minimeq; ſuſpectum, & Exemplum ſive Tranſumtum hoc cum Originali concordans deprehendimus. Id quod hac M. Johannis Sehofſeri Notarii publici ſubſcriptione, Academiæ noſtræ ſigillo confirmata teſtamur. Francofordiæ ad Oderam pridie Calendas Februarii, Anno a nato Chriſto MDLXXXIX.

(L.S.)

CCLXVII.

1572. *Declaratio* Sigismundi Augusti *Regis, Electorem* Joannem Georgium *poſt obitum Domini Parentis* Joachimi *Electoris, cum antea ſimultanee inveſtitus ſit, ad alia præſtanda obligatum non eſſe.* Datum Varſaviæ in Comitiis Generalibus 26. Mart. Anno 1572. *Indidem.*

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Dominus & Hæres. Illuſtriſſimo Principi Domino Johanni Georgio Marchioni Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario, Principi Electori, Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum, Sclavorum, Vandalorumque Duci, Rugiæ Principi, & Burggrabio Norimbergenſi, Amico & Conſanguineo noſtro chariſſimo, ſalutem & proſperos rerum omnium ſucceſſus. Illuſtriſſime Princeps Domine, Amice & Conſanguinee noſter chariſſime. Probe meminimus Illuſtritatem Veſtram, datis ad Nos Litteris ſuis, idem a Nobis petiiſſe, quod nunc etiam ex Litteris Illuſtritatis Veſtræ cognovimus, ut ſcilicet Illuſtritati Veſtræ ſignificaremus, ſi quid ex legibus, vel conſuetudine Regni noſtri ſupereſſet, quod ipſi adhuc neceſſario faciendum eſſet in confirmando & roborando jure ſuo feudali, quod habet Illuſtritas Veſtra ex ſimultanea cum Illuſtri Duce Pruſſiæ, Patruo ſuo, Inveſtitura, contactuque Vexilli, maxime vero e vivis ſublato Illuſtriſſimo Principe Domino Joachimo Electore Brandeburgenſi &c. Parente Illuſtritatis Veſtræ deſideratiſſimo, poſt cujus obitum, ſi ad nova Pacta aliqua præſtanda obſtringatur, ea præſtare, neque ulla in re officium Vaſalli deſerere vellet. Grata Nobis eſt Illuſtritatis Veſtræ erga Nos & Regnum noſtrum ea propenſio, quæ tam diligenter officii ſui rationes inveſtigat, ut plane oſtendat, quam charum & jucundum illi ſit, & Nobis & Regno huic noſtro perpetuum ſe probare Beneficiarium, Amicum & Neceſſarium. Porro de Illuſtritatis Veſtræ negotio, non aliud nunc ex Senatus noſtri conſilio judicare potuimus, quam illud ipſum, quod Illuſtritati Veſtræ ante perſcripſimus, & per Oratorem noſtrum ſignificavimus, contentos eſſe Nos in eo Illuſtritatis Veſtræ officio, quod Lublini cum Illuſtri Principe Domino Alberto Friderico Pruſſiæ Duce, & cæteris Principibus Marchionibus Brandeburgenſibus Nobis & Regno noſtro præſtitit, neque ad alia ex legibus & conſuetudinibus Regni, ſive pacta, ſive conditiones hoc tempore teneri, præter eas, quæ ſunt in Homagio Lublini facto expreſſæ. Ad quæ ſervanda hortari Illuſtritatem Veſtram noluimus, quod confidamus eam, pro ſua erga Nos & Regnum noſtrum benevolentia, ea omnia, quæ officii ſui eſſe judicabit, & ſervaturam eſſe libenter, & expleturam libentiſſime. Quo ſane nomine & Nos & Regnum hoc perpetuo ſibi reddet favens & benevolum. Illuſtritatem Veſtram Deo Optimo Maximo commendamus, eamque bene valere cupimus. Datum Varſoviæ in Comitiis Regni Generalibus vigeſima ſexta die Menſis Martii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Regni Anno 1572.

vero

ANNO 1572. vero noſtri Anno quadrageſimo tertio.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex.

Has Regias easque tranſumtas Litteras cum Originali, juſſu ac voluntate Principis Electoris Brandenburgenſis &c. Domini noſtri Clementiſſimi, Nos &c. *ut ſupra pag. 382.*

CCLXVIII.

1574. *Reſponſum nomine* HENRICI *Regis Poloniæ datum Oratoribus* JOANNIS GEORGII *Electoris Brandeburgenſis, in quo de feudo Pruſſiæ, de limitibus, de negotio* SOPHIÆ *Brunſvicenſis, & de vectigali pro 300. bobus peragitur.* Datum Cracoviæ 4. Aprilis 1574. *Indidem.*

Sacra Regia Majeſtas grato & benigno animo accepit ea omnia, quæ nomine Illuſtriſſ. Domini GEORGII Marchionis Brandenburgenſis, Sacri Romani Imperii Electoris dicta ſunt. Imprimis autem Gratulationem felicis ſui in hoc Regnum adventus, tum etiam feliciſſimam Inaugurationem & Coronationem ſuam Illuſtriſſimo Principi charam & jucundam extitiſſe gaudet, certoque ſibi perſuadet, Illuſtriſſimum Principem Dominum IOANNEM GEORGIUM Marchionem Brandeburgenſem, atque Sacri Romani Imperii Electorem, pro ſtudio & benevolentia ſua erga Majeſtatem Regiam, tam eam, in qua Deus Maximus ipſius Illuſtritatem collocavit, dignitatis acceſſionem, quam etiam aliam omnem felitatem ſincere & ex animo Regiæ Majeſtati precari, viciſſim Majeſtas Regia dabit operam, ut grati Regis & Amici officium quavis in re ipſius Illuſtritati comprobare poſſit.

Quod attinet ad Feudi Pruthenici Renovationem, cum ipſius Illuſtritas petat, ut ad ſimultaneam Inveſtituram cum Illuſtri Domino ALBERTO FRIDERICO Duce in Pruſſia, juxta promiſſa & conventa a Sereniſſ. Anteceſſoribus ſuis Regibus Poloniæ facta admittatur, ſimulque confirmationem habeat Feudalis ſucceſſionis, a Sereniſſimo Principe & Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Dei Gratia Rege Poloniæ, Fratre, Conſanguineo & Anteceſſore ipſius Majeſtatis chariſſimo obtentæ. Videt Majeſtas Regia occaſionem ſibi oblatam eſſe commonſtrandi ſui erga Illuſtritatem ipſius amoris et benevolentiæ. Sed quoniam eo tempore in hoc Gubernationis ſuæ initio plurimis iisque arduis Reipublicæ negotiis Majeſtas Regia diſtracta ſit, ita ut habere nequeat aut temporis, aut otii tantum, ut petitioni Illuſtriſſimi Principis Domini Marchionis, & ejus Illuſtrit. Filii Domini IOACHIMI FRIDERICI reſpondere poſſit, negotium hoc omne rejiciendum putavit, prout etiam ex ſua & Conſilii ſui ſententia rejicit ad proxime futura Regni Comitia. Quam exigui temporis & expectationis moram, ipſius Illuſtritas æquo ferat animo. Confirmationem etiam ſucceſſionis feudalis, quod illa principali renovandi Feudi negotio conjuncta ſit, ad prædicta etiam Comitia Regni referendam cenſet.

ANNO 1574. Porro Commiſſarios quod attinet. ut utrinque dentur ad cognoſcendas injurias, quæ inter ſubditos ob controverſiam finium exoriri ſolent, ut componi, & ad bonum finem deduci, tam illæ ipſæ injuriæ privatorum, quam etiam finium differentiæ poſſint, libenter id facere vult Majeſtas Regia, ſecuta ea in re ſuum etiam ingenium, quod cupiat bonam vicinitatem & amicitiam ſervare cum finitimis, & ſibi Regnoq; ſuo amicis Chriſtianis Principibus. Poſtulat autem ab ipſius Illuſtritate, donec id fiat, ut ſubditos ſuos ab inferendis quibuſvis injuriis coërceat, viciſſim Majeſtas R. ſuis mandabit, ne ullam occaſionem dent attentandæ alicujus in aliquem offenſionis.

Negotium Sereniſſimæ Principis Dominæ SOPHIÆ, Duciſſæ Brunſvicenſis, habet apud ſe commendatum Majeſtas Regia, commendationem tamen Illuſtriſſimi Domini Electoris eo loco apud ſe habet, quod propter eam cupiat tanto celerius rem ad æquum & juribus competentem finem deduci.

Conceſſionem, ſive immunitatem de trecentis bobus per ditiones Majeſtatis R. ſine ſolutione vectigalium ducendis, dat Majeſtas Regia ipſius Illuſtritati, de eoque Literas ſcribi, & Dominis Oratoribus extradi mandabit.

Hæc ſunt, quæ Regia Majeſtas Illuſtriſſimo Principi Domino GEORGIO Marchioni Brandenburgenſi, & Sacri Romani Imperii Electori referenda cenſuit, a quo etiam gratiſſimo animo accipit, quod Oratorum ſuorum præſentia Coronationem & Inaugurationem ipſius Majeſtatis exornaverit.

Viciſſim Majeſtas Regia in ornanda & amplificanda ipſius Illuſtritatis dignitate, talem ſe præſtabit, qualem merito debebit Rex & vicinitatis, & aliorum officiorum vinculis ſibi conjunctiſſimus, ita, ut nullam ſit temere occaſionem dimiſſurus,

ANNO rus, teſtificandi erga Illuſtritatem Ipſius
1574. ſui amoris & benevolentiæ.

Quod ſupereſt, per Dominos Oratores cupit eſſe ipſius Illuſtritatem ſalutatam, & eidem nomine Majeſtatis Regiæ declaratam Regiam, amicam & ſinceram benevolentiam & propenſionem. Datum Cracoviæ die quarto Menſis Aprilis Anno Domini MDLXXIV. Regni Majeſtatis Regiæ Anno primo.

FRANCISCUS KRASINSKI
Epiſcopus Cracovienſis & Vice-Cancellarius Regni.

Has Regias easque tranſumtas Literas cum Originali juſſu & voluntate Principis Electoris &c. *ut ſupra pag. 382.*

CCLXIX.

1577. STEPHANUS *Poloniæ Rex Marchioni Anſpacenſi permittit curationem Ducatus Pruſſiæ ob ægritudinem mentis* ALBERTI *Junioris Pruſſiæ Ducis.* Dat. Marienburgi d. 22. Septembris Anno 1577. *Ex Archivo Regni Libr. Legat. ſub Lit. W. fol. 259.*

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, ac Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniæ, Kijoviæ, Podlachiæ, Livoniæ &c. Dominus, nec non Tranſylvaniæ Princeps. Significamus præſentibus Literis noſtris. Quod Nos cum conſilio Senatorum noſtrorum, conſiderantes ab una quidem parte, Illuſtrem Dominum ALBERTUM FRIDERICUM Marchionem Brandeburgenſem, ac in Pruſſia, Stetinenſ., Pomeraniæ, Caſſubarum ac Sclavorum &c. Ducem, Burgrabium Norimbergenſem, ac Rugiæ Principem, Affinem noſtrum chariſſimum, rebus ac negotiis Ducatus Pruſſiæ, propter mentis ægritudinem ab aliquot annis magis atq; magis invaleſcentem, ſupereſſe non poſſe, ex qua re triſti per ſe ipſa, & peracerba, multa præterea incommoda ad Ducatum illum & nunc jam perveniant, & in poſterum, quod abſit, plura perventura videantur, niſi rei ipſi univerſæ, pro officio & auctoritate noſtra Regia, quam rectiſſime primo quoque tempore proviſum fuerit. Ex alteraque item parte conſiderantes, & præ oculis habentes Illuſtris Principis Domini GEORGII FRIDERICI Marchionis Brandeburgenſis, ac in Pruſſia, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſubarum, ac Sclavorum, nec non in Sileſia Carnoviæ &c. Ducis, Burgrabii Norimbergenſis, ac Rugiæ Principis, Affinis noſtri chariſſimi, qui ante jam jus etiam habet ſimultaneæ Inveſtituræ ad Ducatum prædictum, partim ſingulare erga Regnum hoc noſtrum, Noſque adeo ipſos ſtudium, partim etiam arctum agnationis vinculum, quod Illuſtritati ſuæ cum Illuſtri Principe Domino ALBERTO FRIDERICO prædicto intercedit, faciendum Nobis eſſe exiſtimavimus, non jam juris aliqua neceſſitate adacti, quam adducti mera gratia & benevolentia noſtra erga Illuſtrem Principem Dominum GEORGIUM FRIDERICUM prædictum, ut ad poſtulata Illuſtritatis ejus, quæ ipſa fuerunt etiam præterea multorum Illuſtriſſ. Germaniæ Principum & Electorum, Affinium & Amicorum, ac Vicinorum noſtrorum chariſſimorum legationibus ac interceſſionibus ornata, curationem præfati Illuſtris Domini Ducis in Pruſſia, Ducatusque ipſius univerſi, ac bonorum denique & redituum ex eo Ducatu quacunque ratione provenientium, quae alioqui curatio Nobis ipſis, uti directo Pruſſiae totius Domino, in tam triſti Illuſtris Domini Ducis in Pruſſia caſu, prae caeteris omnibus hominibus competebat, ad Illuſtritatem potiſſimum ipſius deferremus, eumque Curatorem praefati Illuſtris Domini ALBERTI FRIDERICI Ducis, & totius Ducatus ipſius Adminiſtratorem & Gubernatorem ex auctoritate noſtra Regia crearemus & conſtitueremus, uti per praeſentes has Literas noſtras deferimus, creamuſq; & conſtituimus. Admittentes Illuſtritatem ſuam ad Regimen Ducatus ipſius cum titulo Ducis, ita quidem, ut eum Ducatum Illuſtritas ejus obtineat & gerat atque adminiſtret, cum omnibus proventibus, fructibus, utilitatibus, emolumentis, praerogativis etiam & praeeminentiis quibuſcunque, & quocunque nomine vocatis, ad Ducem in Pruſſia pertinentibus. Satis tamen in omnibus, & per omnia noſtris Regnique noſtri juribus, Ducatusque illius ac ejus ſubditorum, Pactisque antiquis, quae omnino ſarta & tecta conſervari, nec ullum iis praejudicium hac ejuſmodi Curationis & Gubernationis atq; Adminiſtrationis conceſſione adferri volumus. Quo ſane nomine Illuſtritas ipſius praeſtare Nobis Juramentum Feudale tenebitur in haec verba.

Ego GEORGIUS FRIDERICUS *Marchio Brandeburgenſis, ac in Pruſſia, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſubarum ac Sclavorum*

Anno 1577. *rum, nec non in Sileſia Carnoviæ &c. Dux, Burgrabius Norimbergenſis, ac Rugiæ Princeps, juro ſuper hæc Sancta Dei Evangelia, quod ab hac hora deinceps, uſque ad ultimum diem vitæ meæ ero fidelis & obſequens Tibi Sereniſſimo Principi Domino* Stephano, *Dei Gratia Regi Poloniæ, & Magno Duci Lithuaniæ, ac Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Domino, ſicuti meo naturali & hæreditario Domino, & Succeſſoribus legitimis Tuis, Regibus & Regno Poloniæ, Dominis meis contra omnem hominem, nemine prorſus excepto. Et quod nunquam ero ſcienter in conſilio, vel auxilio, vel in facto, ex quo, quod abſit, amittas vitam, vel membrum aliquod, vel quod accipias in Perſona aliquam læſionem, aut injuriam, vel contumeliam, vel quod amittas aliquem honorem, quem nunc habes, aut poſt habebis. Et ſi ſcivero, vel audivero de aliquo, qui velit aliquid iſtorum contra Te & Regnum hoc Poloniæ facere, pro poſſe meo, ut non fiat, impedimentum præſtabo: & ſi impedimentum præſtare nequivero, quam cito potero, Tibi nuntiabo, & contra eum juxta Pacta auxilium Tibi & Regno præſtabo. Et ſi contigerit Te rem aliquam, quam habes, vel habebis, caſu aliquo amittere, eam recuperare curabo, & in recuperata retinenda, Te omni tempore adjuvabo. Et ſi ſcivero, Te velle contra aliquem publico conſilio arma ſumere, & de eo generaliter vel ſpecialiter fuero requiſitus, meum Tibi ſecundum Pacta præſtabo auxilium. Et ſi aliquid mihi de ſecreto manifeſtaveris, illud ſine tua licentia nemini pandam, neque quidquam, per quod pandatur, faciam. Et ſi conſilium a me ſuper aliquo facto poſtulaveris, illud Tibi dabo conſilium, quod Tibi, Dominiiſque tuis judicavero magis expedire, & nunquam ex Perſona mea aliquid ſcienter, quod pertineat ad Tuam, vel Regni, Dominiorumque Tuorum Regno adjunctorum, vel inpoſterum adjungendorum, injuriam vel contumeliam faciam, imo honorem, dignitatem, commoda Tua, Regnique & Dominiorum Tuorum tuebor & conſervabo, &, quoad maxime potero, augebo. Denique Pacta inter olim Divum* Sigismundum *Regem, & Illuſtrem, piæ memoriæ, Patruum meum* Albertum *Seniorem olim in Pruſſia Ducem, cum Inclyto hoc Poloniæ Regno conventa, ſervabo & implebo, ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Praeterea autem, poſtquam ejuſmodi juramento ipſa Illuſtritas ejus ſe devinxerit, ſubditi quoque illius Ducatus debito jurejurando ſe devincient, Nobis Regnoque noſtro, ut, juramentis ejuſmodi intercedentibus, noſtra, Succeſſorumque noſtrorum, & Regni ipſius Poloniae Jura & Regalia intra Ducatum illum in omnibus & per omnia rite, juxta Pacta, conſerventur. Et quoniam Illuſtritas ejus, praeter hunc Ducatum in Pruſſia feudatarium, habet extra Regnum noſtrum ditiones ſuas haereditarias, idcirco quoties Illuſtritatem ejus ex *D*ucatu diſcedere, & ad ditiones illas proficiſci, aut omnino a *D*ucatu ipſo abeſſe neceſſe fuerit, tunc Illuſtritas ejus non alium poſſit vice ſua *D*ucatus illius Adminaſtratorem & Locumtenentem conſtituere ac relinquere, quam ſubditum noſtrum ſive ex Regno Poloniae, ſive ex *D*ucatu ipſo feudali, & quidem juramento adactum, ſecundum Pactorum rationem. Non tantum vero in abſentia ſua, ſed etiam in praeſentia ſua Praefecturas ipſas arcium Capitaneus non ad alios deferre debebit, aut etiam poterit, quam ad ſubditos ex Regno vel *D*ucatu feudali noſtros juramento adactos, ut ita ad eum modum & in *D*ucatu ipſo, & in arcibus atque caſtris, ubique noſtra Regnique noſtri Majeſtas integre conſervetur. Quoniam autem adminiſtratio, gubernatio, curatio denique haec omnis ex illa, quam diximus, Illuſtris *D*omini Alberti Friderici *D*ucis, mentis aegritudine dependet; volumus, & his Literis diligenter omnino cavemus, ut Illuſtritati ejus in hac quidem infirmitate valetudinis conſtitutae, de rebus omnibus ad victum & cultum corporis pertinentibus, per Illuſtrem *D*omin. Georgium Fridericum praedictum pro dignitate proſpiciatur. Si vero, quod maxime optamus, Illuſtritas ipſius ad priſtinam mentis ſanitatem per *D*ei gratiam redierit, liberosve maſculos Haeredes ſuſceperit, illi ipſi, vel illis, ubi ad aetatem legitimam pervenerint, & non alias, nec prius, *D*ucatui ipſo cedere Illuſtris *D*ominus Georgius Fridericus, & curationis atque adminiſtrationis ſuae rationes reddere debebit. In eis tamen reddendis, ſi quid reſpectu ejus *D*ucatus Illuſtritas ejus ſumptus fecerit, aut erogaverit, id omne uti recte expenſum ſuſcipi debebit. Nec minus autem Illuſtri quoque ipſi Illuſtritatis ejus Conjugi *D*ominae Mariæ Leonoræ, natae ex Juliacenſi, Clevenſi, Montenſique Familia, Marchioniſſae Brandeburgenſi, ac in Pruſsia *D*uciſſae, proſpectum eſſe volentes, diligenter hoc Privilegio noſtro cavemus, ut jura Illuſtritatis ipſius, quod ad rationes dotis & contradotis, ac donationis propter nuptias attinet, integra, ſalva et tecta conſerventur. Atque haec quidem omnia, quae Anno 1577.

ANNO 1577. ad praeſentem conceſsionem noſtram pertinent, ut ſuum ſortiantur effectum, Commiſſarios noſtros in Ducatum praedictum jamjam deſtinaturi ſumus, per quos eam conceſsionem noſtram Statibus ejusdem Ducatus denuntiabimus, omniaque faciemus, quae ex auctoritate noſtra, ad parandam Illuſtritati ipſius pacificam intromiſsionem et poſſeſsionem pertinere videbuntur. Interim vero Illuſtritas ipſius ad Nos ad Comitia Regni proxime futura advenire, & juramentum ſupradictum praeſtare debebit. Quo quidem juramento abſoluto Illuſtritas ipſius, mediante Commiſsione noſtra, ſi opus erit, in plenam et pacificam Ducatus illius poſſeſſionem veniet, quam ei aſsignare, dare, et in ea manutenere Illuſtritatem ejus promittimus, ſalvis per omnia juribus Regni noſtri, Ducatuſque illius, et Pactis veteribus manentibus, quibus omnibus per praeſentes nihil derogatum eſſe volumus. In quorum omnium et ſingulorum praemiſſorum fidem praeſentes Literas manu propria ſubſcripſimus, et ſigillo Regni noſtri communiri juſsimus. Datum Mariemburgi die vigeſima ſecunda Menſis Septembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Regni vero noſtri Anno ſecundo. Praeſentibus Reverendo, Magnificis, Generoſis et Venerabilibus, Petro Dunin Wolſki Epiſcopo Płocenſi, et Regni noſtri Cancellario, Petro in Zborow Palatino et Generali Cracovienſi, Stobnicenſique et Camionacenſi noſtro Capitaneo, Joanne Koſtka in Sternbergk Palatino Sandomirienſi, et Terrarum noſtrarum Pruſsiae Theſaurario, ac Mariemburgenſi etc. Capitaneo, Euſtachio Wołowicz Caſtellano Trocenſi, Magni Ducatus Lithuaniae Vice-Cancellario, et Breſtenſ. Cobrinenſique Capitaneo, Joanne a Służewo Palatino Breſtenſi, Coninenſi et Miedzirecenſi noſtro Capitaneo, Petro de Potulicze Palatino Płocenſi, Andrea Comite in Thenczyn Palatino Bełzenſi, et Ducatuum noſtrorum Oſvecimenſis et Zathorienſis Capitaneo, ac Joanne a Zborow Caſtellano Gneſnenſi, et Capitaneo noſtro Odolanovienſ. et Exercituum Curiae noſtrae Praefecto, Andrea Firley de Dambrowica Caſtellano Lublinenſi, et Capitaneo noſtro Sandomirienſi, Stanislao Czyzowſki Zaklika Caſtellano Bełzenſi, Nicolao Firley de Dambrowica Caſtellano Biecenſi, et Capitaneo noſtro Caſimirienſi atque Curiae noſtrae Referendario, Stanislao Goſtomſki Caſtellano Sochaczovienſi, Alberto Ręczayſki Caſtellano Varſovienſi, Andrea a Zborow Curiae noſtrae Marſchalco, et Radomienſi Capitaneo, Joanne Zamoyſki Regni noſtri Vice-Cancellario, et Bełzenſi, Kniſsinenſi, Zamechenſique Capitaneo, nec non Comite a Rozrazow Płocenſi, Vratislavienſique Praepoſito, et Regni noſtri Majore Secretario, Joanne Borukowſki Praepoſito Lancicienſi, Decano Varſovienſi, Canonico Cracovienſi, Laurentio Goslicki Decano Kelcenſi, et Cracovienſi, Sandomirienſique Canonico, Jacobo Udrzycki Cracovienſ. Varſovienſique Canonico, Mathia Kłodzinſki Archidiacono Mednicenſi, Conſiliariis et Secretariis noſtris, aliisque quam plurimis Secretariis, Dignitariis, Officialibus et Aulicis noſtris, ſincere, devote, et fidelibus Nobis dilectis. Datum per manus praefati Magnifici Joannis Zamoyſki, Regni noſtri Procancellarii. ANNO 1577.

STEPHANUS Rex.

CCLXX.

Legati Ducis Ansbacenſ. pro praecedente Curationis promiſſione gratias agunt, & eum impleturum omnia, quae ibi continentur, promittunt: Additur quoque mentio de permutatione Arcis Memelianae. Anno 1577. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. W. fol. 202.*

Illuſtriſſimus Princeps curationem a ſe petitam, inſuper adminiſtrationem cum titulo, praeeminentia & praerogativis Ducalibus a Sacra Majeſtate Regia in Ducatu Pruſsiae ultro, motu proprio, & ex benignitate Regia ſibi conceſſam, per Legatos Regios ſibi delatam, ea, qua par eſt, animi gratitudine recipit, ſalvis Pactis, & Iure ſucceſsionis ſimultaneae Inveſtiturae, quibus hac curatione, & Ducatus adminiſtratione nihil vult derogari. Ita tamen, ut in quietam & pacificam poſſeſsionem authoritate Regia immittatur, iis etiam ad officium & obſequia debita praeſtanda adductis, ſi qui fortaſſe forent, qui ea praeſtare detrectarent.

Profitetur ea quoque curatione atque adminiſtratione ſic uſurum eſſe, ne quid Pactis & conditionibus, quibus hic Ducatus Pruſſiae olim a Divo SIGISMUNDO ad Illuſtrem quondam D. ALBERTUM D. ALBERTI FRIDERICI Patrem delatus fuit, decedat, Juribus S. M. Regiae, & Regni in eodem Ducatu ſemper ſalvis permanentibus. Quibus per hanc curationem, & Ducatus adminiſtrationem nullum afferri vult praejudicium, quin potius

eniti

ANNO 1577. eniti vult, ut Regalia omnia omni tempore adminiſtrationis Ducalis, gubernationis atque regiminis ſui pro virili parte ſua ſarta, tecta conſervet.

Praeſtabit quoque Juramentum, quod Lublini Dux ALBERTUS FRIDERICUS praeſtitit, ea forma, ſicut id nuper Vladislaviae declaratum eſt, & per Legatos Regios Celſitudini ejus ſub Sigillo Regni oblatum.

Omnes quoque, qui juxta Pacta Conventa jurare tenentur ad praeſtandum juramentum ſolitum de conſervanda in illo Ducatu Regis & Regni Poloniae Majeſtate, jure & Regalibus adiget.

Quod Sacra Majeſtas Regia Illuſtriſſimo D. Duci ALBERTO FRIDERICO nunc in ea infirmitate valetudinis conſtituto, jus integrum & ſalvum conſervat, in illum caſum, ſi unquam ille Dei beneficio ad priſtinam valetudinem reſtitutus fuerit, vel liberos maſculos Haeredes ſuſceperit, id tanquam per ſe aequiſſimum Illuſtris Princeps Marchio ſe ſervaturum promittit. In quo Articulo Sacra Majeſtas Regia clementiſſime Illuſtritati ipſius cavebit. Quod neque in caſum mortis Illuſtriſimi Principis D. D. ALBERTI FRIDERICI, neque in eventum ſuſceptorum Liberorum maſculorum ad Inveſtituram aliam, novorumque onerum praeſtationem Illuſtriiſsim. Princeps GEORGIUS FRIDERICUS adſtringi debet, neque adminiſtratio illa interrumpi, priusquam Haeredes illi ad legalem aetatem pervenerint.

Neque minus juſtum eſſe cenſet, ut eidem Principi ALBERTO FRIDERICO hac affecto valetudine, omnibus ad victum, veſtitum & corporis cultum reliquum ſpectantibus pro dignitate, juxta voluntatem S. Majeſtatis Regiae, per Legatos expoſitam, provideatur.

Item ut Illuſtriſſimae D. Duciſſae jura ipſius integra & ſarta, tecta, quod ad rationes dotalitiorum & donationem propter nuptias ſpectat, conſerventur.

Quae omnia Illuſtriſsim. Princeps Marchio, tanquam conditiones aequiſſimas ſe expleturum eſſe pollicetur.

Promittit quoque quoties ad Ducatus ſuos haereditarios ex Pruſſia diſcedere neceſſe habuerit, ſe ex Indigenis Regni, hoc eſt vel ſubditum Majeſtatis Regiae ex Polonia, Pruſſia, vel aliis Regni Poloniae ditionibus, ex externis vero Regionibus neminem, niſi Jus Civitatis Regni habentem, Adminiſtratorem ſive Locumtenentem conſtituturum, eundemque de conſervandis & retinendis in eo Ducatu Regis & Regni Majeſtatis jure & Regalibus ſecundum Pactorum rationem juramento obſtricturum eſſe. ANNO 1577.

Neque ad Praefecturas arcium ſe quenquam alium, niſi Indigenam Regni, Ducatuum & Ditionum, ſive Jus Civitatis Regni habentem, admiſſurum eſſe, eundemque ſolenni juramento pro eorundem Pactorum ratione ex conſuetudine devinctum, inque iis omnibus ea, qua decet, fide juri Majeſtatis Regiae, & Regni fideliter perſpecturum.

Permutationem & ceſſionem arcis Memela quod attinet, adfert Illuſtriſſimus Princeps Marchio multas cauſas, quibus innixus S. Majeſtatis Regiae voluntati aſſentiri, eamque in poteſtatem & gubernationem Regis & Regni tradere ſibi integrum eſſe negat. Cum itaq; in eo perſiſtit, ad alloquium mutuum Illuſtriſſimi Principis cum Majeſtate Regia hic Articulus eſt reiectus.

CCLXXI.

Regia Majeſtas Anſbachio ſignificat diem & locum Comitiorum. Dat. Marienburgi d. 15. Decembr. Anno. 1577. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. W. fol.* 205.

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniae &c. Illuſtris Princeps Domine Affinis noſter chariſſime. Quae in negotio curationis Ducatus in Pruſſia conſtituerimus, credimus iam Illuſtritatem Veſtram intellexiſſe, & plenius deinceps, cum Oratores Illuſtritatis Veſtrae ad eam revertentur, intellecturam. Cum igitur ejus rei ad effectum perducendae ratio in adventu Illuſtritatis Veſtrae Varſoviam ad Comitia Regni poſita ſit, hortamur Illuſtritatem Veſtram, ut ad ea venire maturet. Inchoabuntur ea ad diem XIV. Ianuarii, & ſeptimanis ſex deinceps continuabuntur. Commodius tamen erit adventum Illuſtritatis Veſtrae in ipſam prorſus concluſionem Comitiorum non incidere. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Marienburgi die XV. Menſis Decembris, Anno Domini MDLXXVII. Regni vero noſtri Anno ſecundo.

STEPHANVS Rex.

CCLXXII.

Plenipotentia ab Electore Brandeburgenſi Nuntiis ipſius ad accipiendam Renovationem ſimultaneæ Inveſtituræ Ducatus Pruſſiæ data. Coloniæ 8. Jan. 1578. 1578.

ANNO 1578. 1578. *Ex Archivo Regni Libr. Legat Litt. W. fol. 279.*

Nos IOANNES GEORGIUS Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius & Elector, Pruſſiae, Stetinenſium Pomeranorum, Caſſuborum, Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnae Dux, Burggravius Norimbergenſis, & Princeps Rugiae. Omnibus & ſingulis, quorum intereſt, teſtatum facimus. Cum Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps ac Dominus STEPHANUS Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podlachiae, Livoniaeque &c. nec non Princeps Tranſylvaniae, Dominus & Affinis noſter obſervandus, propter triſtem invaletudinem, qua chariſſimus Agnatus & Filius noſter Dominus ALBERTUS FRIDERICUS Dux Pruſſiae & Marchio Brandeburgenſis ita conflictatur, ut adminiſtrando ei Ducatui parum idoneus habeatur, curam & gubernationem Ducatus Pruſſiae Dilecto Agnato & Affini noſtro Domino GEORGIO FRIDERICO Marchioni Brandeburgenſi in Onoltzbach, tanquam proximo Agnato et Succeſſori, publico Decreto commiſerit, et ſolenni inauguratione in Comitiis Regni Univerſalibus, Varſoviae indictis, tradere et tribuere conſtituerit. Atque Nos etiam ratione ſimultaneae Inveſtiturae, quam Nos ac Haeredes noſtri maſculi in Electoratu ſucceſſuri, continua ſerie ipſo Boruſsiae Duce, Agnato et Affine noſtro, Domino GEORGIO FRIDERICO Marchioni Brandeburg. etc. et horum Haeredibus maſculis intercedentibus (quorum ſeriem longiſsimo tempore Deus feliciter conſervet) Inclyti Regni, ac Sereniſsimorum Regum Polonia beneficio in Ducatu illo Pruthenico impetravimus ac habemus, eo ſimul evocaverit, (quam Regiam benignitatem gratioſiſsimo ſtudio accepimus) quod ad conſervandum et confirmandum jus noſtrum ad Comitia illa Varſavienſia miſerimus Conſiliarios noſtros, fideles Nobis dilectos, Nobiles et Magnificos Viros, Dominum Abrahamum a Grunenbergk Ducatus noſtri Croſnae Praefectum, et Commendatorem in Zagaw, et Dominum Chriſtophorum Meyenburgium, atque his utriſque ſimul et ſingillatim integram et plenam poteſtatem dederimus, nomine et loco noſtro a Serenitate Regia Renovationem ſimultaneae Inveſtiturae Ducatus Pruſsiae, ordine ſupradicto petendi, ac impetrandi, hancque in ſolenni actu, ſi in publico loco is inſtituatur, per contactum Regii Vexilli feudalis, aut ſi Serenitati Regiae ita viſum fuerit, in Conclavi apprehenſione gladii, vel quibuſcunque aliis ceremoniis is celebrabitur, ſuſcipiendi, ſeſe noſtro nomine ad ſervanda Pacta offerendi, atque omnia ea faciendi, quae mores & conſuetudo Regiae Curiae exigent. Quod ſi Legatis noſtris, aut alterum horum (id quod Deus clementer avertat) quid humanitus contigerit, aut ejusmodi ipſis impedimenta objecta fuerint, quae eos a negotiis obeundis excludant, poteſtatem illis fecimus alios ſubſtituendi & ſurrogandi, qui rei interſint, et loco ipſorum conficiant. Atque damus, tribuimus et largimur nominatis Legatis ad praedicta omnia peragenda hiſce Literis noſtris plenam ac integram poteſtatem, meliori omni forma, via ac modo, quo de jure, aut Regiae Aulae Poloniae conſuetudine, optime id fieri poteſt, atque cum omnibus clauſulis neceſſariis et ſalutaribus, quae requiri poſſent, ac ſi expreſſis verbis illae inſertae fuerint. Quin etiam ſi in tractatione rerum ea ſe obtulerint, quae ſpeciale Mandatum et auctoritatem noſtram requirere videbuntur, hanc quoque ipſis tribuimus, non minus ac ſi expreſſa illa eſſent, quanta omnino ſingulis in rebus opus habebunt. Quæcunque autem a Legatis noſtris in hoc negotio, quae ad rem pertinebunt, et ex uſu noſtro erunt, geſta et acta fuerint, ea omnia, qua Principem beneficiarium decet fide, praeſtare, et fideliter implete pollicemur, promittimus atque recipimus. In quorum omnium et ſingulorum praemiſſorum fidem, firmiusque et evidentius teſtimonium praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillum majus noſtrum apponi curavimus. Datae ex Arce noſtra Coloniae ad Spream octava Januarii, Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo. ANNO 1578.

HANS GEORG
Kürfürſt. *mppr.*

CCLXXIII.

Petitio & Gratiarum Actio Illuſtris Domini JOACHIMI *Electoris Brandeburgenſis, & Filii ejus* JOANNIS GEORGII *per Nuntios in Theatro habita.* Varſaviæ in Comitiis Generalibus d. 27. Februarii Anno 1578. *Ex Archivo Regni Libr. Legat. Lit. V. fol. 276.*

Se-

Anno 1578.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,
Clementiſſime Princeps ac Domine.

Quid a Sacra Majeſtate Veſtra, Statibusque Regni Illuſtriſſimi Principis Electoris Brandeburgenſis, & Celſitudinis ſuæ dilectiſſimi Filii verbis ac nomine de ſimultanea Ducatus Pruſſiæ Infeudatione ſuperioribus ſeptimanis Nos quoque ſumma cum veneratione petiverimus, ejus & conſtantiſſimam & benigniſſimam recordationem ac memoriam eſſe tam non dubitatur, ut inter certiſſima potius habeatur ac referatur. Idem autem nunc etiam in hoc ſolenni ac publico Sacræ Majeſtatis Veſtræ Procerumque Conſeſſu, ad Regium hunc Majeſtatis Veſtræ Thronum procumbentes, ſuppliciter, veraque cum animi ſubjectione precamur. Quibus precibus noſtris ſi Majeſtas Veſtra cum Statibus clementiſſime annuere dignata fuerit, viciſſim Nobis a Principibus noſtris injunctum eſt, ut Celſitudinum ſuarum nomine ac loco gratitudinem illam, quæ Beneficiarium Vaſallumque decet, & Pactis præſertim conſentanea eſt, officioſiſſime ac fideliſſime deferamus, atque polliceamur. Quæ omnia cum ex auctoritate publica, & ex ſolennibus Principum noſtrorum mandatis tam generalibus, quam ſpecialibus faciamus, tanto majoris fuerint ponderis atque momenti. Quo nomine denuo nunc ſimultaneam Principum noſtrorum una cum cæteris inaugurationem ſupplici voce, ſummaque ac vera cum animi ſubmiſſione, devotione ac veneratione petimus, rogamus atque precamur.

Gratiarum Actio.

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps ac Domine, Domine longe Clementiſſime.

Cum a Sacra Majeſtate Veſtra, & ab ejusdem Inclyta Corona in hac ſimultaneæ Inveſtituræ collatione, ſummis & infinitis beneficiis noſtri quoque Principes benigniſſime affecti ſint, deberi ab ipſis gratitudinem perpetuam & publicam ejusdem teſtificationem merito agnoſcimus atque fatemur. Proinde & gratias Celſitudinum ſuarum verbis ac nomine ſedulo nunc agimus: ac eas quidem cum immortales ac infinitas, tum & vera cum animi ſinceritate ac veneratione conjunctas. De reliquis vero gratitudinis partibus, quod & illas Celſitudines ipſorum ſumma cum animi promptitudine ac obſervantia, quovis tempore ac loco pro Pactorum præſcriptis, formis atque rationibus præſtituræ ſint, Celſitudinum ſuarum verbis ac nomine juxta ſolennia ipſorum tam ſpecialia, quam generalia mandata recipimus, promittmus atque ſpondemus. Sed oramus inſuper & Nos etiam Æternum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut Inauguratio hæc felix fauſtaque ſit, & cedat imprimis cum ad Nominis Divini gloriam ſempiternam, tum & Majeſtatis Veſtræ, Procerumque Regni hujus, & noſtrorum etiam, conjunctorumque Principum ſalutem, dignitatem ac incrementa.

CCLXXIV.

Diploma Stephani *Poloniæ Regis, quo conceditur* Georgio Friderico *Curatio Ducatus Pruſſiæ,* Alberto *infirma mentis ægritudine affiictante: & in caſum, quo is ſine prole maſcula decederet, Inveſtitura illi confertur, cum futura ſucceſſione cæterorum Principum ex familia Brandeburgica.* Datum Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 3. Martii Anno 1578. *Ex Archivo Regni Libr. ſub Litt. SX. num 176.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Stephanus D. G. Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniæ, Princeps Tranſylvaniæ. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis. Quod cum antea jam magnis ex cauſis adducti, imprimis autem afflicta ipſa mentis ægritudine Illuſtris Principis Domini Alberti Friderici in Pruſſia Ducis, Affinis noſtri chariſſimi, faciendum Nobis eſſe de Conſilii noſtri ſententia exiſtimaviſſemus, ut Illuſtrem Principem Dominum Georgium Fridericum Marchionem Brandenburgenſem, Affinem etiam ipſum noſtrum chariſſimum, quem alioqui & Illuſtri Domino Alberto Friderico genere proximum eſſe, & propter ſimultaneam ad Ducatum Pruſſiæ Inveſtituram proximum ſucceſſionis jus ad eum Ducatum habere, Nobis etiam, Regnoque noſtro optime velle ac cupere intelligebamus, Curatorem præfati Principis Domini Alberti Friderici &c. & Gubernatorem Ducatus

Anno 1578. catus Pruſſiæ cum titulo Ducis, & præeminentia ex auctoritate noſtra conſtitueremus, quemadmodum ſane ea omnia abunde Literis ipſis noſtris Decreti Mariemburgenſis, quod ſuper ea re Illuſtri Domino Georgio Friderico Marchioni dedimus, extant comprehenſa. Cumque ea curatio & gubernatio conditionem eam inter cætera adjunctam haberet, ut Nobis Illuſtritas ejus juramentum feudale verbis præſcriptis ſolennibus præſtare teneretur, ejuſq; juramenti præſtandi gratia ipſa coram in his Regni Comitiis Varſchovien. in propria perſona adeſſet, ac die certo ad eam rem conſtituto, qui fuit vigeſimus ſeptimus Menſis Februarii, in loco publico & theatro, ſub dio ex tempore excitato, Inveſtituram a Nobis petiviſſet, jusjurandumque Nobis ſolenni ritu ac cerimonia præſtitiſſet, Nos ex conſilio Senatorum noſtrorum, lateri noſtro aſſidentium, Pacta vetera in omnibus & ſingulis conſervando, ex iisdem illis cauſis, quibus ad concedendam Illuſtritati ipſius curationem & gubernationem ſupradictam adducti olim fuimus, tunc quoque Illuſtritatem ejus animo quidem perlubenti ad terras, civitates, oppida & arces feudalis Ducatus in Pruſſia inveſtivimus, & præſentium Literarum noſtrarum tenore inveſtimus, ea ratione, ut Illuſtritas ejus, ſub hac Illuſtris Alberti Friderici Ducis invaletudine, prædictas terras, civitates, oppida & arces teneat, juxta ſeriem & continentiam Decreti noſtri prædicti, videlicet, ut quoad Illuſtris Dominus Albertus Fridericus in Pruſſia Dux, cujus juri nihil derogatum volumus, in ea, qua nunc eſt, invaletudine perſeveraverit, aut liberos quidem maſculos ſuſceperit, donec illi ad legitimam ætatem pervenerint, Illuſtris Dominus Georgius Fridericus Marchio, tanquam Curator ipſius Ducis & Gubernator Ducatus, cum titulo & præeminentia Ducis, Ducatum ipſum teneat illis conditionibus, quas Decretum noſtrum latius explicat. * Quod ſi vero præfatus in Pruſſia Dux in ea ægritudine ſine Hæredibus maſculis legitimis feudi Succeſſoribus deceſſerit, vel ejus legitimi maſculi feudi Hæredes non relicta prole virili deceſſerint, ut tunc ſuo jure, vigore veterum & hujus noſtræ Inveſtituræ, prædictus Illuſtris Dominus Georgius Fridericus Marchio Ducatum illum Pruſſiæ in feudum a Nobis & Regno noſtro retineat. Eo igitur modo Illuſtri Domino Georgio Friderico Marchioni Brandeburgenſi, ejuſque Hæredibus maſculis legitimis feudi Succeſſoribus, in perpetuum & indiviſum feudum omnes Ducatus Pruſſiæ terras, civitates, oppida & arces, videlicet arcem Konigsberg cum tribus civitatibus, item arces & oppida Lohſtetten, Wargen, Germaw, Pubeten, Rudau, Schokeren, Caimen, Kremitten, Waldaw, Tapiaw, Taplawken, Nazkieten, Inſterburgk, Allenburgk, Wonsdorff, Gerdawen, Angerburgk, Nardenburgk, Labiaw, Laukiſchen, Tilſet, Ragnet, Roſitten, Wienthbergk, Mimmel, Brandenburgk, Creutzburgk, Frideland, Dominaw, Bartenleczen, Balge, Heiligenbeil, Czinten, Landspergk, Preuſchelaw, Bartenſtein, Schenſtein, Sehnsburgk, Rein, Raſtenburgk, Lick, Straddun, Johannesburgk, Holland, Liepſtalt, Mulhuſſen, Morungen, Paſſenhein, Ortelsburgk, Hoſterrode, Hoenſtein, Neidenburgk, Szoldaw, Pilgerburgk, Schippenbeill, Deutſcheilaw, Preusmarckt, Libmuel, Salfeldt, Rilzenburgk, Marienwerder, Firenberg, Labiaw, Schonberg, Porounden, Georgenburgk, Rozenbergk, Gardenzee, Neuhaus, Freiſtadt, Salan, Fishauſen, Biſzofswerder, Medenaw, cum omnibus & ſingulis ſubditis, vaſallis, fructibus, dominiis, ſuperioritatibus, libertatibus & juribus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, manſis, curiis, molendinis, molendinorum locis, cenſibus, vectigalibus, reditibus, theloneis, ſervitiis, feudis ſpiritualibus & ſæcularibus, lacubus, fluminibus, piſcationibus, aquis, aquarum decurſibus, ferarum luſtris, ferarum meatibus, venationibus, ſylvis, nemoribus, paſcuis, pratis, actibus etiam, cum omnibus metallis, quæ modo ſunt, ſeu in futuro fieri poſſunt, auro, argento, cupro, ſtanno, plumbo & ſalinis, ſupra & ſubtus terram, ſimiliter una cum omnibus & ſingulis juribus, eminentiis & pertinentiis univerſis, nullis penitus exceptis, ſicuti ejusmodi Terras quondam Magiſtri Generales & Ordo habuere, & uſque ad Ducem in locum Magiſtrorum creatum, uſu & fructu tenuerunt, in poſterum perpetue & hæreditarie, in commune & individuum feudum tenendas, fruendas, utendas & poſſidendas. Ubi vero & Illuſtris Dominus Albertus Fridericus nunc ægrotus, & ipſe Dominus Georgius Fridericus, Marchiones & Duces in Pruſſia, ſine legitimis feudi Hæredibus maſculis, vel eorum Hæredes poſt eorum obitum, ſine legitimis maſculini generis feudi hæredibus ex humanis concederent, dictæ terræ, civitates, oppida & arces ad Illuſtriſſimum Principem Dominum

* Vide ſupra pag. 384. ſub Num. CCLXIX.

ANNO 1578.

minum JOANNEM GEORGIUM Marchionem Brandenburgenſem, Sacri Romani Imperii Archicamerarium & Electorem, cujus Oratores in hac Inauguratione, & Renovatione feudi, ex ſingulari Divi SIGISMUNDI AUGUSTI Anteceſſoris noſtri, noſtraque gratia & benignitate ad vexilli contactum admiſimus, & ad Illuſtrem Principem Dominum JOACHIMUM FRIDERICUM Adminiſtratorem Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Marchionem Brandenburgenſem, Illuſtritatis eius Filium, Succeſſoresque maſculos ex lumbis ejus procedentes, & in Electoratum ſuccedentes; ita tamen, ut poſteaquam alicui ex eis aperiretur ſuo ordine feudum Ducatus in Pruſſia, ne per aſſecutionem priorem Electoratus aliqua in re præjudicaret juri noſtro & Regni noſtri, quod habemus legitime hæreditarium ad Terras Pruſſiæ derivari & devolvi debent. Nec non hac etiam ſpeciali cautione adjecta, ne per hanc noſtram admiſſionem Oratorum Illuſtritatum ſuarum ad contactum vexilli, caſſationi, per D. SIGISMUNDUM AUGUSTUM adprobatæ, Commiſſariorum ejus Majeſt. juramenti præpoſtere, illius Majeſtate inſcia, a ſubditis Ducatus Pruſſiæ exacti, de quo tunc Majeſtas ejus una cum Ordinibus Regni fuit proteſtata, aliquid omnino derogetur, ſed ſalvum jus noſtrum remaneat. Ita, quod dictæ terræ, civitates, oppida & arces, ubi divina ordinatione ejusmodi caſus futuris temporibus acciderent, de uno in alium, & eorum legitimos feudi Hæredes maſculos illo ipſo ordine, qui ſuperius expreſſus eſt, cedant & devolvantur, ſine noſtro, Hæredumque & Succeſſorum noſtrorum Regum & Regni noſtri Poloniæ impedimento & præjudicio. Ea ratione, ut quoties ſe obtulerit ejusmodi caſus devolutionis de uno in alium, prædictos Marchiones, & eorum legitimos feudi Hæredes maſculos, debebunt illi, & quiſque eorum debebit Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus ac Regno Poloniæ infra tempus debitum ac legitimum, debitam ſubjectionem & feudi obligationem ac homagium præſtare. Quodſi prædicti Marchiones, divina voluntate ſic diſponente, ſine maſcula prole feudi Hærede legitima, ex lumbis eorum ordine ſupraſcripto procedente, aut eorum hujusmodi proles ſimiliter ſine maſculo feudi Hærede legitimo, ex lumbis eorum procedente, decederet, tunc omnes & ſingulæ terræ, civitates, oppida, bona & arces ſupraſcriptæ ad Nos, & Succeſſores noſtros Reges & Regnum Poloniæ, ſine omni impedimento & contradictione, devolvi debent & redire. Debebit item ipſe Illuſtris Dominus Marchio & Dux in Pruſſia, ejusque prænominati Succeſſores & feudi Hæredes, pro hac noſtra in ſe beneficentia, Nobis & Regno noſtro tale obſequium præſtare. Quod ubi ratione hujus concordiæ & conceſſione feudi a quocunque, cujusvis eminentiæ & conditionis Principe ſeu Potentatu impeteremur, aut Succeſſores noſtri impeterentur, tenebitur ipſe Illuſtris D. Marchio & Dux in Pruſſia, aut ejus prædicti feudi Succeſſores Duces in Pruſſia, in propria Perſona Nobis & Regno noſtro ubique, una cum omnibus ſuis ſubditis, pro ſummis viribus adeſſe. Quod viciſſim Nos, & Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniæ in eodem caſu facere debebimus & debebunt. Ubi autem contingeret, quod Nos, vel Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniæ, altera quavis ex cauſa, tam ab infidelibus, quam a quocunque alio impeteremur, & ipſi in propria Perſona ad bellum cum ſubditis noſtris proficiſceremur, aut Succeſſores noſtri proficiſcerentur, debebit dictus Illuſt. Dominus Marchio & Dux in Pruſſia, & ejus prænominati feudi Succeſſores Duces in Pruſſia, Nobiſcum cum centum equitibus armatis proficiſci, & intra limites Terrarum Pruſſiæ Nobis ſervire. Quodſi educere extra terminos Pruſſiæ illum, aut ejus Succeſſores Duces in Pruſſia cum ipſo equitatu voluerimus, aut Succeſſores noſtri voluerint, debebimus & Nos, & Succeſſores noſtri ad eosdem centum equites ſtipendium tale præbere, quale dare aliis noſtris mercenariis equitibus eſt ſolitum. Ubi vero Nos vel Succeſſores noſtri vellemus ipſum Dominum Marchionem, aut ejus nominatos poſteros Nobis & Succeſſoribus noſtris majori comitatu ſervire, debebimus Nos & Succeſſores noſtri his omnibus militibus, quos ultra centum prædictos conducere poſſet, mox poſt egreſſum a domibus ipſorum ſtipendium, quod noſtris militibus dabitur, illis, quamdiu ſervient, perſolvere. Si autem plures quam centum prædictos equites ipſe Illuſtris Dominus Marchio, aut ejus Succeſſores Duces in Pruſſia educere non poſſent, non debebimus Nos, aut Succeſſores noſtri ab illo, aut poſteris ejus Ducibus in Pruſſia plura exigere. Præterea non debebit ipſe Illuſtris Dom. Marchio, & ejus prænominati feudi Succeſſores Duces in Pruſſia quidquam ex terris, civitatibus, oppidis, arcibus & bonis prædictis vendere, verum ſi ad hoc illum, aut Succeſſores ejus ingens urgeret neceſſitas, tenebitur Nobis & Succeſſoribus noſtris, tanquam

ANNO 1578.

ANNO 1578.

nis ſuis hæreditariis, ante omnia denuntiare. Quodſi Nos ipſi emere non curaverimus, aut Hæredes et Succeſſores noſtri non curaverint, in hoc caſu poſtea ipſe Dominus Marchio & Dux in Pruſſia, aut ejus legitimi Feudi Hæredes ſeu Succeſſores, cuicunque voluerint, vel poterint, liberam vendendi habebunt facultatem, Regalibus tamen noſtris, feudi & obſequiorum juribus ſemper ſalvis remanentibus. Poterit autem ipſe Dux in Pruſſia, & ejus feudi Hæredes, ubi eos neceſſitas urgens premeret, ex bonis prædictis, quantum opus foret, impignorare ſuis duntaxat vaſallis & ſubditis, ut eadem bona unita & indiviſa permaneant. Quæ omnia ſupraſcripta, & quæcunque alia, quæ Vaſallus & feudalis Princeps erga ſuum naturalem, hæreditarium ac ſuperiorem Dominum præſtare ac obſervare tenetur, debebit ipſe Illuſtris Dominus Marchio & Dux in Pruſſia, ac ejus feudi Hæredes legitimi Succeſſores firmiter & inviolabiliter adimplere, Nosque viciſſim illum & Succeſſores ejus omni gratia & favore Regio complecti, ac illos in juribus & immunitatibus ipſorum conſervare, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniæ pollicemur. In quorum omnium fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum appendi juſſimus, & manu noſtra præſentes ſubſcripſimus. Datum Varſchoviæ in Conventione Regni noſtri Generali die 3. Menſis Martii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Regni vero noſtri Anno ſecundo. Præſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis & Generoſis: Petro Myſzkowſki Cracovienſi, Stanislao Karnkowſki Cujavienſi, Petro Dunin Wolſki Plocenſ. Victorino Wierzbicki Luceorienſi, Alberto Sobieſki, Premislienſi, Adamo Pilichowſki Chelmenſ. Melchiore Giedroyć Samogitiæ, Epiſcopis; Petro de Zborow Palatino & Capitaneo Generali Cracovienſi, Stanislao Comite de Gorka Poſnanienſi, Buſcenſi ac Colenſi, Nicolao Radziwił Vilnenſi, Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellario, Duce in Dubinki ac Bierze, & Exercituum ſupremo Capitaneo, Caſparo Zebrzydowſki Caliſſienſi, Euſtachio Wołowicz Caſtellano Trocenſi, Magni Ducatus Lithuaniæ Vice-Cancellario, Brzeſtenſ. Cobrinienſique, Joanne Sierakowſki Lancicienſi, Hieronymo Siemiarowſki Ruſſiæ, Halicienſ. Colonienſique, Andrea Wiſniewiecki Volhiniæ, Nicolao Mielecki de Mielecz Podoliæ, Novæ Civitatis Korczyn Grodecenſique, Joanne Tarło de Szczekarzowice Lublinenſi, Pilſnenſique, Nicolao Drohoſcayſki Polocenſi, Wołkovienſ. Lepelenſique, Andrea Comite de Tenczyn Belzenſi, Ducatuum Oſwiecimenſis, Zathorienſ. & Hrubieſchovienſis, Nicolao Kiſzka de Ciechanowiec Podlachiæ, Drohicenſ. Bielſcenſique, Anshelmo Goſtomſki Ravenſi, HawreloHornoſtai Breſtenſi in Lithuania, Joanne *Dzialyńſki* Culmenſi, Brathianenſique, Palatinis; Stanislao Szaphraniec de Pieſkowaſkała Sandamirienſ. Lelovienſique, Joanne Comite de Tenczyn Woynicenſi, Lublinenſi, Parczovienſi, & Cubiculi noſtri Præfecto, Andrea Dębowſki Siradienſi, Lencicienſique, Paulo Szczawińſki Lencicienſi, Sochaczovienſique, Nicolao Herborth de Fulſtin Leopolienſi, Samborienſique, Michaële Myſzka Vołhyniæ, Andrea Firley de Dąbrowica Lublinenſi, Sandomirienſique, Sigismundo Czyzowſki Belzenſi, Gregorio Zieleńſki Plocenſi, Zakroczimenſi, Alexandro Łaſzcz Czernenſi, Chelmenſique, Nicolao Firley de *D*ambrowica Ravenſi, Joanne Dulſki Culmenſi, Branſcenſi, Rogoſnenſi, Suracenſique, Nicolao Firley de *D*ambrowica Biecenſ. Caſimirienſique, & Curiae noſtrae Referendario, Petro Kloczewſki Zawichoſtenſi, Małogoſtenſi, Jacobo Kokoſzewſki Srzemenſi, Oſtrzeſovienſique, Joanne Sienieńſki Zarnovienſi, Joanne Chriſtoporſki Vielunenſi, Joanne Sienieńſki Halicienſi, Joanne Fredro Sanocenſi, Januſſio Grodzieńſki Naklenſi, Simone Subſki Inovlodenſi, Goſtinenſique, Stanislao Goſtomſki Sochaczovienſi, Ravenſique, Alberto Ręczayſki Varſchovienſi, Alberto Kraſnicki Sierpenſi, Mathia Cybulſki Viſchegradienſi, Caſtellanis; Andrea Opalińſki Regni noſtri Marſchalco, Rohatinenſi, Srzemenſique, Joanne Zamoyſki de Zamośćie Regni noſtri Cancellario, Belzenſi, Kniſſinenſi, Zamechenſique, Joanne Bornkowſki de Bielmo Regni noſtri Vice-Cancellario & Praepoſito Lancicienſi, & Decano Varſchovienſi, Hieronymo Buzeńſki Theſaurario Regni, Krzeczovienſi, Brzeznicenſique, Laurentio Woyna Theſaurario M. Ducatus Lithuaniae, Andrea Zborowſki Curiae noſtrae Marſchalco, Radomienſi Capitaneo, Hieronymo Rozrazewſki Majore Secretario, et Praepoſito Plocenſi, Stanislao Oſſowſki Curiae noſtrae Referendario, Cantore Gneſnenſi, Praepoſito Sandomirienſi, et Canonico Cracovienſi, Laurentio Goslicki Decano Kielcenſi, Cantore Plocenſi, Cracovienſique Canonico, Joanne Demetrio Solikowſki Scholaſtico Lancicienſi, Vladislavienſique Canonico, Secretariis noſtris;

Anno 1578. ſtris, & aliis quam plurimis ad praemiſſa fide dignis Teſtibus. *Datum* per manus Magnifici Joannis Zamoyſki de Zamoſcie Regni Poloniae Cancellarii, Belzenſis, Kniſſinenſis, Zamechenſiſque etc. Capitanei, ſincere Nobis dilecti.

STEPHANUS Rex.

Has Regias eaſque tranſumptas Literas cum Originali, juſſu ac voluntate Principis etc. *Vide ſupra pag. 382.*

CCLXXV.

Proteſtatio Nuntiorum terreſtrium contra ſucceſſionem Familiæ Electoralis Brandeburgicæ in Ducatu Pruſſiæ. Varſaviæ d. 3. Mart. An. 1578. *Ex Originali*

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, nec non Princeps Tranſilvaniæ. &c. Significamus noſtris hisce Literis univerſis et ſingulis, quorum intereſt. Quod poſteaquam ob valetudinem afflictam Illuſtris Principis Domini ALBERTI FRIDERICI in Pruſſia Ducis &c. Affinis noſtri chariſſimi Curatorem illi & Ducatus Pruſſiæ Gubernatorem Illuſtrem Principem Dominum GEORGIUM FRIDERICUM Marchionem Brandeburgenſem, Ducis ipſius Patruelem, Affinem etiam noſtrum chariſſimum, deliberatione cum Senatu noſtro ea de re primum Vladislaviæ, deinde in Conventu Varſavienſi habita conſtitueremus, atq; is huc Varſaviam ad præſentem General. Regni Conventum in propria perſona veniens die vigeſima ſeptima menſis Februarii in loco publico in theatro, ſub dio ad eam rem extructo, verbis præſcriptis Nobis juramentum feudale præſtaret, & Inveſtituram a Nobis peteret, ad eumque actum & ad contactum Vexilli feudalis Oratores Illuſtriſſimi Domini IOANNIS GEORGII Marchionis Brandeburgenſis, Sac. Romani Imperii Archicamerarii & Electoris, ejusq; Filii Illuſtris Principis Domini IOACHIMI FRIDERICI Adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Marchionis Brandeburgenſis, quibus cum eorum maſculis Hæredibus ius ſucceſſionis in feudo Pruſſico a Sereniſſimo Rege SIGISMUNDO AUGUSTO Anteceſſore noſtro conceſſum fuerat, vigore conceſſionis eiusdem accepiſſent, ibi tum Nobis in præparato ad id tribunali ac ſede Regia cum inſignibus Regni conſidentibus Generoſi Stanislaus Przyiemſki ex majori Polonia, & Nicolaus Sieminſki Succamerarius Chełmenſis ex minori, Nuntii ad præſentem Varſavienſem Conventum a Nobilitate una cum reliquis aliis miſſi, in perſonis propriis coram Nobis & Corona aſſidentis Nobis Senatus conſtituti, ſuo & collegarum ſuorum omnium Terrarum Regni Legatorum ſeu Nuntiorum ad præſentem Conventum miſſorum nomine proteſtati ſunt, ſe præfatæ Illuſtriſſimi Domini Marchionis Electoris ejusque Filii ſucceſſioni in feudum Pruſſicum non aſſentiri, imo nomine univerſi Ordinis Equeſtris, quem repræſentarent, contra illam proteſtari. Idque eam ob cauſam: quod hæc ipſa ſucceſſio ultra primævam feudi in Pruſſia inſtitutionem, a Rege SIGISMUNDO Primo factam, introducta fuiſſet. Nam quod jus ejus ſucceſſionis ex Sereniſſimi Regis SIGISMUNDI AUGUSTI nova conceſſione Illuſtriſſimo Domino Electori & Domui ipſius facta, prætenderetur, in eam conceſſionem Ordines, ac præſertim Equeſtrem, nunquam conſenſiſſe, invitoq; & inſcio illo eſſe factam, ac proinde Ordinem eundem Equeſtrem eam non agnoſcere, neque ratam habere velle, deq; ea re in publico iſto actu ſolenniter proteſtari. Quam proteſtationem eo modo nomine Equeſtris Ordinis factam ſuperius nominati Stanislaus Przyiemſki & Nicolaus Sieminſki petierunt a Nobis admitti, quod illis a Nobis eſt permiſſum, proteſtatioq; eorum a Nobis ſuſcepta, & hiſce autenticis literis ad futuri temporis memoriam conteſtata. In cujus rei fidem evidentiorem literas easdem ſigillo Regni muniri mandavimus. Datum Varſaviæ in Conventu Regni Generali die tertia menſis Martii Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Regni vero noſtri Anno ſecundo. Præſentibus Reverendis, Reverendiſſimis, Magnificis & Generoſis, Petro Myſzkowski Cracovienſi, Stanislao Karnkowski Cujavienſi, Petro Dunin Wolſki Plocenſi, Victorino Wierzbicki Luceorienſi, Alberto Sobieſki Premyzlienſi, Adamo Pilchowſki Chelmenſi, Melchiore Giedroyc Samogitiæ, Epiſcopis; Petro de Zborow Palatino & Capitaneo Generali Cracovienſi, Kamionacenſique & Stobnicenſi, Euſtachio Wołowicz Caſtellano Trocenſi, Magni Ducatus Lithuaniæ Vicecancellario, Breſtenſi, Cobrinenſiq; Capitaneo, Hieronymo Sieniawſki Ruſſiæ, & Capitaneo Halicienſi, Nicolao de Mielec Podoliæ & Capitaneo Novæ Civitatis Korczyn, Ioanne Sierakowſki Lancicienſi, Ioanne Tarło de Szczekarzowice Lublinenſi, & Capitaneo Pilsnenſi, Andrea Comite in Thenczyn Belzenſi, Oſwieczimenſi, Zatorienſi, Hrubieſſovienſique Capitaneo, Anzelmo Goſtomſki Ravenſi, Palatinis; Stanislao

Anno 1578. niſlao Szafraniec de Pieſkowaſkała Sandomirienſi, Lelovienſi Capitaneo, Paulo Szczawinſki Lancicienſi, & Capitaneo Sochaczovienſi, Gregorio Zielinſki Płocenſi, & Capitaneo Zakrocimenſi, Alexandro Laſzcz. Cernenſi, & Capitaneo Chełmenſi, Andrea Firley de Dambrowica Lublinenſi, & Capitaneo noſtro Sandomirienſi, Stanislao Goſtomſki Sochaczovienſi & Ravenſi Capitaneo, Nic. Firley de Dambrowica Biecenſi, Curiæ noſtræ Referendario & Capitaneo noſtro Caſimirienſi, Stanislao Sierakowſki Landenſi, & Capitaneo Przedecenſi, Ioanne Dulſki Culmenſi, Rogoſnenſi, Branſcenſi, Surazenſique Capitaneo, Stephano Grudzinſki Naklenſi, Caſtellanis; Andrea Opalinſki de Bnin ſupremo Regni Mareſchalco, Rohatinenſi, Sremenſique Capitaneo, Hieronymo Buzenſki Theſaurario Regni Generali, & Capitaneo Brzeznicenſi, Laurentio Woyna Theſaurario Magni Ducatus Lithuaniæ, Pinſcenſique Capitaneo, Ioanne de Zamoſcie Cancellario Regni, Bełſenſi, Kniſzynenſique Capitaneo, Ioanne Bornkowſki Vicecancellario Regni, Præpoſito Lancicienſi, Decano Varſavienſi, & Cracovienſi Canonico, Hieronymo a Rozrazew Secretario majore, Præpoſito Plocenſi, Stanislao Oſſowſki Referendario Curiæ noſtræ, Præpoſito Sandomirienſi, Canonico Plocenſi, Laurentio Goslicki Decano Kielcenſi, Cantore Plocenſi, Cracovienſique Canonico, Secretariis noſtris; & aliis quam plurimis Dignitariis, Officialibus & Aulicis noſtris ad præmiſſa teſtibus fide dignis.

Ioannes Zamoyski
R. P. Cancellarius.

Joannes Karſki.

Relatio Magnifici Ioannis de Zamoſcie R. P. Supremi Cancellarii Bełzenſis Kniſzinenſisque Capitanei.

CCLXXVI.

Proteſtatio Legatorum Brandeburgenſium contra præcedentem proteſtationem. Datum Varſaviæ eodem die & Anno. *Ex Archivo Regni Libr. ſub Litt. SX. num. 176.*

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

Cum vigeſima hujus Menſis Februarii ad expoſitionem mandatorum noſtrorum in Ampliſſimum Regiæ Veſtræ Serenitatis & Regni Ordinum Senatum admiſſi eſſemus, & Illuſtriſſimorum Principum noſtrorum Electoris Brandeburgici ſuæque Celſitudinis dilectiſſimi Filii Domini Adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgenſis nomine Inveſtituram ſimultaneæ manus Ducatus Pruſſiæ, quæ Marienburgo huc per Regiam Veſtr. Serenitatem ex clementi ſuo reſponſo iſtic Nobis dato dilata fuit, petiviſſemus, vigeſima ſexta ejuſdem ex Commiſſione Veſtræ Regiæ Serenitatis per Reverendiſſimos & Magnificos Serenitatis Regiæ Senatores Dominum Epiſcopum Plocenſem, & Dominum Cancellarium, alioſque adjunctos nobis reſponſum fuit, Regiam Veſtram Serenitatem clementer, pro ſua erga Principes noſtros benevolentia, & pro jure illorum, petitioni ſuarum Celſitudinum acquieviſſe, velleq; ſub iisdem cautionibus & formis, quæ Lublini in proxima feudi Ducalis collatione interpoſitæ fuiſſent, Inveſtituram illam nobis largiri, debereque Nos ſequenti die, ſolennitati Inaugurationis dicato, Illuſtriſſimo Marchioni Georgio Friderico adeſſe, & cum Vexillum Regium ſuæ Celſitudini traderetur, poſteriorem ejus partem ex recepto, & ad Inveſtituras ejuſmodi conſequendas inſtituto more nomine noſtrorum Principum attingere. Anno 1578.

Cum non aliæ cautiones vel formæ Lublini obſervaræ nobis notæ eſſent, quam ut a Regia Veſtra Majeſtate in ſuggeſtu Regali Inveſtituram peteremus, eam per apprehenſionem Vexilli conſequeremur, & poſt debita cum obſervantia pro iſta collatione gratias ageremus, hæ ipſæ formæ in libro quodam conſcriptæ per Reverendiſſimam, & Magnificas Dominationes ipſorum nobis fuerunt demonſtratæ, neque alicujus vel leviſſimæ difficultatis, aut inſperati ſcrupuli ab ipſorum Dominationibus (quæ haud dubie pro ſua integritate eorum, quæ ſecuta ſunt, non fuerunt conſciæ) fuimus admoniti. Itaque de hac R. V. Serenitatis clementia, & Senatorum benevolentia erga Principes noſtros ipſarum Dominationibus tunc gratias egimus, recepimuſque nos dicto die ex R. V. Serenitatis quaſi præſcripto mandato ſimul cum Illuſtriſſimo Dom. Marchione R. V. Serenitati ad Majeſtatis Veſtræ thronum adſuturos, & quæ injuncta Nobis fuiſſent, ex Dignitate & Majeſtate R. V. Serenitatis debito cum honore confecturos. Prout non dubitamus, Regiam Veſtram Serenitatem, & Ordines omnes noſtræ ſubmiſſæ obſervantiæ teſtes maximos eſſe.

Cum autem in iſto Inveſtituræ actu ad traditionem Vexilli Regii Domino Marchioni factam, nobis quoque poſterior ejus

Anno 1578. ejus pars a Marſchalco Regio contrectanda daretur (quam etiam noſtrorum Principum nomine apprehendimus, & per intervallum juramenti præſtiti, nemine ne halitu quidem aut nutu nos impediente, retinuimus, eaque ratione juri noſtrorum Principum cavimus, & quod petebamus, conſecuti ſumus) auditos poſtea eſſe nonnullos nobis relatum eſt, qui Nuntiorum Terreſtrium Equeſtris Ordinis, & Conſiliariorum nomine jus Illuſtriſſimi Electoris Brandeburgici, & ſuæ Celſitudinis Filii in Ducatu Pruſſiæ (neſcimus qua mente) negare, & contra illud proteſtari auſi fuerint. Cum tacentes eodem momento actum nobis mandatum & conceſſum abſque impedimento per nos expediri vidiſſent.

Etſi autem nos iſtas frivolas & intempeſtivas contradictiones nec audivimus ipſi, & multo minus idioma intelleximus, nec proteſtantes vidimus, tamen cum ejus rei ab iis admoneremur, qui propinquiore loco muſſitantibus adſtiterant, & indecorum putabant eſſe Veſtræ R. Serenitatis voluntati, conceſſioni, tum & juri legitimo Principum noſtrorum contradicere, poſſeque hac confuſa contradictione jus noſtrorum Principum a non bonis viris aliquando reddi dubium, addidimus gratiarum noſtrarum actioni poſtremo loco hæc formalia verba. Nos iſtas (ſi quæ interpoſitæ fuiſſent) contradictiones ſuo loco ita relinquere, ne per eas noſtrorum Principum acquiſito juri, pactis & conceſſionibus Regiis præjudicium fiat, hujusque reſponſi noſtri memoriam Regiæ Veſtræ Serenitati & Proceribus obſervanter commendavimus.

Quamvis autem Sereniſſime Rex non dubitamus, Regiam Veſtram Serenitatem pro ſua excellenti & Regia prudentia conatus iſtos inconſideratos minime probaturam, qui Regiæ Veſtræ Dignitati, auctoritati, & exiſtimationi, & juri legitimo Principum noſtrorum adverſantur, neminem etiam communi ſenſu præditum aliter judicare poſſe, nec debere, quam ejusmodi actus nullo ordine, nec juris ratione ſervata interpoſitos, alicui privatorum non nocere vel præjudicare, minus vero Sacri Romani Imperii Electori de hoc Regno bene merito, Regibusque conjunctiſſimo, qui jus ſuum jam pridem acquiſitum, & auctoritate Regia, & omnium Ordinum Regni, Pactis Conventis, Inveſtituris primatum tueri poſſit, officere debere. Cum ſua Celſitudo pro ſua generoſitate tam æſtimet, tantique faciat fidem alienam ſibi datam, quam propriam, qua ſe ad mutua officia Regno huic obſtrinxit.

Inſuper contradictiones iſtæ intempeſtivæ & tum factæ ſunt, cum antecedenti momento actus Inveſtituræ (quam illi improbare præſumebant) pleniſſime & perfectiſſime per nos fuiſſet expeditus. Illud etiam nobis conſtat, præcipuæ autoritatis Senatores tam improbaſſe frivolam iſtam contra priora placita, quorum ex magna parte ipſi Senatores & Proceres autores & teſtes locupletes ſunt, contradictionem, ut eam nec factam eſſe, cum præſentes fuerint, nec audierint, nec crediderint. Unde non omnium approbatione & conſilio, ſed aliquorum inſuſurrationibus ſuſceptos eſſe conatus iſtos, non opinamur tantum, ſed et certo conſtituimus. Anno 1578.

Tamen ut multorum graviſſimorum incommodorum cauſæ vitarentur, neque per noſtram taciturnitatem muſſitationes ſuſurrantium ipſorum Celſitudinibus præjudicium afferrent ullum, verbali noſtrae refutationi ſcriptam hanc proteſtationem addere, eamque R. V. Serenitati & Senatoribus inſinuari neceſſario, pro obſervantia noſtra ac fide erga Celſitudines ipſorum, omnino debuimus, praeſertim cum ex conſtantia voluntatis V. R. Serenitatis, gravitateque Regia facile judicaremus, hos inſuſurratos conatus V. R. Serenitati minime placere poſſe, contrarios eſſe amicitiae & conjunctioni, qua R. V. Serenitas Illuſtriſſimos noſtros Principes complectendos, eosque in legitime acquiſitis juribus retinendos ſuſcepit. Ut interim nihil dicamus de ſuperiorum Regum Diplomatibus, Pactis, Inveſtituris, & actibus ſimilibus, quae omnia apud Celſitudines ſuas religioſa fide conſervantur, taceamus reverenter, quantam diffidentiam ea res non ſolum noſtris Principibus, verum etiam aliis multis, aut fortaſſis omnibus paritura ſit, ſi liceret refragari paucis in hoc Regno auctoritati Regiae, illuderetur conceſſionibus Regiis, eriperetur quaſi altera, quod una datur manu, beneficia certiſsima ex lubito fierent dubia & incertiſsima. Quae tamen omnia remotiſsima a Veſtra Regia Serenitate, & Regni hujus laudatiſsimo Senatu ſcimus, qui ſemper honeſti decoris, conſtantiae & gravitatis fuit tenaciſsimus, eoque nomine Illuſtriſſimae Familiae Brandeburgicorum Principum notiſsimus, quae & ipſa ob has virtutes gentem hanc vicinam ſibi multis ac fere perpetuis neceſsitudinibus conjunxit, & quibus potuit amicitiae officiis coluit.

Proinde decenti obſervantia noſtrorum Principum nomine ac loco petimus, ut Regia Veſtra Serenitas, pro ſua auctoritate

ANNO 1578. tate & animi integritate, iſtos inſtitutos conatus contradictionis acquiſito juri noſtrorum Principum de ſimultanea Inveſtitura Ducatus Pruſsiae irritos, inanes, minime ferendos, auctoritati Regiae contrarios pronuntiet & judicet. Illos enim omnes & ſingulos clandeſtine, vel publice, nobis praeſentibus vel abſentibus ubicunque locorum ſuſceptos, aut ſuſcipiendos noſtrorum Principum nomine arguimus injuſtos, irritos, iniquos, & Diplomatibus Regiis, Pactis, Conceſsionibus, Inveſtituris jam rite perfectis contrarios, nullius auctoritatis atque momenti, deque hac ipſorum refutatione hiſce Literis noſtris apud Regiam Veſtr. Serenitatem & Senatum proteſtamur omni meliori forma & modo, quibus id fieri poſſet ac debeat. Volumusq; hanc proteſtationem repetitam eſſe, ubicunq; & quotiescunque hujus rei vel in Senatu, vel extra Senatum mentio fiet.

Cumque perferatur ad nos, ſpargere aliquos in Comitiis Lublinenſibus, cum Ducatus Pruſsiae Duci ALBERTO FRIDERICO et Electori Brandeburgico ſimultanea manus ejusdem conferretur, contra Electorem, ſuaeque Celſitudinis Filium Principem inclytum, qui nunc Electoratum obtinet, ſimilem proteſtationem factam eſſe, tamen illud non fuiſſe factum, nec quidquam unquam contra ſuas Celſitudines iſtic non tantum non ſuſceptum, vel inſtitutum fuiſſe ſcimus, verum cum a Principibus noſtris literas et mandata primo Majeſtati Regiae, tum Senatoribus, demum Ordinibus Regni in illorum conſeſſu exhibuiſſemus et expoſuiſſemus, ipſi Regni Ordines ita benevolam praeſtiterunt operam, (videntes primo jus et aequitatem noſtrorum Principum, tum et quantum intereſſet, eorum amicitiam in Regnum ſartam tectamque retinere) ut non tantum conſenſu non deeſſe, ſed promotione ſua ſedulo negotium ad debitum effectum deducere ea, qua debebant et poterant, diligentia et fide ſtuderent, prout hoc ex Literis illorum ad Principes noſtros, tum et reſponſo authentico Legatis, tum Lublini, nunc partim hic exiſtentibus, dato probari et doceri, ſi id neceſſe fuerit, quod minime exiſtimamus, poterit. Nec defuturi eſſent alii multi vivi adhuc in hoc Regno graves magnique Viri, rei hujus teſtes evidentiſsimi. Itaque petimus, ut ſicuti Veſtra Regia Serenitas Principibus noſtris jam ante legitime conceſſum et obtentum jus roborare dignata eſt: ita quoque ſuas Celſitudines in eodem jure retinere, contradictiones iſtas, veluti Regiis Pactis et auctoritati contrarias, Regia gravitate rejicere, Diplomata ad hanc rem neceſſaria ſuis Celſitudinibus dare, ac omnia, quae ad Regiae Veſtrae Serenitatis dignitatem, & Regni ſalutem pertinere videbuntur, ab iisdem viciſſim expectare. Intelligit namque Sereniſſima Regia Majeſtas Veſtra, cum Senatoribus Ampliſſimis, pro ſua heroica prudentia, & incomparabili rerum uſu procul dubio, quantum ornamenti & decoris ex conceſſione hac conſortii feudalis Ducatus Pruſſiæ in noſtros Principes, quorum, ceu Sacri Romani Imperii Electorum, dignitas Regibus ipſis æquipollet, tales inquam Principes, quibus haud ſcimus, an ulli finitimorum Principum huic Regno unquam conjunctiores extitere, huic inclyto Regno acceſſerit. Quantum etiam incommodorum, ſi quod ex maturo Sereniſſimæ Regiæ Dignitatis Veſtræ, Prædeceſſorum Regum, omniumque Regni Ordinum legitimo ac benevolo conſenſu partum beneficium, præcipiti quorundam auſu in dubium vel odium trahendum eſſet. Quod ſane ut nulla juris vel æquitatis ratione fieri poſſe arbitramur, ac perpetuum & exitioſum fortaſſis litis ſeminarium inter Regnum Poloniæ & Principes Germaniæ, qui omnes ferme huic inclytæ Domui Brandeburgenſi arctiſſimo ſanguinis vinculo juncti ſunt, foret. Ita Sereniſſima Regia Dignitas Veſtra auctoritate ſua Regia, qua omnium & ſingulorum Regni membrorum legitimæ partæ conceſſiones, jura ac beneficia continentur, huic malo ſerio ac mature prævertat, iterum atque iterum officioſiſſime petimus. Regiæ Serenitati Veſtræ noſtra quantulacunque, promptiſſima tamen, mediocritatis ſtudia ſubmiſſe deferentes, Regioque favori nos commendamus. Acta ſunt hæc Varſaviæ 3. Martii, Anno MDLXXVIII.

Inferius appoſita ſunt tria Sigilla cum hac ſubſcriptione.

Ego Abraham Bock teſtor mea manu, hanc proteſtationem a Legatis Illuſtriſſimi Electoris Brandeburgici, Caſparo Flans Capitaneo Fürſtenwaldenſi, & Chriſtophoro Meienburge, Legato Illuſtriſſimi Domini Adminiſtratoris Primatus & Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Ottone a Ramin, Domino Cancellario Regni Poloniæ Joanni Zamoyſki vocato ex publico Regni Poloniæ Senatu in Regia Varſaviæ, me præſente 3. Martii Anno 1578. oblatam fuiſſe, dictumque Cancellarium promiſiſſe

Anno 1578. ſiſſe ſe eam proteſtationem Regi, Statibus & Ordinibus Regni, qui adhuc in conſilio congregati eſſent, propoſiturum. In quorum fidem manu mea ſubſcripſi, & ſigillum gentilitium appreſsi. Actum Varſaviæ 4. Martii Anno 1578.

Abraham Bock
in Polach & Kliphauſen. mppr.

Ego Andreas Paull D. teſtor mea manu, hanc proteſtationem a Legatis Illuſtriſsimi Electoris Brandeburgici, Caſparo Flants Capitaneo Furſtenwaldenſi, & Chriſtophoro Maienburg &c. ac Legato Illuſtriſsimi Domini Adminiſtratoris Primatus & Archiepiſcopatus Magdeburgenſis Ottone a Ramin, Domino Cancellario Regni Poloniæ Joanne Zamoyſki vocato, ex publico Regni Poloniæ Senatu in Regia Varſavienſi, me præſente tertia Martii Anno 1578. oblatam fuiſſe, dictumque Cancellarium promiſiſſe, ſe eam proteſtationem Regi & Statibus Ordinibusque Regni, qui adhuc in Conſilio congregati eſſent, propoſiturum. In quorum fidem manu mea hæc ſcripſi, & ſigillo gentilitio obſignavi. Actum Varſaviæ 4. Martii Anno 1578.

Andreas Paull D.
mppr.

Pariter & ego Levinus a Bulow propria manu conteſtor, me his interfuiſſe, & ea fieri vidiſſe, ſicuti etiam hoc nomine ab Illuſtriſsimo Principe ac Domino, Domino Georgio Friderico Marchione Brandeburgenſi &c. & in Pruſsia *D*uce &c. *D*omino meo Clementiſsimo ad id eram expreſſe deputatus. In cujus rei fidem hæc ſcripsi & ſigillavi. Actum Varſaviæ 4. Martii Anno 1578.

Levinus a Bulow
mppr.

Hanc Proteſtationem, eamque tranſumptam, cum Originali, juſſu ac voluntate Principis Electoris Brandenburgenſis &c. Domini noſtri Clementiſsimi, Nos Rector, Magiſtri & Doctores in Academia Francofordiana, diligenter & accurate legimus, & Originale tam in ſcriptura, &c. *ut ſupra pag. 382.* Anno 1578.

CCLXXVII.

Reſponſum Sacræ Regiæ Majeſtatis, ad Legationem Illuſtriſſimorum Dominorum Marchionum Brandeburgenſium, Electoris S. Romani Imperii Patris, & Adminiſtratoris Magdeburg. Filii, in quo refellitur facta proteſtatio: agitur quoque de navigatione Gedanenſium, & de navigatione Wartæ & Oderæ. Datum Varſaviæ die 11. Menſis Martii Anno Domini 1578. *Ind.*

Quam benevolentiam & ſtudium ſuum erga Sacram Regiam Majeſtatem, Illuſtriſſimi Principes Domini Marchiones Brandenburgenſes omnibus in rebus declarant & oſtendunt, ea ſemper huic Majeſtati Sereniſſimæ accidit gratiſſima; id quod ipſum cognitum eſſe & perſpectum Illuſtritatibus eorum Majeſtas illius non dubitat. Neque enim ullam unquam occaſionem Majeſtas illius temere prætermittit declarandæ gratiæ & benevolentiæ ſuæ erga Illuſtritates eorum, quo eodem animo Majeſt. ſuam Regiam etiam inpoſterum ſemper eſſe futuram, Illuſtritates eorum certiſſime poſſunt ſibi perſuadere.

Quod attinet ad Homagium & Inveſtituram Ducatus in Pruſſia, ea res per Dei gratiam eventum habuit exoptatum. Nam & Illuſtris Princeps Dominus Georgius Fridericus Marchio, in hac triſti invaletudine Illuſtris Domini Alberti Friderici Ducis, uti Curator ipſius & Gubernator Ducatus illius, cum titulo & præeminentia Ducis inveſtitus eſt, præſtito fidelitatis homagio, & Illuſtriſſimi Domini Marchiones, Elector & Adminiſtrator prædicti, in perſona Oratorum ſuorum admiſſi ſunt ad contactum Vexilli, more & conſuetudine uſitata: quemadmodum ex ipſis Oratoribus ſuis, atque adeo Literis ipſis Inveſtituræ cognoſcent Illuſtritates eorum. Duo enim exempla ejus Inveſtituræ confici mandavit Majeſtas illius, quorum alterum Illuſtri Domino Georgio Friderico, alterum Illuſtritatum ſuarum Oratoribus traderetur.

Ac facta quidem eſt præter voluntatem Regiæ Majeſtatis proteſtatio quædam contraria de his, quæ tunc per Sacram Regiam Majeſtatem agerentur. Verum proteſtationum omnium jus non arbitratur Majeſtas illius ignotum eſſe Illuſtritatibus

ANNO 1578. tibus eorum, quibus quidem proteſtationibus nec minuitur jus cuiusquam, nec amplificatur. Itaque cum Oratores Illuſtritatum ſuarum vellent cum Regni hujus Ordinibus de proteſtationibus hujusmodi tractationem in re præſenti ſuſcipere, non viſa eſt ea res Regiæ Majeſtati aut tempeſtive fieri, aut etiam neceſſario, cum Majeſtatis ſane Regiæ benevolentia omni in re ipſis Illuſtriſſimis Dominis Marchionibus probabitur.

Gedanenſes ea, quibus Civitatem gravatam ſuperioribus temporibus contra jura dicebant, ut Mariæburgi receperant, legitime non probant. Ut tamen eos Regia Majeſtas ſemel in gratiam recepit, ita benigne cum illis agit & aget. Qua in re, ut naturae ac ingenii ſui, ita commendationis Illuſtritatum ſuarum rationem habet & habebit.

Quod poſtremo loco Illuſtritates eorum, de Oratoribus ſuis humaniter Mariæburgi acceptis, agunt Regiæ Majeſtati gratias, id Maieſtas illius magis ex abundantia amoris erga ſe Illuſtritatum ſuarum, quam ex neceſſitate ulla profectum eſſe intelligit. Quem enim animum Mai. illius gerit erga Illuſtritates illorum, ejus profecto declarandi occaſionem non exiſtimavit ſe tunc ſine reprehenſione poſſe prætermittere. Quod ad Wartæ & Oderæ navigationem liberam conſtituendam attinet, qua de re Majeſtas ipſius cum Illuſtriſſimo Domino Electore per Internuntium ſuum proxime egit, amplectitur Majeſtas illius ſtudium Illuſtritatis ejus, ad negotium hoc primo quoque tempore conficiendum, ex uſu & utilitate communium ditionum: poſtulatque ab Illuſtritate ejus, ut cum Majeſtas illius Regia non ſit in mora futura deſignandorum ad eam rem Commiſſariorum ſuorum, ipſa quoque Illuſtritas ipſius maturet, quantum poteſt, Commiſſarios ſuos deſignare, & de his omnibus, quæ pertinebunt ad eam rem accelerandam, Majeſtatem ipſius Regiam, aut vero ſaltem Magnificum Andream Opalenſki Supremum Regni Poloniæ Marſchalcum; & Majoris Poloniæ Capitaneum Generalem faciat certiorem.

(L.S.)

CCLXXVIII.

1579. *Cavet Regia Majeſtas Duci Pruſſiæ de voluntario ſubſidio ab eodem Duce ad expeditionem Polocenſem Majeſtati ſuæ miſſo.* Datum Vilnæ die 8. Maji Anno Domini 1579. *Ex Archivo Regni Lib. ſub Litt. XV. fol. 122.* ANNO 1579.

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, &c. Significamus his Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis, earum notitiam habituris. Poſteaquam Illuſtris Princeps, Affinis noſter chariſſimus, Dominus GEORGIUS FRIDERICUS Marchio Brandeburgenſis, in Pruſſia, Stethini, Pomeraniæ, Caſſuborum ac Vandalorum, nec non in Syleſia Carnoviæ &c. Dux, Burgravius Norimbergenſis, ac Rugiæ Princeps, per ſincere Nobis dilectum Legatum, & Curiæ Familiarem noſtrum Comitem Chriſtophorum Rozdrazovium, benevole a Nobis requiſitus eſſet, ut ad præſentem expeditionem noſtram, quam Dei auxilio freti graviſſimis & juſtiſſimis ex cauſis contra communem hoſtem, Moſcorum Ducem, hoc tempore ſuſcepimus, aliquid ſubſidii voluntarii, utilitatis publicæ cauſa conferret, & certo peditum ſclopetariorum numero exercitum noſtrum augeret, Illuſtritas vero ſua ad hanc requiſitionem & petitionem noſtram, nullo quidem obligationis aut pactorum jure, ſed ſuæ erga Nos propenſiſſimæ voluntatis declarandæ ſtudio, communicato cum Ducatus ſui Ordinibus conſilio, quingentos ſclopetarios pedites, per quinque menſium intervallum, durante contra Moſcum hoc bello, ſine ſtipendiis alere ſponte ac liberaliter promiſiſſet. Nos hanc Illuſtritatis ſuæ benevolentiam & promptitudinem non tantum grato & benigno animo agnovimus & ſuſcepimus, verum etiam, ne voluntaria & ſpontanea hæc auxilii ſuppeditatio Illuſtri in Pruſſia Duci Domino GEORGIO FRIDERICO &c. aut Illuſtribus ejus Succeſſoribus, ullo jure unquam præjudicio aut detrimento eſſet, aut a Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris pro jure debito unquam allegari vel uſurpari poſſet, eidem Illuſtritati ipſius, ejusque Succeſſoribus, ac toti Pruſſiæ Ducatui, hoc nomine cautum & proſpectum eſſe voluimus. Quemadmodum præſentibus hiſce Reverſalibus noſtris, noſtro & Succeſſorum noſtrorum, Regnique noſtri nomine, cavemus, & verbo noſtro Regio pollicemur, nec non harum Literarum vigore ſtatuimus, neque hanc, neque ullas alias voluntarias, & ſolo gratificandi animo factas, in Pactis non expreſſas, auxiliorum ſubminiſtrationes, vel a Nobis, vel a Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, vel a quoquam in Regno noſtro in aliquam Pactorum vim pro jure debito allegari, uſurpari, ac inpo-

Anno 1579. inpoſterum exigi debere. Sicut & hæc quingentorum ſclopetariorum ſubſidia non aliam in partem accipi, vel a quoquam interpretari volumus. Promiſſos vero quingentos ſclopetarios Nobis ejus Illuſtritas ſiſtere tenebitur ſub exitum Menſis Junii, quo tempore quoque Noſmetipſi cum exercitu noſtro ad hanc expeditionem progrediemur, ubi vel Nos & exercitum noſtrum comitabuntur, vel, ut primum parati fuerint, ſubſequentur. Poſtquam autem exercitum noſtrum attigerint, ſtationem inter cæteros ſtipendiarios milites noſtros honeſtam eis dabimus, de commeatu neceſſario non minus, quam cæteris militibus noſtris, pro juſto pretio proſpiciemus, & ab omni aliorum militum noſtrorum vi & injuria, pro auctoritate noſtra eos defendemus & tuebimur: majoribus autem, quam cæteros milites noſtros, oneribus atq; periculis temere eos objici, aut contra alium quemvis hoſtem, quam Moſchum, ejusq; exercitum, a quoquam duci, vel aliquem ulla in re opera ipſorum minime abuti patiemur. Quodſi vero evenerit, hoc bellum ante quinque iſtorum Menſium expirationem tranſactione aliqua & pacto, vel felici victoria, aut aliqua ratione perfici atque diſſolvi, & exercitum noſtrum dimitti, liberum quoque Illuſtri in Pruſſia Duci fuerit, hoſce milites ſuos ſubſidiarios ad id tempus revocare atque dimittere, quod ſi fiet, liberum & ſecurum militibus iisdem tranſitum atq; reditum clementer concedimus. Si vero ultra id ſpatium 5. Menſium in caſtris contra eundem hoſtem exercitum noſtrum commorari contigerit, invitos eos non detinebimus, ſed diutius Nobis militare volentibus noſtra ſtipendia, qualia Germanis militibus dari ſolent, aut ab Illuſtri Principe data fuerunt, in poſterum ex ærario noſtro largiri pollicemur. Quæ univerſa & ſingula, uti verbo noſtro Regio, & Sereniſſimorum Succeſſorum noſtrorum, nec non Regni noſtri nomine polliciti ſumus, ita Illuſtri in Pruſſia Duci, Affini noſtro chariſſimo, ejusque Succeſſoribus, & ejus Ducatus incolis, ſarta tecta ſervabimus, & ſervari faciemus. Ut autem ejus Illuſtritati ac ejus Succeſſoribus cavemus, ne quid illis hoc voluntarium ſubſidium in poſterum præjudicare aut nocere poſſit; ita etiam hac noſtra cautione Nos recedere velle a pactis, & privilegio donationis feudi Ducatus in Pruſſia, juribusq; noſtris nulla in re exiſtimari volumus, ita, ut ea in omnibus, & per omnia prorſus ſalva & integra perpetue maneant, eaque ſervitia ac omnia, quæ Nobis & Succeſſoribus noſtris Poloniæ Regibus, vigore ac ratione eorundem pactorum juriumque noſtrorum, ac Succeſſorum noſtrorum, ex feudo Ducatus in Pruſſia debentur, ejus Illuſtritas, ac alii in Pruſſia Duces præſtare debeant & teneantur. In quorum omnium fidem haſce Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo Regni noſtri muniri mandavimus. Datum Vilnæ die octava Menſis Maji, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, Regni vero noſtri Anno quarto. Anno 1579.

STEPHANUS Rex. *mppr.*

CCLXXIX.

Quietatio Georgio Friderico *Duci in Pruſſia de perſolutis* Stephano *Poloniarum Regi ducentis Florenorum millibus.* Dat. Vilnæ 26. Apr. Anno 1580. *Ex Arch. Regni Lib. ſub Litt. WD. fol. 314.* 1580.

Stephanus Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Quod cum Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo Nobis cum Illuſtri Principe Domino Georgio Friderico Marchione Brandeburgenſi, in Pruſſia Duce, &c. de conferenda ejus Illuſtritati Ducatus in Pruſſia Inveſtitura, & commendata cum Illuſtris Principis Alberti Friderici in Pruſſia Ducis ægroti curatoria, atque ipſius Ducatus gubernatione, certis legibus in Privilegio ſuper ea re perſcripto comprehenſis conveniſſet, atque ex ea conventione ejus Illuſtritas Nobis ducenta millia Florenorum, ſingulos valoris groſſorum triginta Polonicalium, ſe Nobis ſoluturam quatuor penſionibus, quibus ſingulis quinquaginta millia Florenorum certa & conſtituta die dependerentur, ſe obligaſſet, ejus Illuſtritatem Nobis, cum jam ante penſionibus tributis præteritis ad conſtitutam diem ſingula quinquaginta millia, & ad rationem quartæ & ultimæ penſionis ad proximum Pentecoſtes Feſtum hujus Anni 1580. debitæ, triginta duo millia Florenorum in ſumma centum octuaginta duo millia efficiunt, Poſnaniæ in effectu ad manus Mandatariorum noſtrorum ſoluta eſſent, atque quartæ & ultimæ itidem penſionis quinquaginta millium Florenorum pro dicto nunc inſtanti Pentecoſtes Feſto, Nobis decem octo millia Florenorum Polonicalium repræſentaſſe, atque ad manus Nobilis Georgii Pawlowſki, noſtri ea in re Mandatarii, per manus Mandatariorum ſuorum ſolviſſe, eamque pecu-

ANNO 1580. niam in effectu a Nobis receptam eſſe, quorum decem octo millium Florenorum nomine reſidui, quartæ & ultimæ penſionis quinquaginta Florenorum millium ſolutorum, Nos ejus Illuſtritatem præſentibus quietamus, & ſecurum eſſe volumus. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus &c. Datum Vilnæ die vigeſima ſexta menſis Aprilis Anno Domini 1580.

STEPHANUS Rex.

CCLXXX.

1589. *Reſponſum* SIGISMUNDI III. *Poloniæ Regis Legatis* JOACHIMI *Electoris Brandeburgenſis, in quo promittitur ei Inveſtitura Ducatus Pruſſiæ.* Datum Petricoviæ 7. Febr. Anno 1589. *Ex Archivo Theſauri Regni Libr. ſub Litt. SX.*

Quemadmodum Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter Clementiſſimus, petitionem Illuſtriſſimi Principis Electoris, quam Dominationes Veſtræ ad ejus Majeſtatem ac Senatum Regni attulerunt, benigne initio accepit, ita deinceps una cum hoc Ampliſſimo Senatu id habuit propoſitum, ut Illuſtriſſimo Domino Electori gratificaretur, tum ut oſtenderet, quanti faceret veterem, & a Majoribus utrinque quaſi per manus traditam amicitiam & neceſſitudinem, quæ illi cum Illuſtriſſima ſua Celſitudine intercedit, & quanta charitate ſui ſanguinis, quæ eſt in familia Illuſtriſſimi Principis, teneretur, tum ut ejus Illuſtriſſimam Celſitudinem benignitate ſua, ac totius Senatus ſtudio, ex amico & neceſſario Principe devinctum etiam ac obligatum ſibi ac Regno redderet, Proinde Sacra illius Majeſtas ſumma voluntate & aſſenſu Senatus in animum induxit, ut Illuſtriſſimo Principi Electori, & ei, qui perpetuo ex illius legitima poſteritate in Electoratum ſuccedet, Inveſtituram Ducatus in Pruſſia concedat. Idque jam hoc tempore præſtaret, ſi Dominationes Veſtræ ejus obligationis ſtabiliendæ, quam in ſe viciſſim beneficii gratitudine recipere vult Illuſtriſſimus illarum Princeps, conditionum ab eisdem propoſitarum, ac ea, quæ ad Vaſallum & beneficiarium Principem erga Dominum ſuum ſuperiorem pertinent, recognoſcendi, integram haberent facultatem. Quam quia negant ſibi eſſe datam, ideo Sacra Regia Majeſtas promiſſa ſua tum explebit, cum Illuſtriſſimus Princeps alios Legatos mittet, cum pleno de ejusmodi obligationibus firmandis ANNO 1589. mandato, qualium Dominationes Veſtræ initio fecerunt mentionem, & quae poſtea ſcripto ſunt ab illis explicatæ. Quod tunc facere licebit Celſitudini ſuæ, cum commode ex re ſua eſſe arbitrabitur. &c.

Ex Mandato proprio S. R. Majeſtatis.

Has Regias easque tranſumtas Literas cum Originali &c. *ut ſupra pag. 382.*

CCLXXXI.

Tranſumptum Conſtitutionum Ducatus Pruſſiæ Anno 1563. factarum. Datum Varſaviæ 12. Aprilis Anno Domini 1589. *Ex Archivo Regni Libr. ſub Litt. W M. fol. 500.*

SIGISMUNDUS Tertius &c. Significamus &c. Exhibitas eſſe ad Nos, & ad Acta Cancellariæ noſtræ Literas papyreas infra ſcriptas, ſigillo Regni obſignatas, & manu Reverendi in Chriſto Patris Domini Petri Myſzkowſki ad præſens Epiſcopi Cracovienſis, pro tunc vero Regni Poloniæ Vice-Cancellarii ſubſcriptas, Conſtitutiones Terrarum Pruſſiæ, in Comitiis Generalibus Regni Petricoviæ Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio editas in ſe continentes, ſanas, ſalvas, omnique ſuſpicionis nota carentes. Supplicatumq; ut eas in forma *Vidimus* authentice extradi mandare dignaremur. Quarum tenor ſequitur ejusmodi.

„ *Conſtitutiones Terrarum Pruſſiæ in Comitiis Generalibus Regni Petricoviæ editæ, atque authoritate Regia ad commodum publicum Nobilitatis Pruſſiæ confirmatæ.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque &c. Dominus & Hæres. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis & ſingulis, præſentibus & futuris, quod ad expeditam Judiciorum in Terris Pruſſiae rationem ſubditis noſtris ejusdem Terrae Pruſſiae fecimus quidem poteſtatem Jus commune Culmenſe compilandi, ſeu in rectam aliquam formam atque ordinem redigendi. „ Poſteaquam vero expoſitum Nobis fuiſſet, Culmenſe Jus magis Civitatibus & Oppidis, quam Nobilibus, conditioni & bonis ipſorum proſpexiſſe, ſupplicatumque ab eodem ipſo Ordine militari humi-

Anno 1589. humiliter, ut ultra illud Jus Culmenſe, quo Terræ Pruſſiae utuntur, Jus aliquod peculiare, ſeu Privilegium, more civitatum & oppidorum Terrarum Pruſſiae, ad ſingulare Ordinis militaris & bonorum terreſtrium, atq; eorundem bonorum Poſſeſſorum emolumentum & ornamentum conficere atque conſcribere permitteremus. Nos haud aequum exiſtimantes, militarem Ordinem aliis Ordinibus longe deterioris eſſe conditionis, damus & concedimus praefato Ordini militari facultatem ſeu poteſtatem, Privilegium, ſeu Jus peculiare (quod vulgo Wiltfur vocatur) conficiendi atque componendi, quo Ordo praefatus militaris in Pruſſia ultra diſpoſitionem Juris Culmenſis in negotiis tractandis, & cauſis decidendis judicialiter utantur. Promittentes hoc ipſum Jus peculiare, poſteaquam confectum, Nobisque exhibitum fuerit, quatenus Nobis, Reipublicae, atque eidem Ordini expedire videbitur, authoritate noſtra approbare atque confirmare. Sed quia Nobilibus, quorum agri ſtagnis noſtris Regiis adjacent, per Divum Parentem noſtrum facultas conceſſa eſt piſcandi minoribus retibus in iiſdem lacubus noſtris Regiis, ſtatuimus, ne quis deinceps Capitaneorum, ſeu Tenutariorum noſtrorum eam ipſam libertatem piſcandi, vigore Conſtitutionis conceſſam, quocunque modo impediat, utive ea prohibeat. Si quis de poſſeſſione aliquem privata auctoritate dejecerit, aut in poſſeſſione quocunque modo turbaverit, apud loci Palatinum judicio ſummario, ſeu de ſimplici & plano convictus, poſſeſſionem tam mobilis quam immobilis rei reſtituat, actione de dominio & proprietate ejusdem rei rejecta in judicium ordinarium. Porro quia auſus eſt privatus, quod publice per Magiſtratum fieri debuit, aeſtimatione inſuper ipſius rei, ſi aliena invaſit, vel ejusdem amiſſione, ſi ſuam, puniatur. Dimidium autem aeſtimationis Fiſco noſtro cedat, aliud dimidium Palatino & parti læſae aequis portionibus applicetur. Res vero ejus propria, quam invaſit, Fiſci juribus addicatur, relicta poteſtate injuriam, ſeu vim paſſo, eam ipſam rem, ſi volet, redimendi. Capitanei & Tenutarii bonorum noſtrorum Regalium neminem de poſſeſſione bonorum terreſtrium vi dejiciant. Sed ſi in bonis cujuſpiam terreſtribus aliquid eſſe exiſtimaverint, quod juris noſtri Regii eſſe videatur, per praeconem poſſeſſorem admoneri faciant, ut judicium commiſſoriale obtineant ad controverſiam dijudicandam. Quod ſi intra annum & diem facere neglexerit, tunc demum poſſeſſione ex officio Capitaneorum dejici poterit. Quodſi invaſor, vel turbator poſſeſſionis alienae, aut ipſe, aut ejus familia ſciente eo, adipiſcendae aut occupandae poſſeſſionis cauſa, armis ſumptis caedem fecerit, capitali pœna plectatur. Qui vero ſe ſuaque defendens in fundo a ſe legitime poſſeſſo invitus caedem fecerit, a pœna immunis ſit, quod publicae pacis violatorem, defenſionis ſuae cauſa, occiderit. Volumus autem, ut in judicio poſſeſſorio prima citatio ſeu terminus ex citatione aſſignatus pro peremptorio habeatur, neque ulla, quantum ad acceſſoriam controverſiam attinet, admittatur dilatio, aut appellatio, etiam a definitiva ſententia; cum judicium proprietatis & dominii adferre poſſit, poſſeſſioni amiſſae remedia relicta, tamen a ſententia principalis negotii, vel vim illius obtinente, ſalva appellatione. Volumus etiam, ut vigore unius & ejusdem Commiſsionis cauſae uſque ad definitivam ſententiam perducantur, praeſertim poſt citationem editam, aut litem conteſtatam, neque ullae omnino frivolae exceptiones ſive contra citationem, ſive tenorem Commiſsionis aut appellationis, niſi a definitiva ſententia, vel interlocutoria, vim definitivae habente, admittatur. Si quis autem aut ante ſententiam definitivam appellaverit, aut judicium Commiſſariorum temere detrectaverit, in cauſa quidem uti contra vere contumacem procedatur, ipſe vero in pœna 50. Aureorum Hungaricalium Fiſco noſtro condemnetur. Terminus autem ex citatione Commiſſariorum ad quartam hebdomadam edi debet. Caeterum poſt latam ſententiam definitivam, ſi quis a Commiſſariis, ſeu delegatis Judicibus ad Tribunal noſtrum appellaverit, deponat ſex Florenos, per triginta groſſos ſingulos computando, qui Floreni, ſi cauſam vicerit, eidem reſtituantur; ſin minus, Commiſſariis noſtris applicentur. Similiter in actione finium regundorum in ordinario judicio inter ſe nullae dilationes, condictiones, appellationes, praeterquam a definitiva ſententia contumaciave rei conventi admitti debent, aut terminus comperendinari, niſi vera aegritudo, eaque non diuturna, aut major in alio judicio actio, non affectata tamen, interceſſerit, quae ſi legitime probabuntur, prorogandus eſt terminus, ſin minus, ferenda ſententia definitiva. Caeterum quia in Terris noſtris Pruſsiae Nobilium bona homines conditionis ruſticae poſsident, contra vim & tenorem Conſtitutionis vigeſimae, a Divo Parente noſtro editae, qua Civibus bona terreſtria emere per- Anno 1589.

ANNO 1589. permiſſum eſt, unde accidit, ut propter conditionis ruſticariae inaequalitatem de dignitate Ordinis militaris atque defenſionis & militiae ſtudio non parum detrahatur, praeſenti noſtra Conſtitutione in perpetuum ſancimus, ne ad ejusmodi bona terreſtria emenda, aut quocunque juris titulo acquirenda deinceps ruſtici admittantur. Sin bona terreſtria ad aliquem ruſticariae conditionis ſucceſsionis titulo devolvantur, contentus ſit bonorum pretio reponendo per proximiorem conſanguineum ex nobili genere procreatum, aut in defectu ejusdem per vicinum, cum quo venditor contrahere maluerit. Si quis judicio ordinario omiſſo ad Tribunal noſtrum aliquem evocaverit, exceptis cauſis, quae vel Majeſtatis noſtrae Regiae perſonam concernunt, vel proprie ad officium noſtrum pertinent, ſi quidem Magiſtratum evocaverit, ducentis aureis, ſin privatum, centum puniatur, in dimidio Fiſco noſtro, in altero dimidio judicio ordinario, parti laeſae, aequis portionibus cum eo, quod intereſt, applicandis. Caeterum illud, quod intereſt, vel ipſius judicis aeſtimatione, vel juramento partis evocatae, penes quem electionis jus eſto, liquidari, ſeu derogari debet. In his autem cauſis, quae ad Tribunal noſtrum pertinent, prima citatio peremptoria eſſe debet, ita, ut citatus comparere, & ſtatim reſpondere teneatur, alioqui cauſa cadet, niſi de legati impedimento per Procuratorem legitimum in continenti legitime docuerit. Quorum vero quidam Capitaneorum noſtrorum Nobilium famulos, colonosve prohibent ad molas Dobrzynenſes frumenta, molendi cauſa, libere adducere, hoc ne deinceps fiat, inhibemus, mandantes loci Palatinis, ut talia audentes, quicunq; illi fuerint, pœna quadraginta aureorum coërceant, cujus pœnae dimidium Fiſco noſtro applicetur, reliquum Palatino & parti laeſae aequis portionibus cedat. Quandoquidem in ſingulis fere Territoriis & diſtrictibus, praeter Marienburgenſia, Judicia ordinaria certis & ſtatis temporibus diſtincta ſunt, praeſenti ſanctione in perpetuum ordinamus & decernimus, ut etiam in Marienburgenſi diſtrictu ordinaria judicia bis in anno exerceantur, ſemel quidem verno tempore poſtridie Sancti Marci, iterum autem in autumno feria ſecunda proxima ante Feſtum S. Lucae Evangeliſtarum. Et quia queruntur Terrarum Pruſsiae Ordines, incurſiones, vim, caedesque impune committi, eo quod Conſtitutio a Divo Parente noſtro edita, quae incipit: *Statuimus*, neque debitae executioni demandetur, neque certa ratio & modus inveniatur, quo in cauſa ſanguinis procedi debeat: Statuimus, ſi quando caedem patrari, vim, aut incurſionem, caeteraque ſimilia facinora admitti contigerit, ut Palatinus loci ad accuſatoris inſtantiam, aut ſi accuſator non inveniatur, motu proprio, utpote cujus officio convenit, pacatam & quietam facere regionem, cauſa cognita mandet proximi oppidi judicio, ubi facinus admiſſum, vigore praefatae Conſtitutionis *Statuimus* damnare convictum facinoris, atque capitis ſupplicio afficere. Ne autem, dum a Palatino petitur auxilium, reus aufugiat, permittimus privata auctoritate eum comprehendi, aut ſi privato ea poteſtas & facultas defuerit, a Capitaneo ſui diſtrictus, vel vicinis Nobilibus petere auxilium, & captum infra triduum offerre Palatino. Quodſi neque Capitaneus aut Nobilis ferre auxilium petenti voluerint, neque oppidorum judicium miniſterium judicandi & damnandi facinoris praebuerit, aut Dominus oppidi, aut Capitaneus noſter, quo minus id fiat, vetuerit, eoque pacto reus evaſerit, debet loci Palatinus pro merito cujusque debitas ab eis pœnas, citra ullius appellationis remedium, excipere. At ſi patrator facinoris aufugerit, tum pro veteri Terrarum Pruſsiae conſuetudine ad judicium oppidanum ter citetur, inter ſingulas citationes ſeu edicta duabus ſeptimanis interjectis, qui, ſi ter citatus non comparuerit, proſcribatur, & ejus quidem, qui rem ſoli poſsidet, bona, ſi a capitis pœna per fugam ſe eripuerit, confiſcentur; qui autem rem ſoli non poſsidet, ubicunque tandem repertus fuerit, capitali pœna plectatur. Qui vero proſcriptum receperit, celaveritve, aut ad fugam inſtruxerit, bona ipſius ſimiliter confiſcentur. Nemo mandatum habens generale, tranſire aut diſtrahere poteſt ſine mandato ſpeciali, niſi Dominus tacite vel expreſſe ratum poſtea habuerit. Jam quia foſſae, aut aquaeductus, quibus agri ſeu prata, deducta aqua, uberiores fructus reddunt, non parum ad Rempublicam pertinent, cum opes privatorum opes Reipublicae ſint, ſtatuimus, ut vicinus propter aquam ex fundo vicini deducendam in fundo ſuo aquaeductus ſeu foſſas ejusmodi facere teneatur. Quodſi admonitus temere facere noluerit, aut aliter fecerit conſulto, quam fundorum poſtulat neceſsitas, poterit vicinus propria impenſa aquaeductus facere neceſſarios in fundo ejus. Caeterum impenſam hoc nomine factam, ubi in primo citatio-

Anno 1589. tationis termino, quem peremptorium eſſe volumus, & ſine appellationis remedio coram loci Palatino legitime fuerit probata, a vicino negligente obtinebit, Palatinus autem ab eodem tantundem pœnae nomine exiget. Idem de vivis & fluviis purgandis & muniendis volumus intelligi. Si vero vicinus adeo pauper fuerit, ut impenſam facere in aquaeductus, aut jam factam ſimul & ſemel reddere non potuerit, tum ex Decreto Palatini in certas annuas penſiones factam impenſam reſtituere tenebitur, citra illius pœnae exactionem ſumptum, aut de ſuo vicinus tunc faciet, quando aquaeductus adfert fructum etiam fundo ejus, alioqui is, cui aquaeductus in alieno fundo factus ſoli bono eſt, is ſolus ſumptum faciet. Nos itaque precibus Nuntiorum Terreſtrium benigne annuentes, articulos praeinſertos concedendum illis duximus, concedimusque praeſentibus, quatenus tamen reliqua Nobilitas id ratum habuerit. Quibus in fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum eſt appreſſum. Datum Petricoviae in Conventione Generali die vigeſima ſexta Menſis Martii, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, Regni vero noſtri trigeſimo quarto.

Petrus Myszkowski
Regni Pol. Vice-Cancellarius Spiritualis.

Relatio Reverendi Petri Myſzkowſki Poſnanienſis, Płocenſ. Lancicienſis Præpoſiti, Decani Cracovienſis, & R. Pol. Vice-Cancellarii."

Cui ſupplicationi Nos benigne annuentes, praeſentes Literas in forma *Vidimus* extradi juſsimus. In cujus rei fidem praeſentes ſigillo Regni conſignari juſsimus. Datum Varſaviae in Comitiis Generalibus die duodecima Menſis Aprilis, Anno Dom. milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, Regni noſtri ſecundo.

CCLXXXII.

Diploma Sigismundi III. *Poloniarum Regis, quo confirmatur Curatio & Infeudatio Ducatus Pruſſiæ* Georgio Friderico *per* Stephanum *Poloniæ Regem facta, cum ſimultanea ejusdem Ducatus infeudatione* Joanni Georgio *Electori Brandeburgenſi & Succeſſoribus eius maſculis.*

Datum Varſaviæ 18. April. Anno 1589. *Ex Arch. Theſ. Reg.* Anno 1589.

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Sigismundus Tertius, D. G. Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Pomeraniæ, Kijoviæ, Wołhiniæ, Podlachiæ, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniæ &c. Eademque Gratia Regni Sveciæ proximus Hæres & futurus Rex &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis. Quod cum jam antea divæ memoriæ Anteceſſor noſter Stephanus Rex, magnis cauſis adductus, imprimis autem afflicta ipſa mentis ægritudine Illuſtris Principis Domini Alberti Friderici in Pruſſia Ducis &c. Cognati noſtri chariſſimi, faciendum ſibi eſſe de Conſilii ſui ſententia exiſtimaſſet, ut Illuſtrem Principem Dominum Georgium Fridericum Marchionem Brandenburgenſ. &c. Cognatum etiam ipſum noſtrum chariſſimum, quem alioqui & Illuſtri Domino Alberto Friderico genere proximum eſſe, & propter ſimultaneam ad Ducatum Pruſſiæ Inveſtituram proximum ſucceſſionis jus ad eum Ducatum habere, ſibi etiam Regnoque noſtro optime velle ac cupere intelligebat, Curatorem præfati Principis Domini Alberti Friderici &c. & Gubernatorem Ducatus Pruſſiæ, cum titulo Ducis & præeminentia, ex auctoritate ſua conſtitueret, quemadmodum ſane ea omnia abunde literis ipſis ejusdem Sereniſſimi Deceſſoris noſtri decreti Mariæburg., quod ſuper ea re eidem Illuſtri Domino Georgio Friderico Marchioni dedit, extant comprehenſa: Cum vero ea curatio & gubernatio conditionem eam inter cætera adjunctam haberet, ut eidem Sereniſſimo Deceſſori noſtro Illuſtritas ejus juramentum feudale verbis præſcriptis ſolennibus præſtare teneretur, ejusq; juramenti præſtandi gratia ipſa coram in Comitiis Regni, Varſaviæ Anno Domini 1578. habitis, in propria perſona adfuiſſet, ac die certo ad eam rem conſtituto, qui fuit vigeſimus ſeptimus Menſis Februarii, in loco publico, & theatro ſub dio ex tempore excitato, Inveſtituram ab eodem Domino Deceſſore noſtro petiiſſet, jusjurandumque eidem ſolenni ritu ac ceremonia præſtitiſſet, quod tum idem Sereniſſimus Deceſſor noſter Stephanus Rex, ex conſilio Senatorum, lateri ſuo aſſidentium, ſolenniter etiam Illuſtritatem ejus inveſtiverit, quemadmodum

ANNO 1589. Diplomate, ab eodem Domino Deceſſore noſtro STEPHANO Rege Varſaviæ in Conventione Regni Generali, die tertia Menſis Martii, An. Dom. MDLXXVIII. dato, ejusdemque Sereniſſimi Deceſſoris noſtri manu ſubſcripto, & Sigillo Regni communito, latius fuſiusque continetur. Pro eo autem cum eodem D. Deceſſore noſtro mortuo, idem Illuſtris Princeps Dominus GEORGIUS FRIDERICUS Marchio, Cognatus noſter chariſſimus, primo ſub initium felicis inaugurationis noſtræ per literas, deinde vero in præſentibus hisce Generalibus Regni Comitiis per Legatos ejusdem curationis & jurium confirmationem, & Ducalem Feudi Inveſtituram diligentiſſimis precibus a Nobis flagitaſſet, tandem vero etiam, homagii & juramenti Nobis præſtandi cauſa, ad præſentem Conventum hunc Varſavienſem alios ſex Conſiliarios, Oratores & Procuratores ſuos, luculentum & ſufficiens mandatum ad id habentes, miſiſſet, ac die certo ad eam rem conſtituto, qui fuit decimus ſextus Menſis Aprilis, in loco publico, & theatro ſub dio extempore excitato, per eosdem Oratores ſuos Inveſtituram a Nobis petiiſſet, jusjurandumque Nobis ſolenni ritu ac ceremonia præſtitiſſet, Nos ex conſilio Senatorum noſtrorum, lateri noſtro aſſidentium, Pacta vetera in omnibus & ſingulis conſervando, ex iisdem illis cauſis, quibus ad concedendam Illuſtritati ipſius curationem & gubernationem ſupradictam, commemoratus divæ memoriæ Sereniſſimus STEPHANUS Rex, Deceſſor noſter, adductus olim fuit, nunc quoque Illuſtritatem ejus, animo quidem perlibente, ad Terras, Civitates, Oppida & Arces feudalis Ducatus in Pruſſia, inveſtivimus, & præſentium Literarum tenore inveſtimus, ea ratione, ut Illuſtritas ejus, ſub hac Illuſtris ALBERTI FRIDERICI Ducis invaletudine prædictas Terras, Civitates, Oppida & Arces teneat, juxta ſeriem & continentiam Decreti prædicti D. mem. STEPHANI Regis, Deceſſoris noſtri, quod Nos in omnibus ejus punctis & clauſulis conſervandum exiſtimamus, conſervamusque præſentibus hisce, videlicet, ut quoad Illuſtris Dominus ALBERTUS FRIDERICUS in Pruſſia Dux, cujus juri nihil derogatum volumus, in ea, qua nunc eſt, invaletudine perſeveraverit, aut liberos quidem maſculos ſuſceperit, donec illi ad legitimam ætatem pervenerint, Illuſtris Donus GEORGIUS FRIDERICUS Marchio, tanquam Curator ipſius Ducis, & Gubernator Ducatus, cum titulo & præeminentia Ducis, Ducatum ipſum teneat illis conditionibus, quas ejusdem Domini Deceſſoris noſtri decretum latius explicat. Quodſi vero præfatus in Pruſſia Dux in ea ægritudine ſine Hæredibus maſculis legitimis feudi Succeſſoribus deceſſerit, vel ejus legitimi maſculi feudi Hæredes, non relicta prole virili, defecerint, ut tunc ſuo jure, vigore veterum & hujus noſtræ Inveſtituræ, prædictus Illuſtris Dominus GEORGIUS FRIDERICUS Marchio Ducatum illum Pruſſiæ in feudum a Nobis & Regno noſtro retineat. Eo igitur modo Illuſtri Domino GEORGIO FRIDERICO Marchioni Brandeburgenſi, ejusque Hæredibus maſculis legitimis feudi Succeſſoribus, in perpetuum & indiviſum feudum omnes Ducatus Pruſſiæ, terras, civitates, oppida & arces, videlicet arcem Konigsberg cum tribus civitatibus, item arces & oppida Lohſtetten, Wargen, Germaw, Pubeten, Rudau, Schocken, Caimen, Kremitten, Waldaw, Tapiaw, Taplawken, Narkieten, Inſterburgk, Allenburgk, Wonsdorff, Gerdawen, Angerburgk, Nordenburgk, Labiaw, Laukiſchen, Tilſet, Ragnet, Roſitten, Wienthbergk, Mimmel, Brandenburgk, Creutzburgk, Frideland, Dominaw, Bartenleczen, Balge, Heiligenbeil, Czinten, Landspergk, Preuſchelaw, Bartenſtein, Schenſtein, Sehnsburgk, Rein, Raſtenburgk, Lick, Stradaun, Johannesburgk, Holland, Liepſtalt, Mulhuſſen, Morungen, Paſſenhein, Ortelsburgk, Hoſterrode, Hoenſtein, Neidenburgk, Szoldaw, Gilgerburgk, Schippenbeil, Deutſcheilaw, Preusmarckt, Libmuel, Salfeldt, Riſenburgk, Marienwerder, Tirenberg, Labiaw, Schonberg, Powunden, Georgenburgk, Rozenbergk, Gardenzee, Neuhaus, Freiſtadt, Salau, Fishauſen, Biſzofswerder, Medenaw, cum omnibus & ſingulis ſubditis, vaſallis, fructibus, dominiis, ſuperioritatibus, libertatibus & juribus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, manſis, curiis, molendinis, molendinorum locis, cenſibus, vectigalibus, reditibus, theloneis, ſervitiis, feudis ſpiritualibus & ſæcularibus, lacubus, fluminibus, piſcationibus, aquis, aquarum decurſibus, ferarum luſtris, ferarum meatibus, venationibus, ſylvis, nemoribus, paſcuis, pratis, actibus etiam, cum omnibus metallis, quæ modo ſunt, ſeu in futuro fieri poſſunt, auro, argento, cupro, ſtanno, plumbo & ſalinis, ſupra & ſubtus terram, ſimiliter una cum omnibus & ſingulis juribus, eminentiis & pertinentiis univerſis, nullis penitus exceptis, ſicuti ejusmodi Terras quondam Ma-

ANNO 1589. Magiſtri Generales & Ordo habuere, & uſque ad Ducem in locum Magiſtrorum creatum uſu & fructu tenuerunt, in poſterum perpetue & hæreditarie in commune & individuum feudum tenendas, fruendas, utendas & poſſidendas. Ubi vero & Illuſtris Dominus ALBERTUS FRIDERICUS nunc ægrotus, & ipſe Illuſtris GEORGIUS FRIDERICUS, Marchiones & Duces in Pruſſia, ſine legitimis feudi Hæredibus maſculis, vel eorum Hæredes poſt eorum obitum ſine legitimis maſculini generis feudi hæredibus ex humanis concederent, dictæ terræ, civitates, oppida & arces ad Illuſtriſſimum Principem Dominum JOANNEM GEORGIUM Marchionem Brandenburgenſem, Sacri Romani Imperii Archicamerarium & Electorem, cujus Oratores in hac Inauguratione & Renovatione feudi, ex ſingulari Divi SIGISMUNDI AUGUSTI Avunculi, & STEPHANI Regum & Deceſſorum noſtrorum noſtraque gratia & benignitate ad vexilli contactum admiſimus, & ad Illuſtrem Principem Dominum JOACHIMUM FRIDERICUM Adminiſtratorem Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Marchionem Brandenburgenſem, Illuſtritatis eius Filium, Succeſſoresque maſculos ex lumbis ejus procedentes, & in Electoratum ſuccedentes; ita tamen, ut poſteaquam alicui ex eis aperiretur ſuo ordine feudum Ducatus in Pruſſia, ne per aſſecutionem priorem Electoratus aliqua in re præjudicaret juribus noſtris & Regni noſtri, quod habemus legitime hæreditarium ad Terras Pruſſiæ derivari & devolvi debent. Nec non hac etiam ſpeciali cautione adjecta, ne per hanc noſtram admiſſionem Oratorum Illuſtritatum ſuarum ad contactum vexilli, caſſationi, per D. SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem adprobatæ, Commiſſariorum ejus Maj. juramenti præpoſtere, illius Majeſtate inſcia, a ſubditis Ducatus Pruſſiæ exacti, de quo tunc Majeſtas ejus una cum Ordinibus Regni fuit proteſtata, aliquid omnino derogetur, ſed ſalvum jus noſtrum remaneat. Ita, quod dictæ terræ, civitates, oppida & arces, ubi divina ordinatione ejusmodi caſus futuris temporibus acciderent, de uno in alium, & eorum legitimos feudi Hæredes maſculos illo ipſo ordine, qui ſuperius expreſſus eſt, cedant & devolvantur, ſine noſtro Hæredumque & Succeſſorum noſtrorum Regum & Regni noſtri Poloniæ impedimento & præjudicio. Ea ratione, ut quoties ſe obtulerit ejusmodi caſus devolutionis de uno in alium prædictos Marchiones, & eorum legitimos feudi Hæredes maſculos, debebunt illi, & quiſque eorum debebit

Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus ac Regno Poloniæ infra tempus debitum ac legitimum, debitam ſubjectionem & feudi obligationem ac homagium præſtare. Quodſi prædicti Marchiones, divina voluntate ſic diſponente, ſine maſcula prole feudi Hærede legitima, ex lumbis eorum ordine ſupraſcripto procedente, aut eorum hujusmodi proles ſimiliter ſine maſculo feudi Hærede legitimo, ex lumbis eorum procedente decederet, tunc omnes & ſingulæ terræ, civitates, oppida, bona & arces ſupraſcriptæ ad Nos, & Succeſſores noſtros Reges & Regnum Poloniæ, ſine omni impedimento & contradictione, devolvi debent & redire. Debebit item ipſe Illuſtris Dominus Marchio & Dux in Pruſſia ejusque prænominati Succeſſores & feudi Hæredes, pro hac noſtra in ſe beneficentia, Nobis & Regno noſtro tale obſequium præſtare. Quod ubi ratione hujus concordiæ inter Dominum quondam SIGISMUNDUM pie memoriæ Avum & Deceſſorem noſtrum, & Illuſtrem olim bonæ memoriæ ALBERTUM Principem, in Pruſſia Ducem, & conceſſionis feudia quocunque cujusvis eminentiæ & conditionis Principe ſeu Potentatu impeteremur, aut Succeſſores uoſtri impeterentur, tenebitur ipſe Illuſtris D. Marchio & Dux in Pruſſia aut ejus prædicti feudi Succeſſores Duces in Pruſſia, in propria Perſona Nobis & Regno noſtro ubique, una cum omnibus ſuis ſubditis, pro ſummis viribus ſuis adeſſe. Quod viciſſim Nos, & Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniæ in eodem caſu facere debebimus & debebunt. Ubi autem contingeret, quod Nos vel Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniæ, altera quavis ex cauſa, tam ab infidelibus, quam a quocunque alio impeteremur, & ipſi in propria Perſona ad bellum cum ſubditis noſtris proficiſceremur, aut Succeſſores noſtri proficiſcerentur, debebit dictus Illuſt. Dominus Marchio & Dux in Pruſſia, & ejus prænominati feudi Succeſſores Duces in Pruſſia, Nobiſcum cum centum equitibus armatis proficiſci, & intra limites Terrarum Pruſſiæ Nobis ſervire. Quodſi educere extra terminos Pruſſiæ illum, aut ejus Succeſſores Duces in Pruſſia cum ipſo equitatu voluerimus, aut Succeſſores noſtri voluerint, debebimus & Nos, & Succeſſores noſtri ad eosdem centum equites ſtipendium tale præbere, quale dare aliis noſtris mercenariis equitibus eſt ſolitum. Ubi vero Nos vel Succeſſores noſtri vellemus ipſum Dominum Marchionem, aut ejus nominatos poſteros ANNO 1589.

Anno 1589. Nobis & Succeſſoribus noſtris majori comitatu ſervire, debebimus Nos & Succeſſores noſtri his omnibus militibus, quos ultra centum prædictos conducere poſſet, mox poſt egreſſum a domibus ipſorum ſtipendium, quod noſtris militibus dabitur, illis, quamdiu ſervient, perſolvere. Si autem plures quam centum prædictos Equites ipſe Illuſtris Dominus Marchio, aut ejus Succeſſores Duces in Pruſſia educere non poſſent, non debebimus Nos, aut Succeſſores noſtri ab illo, aut poſteris ejus Ducibus in Pruſſia plura exigere. Præterea non debebit ipſe Illuſtris Dom. Marchio, & ejus prænominati feudi Succeſſores Duces in Pruſſia quidquam ex terris, civitatibus, oppidis, arcibus & bonis prædictis vendere. Verum ſi ad hoc illum, aut Succeſſores ejus ingens urgeret neceſſitas, tenebitur Nobis & Succeſſoribus noſtris, tanquam Dominis ſuis hæreditariis, ante omnia denuntiare. Quodſi Nos ipſi emere non curaverimus, aut Hæredes & Succeſſores noſtri non curaverint, in hoc caſu ipſe Dominus Marchio & Dux in Pruſſia, aut ejus legitimi feudi Hæredes ſeu Succeſſores, cuicunque voluerint vel potuerint, liberam habebunt vendendi facultatem, Regalibus tamen noſtris, feudi & obſequiorum juribus ſemper ſalvis remanentibus. Poterit autem ipſe Dux in Pruſſia & ejus feudi Hæredes, ubi eos neceſſitas urgens premeret, ex bonis prædictis, quantum opus foret, pignorare ſuis duntaxat vaſallis & ſubditis, ut eadem bona unita & indiviſa permaneant. Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta, & quæcunque alia, quæ Vaſallus & feudalis Princeps erga ſuum naturalem, hæreditarium ac ſuperiorem Dominum præſtare ac obſervare tenetur, debebit ipſe Illuſtris Dominus Marchio & Dux in Pruſſia ac ejus feudi Hæredes legitimi Succeſſores firmiter & inviolabiliter adimplere: Noſque viciſſim illum & Succeſſores ejus omni gratia & favore Regio complecti, ac illos in juribus & immunitatibus ipſorum conſervare, pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniæ pollicemur.

In quorum omnium fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum appendi juſſimus, & manu noſtra præſentes ſubſcripſimus. Datum Varſaviæ in Conventione Regni Generali die 18. Menſis Aprilis, An. Domini MDLXXXIX. Regni vero noſtri Anno ſecundo.

Præſentibus Reverendiſſimis, Reververendis, Illuſtribus, Magnificis, Venerabilibus ac Generoſis: Stanislao Karnkowſki Gneſnenſi, Legato Nato ac Regni noſtri Primate Archiepiſcopo, Hieronymo a Rozdrazow Vladislavienſi & Pomeraniæ, Luca a Końielec Posnanienſi, Petro Dunin Wolſki Plocenſi, Bernhardo Macieiowſki Luceorienſi, Alberto Boranowſki Premislienſi & Regni noſtri Vicecancellario, Laurentio Golicki Chełmenſi, Epiſcopis; Chriſtophoro Radzivil Duce in Bierże & Dubinki, Palatino Vilnenſi, M. D. Lit. Exercituum Campiductore, Solecenſ. Boriſovienſ. Kokenhauſenſique, Joanne Kiſzka Caſtellano Vilnenſi, Samogitiæ, Breſtenſique, Petro de Potulicze Caliſſienſi, Wiſſogrodenſi, Pilenſique, Joanne Hlebowiecz Trocenſi, Radoſkovienſi, Upitenſique, Alberto a Laſki Siradienſi, Marienburgenſiq; in Livonia, Nicolao Chriſtophoro Radzivil Duce in Olika & Nieſwiecz, Caſtellano Trocenſi, Saulenſique, Gregorio Zieleńſki Plocenſi, Mavenſique, Stanislao Kriſki a Drobnin Maſoviæ, Plocenſi, Dobrzinenſi, Stanislavovienſique, Stanislao Radzimińſki Podlachiæ, Livenſi, Camenecenſique, Stanislao Goſtomſki de Lezenicze Ravenſi, Radomienſique, Nicolao Działyńſki Culmenſi, Bratianenſique, Palatinis & Capitaneis; Stanislao Comite a Tarnaw, Sendomirienſi, Buſcenſi, Stobnicenſique, Joanne Comite a Tenczyn Voinicenſi, Lublinenſi, Parczovienſique, Joanne Dulſki Culmenſi, Theſaurario Regni, Branſcenſi, Suraſenſi, Svecenſi, Ragoſnenſi, Derſavienſique, Joanne Leſniovolſki de Obory Cernenſi, Parnavienſique in Livonia, Martino Lesniovolſki de Obory Podlaſſiæ, Zatorienſi, Loſſicenſique, Chriſtophoro Komorowſki Sandecenſi, Nicolao Firley de Dambrowica Biecenſi, Referendario Curiæ Regiæ, Korczynenſi, Caſimirienſique, Georgio Mniſzek de magna Konczyce Radomienſi, Sanocenſi, Samborienſique, Joanne Myſzkowſki de Mirow Zarnovienſi, Stanislao Mińſki Zakroczymenſi, Caſtellanis & Capitaneis: Andrea Opalinſki de Bnin, Marſchalco Regni, Majoris Poloniæ Generali, Sremenſi, Leżayſcenſique, Alberto Radzivil Duce in Ołyka & Nieświecz, M. D. Lit. Marſchalco, Caunenſique, Joanne de Zamoście Cancellario, & Exercituum Regni Generali, Belzenſi, Marienburgenſi, Derpatenſi, Kniſſinenſi, Miedzierecenſique, Leone Sapieha M. D. L. Vicecancellario, Sloninenſi, Markovienſi, Miadelenſiq; Officialibus & Capitaneis; Petro Tilicki Præpoſito Gneſnenſi, Cracovienſi, Varmienſiq; Secretario Reg. Majore, Joanne Tamowſki Referendario Curiæ Reg. Cracov. Vladislavienſi, Lancicienſi, Cruſvicenſique Anno 1589.

Anno 1589. ſique Præpoſito, Joanne Piotrowſki Decano Poſnanienſi, Canonico Cracovienſi, Joanne Kraſinſki Cantore Cracovienſi, Simone Rudnicki Cuſtode Gneſnenſi, Hiacintho Młodziojowſki Theſaurario Curiæ, Krzeczovienſi, Praſſenſique, Caſpare Maciejowſki Stabuli noſtri Præfecto, Scepuſ. Petro Opalinſki de Bnin, Inciſore Menſæ Noſtræ, & Rohatinenſi, Stanislao Kraſicki curruum Noſtrorum Præfecto, Lubomſcenſi, Bolemvienſique, Capitaneis Noſtris, Procopio Sieniawſki Pocillatore Curiæ, Petro Srzeniana Subdapifero noſtro, Balthaſare Stanislawſki Culinæ noſtræ Magiſtro, & aliis quam plurimis Dignitariis, Officialibus & Aulicis noſtris &c.

SIGISMVNDVS Rex.

(L.S.)

Reinholdus Heidenstein, *Secretarius Sac. Reg. Majeſt.*

CCLXXXIII.

Reſponſum Regis Sigismundi III. *Legatis Illuſtriſſimorum Marchionum Brandeburgenſium poſt Inveſtituram datum* Varſaviæ d. 25. Aprilis 1589. *Indidem.*

Quod benevolentiam atque ſtudium ſuum in Sacram Regiam Majeſtatem non ſolum arctiſſimæ neceſſitudinis, quæ cum Regia Maieſt. illis intercedit, commemoratione, verum officiorum etiam ſuorum diligentiſſima delatione Illuſtriſſimi Principes, Domini, Elector & Adminiſtrator Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Marchiones Brandeburgenſes, tam prolixe erga Regiam Majeſtatem declarent, gratiſſimum Regiæ Majeſtati accidit.

Cum enim Regia Majeſtas non minori amore atque benevolentia Illuſtritatesque eorum proſequatur, huic ſuo in illos animo, pari voluntate eas reſpondere, non potuit non vehementer gratum Regiæ Majeſtati eſſe. Ita autem Illuſtritates eorum ſibi perſuadebunt, benevolentiæ atque amoris erga Illuſtritates eorum declarandi, nullam in poſterum quoque occaſionem, quantum in Regia Majeſtate erit, Regiam Majeſtatem prætermiſſuram.

Quod ad homagium Pruſſicum attinet, ſperat Regia Majeſtas, quantum a ſe præſtare debuerit aut potuerit, omni ex parte Illuſtritatibus eorum ſatisfactum ea in re eſſe. Nam & Illuſtris Princeps Dominus Georgius Fridericus Marchio, uti Curator & Gubernator ægri Ducis Agnati ſui, & Ducatus illius, cum titulo & præeminentia Ducis per Legatos inveſtitus, & Illuſtriſſimi Principes Marchiones, Elector & Adminiſtrator, in perſona itidem Oratorum, ad contactum Vexilli, more & conſuetudine uſitata, admiſſi ſunt: quemadmodum ex ipſis Oratoribus ſuis, atque adeo Literis ipſis Inveſtituræ, quarum duo exempla confecta, unumque Illuſtris Principis Domini Georgii Friderici, alterum Illuſtritatum ſuarum Oratoribus traditum eſt, cognoſcent. Anno 1589.

Facta ſane proteſtatio contraria eſt: in eo tamen ſtatu, in quo antea fuerat, integram ſe rem relinquere, neque alterutrius Partis juri quicquam derogatum velle, Regia Majeſtas declaravit.

Cæteris etiam in rebus omnibus, ſi omnia Illuſtritates eorum de ſummo Regiæ Majeſtatis in ſe amore pollicitæ ſibi fuerint, non deerit ulla re expectationi huic de ſe Illuſtritatum ſuarum: de quo ut Legati etiam Illuſtritatum ſuarum pluribus Illuſtritatibus ſuis confirment, Regia Majeſtas poſtulat.

SIGISMUNDUS Rex.

(L.S.)

CCLXXXIV.

Literæ Sigismundi III. *Poloniæ Regis, quibus ſignificatur, Ducem totamq; Nobilitatem Pruſſiæ a teloneis ſolvendis immunes eſſe pro illis, quæ non mercandi cauſſa, ſed ad uſum proprium è Poloniæ ditionibus illuc devehuntur.* Dat. Varſaviæ d. 8. Septembris Anno 1592. *Ex Archivo Regni Lib. ult. Legat. fol. 74.* 1592.

Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. Eademque Gratia Regni Sueciæ proximus Haeres & futurus Rex. Univerſis & ſingulis theloneorum in Regno & dominiis noſtris Adminiſtratoribus, modernis & ſuo tempore exiſtentibus, eorumque Vicesgerentibus, Notariis, & aliis quibusvis, ſincere & fidelibus Nobis dilectis gratiam noſtram Regiam. Sincere & fideliter Nobis dilecti. Cum ea ſit Pactorum inter Sereniſſimos Praedeceſſores noſtros, Nosque adeo ipſos cum Illuſtribus Principibus in Pruſsia Ducibus a multo tempore continuatorum ratio-

Anno 1592. tio, ut ipſis, ipſorumque ſubditis, Equeſtris dumtaxat Ordinis, omnibus liberum eſſe debeat, res omnes & ſingulas, ad proprium uſum, neceſsitatem ipſorum, non ad mercaturam exercencendam pertinentes, per Regnum & dominia noſtra, terra vel aqua, ſine quavis thelonei ſolutione in ditiones ipſorum toties, quoties opus fuerit, educere & transvehere. Jam vero nonnulli in locis, praeſertim in finibus, ſaepius impedimenta hujus antipuiſsimae immunitatis objici intelligamus, mandamus ſerio hiſce Literis noſtris, ut ea praerogativa tam ipſum Illuſtrem Principem Dominum Georgium Fridericum Marchionem Brandeburgenſem &c. ac in Pruſsia Ducem, Cognatum noſtrum chariſsimum, Succeſſoresq; ejus Illuſtritatis legitimos, quam etiam ipſius ſubditos Nobiles frui & gaudere ex nunc & in poſterum toties, quotiescunque opportunum & neceſſarium fuerit, viſo Illuſtritatis ſuae teſtimonio permittant, nec quidquam theloneorum aut vectigalium, earum rerum nomine, quae in uſum proprium Illuſtris Principis, Ipſiusque Illuſtritatis Aulae, aut incolarum Ducatus Nobilium e Regno & dominiis noſtris transvehentur, aut educentur, exigant, vel poſtulent, nullamque moleſtiam illis, qui id curabunt, inferant, nec quaevis alia mandata noſtra his in rebus quocunque tempore a Nobis expectent & requirant, ſecus ne faciant pro gratia noſtra & officiorum ſuorum debito. Datae Varſaviae in Comitiis Regni Generalibus die 8. Menſis Septembris, Anno Domini 1592. Regni vero noſtri quinto.

SIGISMUNDUS Rex.

CCLXXXV.

1593. *Privilegia minoribus Civitatibus Pruſſiæ conceſſa a* Sigismundo III. *Polon. Rege.* Dat. Varſaviæ 12. Aprilis Anno 1593. *Ex Archivo Regni Lib. ſub Litt. WP. fol. 71.*

Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae &c. Significamus &c. Quod cum minores Civitates Terrarum noſtrarum Pruſsiae apud Nos per Internuntios conqueſtae eſſent, eis non modo contra Sereniſsimorum noſtrorum Ordinationes, Commiſſiones, Decreta, atque ipſas Terrarum noſtrarum Pruſsiae Conſtitutiones, contraque ipſarum antiqua inſtituta victus quaerendi rationes a Capitaneis & Tenutariis bonorum noſtrorumRegiorum praeripi, ſed etiam eas earumque incolas ab illis multis gravaminibus ita onerari, ut ad gravem inopiam tum privati cives & oppidani, tum etiam Communitates ipſae, quae ex privatis civibus conſtant, redigantur. Quare cum plurimum noſtra & Reipublicae intereſſe videamus, ut ſubditi noſtri circa jura privilegiaq;ſua conſerventur, utq; multae & opulentae Civitates & oppida reperiantur, quae in pace huic Regno ornamento,& ingruente aliqua bellorum tempeſtate praeſidio eſſe poſsint, minus aequum exiſtimamus, ſi civitates & oppida plus juſto aCapitaneis noſtris graventur, victusque ratio conditioni eorum competens illis praeripiatur. Quapropter Civitatibus minoribus Terrarum noſtrarum Pruſsiae opem afferre volentes, ut hoc tempore felicis regiminis noſtri priſtinis immunitatibus uti poſsint, ſuarumque facultatum incrementa majora percipiant, eisdem de benignitate & auctoritate noſtra Regia immunitates & praerogativas infraſcriptas nonnullas, decretis Sereniſsimorum Anteceſſorum noſtrorum, & Ordinationibus Ordinum Terrarum Pruſsiae conceſſas, nonnullas etiam Conſtitutionibus Terrarum Pruſsiae firmatas, priſtino uſui reddendas, quasdam vero de novo attribuendas & largiendas eſſe exiſtimavimus, prout reddimus, attribuimus, & largimur hoc noſtro Reſcripto perpetuis temporibus obſervandas. Nimirum quandoquidem braxatio cereviſiae, & ejus propinatio, ab antiquiſsimis temporibus civitatum & oppidorum peculiaris facultas fuerat, neque cuipiam extra civitates & oppida cereviſiam braxare, & propinare jus erat, ea quoq; ſubſequentibus ſaeculis Decretis Sereniſsimorum Anteceſſorum noſtrorum, & Ordinationibus Ordinum Terrarum Pruſsiae ita conſtituta eſt, ut in bonis Regalibus ea poteſtas braxandi & propinandi cereviſiam Capitaneis, Tenutariis, eorumque incolis omnino praecluderetur, ideo inhaerendo Decretis Sereniſsimorum Anteceſſorum noſtrorum, et Ordinationi publicae Terrarum Pruſsiae, ſtatuimus et ordinamus, ne deinceps Capitanei et Tenutarii bonorum noſtrorum in Terris Pruſsiae braxatione cereviſiae, excepta neceſsitate pro illis et praediis noſtris, nec etiam propinatione, et per tabernas omnes tam per ſe, quam per ſubmiſſas perſonas cujuscunque conditionis diſtributione, civitatibus et oppidis victus rationem praeripiant, ſed ut tabernarum uſum, braxandiq; exercitium ad effectum propinationis perpetuis temporibus civitatibus et oppi- Anno 1593.

Anno 1593.

oppidis relinquant, nec vel interdictis quibusvis, vel ſimiliter emendi obtruſione, aliisve modis aut oneribus turbent. Nec tabernatores & villarum Regiarum incolæ braxationem cereviſiæ ullam uſurpent, ideoque braxatoria in villis noſtris Regiis conſtructa in præjudicium civitatum ab Officialibus aboleantur, vel in alium uſum transferantur, iis tamen exceptis, qui antiquitus juxta publicam Terrarum Pruſſiæ ordinationem eam braxandi propinandique poteſtatem Principum privilegiis conceſſam habent. Porro ea privilegia, quæ forte poſt prædictum tempus cuique conceſſa ſunt, ea uti in præjudicium jurium civitatum & oppidorum emanata, irrita & nullius roboris eſſe volumus. Similiter interdicimus Capitaneis & Tenutariis noſtris vini cremati per tabernas villarum noſtrarum braxationem & venditionem. Ne autem cereviſia pro libitu cujuſque vendatur, ſtatuimus, ut cereviſia in civitatibus tantum propinanda & bibenda, juxta antiquum morem ab officio civili æſtimetur. Illam vero, quæ in villis noſtris erit dividenda, taxationi Conſiliariorum Terrarum Pruſſiæ in Conventibus congregatorum relinquimus, juxta quam æſtimationem, & non majoris pretii, vendatur. Mercaturæ exercendæ facultas in civitatibus & oppidis libera ſit civibus, neque Capitanei propter ſe & ſuos famulos, villarumque incolas ſe ingerant, ſecundum privilegium & decretum D. Sigismundi Augusti Avunculi noſtri. Inſtitas, cum id proprium ſit ubique civium, Capitanei in civitatibus ad vendendum haleces, & alia quævis mercimonia nullas habeant. Menſuram in molendinis non augeant Capitanei, ſed priſtina conſueta, & de jure competenti menſura contenti ſint. Electio Magiſtratus Civilis penes Conſules ſit, juxta juris Culmenſis obſervantiam & decreta Anteceſſorum noſtrorum, in quorum uſu antiquitus fuerunt. Capitaneis ſola electorum confirmatio relinquatur, quam illi non extrahant, nec denegent. In juriſdictione civili, omnibusque ad jura civitatum ſpectantibus, nec non proceſſibus ordinariis, Capitanei, antequam ad eos provocetur, Magiſtratus civiles quocunque etiam prætextu non turbent, nec ſalvos conductus, aut exemptiones tam a judiciis, quam ab oneribus civilibus cuique præſtent. In omnibus etiam negotiis, in quibus Capitanei de appellationibus cognoſcunt, ſi ſententiis Capitaneorum gravari ſe cives ſentiunt, appellationibus ad Tribunal noſtrum Regium interpoſitis, Capitaneis ſine acerbitate deferant, nec carceribus caſtrenſibus aliquem civium, cujuscunque etiam conditionis is fuerit, mancipent, ſed adverſus cives & alios, de jure forum in civitate habentes, ex delicto quoque contracto coram Magiſtratu civili jus requirant, atq; ibidem in juriſdictione civili jure delinquentes convinci, incarcerari & puniri, ſententiisque negotia quævis terminari debent, appellatione ad ſuperiorem judicem ſecundum privilegia publica ſalva permanente. Si vero Magiſtratus civiles in dicendo jure remiſſius aut negligentius egerint, non alibi, quam in judicio noſtro Regio ejus rei rationem reddere ad id citati debent. Juſtitia conquerentibus civibus de villanis per Capitaneos, ſine ulla procraſtinatione, juxta Juris Culmenſis præſcriptum adminiſtretur, & ſi id Capitanei recuſent, in noſtro judicio ad id vocati cauſam dicant. Criminalium executionem Capitanei, aliique Officiales noſtri, ad quos ea res ſpectat, non pertrahant, nec impediant. Quod ſi Judicio Civili cum Caſtrenſi in ejusmodi rebus aliqua interceſſerit controverſia, Nobis ea decidenda remittatur, & quid a Nobis decretum fuerit, obſervetur. Ad labores ruſticos, vulgo Szarwarki dictos, ſecundum jura civilia uſu antiquiſſimo firmata, cives non cogantur. Jus civitatis, niſi natalium literas, honeſtæque & legitimæ converſationis ſuæ teſtimonia proferant, nemini pateat. Capitanei vero jus civitatis cuipiam conferendi ſibi non uſurpent, neque quenque Magiſtratui civili obtrudant. Mulctæ pecuniariæ nonniſi a judicio civili decretæ per Capitaneos exigantur. Sportulas etiam appellationum Capitanei, ſi ſententiæ eorum retractatæ fuerint, partibus victricibus reddant. Contributiones ab eisdem civitatibus, juxta decreta Anteceſſorum noſtrorum, tam pro noſtro & Reipublicæ uſu, quam etiam in uſum civitatum neceſſarium, laudatas omnes ex æquo ferant, nec cives in conferendo, aut Conſules in exigendo per Capitaneos impediantur. Emptiones & venditiones frumentorum, aliarumque rerum quarumcunque nonniſi in foro publico civitatum exerceantur. Prohibeantque Capitanei, ne in viis publicis, villis, aut aliis quibuscunque locis ad juriſdictionem caſtrenſem ſpectantibus tale quid in præjudicium civitatum fiat. Deprehenſos etiam externos, & circumforaneos Scotos, Judæos, ſimilesque pœnis, in Conſtitutionibus Pruſſiæ & Privilegiis civitatum deſcriptis, coërceant. Foralia etiam juxta præ-

ANNO 1593. præſcriptum Conſtitutionis nullo modo prætextuque exigant. Opificum contubernia ut in civitatibus fiant frequentiora, & incrementa ſumant ex villis noſtris, & fundo caſtrenſi civitati contiguo opifices tollantur, nec ibidem amplius locum habeant, præſertim lanii, piſtores, ſutores, ſartores, pelliones, & vietores, ſeu doliarores, & id genus alii. Si quis vero artificium in fundo caſtrenſi civitati contiguo exercere velit, a ſui generis artificibus contubernium impetrare, & ea ratione contubernii legibus ſubjectus eſſe debet. Ab onere Podvodarum quemadmodum hactenus civitates omnes Pruſſiæ immunes fuerunt, ita inpoſterum perpetuis temporibus illas ab his immunes eſſe volumus. Novarum etiam veſtium venditores contra minorum civitatum jura & decreta, ab Anteceſſoribus noſtris lata, in fundo caſtrenſi Capitanei non ferant. Cumque expoſitum Nobis eſſet, quasdam civitates minores adeo eſſe oppreſſas, ut nec poſſint, nec audeant pro injuriis in judicio noſtro contra Capitaneos actionem inſtituere, idcirco ſtatuimus, ut liceat in poſterum civitatibus prædictis conjunctim pro injuria cujuslibet civitatis contra Capitaneos communi nomine in judicio noſtro experiri. Promittimusq; verbo noſtro Regio pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, quod circa easdem immunitates, prærogativas, conceſſiones noſtras prædictas civitates noſtras Pruſſiæ minores omnes & ſingulas conſervabimus, & manutenebimus, & Succeſſores noſtri conſervabunt, & manutenebunt, neque eas violari patiemur. Quod ſi aliquis eis contravenire præſumpſerit, de eo Nos juſtitiam competentem ipſis juris ordine adminiſtraturi ſumus. Quod ad omnium & ſingulorum, præſertim vero Capitaneorum noſtrorum, & Tenutariorum locorum quorumvis Pruſſiæ notitiam deducimus, eisque mandamus, ut ipſos etiam in iiſdem prærogativis omnibus & ſingulis, quas præſentibus illis concedimus, & ipſi conſervent, & ab aliis conſervari curent, & contra transgreſſores ſupraſcriptorum ſine ulla tergiverſatione executionem, pro gratia noſtra, & ſub pœnis in negligentes Officiales in legibus ſancitis, faciant. In cujus rei fidem &c. Datum Varſaviæ die duodecima Menſis Aprilis, Anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, Regni noſtri ſexto.

SIGISMUNDUS Rex.

CCLXXXVI.

ANNO 1593. *Confirmatio Decreti Commiſſorialis, quo donationes ab* ALBERTO *Seniore factæ caſſantur.* Datum Gedani die ultima Aug. Anno Domini 1593. *Ex Archivo Regni, Lib. ſub Litt. WP. fol. 330.*

SIGISMUNDUS &c. Significamus præſentibus Literis noſtris hujus & futuri temporis, tam in Magiſtratu aliquo conſtitutis, quam privatis, ad quos hæ noſtræ Literæ pervenerint, univerſis & ſingulis. Cum felici hac in paternum noſtrum Regnum Sueciæ profectione in civitatem etiam hanc noſtram Gedanenſem perveniſſemus, eodemque ab Illuſtri in Pruſſia Duce, Cognato & Affine noſtro chariſſimo, Legati ad Nos adiiſſent, prolatas coram Nobis fuiſſe nomine ejusdem Illuſtris in Pruſſia Ducis literas Commiſſariorum, olim a Divæ memoriæ SIGISMUNDO AUGUSTO, Deceſſore & Avunculo noſtro deſideratiſſimo, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo, poſt priores Anni ſexageſimi ſexti Commiſſarios in Pruſſiæ Ducatum allegatorum, quibus literis largitiones, alienationes & donationes, in univerſumque obligationes, & hæ omnes, quæ ingraveſcente ætate Illuſtris quondam in Pruſſia Ducis, Domini ALBERTI Senioris, ab expeditione uſque Marienverdenſi contra ERICUM Ducem Brunſuicenſem, ad finem uſque Anni ſexageſimi ſexti, partim per obreptionem, partim aliis malis artibus Conſiliariorum quorundam, publico poſtea ſupplicio affectorum opera, ſub ſigillo manuque ejusdem Illuſtris quondam in Pruſſia Ducis editæ in aliorum manus perveniſſent, jam ante per Commiſſarios, publica Comitiorum Regni authoritate ad conſtituendas res Ducatus illius miſſos, ſublatæ, reſciſſæque eorundem etiam ſecundorum Commiſſariorum, cum ejusdem divæ memoriæ Avunculi noſtri, tum Senatus & Ordinum Regni, uti ex ipſis literis caſſationis patet, authoritate peculiariter etiam reſcinduntur, tolluntur, damnanturque, quarum quidem literarum Commiſſarialium tenor de verbo ad verbum hiſce inſertus eſt hic:

Nos Joannes a Służewo Palatinus Breſtenſis &c. *Vide ſupra pag. 379.*

Ex quibus quidem literis, ſigillis, & manuum ſubſcriptionibus commemoratorum Commiſſariorum munitis, omnique ex parte integris & illæſis, apud Nos exhibitis, cum omnes ejus temporis inſeri-

ANNO 1593. ſcriptiones, obligationes, & literas a commemorato quondam Illuſtriſſimo in Pruſſia Duce ALBERTO Seniore obtentas publica eorundem Commiſſariorum authoritate legitime inductas reſciſſasque fuiſſe, demonſtratum Nobis fuiſſet, nihilominus tamen partim in manibus quorundam hujusmodi literas aliquas adhuc verſari jactarique, partim negotium etiam quosdam cum ipſi Illuſtriſſimo in Pruſſia Duci, tum Ordinibus Ducatus ejus ex illis nonnunquam exhibere non dubitare ſimul Nobis oſtenſum eſſet, utque & authoritatem ſupra commemorati divæ memoriae Avunculi noſtri publice interpoſitam, noſtra etiam authoritate tueri, & tranquillitati Ducatus ejus conſulere, & hominum importunitati hujusmodi obviam ire vellemus, diligenter ſupplicatum Nobis fuit, Nos tum æquitati, tum juribus etjam regalibus noſtris nihil magis convenire arbitrantes, quam ut quae ad ſupremi Dominii noſtri jus ſtatumque, & tranquillitatem Ducatus ejus conſtituendam publica quadam authoritate acta ſunt, ipſi etiam, quantum in Nobis eſt, tueamur, executionique mandemus ſuper recenſitis Decreti caſſationis Commiſſariorum literis, innitentes, omniaque alia reſcripta, in contrarium quibuscunque modis impetrata, & impetranda, caſſantes, idem Decretum caſſationis nunc noſtra quoque authoritate confirmamus, roboramus, perpetuisque temporibus firmum ac ratum eſſe debere decernentes, nullaque in parte derogatum ei volentes, omnes ejus generis & temporis literas, ab Illuſtri quondam in Pruſſia Duce ALBERTO quacunque ex cauſa & nomine profectas, & a quocunque cujuscunque ſtatus, eminentiae aut conditionis, ſive intra, ſive extra Regnum is fuerit, impetratas, eadem noſtra Regia authoritate denuo reſcindimus, caſſamus, easque nullius roboris, ac valoris perpetuis temporis eſse debere, poſſeſſoresque ejuscemodi literarum, & inſcriptionum ad exhibendum, & reſtituendum eas repetentibus de jure teneri, & cujusvis Magiſtratus officio compelli debere ſtatuimus, ab iisdemque cum ipſum Illuſtrem in Pruſſia Ducem, Succeſſoresve ejus, tum Ordines ipſos Ducatus ejus in perpetuum liberos pronunciamus decernimusque, quemadmodum quidem nos in cauſa LEŻDÆORUM * omnes obligationes, inſcriptiones, literas, in univerſumque omnia acta, ad cauſam eandem pertinentia, quae apud fiſcalem noſtrum certa ex cauſa detinebantur, hoc ipſo tempore commemorati in Pruſſia Ducis Legatis tradi mandavimus eademque omnia in perpetuum reſcindentes caſſantesque, eundem Illuſtrem in Pruſſia Ducem, Succeſſoresque Illuſtritatis ejus, tum ipſos Ducatus ejus Ordines ab iisdem perpetuis temporibus liberos eſſe, ac ſi quis forte negotium ex ejusmodi, & ſimilibus literis faceſſere illis voluerit, tanquam in cauſa ad authoritatem noſtram Regiam maxime pertinente, Nos Succeſſoresque noſtros curaturos eos, defenſurosque, noſtro ac Succeſſorum noſtrorum nomine præſentibus hiſce, verbo noſtro Regio promittimus, ſpondemusque. Quæ cum omnia firma, & rata eſſe velimus, ad omnium ſingulorumque notitiam hæc deducentes, nequis contra literas has noſtras attentare quid audeat, pro gratia noſtra, & ſub pœna contra violatores mandatorum noſtrorum ſancita, ſerio mandamus, majoris fidei ac roboris cauſa &c. Datum Gedani die ultima Menſis Auguſti Anno Domini MDXCIII. Regni noſtri ſexto. ANNO 1593.

SIGISMUNDUS Rex.

* LEZDA chartam ſignificat, qua alicui libertas a teloneo, vel a quocunque cenſu inſcribitur. Gloſs. du Conge.

CCLXXXVII.

1605.

Plenipotentia Internuntiorum Marchionis Brandeburgenſis in negotio Pruſſiæ. Dat. Coloniæ ad Spream 2. Jan. Anno 1605. *Libr. ſub Litt. V. T. fol. 102.*

SIGISMUNDUS, &c. Significamus &c. Oblatas Nobis eſſe Literas pargameneas infraſcriptas fidei Internuntiis ab Illuſtriſſimo JOACHIMO FRIDERICO Marchione Brandeburgenſi &c. & in Pruſſia Duce ad continuandum negotium Pruſſicum datas, ſanas, ſalvas, omnique ſuſpicionis nota carentes, manuque ipſius propria ſubſcriptas, & ſigillo ejusdem appenſo munitas. Earum vero Literarum tenor eſt talis „ Nos Dei Gratia JOACHIMUS FRIDERICUS Marchio Branburgenſis, Sac. Rom. Imperii Archicamerarius & Elector, in Pruſſia &c. Dux &c. Omnibus & ſingulis Literas haſce viſuris, teſtatum facimus, quod ad Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem Dominum SIGISMUNDUM III. Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litthvaniæ &c. Dominum Conſanguineum & Affinem noſtrum obſervandiſſimum, ut & Reverendiſſimos, Illuſtriſſimos Domin. Senatores Ordinis Inclyti Regni, in Comitiis Generalibus Varſaviæ unanimiter congregatos, Dominos Amicos & Vicinos noſtros appri-

Anno 1605. apprime dilectos & honorandos, præſentium exhibitores Illuſtriſſimos, Magnificos, Generoſos Vaſallos, & Conſiliarios noſtros primarios & ſecretiores fideliter Nobis dilectos, Medigonem Raymarum Granchz, Liberum Baronem in Putlitz, Iſaacum Kracht, Chriſtophorum Benckendorf Vicecancellarium, & Joachimum Hubner, in Pruthenico negotio tandem ad exitum certum & firmum perducendo cum plenis & ſufficientibus mandatis ablegaverimus. Quod quidem jus noſtrum in Ducatu Pruſſiae Nobis competens, utpote a Divis Regibus Poloniae, Domino Sigismundo Augusto, Domino Stephano (quorum animae in benedictione) & jam regnante ſua Regia Serenitate Domino Sigismundo III. cujus nomen debitae obſervantiæ ergo reiteramus, Illuſtriſſimis Majoribus noſtris beatae recordationis Nobis item ac omnibus ex noſtra Familia in Electoratu ſuccedentibus, in omnium Regni Ordinum aſpectu & frequentia, nemine penitus contradicente, aſſignatum ſolenniter, & ampliſſime confirmatum, ac redintegratum, ulteriore probatione non indigeat, tamen conſervandi, continuandi, & ad poſteros propagandi ejus cauſa, prædictis noſtris Conſiliariis & Legatis integram, plenam, liberam & abſolutam potentiam ac facultatem dedimus, nomine & loco noſtro Ser. R. Majeſtatem nec non Illuſtriſſimos & Ampliſſimos Dominos Senatores ac Ordines Auguſtiſſimi Regni Poloniae compellandi, cum Illuſtritate ejus, & Reverendiſſimis Illuſtribus ac Magnificis eorum Dominationibus conferendi, tractandi, concludendi, atque omnia ea faciendi, quae temporis opportunitas, & negotii ipſius rationes & momenta, mores item conſuetudoque Regni Poloniae exigent, & quae Nobis ipſis, ſi coram Varſaviae eſſemus, præſtanda & perficienda forent. Damus itaque, tribuimus & largimur nominatis Conſiliariis & Legatis noſtris univerſis & ſingulis, ad prædicta omnia peragenda hiſce Literis noſtris abſolutam, plenam, integram ac liberam potentiam & facultatem omni meliori forma, via, ac modo, ſicut de jure, aut inclyti Regni Regiæque Curiae conſuetudine id rite & legitime fieri poteſt, atque cum clauſulis omnibus legitimis, neceſſariis, ſalutaribus, & ad rem ipſam pertinentibus, ac ſi expreſſis verbis illæ omnes ac ſingulæ huic Plenipotentiæ inſertae eſſent. Quin etiam ſi in tractatione earum rerum ad aliqua ſeſe Legati noſtri obtulerint, aut noſtra vice quid promiſerint, quae ſpeciale mandatum & authoritatem noſtram requirere videbuntur, hanc quoque ipſis tribuimus, Anno 1605. non minus ac ſi expreſſa illa omnia hic eſſent, quanta & quoties omnino ſingulis in rebus opus habebunt. Quæcunque autem a Legatis noſtris in hoc negotio inſtituta, geſta, concluſa, ac peracta fuerint, ea omnia rata & grata Nos habituros, nec unquam impugnaturos, ſed fide bona, quæque Principem Beneficiarium decet, ſine ullo effugio aut exceptione tam juris quam facti, ſineque dolo & fraude præſtituros & impleturos promittimus atque aſſeveramus. In quorum omnium & ſingulorum fidem ac certitudinem, firmius ac evidentius teſtimonium, præſentes manu noſtra, re bene deliberata, ſubſcripſimus, & ſigillo noſtro roboravimus. Data Coloniæ ad Spream ex Arce noſtræ Electorali poſtridie Kalendas Januarii Anno MDCV. ineunte. Joachimus Fridericus Elector. Johan a Loben Cancellarius *mp.* Quas quidem Literas Nos in Acta inſcribi & earum reſcriptum autenticum extradi mandavimus, volentes ut robur ſuum atque earum originales obtineat. In cujus rei fidem &c. Datum Varſaviae die 30. Menſis Jul. Anno Domini MDCV. Regnorum noſtrorum Poloniæ XVIII. Succiae XII. Relatio &c.

CCLXXXVIII.

Tractatus & Conditiones habitæ cum Internuntiis Brandeburgenſibus in negotio Pruſſiæ. Dat. Varſaviæ 30. Jul. 1605. *Ex Arch. Regni Libr. V. T. fol. 103.*

Sigismundus &c. Significamus &c. Oblatas eſſe Nobis Literas infraſcriptas papyreas manibus Internuntiorum Illuſtris Joachimi Friderici Marchionis & Electoris Brandeburgenſis ſub ſcriptas, & ſigillis eorundem obſignatas, ſanas, ſalvas & omni ſuſpicionis nota carentes, quas ut in Acta noſtra inſcribere mandare dignaremur, ſupplicatum Nobis eſt. Earum vero Literarum tenor eſt talis.

„ Nos Vedigo Reimar Gancz, liber Baro in Putlicz & Wolfshagen &c. Iſaac Kracht in Lindenbergk &c. & Joachimus Huebner &c. Illuſtriſſimi Principis ac Domini Domini Joachimi Friderici Marchionis & Electoris Brandeburgenſis &c. Conſiliarii & Legati ſignificamus notumque facimus præſentibus hiſce, quorum intereſt, intereritve, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis. Cum de jure ſucceſſionis in Ducatu Pruſſiæ [illegible]nendo confirmandoque aliasque ad

ANNO 1605. ad eam rem pertinetes conditiones tractandas, ad Sereniſſimum Principem ac Dominum SIGISMUNDUM III. Dei Gratia Regem Poloniæ &c. Illuſtriſſimum Senatum & Ampliſſimos Regni Ordines in Comitiis Regni plena cum facultate & mandatis, cujus rei plenipotentia noſtra exhibita & tradita fidem fecimus, miſſi eſſemus. Ac vero ob temporis negotiorumque difficultatem de toto negotio nihil dum certi in hiſce Comitiis conſtitui potuiſſet, interim tamen & de conditionibus certis reſponſo Regio comprehenſis Nobiſcum actum, & cura Illuſtriſſimi ægri Principis, Ducatusque ejus adminiſtratio, quoad in futuris Comitiis omnium Ordinum conſenſus a S. R. Majeſtate atque Ampliſſimo Senatu ad cauſam adjungeretur, certis itidem conditionibus jure ſucceſſionis in eo interim, in quo nunc eſt, ſtatu integre relicto, in Perſonam ſupra memorati Illuſtriſſimi Principis noſtri, Marchionis Electoris Brandeburgenſis, eidem reſponſo a Sac. Regia Majeſtate, cum conſilio & conſenſu Senatorum ſuorum delata fuiſſet. Quod easdem conditiones præfato reſponſo comprehenſas, ſecundum ejusmodi reſponſi tenorem, quemadmodum Illuſtriſſimi Principis noſtri nomine plenum integrumque noſtrum conſenſum in eas præbuimus, easdemque per omnia accepimus, præbemus, accipimusque præſentibus hiſce. Ita in omnibus ejusdem reſponſi punctis, clauſulis, articulis commemoratam Illuſtriſſimam Celſitudinem ſuam integras, illæſas, firmeque & inviolabiliter obſervaturam, præſenti hac noſtra cautione cavemus, ſpondemusque. Præter conditiones etiam, in reſponſo Regio comprehenſas, uſuras ſummæ Piltenenſis, tam futuras, quam præteritas condonatas eſſe, neque unquam repeti libere repetiturum iri. Quæ omnia ſub fide ac verbo Illuſtriſſimi Principis noſtri, ut a quo quidquid Illuſtriſ. Celſitudinis ejus nomine promiſerimus, conſtituerimusve, Illuſtriſſimam Celſitudinem ſuam integre inviolabiliterque ſervaturam, mandatis noſtris a nobis exhibitis oſtendimus, cavemus, promittimus, ſpondemusque omnia bona fide & ſine dolo. Majoris fidei cauſa præſentes manuum noſtrarum ſubſcriptione, & ſigillorum noſtrorum impreſſione confirmamus. Actum Varſaviæ X. die Martii Anno MDCV.

Wedigo Reimer. GL. Baro in Putlitz. mpp.
Iſaac Kracht. mppr.
Joachimus Huebner. mppr.

Quas quidem Literas in Acta inſcribi, & earum reſcriptum authenticum extradi mandavimus, volentes, ut robur ſuum atque earum Originales obtineant. In cujus rei &c. Datum Varſaviæ die 30. Menſis Julii, Anno Domini MDCV. Regnorum noſtrorum Poloniæ XVIII. Sueciæ vero Anno XII. ANNO 1605.

Relatio Reverendi in Chriſto Patris D. Mathiæ Pſtrokońſki Epiſc. Premis. & R. P. Vicecanc.

CCLXXXIX.

Diploma SIGISMUNDI III. *Poloniæ Regis, quo, vita functo* GEORGIO FRIDERICO, *Curatio Ducis & Ducatus Pruſſiæ confertur* JOACHIMO FRIDERICO *Electori Brandeburgenſi.* Datum Varſaviæ II. Mart. Ann. 1605. *Ex Archivo Regni Lib. ſub Litt. VT. fol. 109.*

SIGISMUNDUS &c. Significamus &c. Quod cum Illuſtri Principe Domino GEORGIO FRIDERICO Marchione Brandenburgenſi in Pruſſia Duce &c. Conſanguineo noſtro deſideratiſſimo, cui cura Illuſtris ægri in Pruſſia Principis Domini ALBERTI FRIDERICI a Sereniſſimo Deceſſore noſtro Divo STEPHANO Rege conceſſa, ac a Nobis confirmata fuerat, vita functo alius a Nobis pro jure ſupremi & directi Dominii noſtri, præfato Illuſtri ægro Principi Curator, & Ducatus in Pruſſia Adminiſtrator eſſet ſufficiendus. Nos conſiderantes & præ oculis habentes Illuſtriſſimi Principis Domini JOACHIMI FRIDERICI Marchionis & Electoris Brandeburgenſis, ac in Pruſſia Ducis, Conſanguinei noſtri chariſſimi, partim ſingulare erga Regnum hoc noſtrum, Nosque adeo ipſos ſtudium, partim etiam arctum agnationis vinculum, quod Celſitudini ſuæ cum Illuſtri Principe ALBERTO FRIDERICO prædicto intercedit, faciendum Nobis exiſtimavimus, non tam juris neceſſitate adacti, quam adducti mera gratia & benevolentia noſtra erga eundem Illuſtriſſimum Principem Electorem, Dominum JOACHIMUM FRIDERICUM, ut ad poſtulata Celſitudinis ejus, quæ ipſa fuerunt etiam præterea multorum tam Sereniſſimorum Regum, quam Illuſtrium Germaniæ Principum & Electorum, Conſanguineorum, Amicorum & Vicinorum noſtrorum chariſſimorum, Legationibus & interceſſionibus ornata, curationem præfati Illuſtris Domi-

Anno 1605. Domini Alberti Friderici Ducis in Pruſſia, Ducatusque ipſius univerſi, ac bonorum denique ac redituum ex eo Ducatu quacunque ratione provenientium, (quæ alioquin curatio Nobis ipſis, ut directo totius Pruſſiæ Domino, in tam triſti Illuſtris Domini Ducis in Pruſſia caſu præ cæteris omnibus hominibus competebat) ad Celſit. potiſſimum ipſius deferremus, Eumque Curatorem præfati Illuſtris Domini Alberti Friderici Ducis, & totius Ducatus Adminiſtratorem & Gubernatorem authoritate noſtra Regia crearemus & conſtitueremus, admittendo Celſitudinem ſuam ad regimen Ducatus iſtius cum titulo ipſius, ita quidem, ut eum Ducatum Celſitudo ejus obtineat, gerat, atque adminiſtret, cum omnibus proventibus, fructibus, utilitatibus, emolumentis, prærogativis, etiam & præeminentiis, quibuscunque & quocunq; nomine vocatis, ad Ducem in Pruſſia pertinentibus, ſalvis tamen in omnibus & per omnia juribus noſtris, Regnique noſtri Ducatusque illius ac ejus ſubditorum, pactisque antiquis, quæ omnia ſarta & tecta conſervari, nec ullum iis præjudicium hac ejusmodi curationis & gubernationis atque adminiſtrationis conceſſione adferri volumus. Quoniam autem adminiſtratio, gubernatio, curatio denique hæc omnis ex illa, quam diximus, Illuſtris Domini Alberti Friderici Ducis mentis ægritudine dependeat, volumus, & his Litteris diligenter omnino cavemus, ut Illuſtritati ejus in hac quidem infirmitate valetudinis conſtitutæ, de rebus omnibus, ad victum & cultum corporis pertinentibus, per Illuſtriſſimum Dominum Principem Electorem Joachimum Fridericum prædictum pro dignitate proſpiciatur. Si vero, quod maxime optamus, Illuſtritas ipſius ad priſtinam mentis ſanitatem per DEI gratiam redierit, liberosve maſculos Hæredes ſuſceperit, illi ipſi, vel illis, ubi ad ætatem legitimam pervenerint, & non alias, nec prius Ducatu ipſe cedere Illuſtriſſimus Dominus Princeps Joachimus Fridericus, & curationis & adminiſtrationis ſuæ rationes reddere tenebitur. In eis tamen reddendis, ſi quid reſpectu ejus Ducatus Illuſtritas ejus ſumptus fecerit, aut erogaverit, id omne ut recte expenſum ſuſcipi debebit. Nec minus Illuſtritatis quoque ipſius Conjugi, Dominæ Mariæ Leonoriæ, natæ ex Juliacenſi & Clivenſi, Montenſique Familia, Marchioniſſæ Brandeburgenſi, ac in Pruſſia Duciſſæ proſpectum eſſe volentes, diligenter hoc privilegio noſtro cavemus, ut jura Illuſtrit. ipſius quod ad rationes dotis & contradotis ac donationis propter nuptias attinet, integra, ſarta & tecta conſerventur. Atque hæc quidem omnia, quæ ad præſentem conceſſionem noſtram pertinent, ut ſuum ſortiantur effectum, Literas & Mandata noſtra dedimus, quibus eam conceſſionem noſtram Statibus ejusdem Ducatus denuntiamus, omniaque faciemus, quæ ex authoritate noſtra ad pacandam, retinendamque Celſitudinem ipſius pacificam curatelæ Ducatusq; ipſius adminiſtrationem pertinere videbuntur. Salvis manentibus omnibus illis conditionibus, quæ in proxime præteritis Comitiis Varſavienſibus a Nobis, conſilio conſenſuque Senatorum noſtrorum, ſtatutæ & determinatæ, nec non per Dominos Legatos Celſit. ipſius, ſufficienti mandato & plenipotentia inſtructos, ratæ, grataeque habitæ ſunt, quas, acſi hic expreſſe inſertæ eſſent, ſartas tectasque manere, & firmiter obſervari volumus. Itaque curationem propter Illuſtris Domini Alberti Friderici, Ducatusque Pruſſiæ adminiſtrationem & gubernationem, quam Illuſtriſſimo Principi Electori Domino Joachimo Friderico contulimus, aſſignavimus & dedimus, Nos & Succeſſores noſtros ejusdem Celſ. conſervare & manutenere promittimus. Salvis per omnia juribus Regni noſtri Ducatusque illius, & pactis veteribus manentibus, quibus omnibus nihil per præſentes derogatum eſſe volumus. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum fidem præſentes manu propria ſubſcripſimus, & ſigillo Regni noſtri communiri juſſimus. Datum Varſaviæ die 11. Menſis Martii Anno Domini 1605. Regnorum noſtrorum Poloniæ 18. Sueciæ vero Anno 12. Præſentibus Illuſtriſſimis, Reverendiſſimis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis & Nobilibus Joanne Zamoyſki Archiepiſcopo Leopolienſi, Bernardo Maciejowſki Sac. Rom. Eccl. Cardinali, Epiſcopo Cracovienſi, Petro Tylicki Vladislavienſi & Pomeraniae, Laurentio Goſlicki Poſnanienſi, Alberto Baranowſki Plocenſi, Simone Rudnicki Varmienſi, Martino Szyſzkowſki Luceorienſi, Mathia Pſtrokońſki Premislienſi, & Regni Poloniae Vicecancellario, Laurentio Gembicki Culmenſi, Chriſtophoro Kazimirſki Kijovienſi, Paulo Wołucki Camenecenſi, Epiſcopis; Hieronymo Goſtomſki Poſnanienſi, Sredenſique noſtro Capitaneo, Nicolao Chriſtophoro Radziwił Duce in Ołyka & Nieſwież Vilnenſi Szadovienſique noſtro Capitaneo, Georgio Mniſzech de magna Kuńczyce Sendomirienſi, Leopolienſi, Samborienſique

Anno 1605. que Capitaneo, Alexandro Koniecpolſki Siradienſi, Tarnovienſique noſtro Capitaneo, Carolo Chodkiewicz Capitaneo noſtro Samogitiae, Stanislao Minſki Lancicienſi, Plocenſique noſtro Capitaneo, Stanislao Gulſki Ruſſiæ, Barenſique noſtro Capitaneo, Stanislao Kraſinſki Plocenſi, Hieronymo Paris Maſoviæ, Januſſio Duce a Zbaraz Braclavienſi, Palatinis; Joanne Comite ab Oſtrorog Poſnanienſi, Stanislao Bykowſki Lancicienſi, Siradienſique noſtro Capitaneo, Petro Myſzkowſki a Myrow Lublinenſi, Tyſzovienſique noſtro Capitaneo, Andrea Firley de Dambrowica Radomienſi, Zbigneo Oſſolinſki Zarnovienſi, Caſtellanis; Chriſtophoro Dorochoſtayſki Mag. Duc. Lith. Supremo Marſchalco, Leone Sapieha Mag. Duc. Lithv. Cancellario, Nicolao Wolſki Regni, Petro Wieſiołowſki Mag. Duc. Lithv. Curiæ Marſchalcis, Andrea de Bnin Opalińſki Regni noſtri Secretario Majore, Henrico Firley Scholaſtico Cracovienſi, & Joanne Thoma Drohojewſki Capitaneo Premislienſi Referendariis Curiæ noſtræ, Jacobo Lempicki Gneſnenſi, Cracovienſi, Canonico, Reinholdo Heyndenſtein, Secretariis; & aliis quam plurimis Dignitariis, Secretariis & Aulicis noſtris.

SIGISMUNDUS Rex.

CCXC.

Ratificatio Joachimi Friderici *Electoris Brandeburg. ac Ducis Conditionum ab ejus Legatis cum Rege Regnoque Poloniæ conventarum: ubi quoque uſuræ ſummæ Piltenſis tam præteritæ quam futuræ condonantur.* Dat. Coloniæ cis Suenum 2. Jul. Anno 1605. *Ex Archivo Regni Libr. V. T. fol. 111.*

Sigismundus &c. Significamus &c. Oblatas eſſe Nobis Literas infra ſcriptas pargameneas manu Illuſtris Domini Joachimi Friderici Electoris ſubſcriptas, & ſigillo ejusdem appenſo in ſerico albo & nigro communitas, ſanas, ſalvas, illoeſas, omni ſuſpicionis nota carentes, quas ut in Acta Cancellariæ noſtræ inſcribere mandare dignaremur, ſupplicatum Nobis eſt. Earum vero Literarum tenor de verbo ad verbum eſt talis. „Nos Dei Gratia Joachimus Fridericus Marchio Brandeburgenſis, Sacri Rom. Imperii Archicamerarius & Elector, Pruſſiæ, Stetinenſium, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum, nec non in Sileſia Croſinæ & Carnoviæ Dux, Burgravius Norembergenſis. Rugiæque Princeps. Univerſis & ſingulis, ad quorum notitiam præſentes noſtræ Literæ pervenerint, ſignificamus & notum facimus. Cum ad Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum Sigismundum Tertium Dei Gratia Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarium Regem &c. Dominum noſtrum Clementiſſ. ac Conſangvineum & affinem obſervandum nec non Illuſtriſſimum Senatum & Ampliſſimos Regni Ordines in Comitiis, Varſoviæ proxime habitis, congregatos Dominos itidem & amicos ſincere Nobis dilectos, Illuſtres, Magnifici & Generoſi Conſiliarii ſecretiores noſtri & apprime fideles Wedigo Reymar Gantz Liber Baro in Putlitz & Wolfshagen, Iſaac Kracht in Lindenberg & Joachimus Huebner juris noſtri ſuper ſucceſſione Ducatus Pruſſiæ retinendi, ac poſſeſſionis ejusdem apprehendendæ nec non tranſigendarum conditionum quarundam cauſam hanc concernentium gratia cum Plenipotentia a Nobis ablegati eſſent, iique temporis brevitate intercluſi, & negotiorum mole impediti cum Ser. Reg. Majeſtate & Illuſtriſſimis ac Ampliſſimis Regni Ordinibus de ſumma rei tranſigere tunc non potuerint, interim tamen de certis conditionibus reſponſo Regio comprehenſis tractatus interceſſerint, & ut ſuper tranſactis de ratihabitione noſtra cautionem ſuam interponerent, ab ipſis poſtulatum fuerit. Quam & in ſcriptis, ut inſertio ſequens de verbo ad verbum teſtatur exhibuerunt. Nos Wedigo Reymar Gantz Liber Baro in Putlitz & Wolfshagen, Iſaac Kracht in Lindenberg & Joachimus Huebner Illuſtriſſimi Principis ac Domini Domini Joachimi Friderici Marchionis & Electoris Brandeburgenſis Conſiliarii ac Legati, ſignificamus notumque facimus præſentibus hiſce, quorum intereſt, intereritve, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis. Cum de jure ſucceſſionis in Ducatu Pruſſiæ retinendo confirmandoque, aliasque ad eam rem conditiones pertinentes tractandas ad Sereniſſimum Principem ac Domin. Domin. Sigismundum III. Dei Gratia Regem Poloniæ &c. Illuſtriſſimum Senatum ac Ampliſſimos Regni Ordines in Comitiis Regni plena cum facultate & mandatis, cujus rei plenipotentia noſtra exhibita & tradita fidem fecimus, miſſi eſſemus:

ANNO 1605. ac vero ob temporis negotiorumque difficultatem de toto negotio nihil dum certi in hiſce Comitiis conſtitui potuiſſet, interim tamen & de conditionibus certis reſponſo Regio comprehenſis nobiſcum actum, & cura Illuſtriſſimi ægri Principis, Ducatusque ejus adminiſtratio, quoad in futuris Comitiis omnium Ordinum conſenſus a Sacr. Reg. Majeſtate atque Ampliſſimo Senatu ad cauſam adjungeretur, certis itidem conditionibus jure ſucceſſionis, in eo interim, in quo nunc eſt, ſtatu integre relicto, in Perſonam ſupra memorati Illuſtriſſimi Principis noſtri Marchionis Electoris Brandeburgenſis eodem reſponſo a Sacr. Reg. Majeſtate cum conſilio & conſenſu Senatorum ſuorum delata fuiſſet. Quod easdem conditiones præfato reſponſo comprehenſas, ſecundum ejusdem reſponſi tenorem, quemadmodum Illuſtr. Principis noſtri nomine plenum integrumque conſenſum noſtrum in eas præbuimus easdemque per omnia accepimus, præbemus, accipimusque præſentibus hiſce. Ita in omnibus ejusdem reſponſi punctis, clauſulis, articulis, commemoratam Illuſtriſſimam Celſitudinem ſuam integras illæſasque, firmeque & inviolabiliter obſervaturam præſenti hac noſtra cautione cavemus ſpondemusque. Præter conditiones etiam in reſponſo Regio comprehenſas, uſuras ſummæ Piltenſis, tam futuras quam præteritas, condonatas eſſe, neque unquam repeti debere repetitumve iri: Quæ omnia ſub fide ac verbo Illuſtriſſimi Principis noſtri, ut quidquid Illuſtriſſimæ Celſitudin. ejus nomine promiſerimus conſtituerimusve, Illuſtriſſimam Celſitud. ſuam integre inviolabiliterque ſervaturam, mandatis noſtris a Nobis exhibitis oſtendimus, cavemus, promittimus ſpondemusque bona fide & ſine dolo, Majoris fidei cauſa præſentes manuum noſtrarum ſubſcriptione, & ſigillorum noſtrorum impreſſione confirmamus. Actum Varſaviæ die X. Martii Anno Domini MDCV. Quod illam ipſam cautionem & contextum ejusdem cum omnibus inſertis articulis & clauſulis ſub verbo Principali pro propria recognoverimus, recognoſcimus, ratam habemus, ratificamus, & ratam eſſe volumus, imo in Nos ſancte recipimus, promittimus, & pollicemur, Nos noſtrosque Heredes maſculos, & in Electoratu ſuccedentes, puncta univerſa & ſingula in ea contenta inviolabiliter obſervaturos, nec ullo unquam tempore aliquid, quod ipſam vel jure vel facto infringere, aut labefactare poſſit, conceſſuros vel permiſſuros eſſe. In cujus fidem firmiorem præſentes ſubſcriptione & ſigillo noſtro Electorali communivimus & corroboravimus. Quæ dabantur Coloniæ cis Suenum ſecunda die Menſis Julii Anno Virginei Partus ſupra Sesquimilleſimum Centeſimo quinto. JOACHIMUS FRIDERICUS Elector Joannes a Joben Cancellarius *mp.* "

Quas quidem Literas ſupra ſcriptas in Acta Cancellariæ noſtræ inſcribi mandavimus, volentes, ut earum reſcriptum authenticum non ſecus ac ſi originales haberentur, robur ſuum debitum ſemper obtineat. In cujus rei fidem &c. Datum Cracoviæ die XXX. Menſis Julii Anno Domini MDCV. Regnorum noſtrorum Poloniæ XVIII. Sueciæ vero Anno XII.

Relatio Reverendi in Chriſto Patris Domini Mathiæ Pſtrokonſki Epiſcopi Premislienſis & R. P. Vicecancellarii.

CCXCI.

Reſponſum SIGISMUNDI III. *Poloniæ Regis datum Nuntiis Nobilitatis Pruſſiæ.* Varſaviæ 25. Feb. 1609. *Ex Archivo Theſ. Regni.* 1609.

Quod fidem obſequiaque in Sacram Regiam Majeſtatem, Dominum noſtrum clementiſſimum, Regnumque, veſtra teſtificamini, ut officium ea in re veſtrum S. R. Majeſt. Ampliſſimique Regni Ordines agnoſcunt, ita clementia & propenſione ſua complecti, proſequiq; ea non intermittent. De negotio Illuſtriſſimi Principis Electoris ita Sacra Reg. Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, cum Ampliſſimo Senatu ſtatuit, ut ipſius quidem Feudi negotium, ſine alterutrius partis juris praejudicio, ad proxime futura Comitia in eo, in quo nunc eſt, ſtatu integrum relinqueret: Curatelam Illuſtriſſimi Principis ALBERTI iis per omnia conditionibus, quibus laudatiſſimae memoriae Illuſtriſſimus Parens ejus illam habuit, ex Ampliſſimi Senatus ſententia Illuſtriſſimae Celſitudini ejus conferendam cenſeret. Inprimis vero, quemadmodum inter ſuperioris curatelae conditiones, Illuſtriſſimi Principis ALBERTI FRIDERICI aegri conditioni proſpectum voluit, ita nunc etiam ſummae curae S. Reg. Majeſtati id eſt, & poſthac etiam erit: libertates item, jura, privilegia, ut aliorum Ordinum, ita Equeſtris etiam, per omnia integra ſalvaq; eſſe vult; utque ſecundum formulam regiminis omnia

Anno 1609. nia in Ducatu eo adminiſtrentur, ſtatuit: neve contra ejusdem regiminis formulam quid quomodocunque fiat, aut novis impoſitionibus, oneribusve graventur, permittet: in univerſumque jura, privilegia, donationes, praerogativas immunitates, conſuetudines honeſtas & laudabiles, denique omnia & ſingula, quae ut aliis incolis Ducatus Pruſſiae, ita inprimis Equeſtri Ordini, vel ab Ordine Teutonico, vel a Sereniſſimis Poloniae Ducibus, divae memoriae Casimiro, caeteriſque Regibus Deceſſoribus Sacrae Regiae Majeſtatis, juſte, legitimeq; conceſſa, & denique ab Illuſtriſſimis Domus Brandenburgicae Principibus confirmata ſunt, Sacra Regia Majeſtas confirmat, nullaque re violari minuive ſinet: ſed pro jure directi & ſupremi dominii ſui, iisdem perpetuo eos conſervabit, tuebiturque. Cumque Equeſtris Ordinis nomine queſti fueritis, contra jura, libertatesque Equeſtris Ordinis non pauca ſuperioribus temporibus invecta, contra dignitatem etiam, jusque ſupremi & directi dominii Sac. Reg. Majeſtatis atq; Regni, partim ſcripto, partim re attentari; Commiſſarios Sacra Reg. Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, ſumma cum poteſtate mittet, qui omnibus iis de rebus cognoſcant, ſtatuantque. Coram iis igitur, ſi quae minus juſte onera impoſita Equeſtris Ordo ſibi exiſtimet, in eo Conventu, qui ob eam rem indicetur, demonſtrare ea poterit. Mandabit iis Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, ut ſi quae hujusmodi docuerint, ea in integrum reſtituant aboleantque, & omnibus diſſenſionibus, gravaminibusque, tam publicis quam privatis ſublatis, ad priſtinum ſtatum tranquillitatemque, ſecundum aequitatem Ducatus ejus, jura, libertates & conſuetudines omnia revocent, in tranquillo ſtatu Ducatum collocent. Quibus ex rebus, quemadmodum ſingularem clementiam propenſionemq; Sac. Reg. Majeſtatis, atque Ampliſſimi Senatus, facile Ordo Equeſtris Ducatus ejus perſpicit, ita omni fide obſequioque viciſſim, ea de re Sac. Reg. Majeſtati promerituros non dubitant.

Ad Mandatum Sacræ Reg. Majeſtatis proprium.

Hieronymus Cielecki.

CCXCII.

Ejusdem Reſponſum Legatis Civitatum Pruſſiæ datum. Ibidem eodem Anno & die. *Indidem.*

Fidem obſequiaque Sac. Reg. Majeſtati, Domino noſtro clementiſſimo, Regnoque a vobis delata, ea clementia atque propenſione Sac. Reg Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, atque Ampliſſimus Senatus accipiunt, qua aliorum fidelium ſubditorum fidem atque obſequia accipere ſolent. In negotio Illuſtriſſimi Principis Electoris Pruſſico, in quo preces veſtras ad Sereniſſimam Regiam Majeſtatem atque Ordines interpoſuiſtis, ita ex Ampliſſimi Senatus, maximæque partis Nuntiorum Terreſtrium ſententia Sac. Regia Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus ſtatuit, ut ipſum quidem feudi ſucceſsionisque negotium utriusque partis jure in eo, in quo hactenus fuit, ſtatu integro relicto, ad proxime futura usque Comitia differet. Curatelam autem Illuſtriſsimi Principis Alberti aegri, iis per omnia legibus & conditionibus, quibus inclytae memoriae Illuſtriſsimus Elector, Parens Illuſtriſsimæ Celſitudinis ejus eam habuit, eidem Illuſtriſsimae Celſitudini ſuae deferet. Imprimis vero quemadmodum inter ſuperioris curatelae conditiones Illuſtriſsimi Principis Alberti Friderici aegri conditioni proſpectum Sac. Reg. Majeſtas voluit, ita nunc etiam ſummae curae Sac. Reg. Majeſtati id eſt, & poſthac etiam erit; libertates & jura, privilegia, uti aliorum Ordinum, ita Civitatum etiam, per omnia ſalva, integra eſſe vult, neve novis impoſitionibus oneribusque graventur, permittet; in univerſumque jura, privilegia, donationes, praerogativas, immunitates, conſuetudines honeſtas ac laudabiles, jurisdictionem, emporia, depoſitoria, portus, omnia denique alia, tam in genere, quam in ſpecie, quaecunque vel ab Ordine Teutonico, vel Sereniſsimis Poloniae Regibus deceſſoribus Sac. Reg. Majeſtatis, juſte, legitimeque conceſſa, & denique ab Illuſtriſsimae Domus Brandenburgicae Principibus data & confirmata ſunt, quorumque in uſu & poſſeſsione hactenus fuerunt, Sacra etiam Regia Majeſtas confirmat, nullaque re violari imminuive concedet, ſed pro jure directi & ſupremi dominii ſui eas perpetuo conſervabit, tuebiturque. Cumque partim ab aliis Ordinem Civilem opprimi, partim contra ipſa Regalia, jusque ſupremi dominii Sac. Reg. Majeſtatis novari quaedam ſignificaveritis, Commiſſarios Sac. Reg. Majeſtas, Dominus noſter clementiſsimus, ſumma cum poteſtate mittere in Ducatum eum decrevit, qui omnium juris & libertatis aequa ratione habita, ſi quid contra eum factum oſten-

Anno 1609. oſtenſumque fuerit, in integrum reſtituant, atque ad aequitatis jurisque normam omnia revocent. Ad extremum, quemadmodum pro jure ſupremi directique dominii ſui, libenter eadem, qua alias ſibi ſubjectas civitates clementia S. Reg. Majeſtas, Ampliſsimique Regni Ordines, Ducatus etiam ejus civitates complectendas tuendasque ſibi putant, ita ipſas etiam, nullam occaſionem omni fide obſequioque ea promerendi intermiſſuras, pro certo ſibi pollicentur.

Ad Mandatum Sacræ Regiæ Majeſtatis proprium.

Hieronymus Cielecki.

CCXCIII.

Diploma Sigismundi III. *Poloniæ Regis, quo, defuncto* Joachimo Friderico, *Curatio ac Gubernatio Ducis ac Ducatus Pruſſiæ Filio ejus* Joanni Sigismundo *defertur.* Datum Cracoviæ 29. Aprilis 1609. *Indidem.*

Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniae, M. Dux Lithuaniae, Ruſſiæ, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque; nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Cum vetuſtas Majorum noſtrorum DD. Poloniae Regum, ac ab iis derivatas noſtras quoque proprias neceſsitudines cum Illuſtriſsima Domo Brandenburgica, perpetuumque illius erga Nos Regnumque noſtrum ſtudium, magni, ut par eſt, faciamus: defuncto Illuſtriſsimo Principe Domino Georgio Friderico, Marchione Brandenburgenſi, & in Pruſsia Duce, jus curatorium aegri in Pruſsia Ducis, Illuſtriſsimi Principis Domini Alberti Friderici, ad Nos uti ſupremum directumque Dominum devolutum, Illuſtriſsimo Principi Domino Joachimo Friderico, Marchioni & Electori Brandenburgenſi, ad conteſtandam noſtram erga eam Domum propenſiſsimam voluntatem benigne contuleramus: Is cum deceſsiſſet e vita ſuperiore anno, deveniſſetque denuo ad Nos eadem illa cura: ipſam, non neceſsitate aliqua juris, ſed quaſi pignus noſtrae benevolentiae erga Illuſtriſsimi defuncti Electoris Filium, Illuſtriſsimum Joannem Sigismundum, Electorem itidem & Marchionem Brandenburgenſem, transferendam iterum putavimus, quod is Majorum ſuorum erga Nos Regnumque noſtrum ſtudium, quaſi haereditate in ſe transmiſſum, amplexus, praeclare tueatur & colat, ejusque ſingularia jam ſpecimina ediderit; quique non ſolum ob vetus agnationis, ſed eo magis ob recens affinitatis vinculum, quo ducta in Conjugem Filia Illuſtriſsimi aegri Principis, Illuſtritati ipſius arctiſsime conjunctus eſt, ex uſu & dignitate ejus Illuſtritatis curam eam maxime geſturus eſſe videatur. Itaque ex conſilio Ampliſsimi Senatus noſtri, rebus Ducatus illius per Commiſſarios noſtros conſtitutis, jureque noſtro directi dominii ſtabilito, deferimus ad Celſitudinem ipſius munus curationis, eumque Curatorem commemorati Illuſtriſsimi Principis D. Alberti Friderici in Pruſsia Ducis auctoritate noſtra Regia conſtituimus, curationemque & adminiſtrationem Ducatus univerſi in Pruſsia, bonorumque ac redituum quacunque ratione inde provenientium omnium committimus praeſentibus Literis noſtris, admittimusque Celſitudinem ipſius ad regimen Ducatus ejusdem, jure & poteſtate Curatoris, ac vetere titulo in Pruſsia Ducis, eodem plane modo, iisdemque per omnia conditionibus, de quibus inter Nos, & felicis recordationis Parentem ipſius, Illuſtriſsimum Principem Joachimum Fridericum, S. R. Imperii Electorem ac Marchionem Brandenburgenſem, An. 1605. conventum, non modo per Legatorum chirographa, ſed etiam ejusdem Illuſtriſſimi Electoris authenticam comprobationem transactum fuit. Potiſsimum autem, quoniam curatio & adminiſtratio haec univerſa ob Illuſtriſsimi Principis Alberti Friderici mentis aegritudinem defertur, volumus atque cavemus his Literis noſtris, ut Illuſtritati ejus in ea valetudinis infirmitate conſtitutae, de rebus omnibus ad victum & cultum corporis pertinentibus, per Illuſtriſsimum Principem Electorem, Dominum Ioannem Sigismundum, pro dignitate proſpiciatur: ſin vero, quod optamus, Illuſtritas ejus ad priſtinam mentis ſanitatem, per *DEI* gratiam redierit, prolemque conjuge ducta maſculum haeredem ſuſceperit, ipſi quidem Principi Alberto Friderico, ſi vigorem mentis recuperaverit, adminiſtratione ſine difficultate & negotio decedere; ſin Filio demum ea dimittenda veniret, tum demum cum ad legitimam ætatem pervenerit, non alias, nec prius Illuſtriſsimus Princeps Dominus Ioannes Sigismundus, Ducatu eo adminiſtrationeque ejus cedere, & curationis ſuae rationem reddere tenebitur. In iis tamen reddendis, ſi quid reſpectu ejus Ducatus Celſitudo ipſius ſumptus fecerit, aut erogaverit, id omne ut re- Anno 1609.

cte

ANNO 1609. ctæ expenſum ſuſcipi debebit. Atque haec quidem Curatoria conſtitutio & ordinatio noſtra, ut debitum ſortiretur effectum, dedimus negotium Commiſſariis noſtris, ad conſtituendas *D*ucatus ejusdem rationes ablegatis, ut eam conceſsionem noſtram Statibus & Ordinibus ejusdem *D*ucatus denuncient, Celſitudinemque ipſius in poſſeſsionem curatoriae inducant. Promittimus vero noſtro ac Sereniſsimorum Succeſſorum noſtrorum nomine, Nos, Sereniſsimosq; Succeſſores noſtros, commemorato Illuſtriſsimo Principi Electori, curationem praefati Illuſtriſsimi Principis *D*omini ALBERTI FRIDERICI, *D*ucatusque in Pruſſia adminiſtrationem & gubernationem, modo & conditionibus ſuperius deſcriptis, integram expeditamque praeſtituros. Salvis ibidem per omnia juribus noſtris regalibus, Regni noſtri, *D*ucatusque illius, ac ſubditorum ejus, tum & pactis antiquis, quae per omnia ſarta tecta conſervare, neque iis ullum praejudicium hac curationis atque adminiſtrationis conceſsione allatum eſſe volumus, Jn quorum omnium fidem preſentes ſubſcripſimus, & ſigillo Regni noſtri communiri mandavimus. *D*atum Cracoviæ die 29. Menſis Aprilis, Anno Domini 1609. Regnorum noſtrorum Poloniae vigeſimo ſecundo, Sueciae vero decimo ſexto.

SIGISMUNDUS Rex.

CCXCIV.

Cautio JOANNIS SIGISMUNDI *de Conditionibus ſervandis, exercitioque Catholicæ Religionis non impediendo.* Dat. Regiomonti 23. Junii 1609. *Indidem.*

NOS JOANNES SIGISMUNDUS Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacr. Romani Imperii Archicamerarius & Elector, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum & Croſſinæ, Carnoviæque in Sileſia Dux, Burggrabius Norimbergenſis & Princeps Rugiæ &c. Sificamus &c. Quod cum defuncto Illuſtriſſimo Principe Domino JOACHIMO FRIDERICO Marchione Electore Brandeburgenſi, Parente noſtro deſideratiſſimo, de conſtituendo ac finiendo negotio feudi Pruſſici Legati noſtri ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Poloniæ & Sueciæ Regem &c. Ampliſſimosque Regni Poloniæ Ordines, in proxime præteritis Comitiis Varſaviæ congregatos ablegati fuiſſent, negotioque ibidem feudali ob molem negotiorum Comitialium dilato, cura aegri Illuſtriſſimi in Pruſſia Ducis, Domini ALBERTI FRIDERICI Administratioque Ducatus univerſi non tam juris aliqua neceſſitate, quam ex mera clementia ac benignitate Regia a Sereniſſimo Rege Nobis promiſſa ac per Illuſtriſſimos & Magnificos Commiſſarios Serenitatis ipſius Regiomonti delata Nobis hoc tempore fuiſſet, iisdem plane conditionibus, quæ Reſponſo Comitiali Anni MDCV. Legatis Illuſtriſſimi olim Parentis Noſtri dato editæ, ac ratihabitione authentica Majeſtatis ipſius comprobatæ ſunt, Nos curæ atque adminiſtrationis illius ratione debito homagio atque juramento nondum præſtito, de conditionum earundem a Nobis explendarum fide, cavendum Sereniſſimo Poloniæ & Sueciæ Regi, Ampliſſimisque Ordinibus Regni putavimus, cavemusque præſentibus Literis noſtris, promittentes verbo noſtro Principali, quod quousque fides earundem conditionum reſponſo Comitiorum Anni MDCV. comprehenſarum, homagio & juramento ſolenni ſtabilita a Nobis non fuerit, iisdem conditionibus omnibus & ſingulis ſtabimus, easque in omnibus punctis & articulis integre atque in effectu obſervabimus & explebimus. Cum vero ipſi Domini Commiſſarii circa articulum Religionis Catholicæ in Ducatu hoc libere exercendæ, juriumque Patronatus in Bonis Nobilium hereditariis, & templi unius aut alterius Regiomonti concedendi & ad uſum Catholicis tradendi toties Nos compellarent, atque ratihabitionem noſtram conditionis ſpecialis de ipſa Religione illa eadem transfactione contentæ urgerent, Nos ut eo magis teſtatam noſtram voluntatem de tenendis ſupra ſcriptis conditionibus faciamus, & quod ab eis diſcedere nequaquam velimus, promittimus, conditionem de Religione, juribus Patronatus, & Eccleſiis pro uſu Catholici ritus concedendis & dimittendis, uti & literaliter in ſupra ſcriptis pactis Anni MDCV. continetur, quemadmodum & alias omnes inſimul tranſactas poſt præſtitum homagii juramentum obſervaturos & realiter præſtituros eſſe. Quod autem ad exercitium Catholicæ Religionis attinet, illud etiam ſecundum diſpoſitionem tranſactionis Anni MDCV. Catholicis ex nunc liberum & conceſſum eſto. Juribus quoque Regni Poloniæ, juribus item Odinum Ducatus in Pruſſia, tum & iis, quæ per commemoratos Sereniſſimi Regis Poloniæ & Sueciæ &c. D.D. Commiſſarios conſtituta ſunt, ſalvis & integris manentibus. In quorum omnium ANNO 1609.

Anno 1609. um fidem præſentes ſubſcripſimus, ſigillo quoque noſtro roborari curavimus. Actum & datum Regiomonti tertia Julii ſtylo antiquo Anno Domini mileſimo ſexcenteſimo nono.

JOANNES SIGISMUNDUS
Elector.

CCXCV.

Acta & Decreta Commiſſariorum Sigismundi III. *Polonæ Regis.* Regimonti 13. Julii 1609. *Indidem.*

Nos Simon Rudnicki, Dei Gratia Epiſcopus Varmienſis, Georgius Koſtka a Stangenberg Palatinus Mariæburgenſis, Golubenſis, Dirſchavienſisque, Martinus Sierakowſki de Boguslavice, Inovlodenſis, Przedecenſis, Capitaneus, Albertus Kryſki de Kryſko & in Drobnin Siepracenſis, Caſtellani: Joannes Swiętoslawſki de Swiętoſlav, Referendarius Curiæ Regni, Succamerariusque Terræ Premislienſis, Kozienicenſisque Capitaneus: Lucas Mieſzynſki de Brudzew, Succamerarius Caliſſienſis: & Samuel Laſki, Secretarius Aulicusque, Commiſſarii Sacræ Regiæ Majeſtatis, Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis Domini Domini Sigismundi III. Dei Gratia Reg. Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarii Regis, ad Conventum generalem omnium Ducatus Pruſſiæ Ordinum, ab eadem S.R.Maj. hic Regiomontem pro die hodierna 26. Maji Anno 1609. indictum celebratumque delegati, actuique infraſcripto præſidentes.

Significamus tenore praeſentium univerſis & ſingulis, quorum intereſt. Quod cum Sacra Regia Majeſtas Dominus noſter clementiſsimus, ſupremus & directus Ducatus Pruſsiae Dominus, ſtatum ordinemque rerum in hoc ipſo Ducatu nonnihil a forma & priſcis inſtitutis ſuis deflexiſſe & exorbitare, ſuaeque Majeſtatis & Regni juribus quibusdam in rebus derogatum eſſe cognoverit, ac propterea in cauſas & rationes illorum omnium inſpiciendum fore, modosque & rationes, quibus ea inſtaurentur, adhibendos eſſe, nec non ut animi Nobilium, ac aliorum ex ſubditis conquerentium, tumque publicae & privatorum res pacatae redderentur, ex Ampliſſimi Senatus ſui ſententia cenſuerit. Ac primo quidem auctoritate ejusdem Sac. Reg. Majeſtatis Conventus particulares per univerſam hanc Provinciam Diſtrictusque omnes, locis ſolitis, deinde hic praeſens generalis Regiomonti, auctoritate Sac. Reg. Majeſtatis indicti, & omnibus & ſingulis Ordinibus, Statibusque ac Magiſtratibus ritu ſolenni innotuerunt: ſimul etiam ea ipſa Sacra Regia Majeſtas id nobis curae & muneris, plena & abſoluta in omnibus facultate ſua conceſſa, committere dignata eſt. Cumque eo loci Regiomontem pro die praefixa, id eſt 26. Maji, una conveniremus, Ordines quoque ac Status omnes & ſinguli, per Nuntios terrarum ac diſtrictuum, nonnulli autem per ſemetipſos convenirent, & diem ac terminum a S. R. Majeſtate ſibi & nobis aſsignatum attentarent: Nos itaque haec prima Commiſsionis noſtrae fundamenta jecimus: nempe literas publicae fidei a Sacra Regia Majeſtate ad univerſos Ordines datas, authentice, ſub propriae manus Sac. Reg. Majeſtatis ſubſcriptione & ſigillo majori Regni emanatas, in publico cœtu exhibuimus, easque praelegi fecimus, quorum tenor is eſt.

„ Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Ruſsiae, Pruſsiae, Mazoviae, Samogitiae, Livoniæque, nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex. Magnificis, Generoſis, Nobilibus, Spectabilibus ac Famatis Ordinibus Ducatus in Pruſsia, in Conventu Regiomontano, Commiſsionis a Nobis indictae obeundae cauſa congregatis, ſincere ac fideliter Nobis dilectis, gratiam noſtram Regiam. Sincere ac fideliter Nobis dilecti: Quod in proxime praeteritis Regni Comitiis reſponſis noſtris Sinceritatum & Fidelitatum veſtrarum Nuntiis eo nomine datis recepimus, id praeſtamus hoc tempore, mittimusque Commiſſarios noſtros, plena poteſtate inſtructos, qui querimonias Sinceritatum & Fidelitatum veſtrarum cognoſcant, controverſias ſopiant, rationesq; Ducatus illius ad veterem normam conſtituant. Iis Sinc. & Fidel. veſtrae ea, quae a Nobis in commiſsis habent, exponentibus plenam fidem adhibebunt, atque in omnibus auctoritati & ordinationi eorum, id quod par erit, obſequium praeſtabunt. Erit id officio ipſorum conſentaneum, Nobisque gratum. Cupimus Fidelitates & Sinceritates veſtras bene & feliciter valere. Datum Cracoviae die ultima Menſis Aprilis, Anno Domini 1609. Regnorum noſtrorum, Poloniae 22. Sueciae verò 16.

SIGISMUNDUS Rex.

Repro-

Anno 1609. Reproduximus deinde ſub ejuſdem manus Sac. Reg. Majeſtatis ſubſcriptione & majore Regni ſigillo Literas Commiſſionis ab ipſa eadem Majeſtate nobis datas, quae publicae lectae & inſinuatae ſunt, in contextu verborum hujusmodi.

„Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Mazoviae, Samogitiae, Livoniaeque, nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis, maxime autem Magnificis, Generoſis, Nobilibus, Spectabilibus ac Famatis Ducatus Pruſsiae Conſiliariis, Ordinibus & Statibus: Multis & gravibus cauſis Nos adductos, Commiſſarios noſtros in Ducatum eum mittendos de Ampliſsimi Senatus conſilio cenſuiſſe, qui Ducatus ejus res inſpicerent, componerentque, quas nimirum a priſtino ſtatu ab ordine hiſce temporibus & adminiſtrationibus praeteritis nonnihil deflexiſſe perlatum ad Nos eſt. Deſignavimus igitur ad eam rem Reverendos in Chriſto Patres, Magnificos, Generoſos, ex Senatorio Ordine, Mathiam Pſtrokońſki Vladiſlavienſem & Pomeraniae, Simonem Rudnicki Epiſcopum Varmienſem, Georgium Koſtka a Stangenberg Palatinum Mariaeburgenſem, Martinum Sierakowſki Inowłodenſem, Albertum Kryſki Sieprcenſem, Caſtellanos; Ioannem Swiętoſławſki Referendarium Curiae Regni, Lucam Mielżyńſki Succamerarium Caliſſienſem, quibus Secretarium noſtrum Generoſum Samuelem Laſki adjungendum exiſtimavimus. Dedimus autem hiſce plenam integramque poteſtatem ad Conventum eum, qui a Nobis ad diem 26. Menſis Maji Regiomontem indicetur, cum Magiſtratus, tum alios Nuntios Terreſtres ad ſe evocandi, de rebus atque negotiis ad ſtatum Ducatus, incolarumve jura & privilegia pertinentibus agendi, querelas, poſtulata, gravamina, ſi aliqua illata fuerint, tam publica, quam privatorum audiendi, de iis ex aequitate & juribus, privilegiisque Ducatus incolarum, tam a priſcis Magiſtratibus Ordinis Theutonici, quam a Ducibus deceſſoribus noſtris, atque adeo ipſius inclytae Domus Brandenburgicae Principibus, beneficio deceſſorum noſtrorum in Pruſsia Ducibus, ſtatuendi; judicio, ſi res poſtulaverit, vel per ſe, vel per ordinarios judices procedendi, judicandi, teſtes teſtimoniaque audiendi, examinandi, juramenta exigendi, ſententias ferendi, eas denique executioni mandandi, atque adeo ad ea omnia rite ordineque peragenda, vel hujus in ulterius tempus transferendi, vel novi etiam Conventus indicendi, omnia denique & ſingula tam in genere quam in ſpecie adminiſtrandi, peragendique, quae quocunque modo ad munus hoc illorum negotiaque eis per mandatum praeſcriptumque noſtrum commiſſa pertinere videbuntur, etiamſi aliqua hujusmodi exiſterent, ad quae ſpeciali mandato noſtro opus eſſe aliquo videretur. Quod Nos ad omnium & ſingulorum notitiam deducendo, maxime autem commemorati Ducatus Ordinum univerſorum & ſingulorum, ut ſupra memoratis Commiſſariis noſtris eandem fidem, honorem, obedientiam, omnibus in rebus ad delegationem Commiſsionemque illorum hanc pertinentibus praeſtent, quam, ſi Ipſi praeſentes eſſemus, praeſtare Nobis deberent, praeſentibus hiſce hortamur mandamusque. Majoris fidei cauſa haſce manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilloque Regni noſtri muniri mandavimus, Datum Cracoviae die 29. Menſis Aprilis, Anno Domini 1609. Regnorum noſtrorum Poloniae 22. Sueciae vero 16.

SIGISMUNDUS Rex. “

His vero, uti praefertur, exporrectis, jurisdictioneque noſtra Commiſſoriali opportune fundata, & ad omnium notitiam deducta, ad debitam executionem commiſſorum procedentes, primam propoſitionis noſtrae partem nomine Sac. Reg. Majeſtatis fecimus, in hunc modum & ſeriem verborum.

Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter clementiſsimus, benignam erga univerſos hujus Ducatus Ordines voluntatem ſuam Regiam & clementiam per nos defert denuntiatque. Quae cauſae & rationes Sacram Regiam Majeſtatem nos huc delegandi permoverint, brevibus Magnificae, Generoſae ac Spectabiles Dominationes veſtrae intelligant. Cum ex Nuntiis veſtris, & alias, & in proximis Comitiis Sacra Regia Majeſtas accepiſſet, ita nonnulla in Ducatu hoc novata turbataque eſſe, ut Majeſtatis ipſius ſuprema auctoritate in priſtinum ſtatum ea reponi oporteret: ejus rei conficiendae negotium nobis de ampliſsimi ſententia conſilii demandavit. Ac primum quidem Status & Ordines Ducatus minime poſſe ignorare, jus directi ſupremique dominii in Ducatu Sereniſsimos Reges, Regnumque Poloniae obtinere: attamen cum aliis in rebus nonnullis non ſatis ab iis obſervatum cultumque fuiſſet, tum maxime, quod nuper Illuſtriſsimo laudatiſsimae memoriae Domino Ioachi-

ANNO 1609.

mo FRIDERICO Electore Brandenburgenſ. (quem curæ Illuſtriſſimi aegri Ducis, adminiſtrationique Ducatus hujus præfecerat) mortuo, cum cura illa exſtincta, ad Sacram Regiam Majeſtatem ſuprema gubernatio Ducatus pertineret, aegro Principe ad gubernationis munia invalido, ejusdemque ac tutelæ Regiæ proprie obnoxio: privata tamen auctoritate, inſcio inconſultoque Sereniſſimo Rege, Conventum ſibi indicere ante proxima Regni Comitia, & in eo ea proponere, atque tractare, quæ jura Majeſtatis ſupremique & directi Dominii diminuere viderentur, ut qui pro officio ſuo, & veſtro quoque, qui jure ejusdem Majeſtatis Regiæ, uti directi ſupremique dominii, ſubditi cenſemini, omni ratione aequa & honeſta proſpicienda ſibi eſſe non ignoret, & jus directi Dominii ſui quam diligentiſſime tueri ſervareque debeat. Cum autem Sacræ Regiæ Majeſtatis auctoritate legitimus vobis nunc Conventus indictus ſit, in proximis vero Comitiis, inprimis quidem Equeſtris Ordinis Ducatus hujus Nuncii queſti fuerint, multa hiſce temporibus contra jura, conſuetudinesque Ducatus iſtius invecta fuiſſe, & complura alia nova onera incolis impoſita, exhauſtamque Provinciam, ad extremum & cum alia nonnulla contra jus in Ducatum hunc Sacræ Regiæ Majeſtatis a quibusdam attentata, tum famoſos quosdam libellos paſſim ſpargi, quibus homines Ducatus iſtius a fide, obſervantiaque erga Sacr. Reg. Majeſtatem Regnumque abducerentur; Civitatum etiam nomine, partim ab Equeſtri Ordine jura ſua lædi, ſupprimique, partim contra idem directi Dominii jus quædam novari, delatum ad Sacram Regiam Majeſtatem ſit: ampla cum poteſtate Sac. Reg. Majeſtas nos huc mittendos ablegandosque cenſuit, ut omnibus hiſce de rebus cognoſceremus, & de cæteris, quæ ad ſtatum hujus Ducatus pertinerent, conſtitueremus, ac in optimum ſtatum ex formula regiminis ſecundum Privilegia, incolis a Sereniſſimis Regibus Anteceſſoribus Sacræ Regiæ Majeſtatis, tum a priſcis Ducatus Magiſtratibus, ac noviſſime ipſis etiam inclytæ Brandeburgicæ Domus Principibus conceſſa, omnia reponeremus & ſtabiliremus. Itaque quid Nobilitas ſeu Ordo Equeſtris, quidque Civitates poſcant, & quibus in rebus Sacræ Regiæ Majeſtatis opem requirant, quæque mutata, aut de proprio ſtatu retorta exiſtimant, hic nobis oſtendenda, probandaque ſunt; ea tamen, qua par eſt, modeſtia, & ſervato debito honore. Dabimus operam, ut ex aequitate, juribusque Ducatus hujus, auctoritate a Sac. Reg. Majeſtate nobis attributa, ſtatuere & decernere valeamus. Quæ itaque proponentur nobis deferenturq; libentibus animis cognoſcemus. Sunt alia negotia magni momenti a Sacra Regia Majeſtate nobis commiſſa, Magnificis, Generoſis, Nobilibus & Spectabilibus Dominationibus veſtris alio tempore proponenda, agenda, & tractanda, de hiſce prius cognitione facta, quæ præmiſſa ſunt.

Qua quidem propoſitionis ſeu propoſitionum parte abſoluta, Ordinibus ipſis ſpatium deliberationis a Nobis expetentibus, id ipſis conceſſimus, ſeſſionemque alteram ad diem tertiam proximam ex ipſorum inſtantia in eodem vigore diſtulimus.

Tandem die XXIX. Menſis Maii in locum ſeſſionis primæ venimus, quæſivimusque ab Ordinibus, num parati eſſent ad illa, quæ ſibi nudius tertius nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis propoſita ſunt, reſpondere, & in aliquo gravamina proferre velint, dum interim Equeſtris Ordo ſcripta gravaminum ſuorum præſentibus aliis Statibus Nobis obtuliſſet. Petentibus autem ~~aliis Ordi~~nibus dilationem ſeu ſpatium ad reſpondendum ſuper ipſa gravamina ſibi concedi, ea de cauſa ad feriam ſecundam proximam terminus a nobis in ſuo vigore prorogatus eſt.

Advenientibus autem feria ſecunda partibus, quarum intererat, nondum paratis, diſtulimus eum ipſum terminum in proximam feriam tertiam. Qua cum in locum ſolitum veniremus, Domini Conſiliarii Regentes, una & Ordo civicus, a nobis petiit dari ſibi reſcripta gravaminum ab Ordine Equeſtri exhibitorum, quibus illud a nobis permiſſum eſt non gravatim; hortatos tamen fecimus, ut temporis rationem habeant, neve illud extrahant minus neceſſariis altercationibus.

Poſtea memores ultimorum in prima propoſitione noſtra verborum (reſponſis ad gravamina nondum exceptis) quibus multa alia Regiæ Majeſtatis commiſſa, & quidem ea, quæ jura Sacræ Regiæ Majeſtatis ſpectarent, referenda nobis eſſe prædiximus; hanc alteram propoſitionum noſtrarum partem nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis ad Dominos Conſiliarios Regentes, una & ad univerſos Ordines, iisdem præſentibus, ut

ANNO 1609.

ANNO 1609. ut ad omnia ſimul reſponderent, intulimus, fecimusque.

Primo quidem ea, quæ contra jus directi ſupremique Dominii Sacræ Reg. Majeſtatis attentabantur, hæc ſunt, quæ Sacram Regiam Majeſtatem Dominum noſtrum Clementiſſimum, ſimul & univerſos Regni Ordines maximopere afficiunt. Præterquam enim, quod nuper poſt deceſſum Illuſtriſſimi Domini JOACHIMI FRIDERICI defuncti, Conventum ſibi propria auctoritate, ut in prima parte propoſitionum noſtrarum demonſtratum eſt, inſcia & inconſulta Sacra Regia Majeſtate, directo ſupremoque Domino, ante Comitia Regni proxima indicere, ac in eo ipſo Conventu ea proponere atque tractare, quæ jura Majeſtatis, ſupremique & directi Domini diminuunt, auſi: antea etiam tum ſcriptis reſponſisque ſuis, tum factis ipſis, auctoritatem, juraque Majeſtatis ac Regni non leviter labefactare conati fuerint, vendicantes ſibi in multis Regalem auctoritatem, atque jus Majeſtatis Regiæ & Regni ſupprimendo, vinculaque & ſponſionem publicam, qua Regno, uti corpori ſuo, connexi ſunt, diſſuere intendentes. Etenim ſub tempus curatelæ Illuſtriſſimi GEORGII ab Anſpach, Marchionis Brandeburgen. præter alia multa in oppreſſionem Nobilitatis tentata & facta, ab Appellationibus quoque ſubditi ejus Ducatus cujuſvis Ordinis arcebantur. Quin & contra Privilegium Lublinenſe de Anno MDLXIX. in Curialis judicii ordinatione *Hoffgericht Ordnung* dicta, de Anno MDLXXXIII. titulo *de reviſione*, articulo decimo, ſub pœna corporis & pecuniaria, omnis Appellatio interdicebatur & interdicitur, ac ſubinde premebantur decretis iniquis & mulctis pecuniariis: exindeque juri Sacræ Regiæ Majeſtatis, & ipſis etiam pactorum Feudalium conditionibus contraventum eſt. Literæ etiam ſalvi conductus, aliaque Mandata Sacræ Regiæ Majeſtatis, nullius ferme fuerunt auctoritatis. Ipſo deinceps Curatore Illuſtriſſimo, GEORGIO ab Anſpach e vivis ſublato, nihil plane Sacræ Regiæ Majeſtati, uti Domino directo ſupremoque, ad quem cura ejusdem Ducatus, tanquam verum & proprietarium Dominum de jure ipſius Regio, atque etiam ex teſtamento primi Feudatarii ſemper ſpectat, ſignificaverunt. Quin etiam intervenientibus aliquot Sacræ Regiæ Majeſtatis mandatis, de rebus negotiisque Ducatus, illa poſthabita ſunt, & omnia in contrarium facta.

Demandaverat Sacra Regia Majeſtas negotia ad ſtatum Ducatus ſpectantia, ſine ſcitu & voluntate ſua nec peragi, nec concludi debuiſſe. Cum externis item, ipſa Majeſtate inſcia, nulla conſilia tractari, milites non conduci, ſimul & conductos dimitti, injunctum fuerat. In contrarium vero, poſtpoſitis Regiæ Majeſtatis juſſis, conſilia aliunde capiebantur; jura Dominii, Principi protunc externo, vero directoque Domino prætermiſſo neglectoque, tribuebantur; juſtitia oppreſſis denegabatur, protrahebaturque; jus gubernationis cujusdam (quod præter voluntatem & auctoritatem Sacræ Regiæ Majeſtatis nullum eſſe poterat) reſponſis quibusdam deferebatur; miles non modo non dimiſſus, ſed & majori numero auctus fuit; arces omnes Regni finibus convicinæ, eo ipſo tempore omni apparatu bellico, e Germania ſollicite comparato, adductoque, atque milite inſolito munitæ; plebs ruſtica decimata centuriataque, & omni apparatu inſtructa; luſtrationes ſæpius factæ. Hæc vero quem in finem facta fuerunt, non difficulter cerni poteſt. Vacantes Magiſtratus, & officia quatuor Arcium, ex quibus Præfecti viri bene meriti ſupremis officiis præficiebantur, non Sacræ Regiæ Majeſtatis, ſed Illuſtriſſimi Domini Electoris nuper defuncti arbitrio, nullo pro tunc ad id jure obtento, diſtribuebantur; Domini Regentes, ſine ſcitu & voluntate Sacræ Regiæ Majeſtatis, directi & ſupremi Domini, non ſervatis gradibus, & conſuetudinibus antiquis prætermiſſis, Præfectos inſtituebant, & ad Magiſtratus promovebant. Uno deinde ipſorum Dominorum Regentium Barone a Kitlitz, ſimiliter brevi poſt altero atque tertio defunctis, Sacra Regia Majeſtate per literas, Nunciosque ſuos, ne ſine Majeſtatis ſuæ voluntate alios præficerent, interdicente, poſtpoſito tamen Mandato Sacræ Regiæ Majeſtatis, præſente etiam Nuncio, elegerunt, & inſtituerunt. ANNO 1609.

Theſaurus hujus Ducatus publicus, in Arce Memelenſi depoſitus, Sacra Regia Majeſtate irrequiſita, inſciisque Provincialibus, Berlinum deportatatus. Officii autem eſt uniuſcujusque, pro debito ſubjectionis, ea, quæ in his noverit, fideliter Dominis Commiſſariis deferre, & denunciare.

Læſum deinde eſt jus Sacræ Regiæ Majeſtatis & Regni, ob violentam Catholicæ Romanæ Religionis excluſionem, Eccleſiarumque Catholicarum in hoc ipſo

Anno 1609.

ſo Ducatu antiquitus fundatarum privilegiatarumque occupationem, & bonorum Eccleſiaſticorum ademptionem, ac in uſus privatos profanosue converſionem. Dubium enim nemini eſt, Religionem ipſam Catholicam in iis oris primitus inſtitutam propagatamque fuiſſe, ipſoque tempore regiminis Ordinis Cruciferorum, nec non ſub erectione & inſtitutione Feudi viguiſſe, bonaque & poſſeſſiones ad uſum earum Eccleſiarum habuiſſe, nec alio jure & conditione ipſam primævam inveſtituram ratione Feudi conceſſam fuiſſe, quam iis, quibus Magiſter Ordinis Cruciferique has terras ante tenuerunt, quos integris Epiſcopatibus, bonisque Eccleſiaſticis, maxime autem Religione Catholica florente, Provinciam hanc poſſediſſe, verius eſſe, quam ut demonſtrari ſit neceſſum. Hæc vero omnia poſt aſſecutionem Feudi, & receptum beneficium, convulſa, occupataque ſunt. Et quamvis permiſſum fuerat Religionis Auguſtanæ exercitium, non tamen Religionem Catholicam eo ſummotam; ſed ſalva potioreque Catholica reſervata, penes illam quoque uſus Auguſtanæ permiſſus; ſed permiſſus potius, quam approbatus vel confirmatus eſt. Ita vero permiſſus ipſius uſus Privilegio Lublinenſi de Anno MDLXIX. uti juxta formulam Auguſtanæ confeſſionis, & ejusdem Apologiæ tantum, non autem ſecundum articulos Smalcaldicos (ſicut repetitio corporis doctrinæ Eccleſiaſticæ, de Anno MDLXX. continet) a ſubditis Ducatus Pruſſiæ vivatur. Illud enim, quod ſuis fundationibus & privilegiis conſtabat, violare nequaquam licuit. Praeterea Nobilibus ac incolis Catholicis Ducatus hujus, in villis oppidisve ſuis haereditariis exercitium Religionis Catholicae non permittitur: Eccleſiae & ſacerdotes Ritus Romani prohibentur, quo maxime jus Sereniſſimi Regis & Regni opprimitur. Qua in re interceſſerunt publico nomine transactiones inter Sacr. Reg. Majeſtatem Regnumque, & Illuſtriſſimos Dominos Marchiones Brandeburgenſes, poſterius vero cum Illuſtriſſimo Domino Joachimo Friderico Electore nuper defuncto, ejusque Celſitudinis Legatis in Comitiis Cracovienſibus pactum conventumque fuit, ut religionis Catholicae exercitium unicuique profiteri eam volenti liberum in Ducatu eo ſit, neq; ſacella & oratoria ubivis prohibeantur, neq; profeſſionis Catholicæ cauſa quisquam ulla vi, injuria, aut contumelia afficiatur. Ac inſuper ejusdem religionis Catholicae exercitio unum atque alterum templum hic Regiomonti cum proventibus aſſignentur. Jura item Patronatus Catholicis omnibus firma & integra conſerventur: uti de his omnibus transactio illa publica fuſius diſponit. Quae cum ad ſuum effectum eo uſque non devenirent, & interim magis magisque turbarentur Catholici, & Eccleſiae profanarentur, vel ad alia exercitia converterentur, pro graviſsima, eaque publica injuria Sacra Regia Majeſtas illud reputat, & reſtitutionem expoſcit. Cautum inſuper erat ea ipſa transactione, ut Catholici omnes ad munera & honores admitterentur, ſine quavis excluſione atque injuria: ſed cum neque hoc ad effectum ſit deductum, non poteſt Sacra Regia Majeſtas id nonniſi indigne ferre, ubi priſcae et avitae Religionis homines excluduntur. Et quidem ipſimet libere judicare poterint, quam iniquum & intolerabile ſit Catholico prohiberi exercitio & excludi, cum ſectas & earundem ſequaces, poſt Auguſtanam ferre vel tolerare omnino nolint nec debeant. Expoſcit denique Sacra Regia Majeſtas, ut in uſus Catholicorum Epiſcoporum, Sambienſis & Pomeſanienſis, certi aliqui reditus proventusve aſſignentur, cum ad functionem illam adminiſtratoriam ſuſtinendam, illique annexa munia obeunda non parvi ſumptus requirantur. Item ut fugitivi Apoſtatæ atq; ſubditi extradantur, Sacra Regia Majeſtas requirit.

Anno 1609.

Neque prætermittendum eſſe cenſuit Sacra Regia Majeſtas, quam indignum ſit, cum ejusdem Regni corporisque membrum ſit ipſe Ducatus, in re nullam juſtam dubitationem trahente, eum capite univerſoque adeo corpore diſſentire, ubi nihil ad cauſam Religionis, aut conſcientiam cujusquam pertineret, vetus Calendarium, quod ſequuntur, a profano Principe Julio Cæſare inſtitutum, novum etſi cura Summi Pontificis initio reformatum ſit, quia tamen, uti in Chriſtiani Orbis pleriſque partibus & Regnis, ita quoque ab aliis ſubditis Sacræ Regiæ Majeſtatis publico conſenſu receptum eſt: cur non ipſi quoque ejusdem S. Reg. Majeſtatis & Regni auctoritatem potius, quam illius Ethnici ſequantur? Itaque ne ullam moram aut dubitationem amplius de eo interponant, etiam atque etiam hortatur S. R. Majeſtas, ſimul & oſtendit, quam maxima ex hac varietate Calendarii commerciorum, aliorumque exercitiorum & temporum exiſtant incommoda. Quam autem conveniens & laudabile ſit, in omnibus ſervare unum & eundem animorum conſenſum & voluntatem, & rerum negotiorumque æqualem uſum, quis non videt?

Anno 1609. Et quia in onerandis & exonerandis Anglicis in Habo navibus multiplices admittuntur portorii Elbingenſis atq; etiam Regiomontani defraudationes, quibus cum nulla alia via rectius & commodius occurri poſſe Sac. Regia Majeſtas exiſtimet, quam ſi Camera in portu Pilavienſi inſtituatur, illaque Sac. Reg. Majeſtati concedatur, ipſe quoque portus a Dominis Regentibus expurgetur, & propter varia pericula firmetur, ac neceſſariis muniatur & provideatur. Non dubitat Sacra Regia Majeſtas, ea, quæ poſtulat, ſibi non gravatim conceſſa iri.

Finium differentiæ, tam a Ducatu Lithuaniæ, quam a Regali Pruſſia, una & ab Epiſcopatibus Varmienſi & Culmenſi, per mutuos arbitros, ut componantur & definiantur, Sacra Regia Majeſtas hortatur. Ad extremum juſtitiæ adminiſtratio Nobilibus, & omnibus in univerſum incolis, utrinque ut indilata fiat, de iisque ut Commiſſarii, ſi ita res poſtulaverit, cognoſcant, Sacra Regia Majeſtas injungit. Ut autem aliis ſubditis de Regno, ita præcipue Nobili Adamo Choinſki, ea ipſa juſtitia ſine quavis procraſtinatione præſtetur.

Hac autem ſecunda propoſitionum noſtrarum parte abſoluta, petentibus reſcripta, & deliberationem Ordinibus, ea illis permiſſa fuerunt, cum prorogatione temporis & termini, per noſmetipſos innoteſcendi. Subſequentibus deinceps diebus, oblatis per Ordines, quorum intererat, ad utrasque propoſitiones noſtras reſponſionibus ſcripto editis, ac coram oretenus repetitis, iisque per omnia bene intellectis, factaque illorum omnium juſta cum jure Sac. Reg. Majeſtatis & Regni, juribusque ac privilegiis Ducatus collatione, deliberatione item habita, quid horum prius a nobis decidendum veniat, num gravamina & querelæ Equeſtris Ordinis, ſtatim poſt primam propoſitionem introductæ, una & reſponſa poſtulataque civitatenſium ſcripto comprehenſa, quæ omnia juris privatorum dicuntur; an vero ea, quæ jus Sac. Reg. Majeſtatis & Regni offenderent, quæque eo nomine ad Dominos Conſiliarios regentes, atque ad alios ferme omnes ſpectare videbantur. Tandem judicavimus cauſam vel cauſas Sac. Regiæ Majeſtatis, ut publicas, dignitate ipſa perſonas & res diſcriminante, proponendas eſſe, easque ordine, qui ſequitur, deciſas fore.

De facultate indicendorum a Dominis Regentibus Conventuum eſſe quidem præſcriptum in formula regiminis, cui neutiquam derogare liceat; ſed cum quæſtio præſens ad tempus vacantis curatelæ referatur, quo gubernatio ſuprema Ducatus, ægro Principe ad gubernationis regulam invalido, ejusdemque curæ ac tutelæ Sac. R. Majeſtatis obnoxio, in ſinum Majeſtatis ſuæ devenerat, ſuique juris eſſe, in locum defuncti Curatoris alium præficere, & de Ducatu in optimo ejus ſtatu retinendo providere. Tum quod eadem formula regiminis cautum ſit, in omnibus non ſolum gravioribus & difficillimis, verum etiam communibus incidentibus Provinciæ negotiis ad Sacram Regiam Majeſtatem, uti Tutorem teſtamentarium, confugiendum, & conſilium ipſius requirendum fore debere; rerum vero & temporum nulla major difficultas cernitur, quam in eo caſu Principis invalidi & curatelæ vacantis. Itaque Domini Commiſſarii decreverunt, poteſtatem indicendi Conventus, tempore nimirum præexpreſſo ægritudinis, penes Dominos Regentes remanere debere, verum conſulta & præſcia Sacra Regia Majeſtate; propoſitiones tamen nullas, quantumvis ad commodum Ducatus ſpectantes, niſi ex auctoritate & conſenſu Regiæ Majeſtatis faciendas. In negotiis autem Sac. Reg. Majeſtatis vel Regni, ut omni alio tempore, ita etiam eo ipſo vacantis curatelæ ad mandatum ipſius Majeſtatis, regimine Dominorum Regentium durante, quando opus fuerit, Conventus indicendos fore, & propoſitiones concluſionesque conſilio & auctoritate ejusdem Reg. Majeſtatis peragendas; tempore autem ſeu temporibus minorennitatis Conventuum indictio Dominis Regentibus licita ſit, juxta præſcriptum formulæ & teſtamenti, prout & alia jura ad ipſos pertinentia ipſis ſalva eſſe debent, illæſo tamen jure tutelæ teſtamentariæ Sac. Reg. Majeſtatis, ſalvoque etiam jure petendorum a Sacra Regia Majeſtate, in caſibus & negotiis Ducatus conſiliorum.

Appellationes item, quoniam decreti cujusdam publici nomine, contra perpetua originalis feudi pacta, juramentaque Principum & incolarum Ducatus, de tenendis illis præſtita, & contra alia jura & privilegia, penitus fuerunt præcluſæ & interdictæ, viaque illarum obſtructa. Similiter etiam ſalvi conductus literæ violabantur; id recto judicio contra jus Majeſtatis & directi dominii factum eſſe, ac ſubinde auctores hujus operis pœnas in violatores pactorum ſervientes incurriſſe. At vero cum moderni Domini Regentes ejus rei conſcii non ſint, nec pro tunc officiis hiſce præfuerint, illos extra omnem culpam eſſe, criminandosque

Anno 1609. que non fore. Verumtamen, ut ne id in poſterum fiat, Magiſtratusque & Officiales norint ſuis conſtare metis, decernimus auctoritate Sac. Reg. Majeſt. ſanctionem illam, uti juri Majeſtatis ſuæ, pactisque & juribus ac privilegiis Ducatus contrariam, multorumque injuriæ, calamitati & damno factam, invalidam eſſe, nullumque robur nunc & in poſterum habituram. Proſecutionem autem appellationum eam, & talem ſervandam a modo fore, qualis inferius deſcripta eſt.

Similiter militem ſeu milites ſub tempus curatelæ vacantis non fuiſſe, nec eſſe conducendos, nec aliunde quaerendos; tum nec plebs luſtranda, nec decimanda abſque ſcitu atque voluntate Sac. Reg. Majeſtatis. Verum in tali caſu belli, ſcilicet vacante curatela, ſuſcipiendi movendique, nec non praeſidiorum comparandorum futuris temporibus, Majeſtate Regia conſulta & praeſcia illud fieri. Conſilia quoque ſub tempus vacantis curatelae ab extraneis, quibus non competit, petenda non eſſe inſcia S. Reg. Majeſtate, Domino ſuo ſupremo. Id ipſum quoque de Magiſtratibus & dignitatibus tempore vacantis curatelae conferendis cenſendum eſſe, nempe illa cum ſcitu Sac. Regiae Majeſtatis eſſe diſtribuenda.

De Theſauro publico ex arce Memelenſi accepto & translato, cum Domini Regentes fidem nobis feciſſent, teſtatique eſſent, nullum publicum theſaurum illo loco & arce conſervari, praeter illam pecuniam, quae ex ipſiusmet arcis & pagorum, aliorumque bonorum eo ſpectantium reditibus annuis provenit; quae quidem propter militem inibi perpetuo ſervandum in eum locum confertur, & cujus uſus diſtributioque ad Illuſtriſſimum Principem pertinet: ipſorum itaque fidei, tanquam publicae, nobis ſtandum eſſe, nec de eo diſquirendum putavimus.

Quod autem attinet ad Eccleſias Catholicas, earumque dotes ac fundationes primitus ante collationem feudi erectas, ſuisque privilegiis munitas, jam vero ſub tempore feudi ademptas, & in alios uſus converſas; tum quod exercitia Religionis Catholicae prorſus exploſa ſunt, Nobilibusque ad Eccleſias in ipſorum haereditariis bonis jura patronatus prohibentur, ac ſub jus feudi trahuntur, ſicque de plano Fides Catholica abalienata eſt, & privilegia Eccleſiaſtica una cum bonis adempta, Auguſtana vero confeſſio, quae ſaltem permiſſive penes Catholicam, quinimo illaeſa Catholica manente, conceſſa erat, non ſine injuria Catholicae Religionis hominumque invecta & introducta eſt. Qua in re cum toties apud Illuſtriſſimum Electorem Curatoremque futurum, ad quem id ex vi transactionis, cum Illuſtriſſimo Parente ſuo initae, primo loco pertinere videbatur, una & cum Provincialibus Sa. Reg. Maieſtatis, & Ordinum Regni nomine ſollicite egiſſemus, effectus autem non fuerit conſecutus; proinde negotium hoc totum ad Sac. Reg. Majeſtatem & Ordines Regni referendum nobis eſſe inſtituimus. Anno 1609.

Negotium Epiſcopatuum duorum, Sambienſis & Pomeſanienſis, nec non articulum de non inſtituendis ab Ordinibus religionis ipſorum Superintendentibus, vel quovis nomine vocandis Praeſidentibus; tum etiam Calendarii ad praeſens non ſuſcepti, cauſas & rationes ab Illuſtriſſimo Principe & Ordinibus Ducatus diſerte propoſitas, Sac. Reg. Majeſtati exponemus, ad quam omnia haec integre recipimus, judicioque ſuae Majeſtatis relinquimus.

Apoſtatas et alios transfugas, nec non ſubditos alterutrum extradendos ſemper, nec fovendos fore declaramus, & Magiſtratibus, quorum intereſt, Ordinibus Ducatus in idem conſentientibus, injungimus.

Quoad Cameram in portu Pilavienſi inſtituendam, Illuſtriſſimi Principis & Ordinum reſponſionem ſuae Majeſtati referemus.

De finium differentiis proximo autumno, ſegetibus collectis, componendis conſignandisque, conſenſum mutuum hic in praeſentia noſtra utrinque collatum approbamus; utque id more hactenus ſolito per mutuos arbitros, & ſi opus fuerit, Officiales ordinarios fiat; & ne in ullam moram ducatur, auctoritate Sac. Reg. Majeſtatis decernimus.

In adminiſtratione juſtitiae communis Nobilibus, & omnibus in univerſum Regni et Ducatus incolis, ut ea ſemper indilata utrinque fiat, omnibus facile conſentientibus, nos quoque praeſenti edicto noſtro aſſentimur, & ad omnium notitiam deducimus. Jamque tum nonnullorum querimonias nos ipſimet, advocatis partibus quarum competebat, dijudicavimus, et lites earum inſimul cum ordinariis hujus Ducatus Magiſtratibus conſopivimus. Si tamen poſtea res neceſſitasque poſtulaverit, Sac. Reg. Majeſtas, ſimiliter et Illuſtriſſimus Princeps, Commiſſarios ſuos pro ſubditorum ſuorum querelis, injuriisque cognoſcendis daturi erunt.

His

Anno 1609. His autem, quæ ſecundam propoſitionum noſtrarum partem attingebant, modo præmiſſo declaratis, ſequuntur ſententiæ, decretaque noſtra, de & ſuper querimoniis & gravaminibus ab Ordine Equeſtri introductis propoſitisque, numero & ordine, quo exhibita in ſcriptis, verbisque repetita erant, in modum infraſcriptum publice prolata.

Primo quidem, quod attinet vacantias ſupremorum quatuor officiorum Conſiliariatus, nimirum DD. Regentium, illas, ut primum inciderint, ſine quavis mora, & procraſtinatione, ne quid vel regimini ipſi tam ampli Ducatus, vel judiciis publicis exercendis deeſſe videatur, quantocyus conferendas eſſe debere DD. Commiſſarii cenſent. Quorum DD. Regentium aliquo defuncto, reliqui eandem auctoritatem rerum gerendarum obtineant tantiſper, donec in locum defuncti, alter idoneus legitime ſufficiatur. Eligi autem & præfici quisquam alius non debet, niſi juxta formulam regiminis & teſtamenti, unus ex quatuor majoribus Capitaneis, qui ex Baronibus & Nobilibus indigenis bene qualificatis, antehac in aliis Præfecturis, vel Capitaneatibus juſto tempore exercitatis, quique ſecundum tenorem teſtamenti, prudentes, honeſtæ vitæ converſationis & conſcientiæ fuerint, deligi debent. Ita tamen, ut bene doctus ſit Cancellarius: extranei autem, & qui non fuerint indigenæ Nobiles, juxta Privilegium Anni MDXLII. 14. Novembris, pertinere ad id minime poterunt, neque id optare, vel acceptare ullo modo audeant, ſub pœna privationis officii ejusdem, & non præſtanda a quopiam jurisdictioni ipſorum obedientia, reverentiaque debita; jure tamen ſupremi & directi dominii, tutorioque ex vi teſtamenti Sacræ Regiæ Majeſtatis, nec non Regni jure interim eo videlicet tempore, ſalvo manente.

Capitaneatus item, & Præfecturæ omnes & ſingulæ Arcium earum, in quibus judicia Nobilium exercentur; ſimiliter maritimæ, vel quas majoribus ab externorum periculis objectas eſſe conſtat nonniſi ſolis indigenis Nobilibus, poſſeſſionatisque conferendas eſſe; alias tamen minores judiciis publicis carentes, & periculis non expoſitas, huic legi non ſubjacere, ſed uſum antiquum in diſtributione ſervandum iri, videlicet Nobilitatem præferendam eſſe, aliis benemeritis non omnino excluſis, conditione futuris Capitaneis ea interpoſita, ut ſalario ordinario, & victualibus, quibus moderni ſuſtentantur, illi quoque contenti ſint; eoque ſuperaddito, ut ad gradus honorum, dignitatum, & Magiſtratuum, ſoli indigenæ modo præmiſſo promoveantur. Ipſi vero Capitanei omnes jurent, ſe fideles fore Illuſtriſſimo Principi, ſimulque recognoſcant Sacram Regiam Majeſtatem ſupremum & directum Dominum ſuum, Regnumque Poloniæ, & quod jura Ducatus ſalva habebunt. Anno 1609.

Quoties autem contigerit, Capitaneatus vel Præfecturas aliquas, Illuſtriſſimo Principe Curatore tunc a Ducatu abſente, vacare, id ſecundum uſum hactenus retentum obſervari debere; videlicet ſignificandum de eo eſſe Celſitudini ipſius, eligendæque & proponendæ a DD. Conſiliariis Regentibus, perſonæ ex indigenis idoneæ tali munere dignæ, ratione locorum & conditionis perſonarum, ut ſuperius deſcriptum eſt, inprimis habita; quarum unam Illuſtriſſima Celſitudo ipſius ſine omni mora præficiet illam, quæ legi præſcriptæ conveniens, & ſibi ex nominatis a DD. Regentibus magis apta videbitur; juribus Sacræ Regiæ Majeſtatis & Regni nihil quoque diminuendo. Præſente vero Illuſtriſſimo Principe, diſtributio ejusmodi vacantiarum eadem in deligendis perſonis obſervetur; videlicet, ut Nobilibus indigenis conferantur, nec alius quisquam illas optet, ſub pœna privationis, uti ſupra ſcriptum eſt.

Jurisdictionem autem, functionemque Dominorum Conſiliariorum Regentium unam & aequalem, indiviſamque fore debere; ita ſcilicet, ut unus præ alio majorem ſibi non vendicet auctoritatem, ſed in omnibus negotiis conſultationibusque aequales ſe eſſe arbitrentur; ac ſi quid muneris pro ratione temporis & neceſſitatis, alicui eorum fuerit ab aliis impoſitum, id ille communi & individua auctoritate exequi debet, de ſuisque actis rationem cæteris reddat, nec quicquam ſine aliorum voluntate & mutuo conſenſu facere præſumat. Omnia autem ad normam jurium & conſuetudinum hujus Ducatus ab eis peragi debere, ſub nullitatis vitio.

Ad quatuor ſuprema officia DD. Regentium eo modo accedendum, illisque potiundum eſſe, ut formula regiminis & teſtamenti præſcribit; nempe defuncto uno quopiam illorum, in ejus locum unus ex quatuor Capitaneis ſupremis legendus præficiendusque ſit; ita tamen, ut is ante vacantiam ſeu obitum

Anno 1609. tum! Conſiliarii quantocumque tempore (non enim formula determinatum id habere voluit) Capitaneus major exiſtat, ad quam electionem Conſiliariorum Regentium, dictante teſtamento ultimo, olim Illuſtriſſimi Alberti primi in Pruſſia Ducis, ſuperſtites Conſiliarii pertinebunt, modumque ſervare debent, tam in formula, quam in teſtamento ipſo deſcriptum; illæſis ſubinde juribus Sacræ Regiæ Majeſtatis & Regni, relictis.

Rationes proventuum omnium adminiſtrandorum exigendas eſſe a DD. Conſiliariis Regentibus, Principe abſente, juxta ordinationem Cameræ in formula regiminis commemoratam. Quod ſi per alias curas ipſis non vacaverit, quo minus per ſingulas Arces, & Capitaneatus obeant, & de quibus opus fuerit per ſeipſos exquirant, extunc poterunt id munus per Commiſſarios ſuos, Capitaneos ſcilicet alios, Nobiles Ducatus, homines fide dignos peragere, ab illis deinceps eaſdem rationes juxta ordinationem Cameræ percepturi, illaſque ipſimet, cui ſecundum diſpoſitionem teſtamenti intererit, redditurі.

De Appellationibus tam inter privatos alterutrum, quam inter Vaſallos & Principem emergentibus, jam olim Privilegio originali, pactiſque Feudi, cum Illuſtriſſimo felicis memoriæ Alberto primo in Pruſſia Duce ſancitum conventumque, ac demum cum Illuſtriſſimo Joachimo Friderico, Sacri Romani Imperii Electore Marchione Brandeburgenſi nuper defuncto, in Comitiis Varſavienſibus, Anno MDCV. tranſactum eſſe. Cum tamen Illuſtriſſimus Princeps Curator jam nunc futurus, ad petitionem Nobilitatis, & interceſſionem Sacræ Regiæ Majeſtatis pro ipſis factam, in id conſenſerit, ut alius circa has Appellationes modus, nempe infraſcriptus, obſervetur: Conſenſu itaque Celſitudinis ejus, & Sacræ Regiæ Majeſtatis interveniente, Appellationes præfatas eo modo proſequendas eſſe. Primo quidem, ſi quid litis Vaſallo cum Principe, vel e contra, acciderit, licitum ſit parti actoreæ, huic & illi, actionem ſuam ad Judicium Aulicum, vel ad Judicium Parium, idque in cauſis bona feudalia concernentibus, intentare & introducere. Ab illo vero judicio, quod ſibi alterutra pars elegerit, Appellatio recta ad Sacram Regiam Majeſtatem deduci debet. Numerus autem Parium conſtabit ex duodecim perſonis, per Illuſtriſſimum Principem eligendis ex Nobilitate, & per Vaſallum, cujus intererit, approbandis, vel reprobandis. Deinde judicium hoc Parium, Vaſallo petenti intra ſpatium duodecim ſeptimanarum concedi darique debet. Hi vero judices Parium, dum judicandæ illis cauſæ ejusmodi venerint, a juramento ſuo, quo Illuſtriſſimo Principi obligati ſunt, & in poſterum fuerint, abſolvi debent. Denuo tamen ſuper judicium ipſum juraturi, ſumptu vero Illuſtriſſimi Principis ſuſtentandi. Si autem Vaſallus procuratore ſuo careret, is ei a Magiſtratu concedatur. Anno 1609.

Proceſſus denique in ipſo Parium judicio ſit ſummarius, ne dilationes ſuperfluæ & non neceſſariæ permittantur, niſi ipſarum probationum & reprobationum termini longius tempus expoſcerent. Idem quoque Proceſſus Appellationum Latino ſermone edatur, ſalvis ſportulis Notario, vel Secretatio dandis. Appellationes denique intra decendium introducantur. Acta vero intra tres ſeptimanas authentice extradantur. Executio inſuper Decretorum Sacræ Regiæ Majeſtatis in cauſis Appellationum, ſine omni mora fiat a Magiſtratu, cujus intereſt, juxta deciſionem inferius deſcriptam. In aliis autem cauſis omnibus inter Illuſtriſſimum Principem & Vaſallos, quocunque nomine intercedentibus, judicium Aulicum pro communi & directo foro cenſendum erit, ſalva tamen Appellatione ad Sacram Regiam Majeſtatem, eo addito, ut compendioſiori proceſſu, excluſis dilationibus ſuperfluis & ambagibus, coram ipſo Aulico judicio cauſæ expediantur, actusque omnes Latino ſermone edantur, ſportulis ſalvis. Non habenti procuratorem officium imploratum dabit, ipſæque etiam Appellationes intra decendium introducantur, & partibus, quibus opus fuerit, intra quatuor ſeptimanas authentice extradantur. Executio quoque modo præmiſſo fiat indilata. Quod autem attinet actiones privatorum inter ſe, in illis, quam diu Illuſtriſſimus æger Princeps vivit, Privilegio Lublinenſi ſupraſcripto Anni MDLXIX. innitendum, & ſecundum illud procedendum eſſe, exceptis tamen cauſis, quæ afficerent honorem, vitam & bona, in quibus, juxta tenorem ipſius Privilegii, ſalva remanere debet Appellatio ad Sacram Regiam Majeſtatem, tam inter ſoloſmet privatos, quam inter Principem. Verum poſt ipſius deceſſum, jam tum juxta Privilegium Lublinenſe, & tranſactionem Anni MDCV. ad judicium Sacræ Regiæ Maje-

Anno 1609. jeſtatis, poſt Curiam Appellationes omnes reducendas fore, in hanc legem Illuſtriſſimo Principe ultro aſſentiente, eamque approbante.

Contingit aliquando Principem a ſede hac *D*ucali, & reſidentia ſua abeſſe, quæ tamen abſentia juri & jurisdictioni ipſius nocere, aut diminuere nequaquam poteſt. Itaque etiam abſente ipſo, titulus ipſius ſuperimponendus eſt citationibus, & expeditionibus ſolitis. *D*omini vero Conſiliarii Regentes, ſecundum morem & jura *D*ucatus, judicia & alia munera publica exercebunt, ſuaque nomina in decretis ipſorum, Principe abſente, exprimi facient, illi duntaxat, qui judiciis interfuerint præfuerintque: ut certo conſtet unicuique gravato, quis illorum ab ipſis ratione gravaminis ſui jure trahendus, conveniendus ſit.

Ad querimoniam Nobilitatis contra Magnificum Fabianum Baronem a Dhona, Burgrabium ſupremum, quaſi is & fidem legibus Ducatus Pruſſiæ alienam, & Privilegiis Poloniæ Regum nullatenus permiſſam amplecteretur, illegitimeque officium Burgrabiatus obiret, ac propterea juribus Ducatus dictantibus ab eo munere amovendus fuerit; æquum eſſe cenſuerunt Domini Commiſſarii in tali paſſu, jura & privilegia Ducatus integre & inviolabiliter obſervanda; ut ſcilicet nemo audeat Dignitates & Magiſtratus ambire acceptareque, quando per leges admittendus non ſit, & qui contra eas exorbitaverit; iis enim præeſſe, quibus contrairet, iisdem ſalvis nequaquam poteſt. Quod ipſum Sacra Regia Majeſtas Dominis Commiſſariis in præſcriptum dare, & ſpecialiter injungere dignata eſt. Cum autem idem Dominus Fabianus Baro in præſentia Dominorum Commiſſariorum non modo ſuæ fidei publicam fecerit declarationem, quæ in cauſa religionis omnium maxima eſt, accuratioremque in foro politico inquiſitionem non videtur requirere, verum & certis documentis & exemplis idem lucidiſſime confirmaret: Proinde Domini Commiſſarii, hujusmodi declarationi innitentes, eum ab objectione præfata, aliisque in eum productis, liberum fore debere, officioque, cui præeſt, cum ejus auctoritate, & debita ab incolis obedientia, licite perfungi poſſe decreverunt: prout quidem auctoritate ſua Commiſſoriali decernunt & ſententiant. Quod autem Nobilitas tantopere cauſæ huic inſiſteret, urgeretque contra præfatum Dominum Baronem, eo nomine acquiri & attendi debere, cum id pro legibus libertatibusque ſuis, & zelo primi ritus feciſſe videatur, neque ullo modo hoc facto bonæ famæ ac honori, integræque exiſtimationi dicti Baronis detrahere potuerit: ideo viciſſim Nobilitatem nullam vel pœnam, vel difficultatem perferre debere, Domini Commiſſarii adinveniunt. Porro ſi quis Domini Baronis famam nullo prætextu libertatis, ſed maligno animo, vel dicto, vel ſcripto proſciderit, contra hunc eidem Baroni ſalva reſervatur actio, appellatione ad Sacram Regiam Majeſtatem cuivis citatorum libera permanente. Anno 1609.

Ordo Aulici Judicii, numerusque perſonarum præſidentium conformis eſſe debet omnino, uti formulæ regiminis, ita & antiquæ hucuſque retentæ conſuetudini; ſcilicet ſex Nobiles indigenæ poſſeſſionati, tres autem Doctores Juris ex civico ſtatu, ad illud Judicium inſtituantur; & ſi quid hactenus, vel ad præſens in eo erratum fuerit, eſſe de præſenti corrigendum, juris ordine ſervato.

Cancellariæ atq; Cameræ officiis præponendi ſunt merito indigenæ Ducatus, juxta declarationem in Receſſu An. 1566. factam; veteranis tamen & bene meritis, ad vitam ipſorum citra omnem in futurum ſequelam conſervatis.

De non extrahendis plus juſto Conventibus Provincialibus, Domini Commiſſarii judicant ad veterem uſum modumque nihil omnino addendum eſſe, id ſaltem, quod abuſu quodam invectum eſt, corrigi debere; videlicet, ut illi ſoli ad conſilia accedant, qui ad ea per leges & conſuetudines admittuntur, excluſis omnibus aliis, qui ad publica ſuffragia non pertinent. Deinde veniant mature debitoque tempore, tumultus, armaque inſolita prorſus abſint. Ordo in dicendis ſententiis talis habeatur, qui directore ſuo, de quo paulo inferius dicetur, conſtet, ejusque obſervetur auctoritas; ſententiæ libere a quovis, ſed nonniſi directoris juſſu, dicendæ, eæq; non prævertendæ, nec cuipiam prærumpendæ: qui vero ad prius dicta nihil, quod addat, habuerit, potius ſententiæ aliorum ſubſcribat. Id autem maxime vitandum eſt, ut non violentis modis & conclamationibus, aut potentia numeroſa, neque per factiones vel ſchiſmata, ſed æquabili modo, & rationibus potius, legibusque & conſuetudinibus approbatis, uniformis omnium, isque liber conſenſus interveniat.

Quæſtionem autem de locis in Conventibus Provincialibus legitime occupandis, ita decidendam eſſe Domini Commiſſarii putaverunt. Capitaneum quidam Brandenburgenſem pro Directore, ſeu alias Marſchalco, in Conventu Provinciali in Col-

Anno 1609. Collegio Dominorum Conſiliariorum perpetuo haberi; abſente vero ipſo, alter ex quatuor majoribus Capitaneis, gradu ſeu loco ipſi proximior, id munus capiat, vota diſtribuat, utque omnia rite & ſecundum leges ac antiquam obſervantiam pro commodo Reipublicæ fiant, attendat. Votorum autem & locorum diſtributio in Collegio præfatorum Conſiliariorum hujusmodi obſervetur; ut primam ſupremorum Capitaneorum, qui quatuor numerantur, rationem habeat, Dignitariis deinceps, poſt Baronibus & cæteris Conſiliariis Terreſtribus concedat ſuffragia. Collegium autem Nobilitatis more ſuo eligat ſibi pro tempore Conventus cujusvis Marſchalcum, qui eam rationem habiturus eſt perſonarum, prout hactenus obſervatum fuit.

Contributiones publicæ, quanquam nullæ majoresve ab incolis Ducatus exigendæ ſint, præter illas, quæ a civico Ordine ex privilegio ipſorum pendi ſolent, vel quas ultro Ordines unanimi conſenſu laudaverint; ſi tamen contigerit, eas decreto publico inſtitui, & auctoritatem in ipſis haberi, ea talis ſit, quæ omnes Ordines peræque afficiat, ut in utroque æqualitas, id eſt, ſanciendo libertatis, & pendendo oneris, obſervetur: id enim jus & æquitas docet. Ac quemadmodum omnes aliæ cauſæ hic in Provincia terminari debent, ex præſcripto jurium Ducatus, ita & differentiæ eo nomine inter Status emergentes, auctoritate Principis, veluti ſupremi in Ducatu Magiſtratus, ſi præſens fuerit, abſente vero eo, Dominorum Conſiliariorum, accedente tamen communicatione Principis, complanari, nec alio reduci vocarique debent. Similiter uſus earundem contributionum non alius in futurum ſit, niſi publico conſenſu approbatus, & in illo ipſo Conventu præſcriptus.

In omnibus autem injuriis & actionibus, tam privatarum, quam publicarum perſonarum, uti communiter ab omnibus, ita maxime a poteſtate ſuprema, Magiſtratibusque omnibus, juris proceſſu contra quosvis procedendum eſſe, non autem vi, aut violentia, prout Receſſus Dominorum Commiſſariorum Anni 1566. dictat; quin & cavendum maxime, ne quis Nobilium in domeſtica pace, & conditione ſua, violentis captivationibus, & aliis angariis & oppreſſionibus prægravetur, bonaque Nobilium quovis prætextu abſque legitima cauſa, & juris publici proceſſu, judicioque legitimo adimantur, quandoquidem id Pacta Conventa Regni cum Illuſtriſſ. Principibus afficiat; de facinoroſis tamen jus & conſuetudo obſervetur. Anno 1609.

Executio item rerum judicatarum ab Officialibus & Magiſtratibus, quorum intereſt, non ſolum retardari non debet, verum unicuique jure vincenti, ſive indigenæ, ſive extraneo præſtanda, ſine omni mora, ſub pœna reſarciendorum damnorum, ab ipſismet Officialibus repetenda.

Licita deinde ſit, eſſeque ſemper debeat, Dominis Conſiliariis Regentibus, a Nobilitate debito modo requiſitis, in iis, quæ leges & privilegia ac conſuetudines Ducatus afficerent, vel ſi aliqua in parte (quod abſit) læſæ fuerint, præmonitio Principum tunc prædominantium, ut ſalvas velint habeantque libertates, privilegia & jura omnium & ſingulorum incolarum Ducatus Pruſſiæ; nullam autem admonitores ex eo incurrant indignationem, vel pœnam, aut contemptum; cum Receſſus Anni 1566. latius ea exprimat & permittat.

Quod autem Nobilitas requirat, ut juramento illi, quod Illuſtriſſimus Princeps facturus de more eſt Sac. Reg. Majeſtati & Regno, addantur verba ſpecialia de ſervandis juribus, privilegiis & libertatibus omnibus hujus Ducatus incolis: cenſuerunt Domini Commiſſarii ipſa eadem jura, privilegiaq; ac libertates Ducatus, illo juramento Principis ex reaſſumptis in privilegio curatelæ, & approbatis pactis juribusque antiquis, quibus ea complectuntur, ſine omni dubio comprehendi.

Bona, jure caduco ad Illuſtriſſimi Principis diſtributionem devolvenda, juxta jura & privilegia diſtribuenda fore bene meritis, indigenisque; habita tamen prima ratione Nobilitatis Prutenicæ, præſertim in caducis bonorum terreſtrium, eoque adjecto, ut illa bona naturam ſuam retineant.

Magiſtratus civitatum omnibus requirentibus juſtitiam indilatam adminiſtret, ſub pœna damnorum reſarciendorum, atque depactationes ultra debita ſalaria a quopiam exigere non audeant, ſub pœna reſtitutionis acceptorum, & compenſandi damni.

Quod vero ſpectat inæqualitatem, & minus juſtum æſtimium in pendendis contributionibus, de quo Equeſtris Ordo contra ſtatum civicum conqueſtus eſt; Domini Conſiliarii cenſent, eas ipſas contributiones in libero arbitrio Ordinum conſiſtere, nec poſſe alterutrum ſtringi ad quasvis auctiones, ſed quod unanimis omnium, liberque conſenſus in hoc ſtatuerit, tenendum eſſe: habenda tamen

ANNO 1609. men eſt ratio æqualitatis in ferendis publicis oneribus, quod judicio & cenſuræ Principis præſentis, abſente vero eo, Dominorum Regentium cum communicatione Principis relinquitur.

Calumniatores, ſi qui forte in Ducatu inveniantur, atque ejusmodi criminis argui poſſunt, ſive ſint poſſeſſionati, ſive non, ſive indigenæ ſive extranei, ordinario juris proceſſu judicandi, coërcendique ſunt, & probatione convictioneque præcedente puniendi. Nihilominus contra impoſſeſſionatos tanto ſtrictius procedendum, quanto ipſorum conditio vilior ſit.

De invehendis huc Regiomontum & evehendis mercibus a Nobilibus & incolis Ducatus & Regni, iisque ad privatum & monopolicum pretium, & libertatem limitatam vendendi & emendi redigendis, Domini Commiſſarii, cum id principaliter ad Magiſtratum ordinarium, id eſt Illuſtriſſimum Principem tunc præſentem, vel ipſo abſente ad Dominos Regentes pertineret, illuc remittendum eſſe declarant, cum ea cautela, ne libertas communis, eaque publica, una & perſonæ juribus libertatibusque ſuis gaudentes præjudicium ullum patiantur, ſub pœna rerum advectarum, & a Magiſtratu prænominato æſtimandarum ſimili.

A Conventibus publicis ut nemo Nobilium, & omnium, qui ad eos pertinent, arceri debet, ita nec liberæ voces ſententiæq; ſupprimi, multo vero minus poſt Conventus expeditos privatum a quopiam examinandae & exquirendae, verum unusquisque id quod ad Reipublicæ commodum, ejusq; ſalvum ſtatum ac libertatem communem ſpectare judicaverit, libere proferat, cum in hoc vera libertas conſiſtat; dignitate tamen ſui Principis, ac inprimis Sac. Reg. Majeſtatis ſalva & illaeſa, juribusque Ducatus in iisdem Conventibus integris manentibus.

Venatorum Principis licentia a Capitaneis locorum, una cum inſpectore ab Illuſtriſſimo Principe ex Nobilitate Prutena conſtituendo, ad inſtigationem cujusvis injuriati compeſci debet, & ne in poſterum alicui injuriam aut vim aliquam inferant, prout id ſaepius facere auſi; appellatione ad judicium Curiae, jureq; Illuſtriſſimi Principis in eo reſpectu officii ipſorum ſalvis. Si tamen abſens fuerit modernus, vel pro tempore exiſtens inſpector, extunc alius ex Nobilitate in illo diſtrictu, ubi injuria illata fuit, ſufficiatur.

Jus municipale, quatenus Ordines Ducatus unanimiter cenſent, examinandum, & ubi defectus reperiatur, augendum ſupplendumque eſſe, Domini Commiſſarii approbant: ita tamen, ut omnes Ordines in id conſentiant, ac primo quoque Conventu ordinario indicto, de perſonis dignis idoneisque, ac earum numero mutuo & invicem conferant, eosque deligant, quibus locum & tempus aſſignaturi ſunt, ubi id perficerent: opere vero conſummato ac perfecto Illuſtriſſimo Principi ad confirmandum exhibeant; caveantque, ne quid in illo legum & proceſſuum juridicorum ſupplemento, juri Sac. Reg. Majeſtatis & Regni, itemque juri & ſuperioritati Principis hujus Ducatus derogetur. ANNO 1609.

De relationibus a Conventibus in diſtrictibus per Nuncios neceſſario faciendis, ſentientibus idipſum DD. Conſiliariis Regentibus, & ad priſtinam conſuetudinem revocantibus, illas fieri debere, & in uſum ac commodum Reipublicæ reducendas temporibus & locis antea ſolitis ſine quovis impedimento. Qui vero Capitaneorum tempus & locum faciendis relationibus non aſſignaverit, ſimiliter Nunciorum unusquisque ſi relationem facere neglexerit, illi pœna reſtituendi ſumptus ad Conventus ex illo diſtrictu erogati puniendi ſunt.

Judicia Terreſtria Diſtrictus Brandenburgenſis ut omnino reſtaurentur, Domini Conſiliarii decernunt, id negotii conficiendi ad Conventum Ordinum proxime futurum rejiciunt. De Sambienſium vero territorio, & judiciis inſtituendis, Conventus idem ſtatuet.

Inſtructiones privatas Principum, ſi formulæ regiminis, teſtamento, privilegiis, receſſibus & juribus, nec non pactis repugnarent, valituras omnino non eſſe: verum formulae ipſi & praemiſſis omnibus, quoad regimen politicum, & conſuetudinibus eo usque ſervatis ſtandum eſſe, nec quidquam innovandum & adjungendum, niſi per univerſalem Ordinum & Principis, & Sac. Reg. Majeſtatis conſenſum. In negotiis tamen jus Illuſtriſſimi Principis, ſimiliter in rebus Camerae ad proventus Ducales ſpectantibus, inſtructiones quasvis ab Illuſtriſſimo Principe petendas & acceptandas fore debere.

De coriis evehendis, pretioque illis ac aliis rebus venalibus imponendo, Magiſtratus, uti ſuperius deſcriptum eſt, ordinabit ex juſto & aequo, ratione publici & univerſalis commodi neceſſitatisque habita, privilegiis nullius partium derogando.

Terreſtria Judicia in ſuo veteri uſu, ut integra maneant. Cauſæ autem cri-

ANNO 1609. minales, tum etiam inter Vaſallum & Principem, uti inibi ventilentur; id cum novam legem ſapiat, absque conſenſu illorum, quorum maxime intereſt, id eſt, inprimis Sacræ Regiæ Majeſtatis, Principisque ſui fieri non poſſe DD. Commiſſarii cenſuerunt. Liberam tamen futuram Ordinibus, vel potius ipſi Nobilitati, in publico Conventu agendi de hoc facultatem, adhibitis accedentibusque conſenſibus ſupra deſcriptis.

Quicunque civium bona Terreſtria jure legitimo poſſiderent, quo Nobilitas ſua poſſidet, illos ad omnia onera terreſtria inſimul ac pariter cum Nobilitate ferenda, & ad ſumptus ex eisdem bonis in Nuncios aeque proportionaliter erogandos, teneri DD. Commiſſarii declarant. Hanc tamen legem ad bona Civitatum communia non referri.

In cauſis autem ſtatum Pruſſiæ concernentibus, quæ vel novi aliquid præſeferre, vel a veteri more ſeu inſtitutis, juribusque & conſuetudinibus diſcrepare viderentur, nihil omnino absque omnium Ordinum, & Magiſtratus, cujus intereſt, conſenſu & voluntate ſtatuendum, introducendumque fore debere.

Cum autem Appellationes non alibi, niſi juxta modum ſupra deſcriptum decidi, aliae vero cauſæ, a quibus non provocatur, hic judicio ordinario ſiſti & terminari debeant; Proinde literae inhibitoriae ſuper proceſſibus retardandis vel cohibendis, aliunde peti darique deſuper omnino non debent, easque datas, proceſſum debitum & juſtitiam ipſam remorari non poſſe, nec judiciorum auctoritatem ſiſtere, nec judicata redarguere, ſub pœna amiſſionis cauſae in eos, qui ejusmodi inhibitorias impetrare auſi fuerint.

Ad præſidentiam in publicis officiis fratrum vel conſanguineorum, neceſſariorumque, DD. Commiſſarii propoſitam quæſtionem ſic reſtringendam exiſtimant, & judicant. Duos inſimul fratres germanos, vel patrem cum filio aut nepote, judiciis aut Magiſtratui non eſſe præficiendos, ne quid inde metus periculique & ſuſpicionis proveniat: ex remotioribus tamen gradibus, ſiquidem dignitati loci, officioque & perſonis conſulendum ſemper ſit, legi & inſtitui poſſe viros virtute, ingenio ac doctrina, exercitiisque publicis pollentes, genere & conditione, iis, quibus ſupra deſcriptum eſt.

Quantum ad poteſtatem Officialium fiſci in jure dicendo; declarant DD. Commiſſarii, illam non aliam eſſe, niſi omnium jure agentium ſimilem, quibus cauſas mere fiſci nuncupandas licitum ſit, citationibus ad judicia ordinaria editis, promovere, reos fiſci accuſare, & ſolita juris proceſſusque forma ejusmodi cauſas inſinuare. Quod ſi in jus vocati nomen delatoris requirant, Camerae Præfecti pro illis habendi ſunt in cauſis fiſci. Verum in cauſis criminalibus, delatorem omnino ſiſtendum, non ſolum nominandum eſſe, ne quisquam indebite moleſtetur, ipſique fiſcales nullam aliam praeter deferendi & citandi facultatem, in Statum ſeu Ordinem Equeſtrem habeant, nec pro injuſtis criminationibus impetitionibusque maneant impuniti. ANNO 1609.

Conventuum Provincialium ſancita cum toties mutari poſſint, minus neceſſarium fore, ut typis excudantur; eſſent enim illorum libri infiniti: ſed potius antiquae conſuetudini ſtandum, ipſisque Conventibus nihil contra jura & privilegia Ducatus, nec contra jura ſupremi dominii Regnique, & Illuſtriſſimi Principis attentandum decernendumque eſſe.

Privilegiorum Provinciae hujus interpretatione praejudiciali, multi gravatos ſe conqueſti ſunt, indeque modum imponi petierunt. Declaratum eſt ſententia DD. Commiſſariorum, ea ipſa jura ac privilegia in alium ſenſum verti aut duci non debere, niſi prout in ſe ſonant; ac ſi quis exinde damnum aliquod, aut injuriam paſſus fuerit, ille, qui privilegia ſiniſtre interpretando retorquendoque, cauſam damni aut injuriae alicui dederit, ſarcire tantundem teneatur damnum paſſo. Quorum quidem privilegiorum Nobilitati ſervientium, nemo alius particeps atque uſufructuarius fiat, niſi ſoli Nobiles indigenae Ducatus.

In aeſtimanda Status Nobilium dignitate, non dubitant DD. Commiſſarii Illuſtriſſimum Principem ex ſua in eum ſingulari benevolentia & gratia, atque ob majorem ſuae dignitatis honorem, alienum ab eo non fore, ut quo magis ſtudium erga ſe ipſorum, amoremque, qui pro firmamento Principum habetur, excitet, titulo & inſcriptione eos, praerogativaque concernenti in literis ad ipſos dandis, cohoneſtare dignetur. Ceſſurum id in proprium Illuſtratis ſuae honorem, & ſubditorum erga ſe benevolentiam majorem, remque Sacræ Regiæ Majeſtati & Regno gratam futuram.

Luſtrationes extra neceſſitatem legitimam, vel ſubito ex improviſo ingruentem, omnino vitandas eſſe, & nonniſi ex omnium conſenſu publico aggrediendas, tum propter motus quosvis ciendos, tum maxime exhauriendas facultates, viresque diminuendas, & deprimendum

ANNO 1609. dum ſtatum Nobilitatis: attamen ſuperveniente gravi & ardua evidentique neceſſitate, eaque communi & publica, tunc temporis illas permitti non expectato laudo univerſali.

Quod ad ſtipendium militare, diurnum antiquitus vocatum, quod olim tempore expeditionis bellicæ datum fuiſſe conſtat, revocandum eſſe jus antiquum. Modus vero, & rationes, quibus hujus ſtipendii quantitas & ſolutio ordinetur, in Conventu futuro cum Illuſtriſſimi Principis Nunciis, & DD. Regentibus ineundae.

Officium Ducis belli, ut ratio ipſa & jura Ducatus volunt, indigenis e Nobilitate conferendum eſſe. Qui quidem poſt collatum ſibi munus, antequam eo fungi cœperit, jurare teneatur ſuper fidelem adminiſtrationem ipſius, & quod contra Sacr. Reg. Majeſtatem & Regnum & contra Principem ſuum, necnon contra jura publica & privata Ducatus attentare audeat quidquam; quinimo omnia in commodum Reipublicae ejus Ducatus Regnique, facturum, conſilio eorum, quorum intereſt, requiſito.

In cauſis Nobilium, Commiſſarios ignobiles nunquam in poſterum delegandos fore.

In obtinendis locationibus bonorum Ducalium, Nobilitas Prutenica praeferenda eſt, Privilegiis Ducatus ita diſponentibus.

Venationum uſus talis ſit, & eſſe debeat, qualis temporibus Illuſtriſſimi ALBERTI primi Ducis licitus fuerat, & qui ad normam Conſtitution. Anni LXXXII. & LXXXVI. & MDCVI. referatur.

De Electionibus Judicum Terreſtrium, legem in receſſu Anni MDLXVI. tenendam obſervandamque eſſe.

Inter alia gravamina ordo Equeſtris conqueſtus fuit, quod in criminalibus actionibus, judiciis civitatum & oppidorum ſtringeretur gravareturque; nec ſibi conveniens eſſe, ut ſtatus major ab inferiore judicetur. Domini Commiſſarii ex quo id novam referat judiciorum formam, accedente Illuſtriſſimi Principis Curatoris futuri conſenſu, ad Conventum Provincialem proxime venturum remittunt, ubi licitum ſit Nobilitati de hoc cum Illuſtriſſimo Principe tractare, ſuaeque Illuſtritatis & munificentiam & gratiam experiri. Quia vero Ordo Equeſtris Ducatus Pruſſiae, pro ſupraſcriptis gravaminibus ſuis abolendis per nos ad praeſens, ob majorem animorum coaleſcentiam, non ad pœnas, ſed ad ſolam in futurum reformationem redactis, ad Sacram Regiam Majeſtatem *D*ominum noſtrum clementiſſimum confugerit, ſuaeque Majeſtatis & Ordinum Regni opem imploraverit, ſimulque petierit, ne quid inde ſibi metus aut periculi, damnique contingat; Ipſa quoque Sacra Regia Majeſtas, id nobis publica fide & auctoritate praecavendum demandare dignata ſit: Proinde ſpeciali mandato & praeſcripto Sacrae Regiae Majeſtatis, una & tranſactioni Varſavienſi inſiſtendo, ejusdem Sacrae Regiae Majeſtatis voluntate & auctoritate declaramus, ut nullus horum omnium quicunque ſive in Conventibus particularibus, & etiam Provincialibus, hic in Ducatu, ſive in Comitiis Regni generalibus, gravamina præfata dicto ſcriptoque, tanquam aſſertores vindicesque legum & libertatum ſuarum proponerent, urgerent, atque tolli conati eſſent, operamque ſuam navarent, & munus Nunciorum Provincialium obirent; indignationi, pœnae alicui, odioque & damno ſubſit; neque id illis a quoquam vitio verti debere & poſſe, verum liberos & immunes, ac omni ex parte tutos permanere, domibusque, & facultatibus ipſorum, foro item publico, & omni quovis loco ſecure verſari, quibus nulla in poſterum eo nomine quaeſtio moveri, aut moleſtia inferri debeat. Sumptus quoque ex publico aere ratione praemiſſorum ſuſcepti, illi ſcilicet, qui ad fiſcum Ducalem non pertinent, in dubium non poſſint vocari. ANNO 1609.

Inſuper Ordine civico de ſe, ſuique Status, juxta jura & privilegia ſua conſervatione expoſtulante: Nos quibus nihil magis optatum fuit, noſtraeque Commiſſioni convenientius, quam ut omnia Ducatus, ejusque incolarum jura ſalva & integra remaneant, declarationem de hoc noſtram pro lege habendam, in vim decreti noſtri fecimus talem: omnia & ſingula jura municipalia, privilegia, libertatesq; & immunitates, indulta, ac beneficia publica civitatibus in Ducatu hoc Pruſſiæ omnibus in genere, & ſingulis in ſpecie, antiquitus ab eo Cruciferorum tempore, poſterioribusque etiam temporibus data & conceſſa, ac a Sac. Reg. Majeſtate Sereniſſimo SIGISMUNDO I. Dei Gratia Rege Poloniæ, literis pactorum feudalium cum Illuſtriſſimo ALBERTO I. in Pruſſia Duce comprehenſa, tam etiam alia a Sereniſſimis Poloniæ Regibus, Illuſtriſſimis Ducibus Pruſſiæ, ſive Diplomatis ſpecialibus, ſive Receſſibus legitime elargita & approbata, Decreta item Provincialia, unanimi Ordinum conſenſu laudata, ea ſcilicet lege, in quantum illa omnia juri Sac. Reg. Majeſtatis & Regni, ac uniuscujusque ſtatus & perſonarum juri-

ANNO 1609. juribus non ſint contraria, in omnibus earum punctis, clauſulis, articulisque & conditionibus, prout in ſe ſuoque tenore deſcripta, & uſu hactenus obſervata ſunt, nomine & auctoritate Sac. Reg. Majeſtatis rata & firma habenda, eaque inviolabiliter & inconcuſſe ab omnibus perpetuo tenenda ſervandaque fore debere judicavimus. Quod vero in ſpeciali flagitaverit, ſe ad altiores honorum gradus, & ad officia tum Cancellariatus ſupremi, tum exercituum Capitanei, Conſiliariorumque Terreſtrium, in quantum ſcilicet viri ex aliis Ordinibus idonei deficerent, ſimul & ad jura caducorum admitti, quod quidem poſtulatum ſuum formula regiminis teſtamentoque fulcitum eſſe volunt: Nos ut omnibus aliis nobis propoſitis differentiis, formulam ipſam, teſtamentumque & privilegia ac jura Ducatus illæſa eſſe præcavemus; ita nec aliquid etiam ad illa a nobis addi mens noſtra eſt. Verum id poſtulatum juribus ipſis præallegatis reſtringendum eſſe cenſuimus, ipſaque jura Ducatus in præmiſſorum diſtributione, atque uſum hactenus obſervatum teneri debere; ita quidem, ut leges inprimis quarumvis perſonarum ſalvæ remaneant. Cum autem virtuti primus locus honorque debeatur, tum præfata munia dignitatesque, nonniſi ex jurium præſcripto, ipſa eadem virtute, eruditione & præſtantibus factis viris claris aggrediendas fore. Qua in re minime dubitant Domini Commiſſarii, quin ordinaria poteſtas, horum diſtributor, ut legibus, ita & perſonis ſeſe accommodet, ſuumque in hoc præſtet jus & officium. Ad publica autem ſuffragia quod attinet, non ſolum pertinere debent Domini civitatenſes modo & jure ſolito, verum etiam nihil eis, præter ipſorum ſpontaneum conſenſum in iis, quæ de novo inſtituenda fuerint, imponi & præjudicari poſſe; quinimo in omnibus publicis conſultationibus conſenſus, ut aliorum Ordinum, ita ipſorum quoque liber & benevolus requirendus erit.

Cum autem quidam Baronum & Nobilium, & quidem parvo in numero, proteſtationem quandam ſub Conventu præſenti generali, Nobis pro tunc munus Commiſſionis noſtræ peragentibus, contra Ordinem Equeſtrem ſeu Nuncios Nobilitatis, eorumque fidem ac acta feciſſent, e converſo Nobilitatis Nuncii reproteſtati ſunt: Nos, quibus Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, omnes incolarum Ducatus diſſenſiones diſſidiaque in planum & æquum reducere, animos omnium pacatos, tranquillumque ſtatum reddere commiſit, & auctoritatem ſuam Regalem deſuper conceſſit, proteſtationem & reproteſtationem præexpreſſas, veluti odio quodam privato, non autem injuria, aut publici boni cauſa profectas, & maiorem ſeditionem præſeferentes, ut ne amplius lites & diſcordiæ alantur, Ordinesque inter ſe non diſſentiant, nec novas excitent turbas aut motus, præſenti decreto noſtro caſſamus, annihilamus, tollimusque. Quas ut nullus proteſtantium & reproteſtantium revocare & in uſum aliquem reducere in poſterum audeat, pœnam decem millium Aureorum Ungaricalium ad fiſcum Sac. Reg. Majeſtatis luendam interponimus, pro qua Inſtigatori Sac. Reg. Majeſtatis & Reipublicæ & Regni, ex delatione cujusvis incolarum partis alterutrius, poſt Curiam Majeſtatis ſuæ licitum erit jure agere.

Quibus omnibus ſententiis decretisq; noſtris, modo & ordine ſupraſcripto prolatis, ea iterum ſub ipſum Conventus hujus generalis finem in ſolito reſidentiæ noſtræ publico loco prælegi, & ad notitiam omnium & ſingulorum deduci publicarique fecimus & mandavimus. Uti quidem in inſtanti nobis ipſismet præſentibus ſunt publicata, ac proinde auctoritate Sac. Reg. Majeſtatis, ſupremi & directi hujus Ducatus Domini, omnia & ſingula præmiſſa ab univerſis Ordinibus & incolis Ducatus firmiter & inviolate tenenda, & pro legibus perpetuis obſervanda fore debere decrevimus; ſimulq; injunximus omnibus Magiſtratibus illorum, ut executionem faciant, & ſecundum illa in caſibus, legibus accommodandis procedant. Inprimis vero jura Sac. Reg. Majeſtatis & Regni integra ſemper habeant: praemiſſa eadem omnia rata, grata, firmaque, tam Illuſtriſſ. Principe Curatore, quam omnibus & ſingulis Ordinibus Ducatus habentibus.

Acta ſunt hæc Regiomonti diebus ſuperius deſcriptis, aliisque ſubſequentibus; finita vero et publicata die 13. Jul. Anno Salvatoris nati 1609. Praeſentibus Magnificis, Generoſis, Nobilibus, Spectabilibus Famatisque; Ludovico Rauter Landthoffmeiſter, Fabiano Burggrabio et Barone a Dhona ſupremo, Chriſtophoro Rappe Cancellario, Joanne Alberto Borek, ſupremo Marſchalco, Conſiliariis ſupremis et Regentibus Ducatus: nec non Conſiliariis terreſtribus et provincialibus, ac Nunciis Equeſtris Ordinis, ex diſtrictibus ad Conventum praeſentem miſſis; videlicet Friderico Burggrabio et Barone a Dhona, Capitaneo Brandenburgenſi, Othone a Gröben, Capitaneo diſtrictus et territorii Schakenſis, Joan-

ANNO 1609. Joanne Truchſeſio à Wetzhauſen, Capitaneo territorii et diſtrictus Fiſchauſen, Martino a Weldenroth, Capitaneo Tapiavienſi, Friderico Sacri Romani Imperii Dapifero haereditario, Barone a Waldburg, Capitaneo Balgenſi, Sigismundo Birchan Capitaneo Soldavienſi, Daniele a Kunheim Capitaneo Tilſenſi, Andrea a Kreutzen Capitaneo Angerburgenſi, Bottone Barone ab Eylenburg, Joanne a Kalckſtein in Partſchen haereditario, Judice Terreſtri Raſtenburgenſi, Alexandro a Polenz in Langnau haereditario, Fabiano Sack in Eicholtz, Euſtachio a Gröben Provinciae Marſchalco, Georgio Truchſeſio a Wetzhauſen, Alberto Weiſel ex diſtrictu Brandenburg., Gerlacho Gaudeker, Salomone Kanicz ex diſtrictu Schaken, Sebaſtiano Thieſel, Joanne Philippo Gaudacker ex diſtrictu Fiſchauſienſi, Chriſtophoro a Dele, JoanneAlberto Perbandt ex diſtrictibus Tapiavien. Inſterburgen. Taplacken, Salau et Georgenbur: Ditricho Kanicz, Jacobo Sparwein ex diſtrictu Balga, Gaſparo Leſgewang, Gaſparo Ebert a Tettau ex diſtrictu Bartenſtein, Gotfrido Barone ab Eilenburg, Georgio Schlubut ex diſtrictu Raſtenburgenſi, Franciſco Schurtz, Fabiano a Milbe ex diſtrictu Rieſenburgenſi et Marienwerder, Alberto, et Friderico a Pölentz fratribus, ex diſtrictu ſuo Schonberg, Martino Wenediger ex diſtrictibus Preuſchmarck, Lubemihl et Dutſch Eilau, Carolo ab Ollſchnicz, Sigismundo Eiſak ex diſtrictibus Höenſtein, Oſterrode et Gilgenburg, Joanne a Schertwitz ex diſtrictibus Holland, Liebſtadt et Morungen, Fabiano Fröbner ex diſtrictu Barten, Eberhardo Schlubuth ex diſtrictu Scheſten, Joanne Venediger ex diſtrictu Neidenburg et Soldaw, Georgio a Kröſten ex diſtrictu Rein, Chriſtophoro a Pudwels ex diſtrictu Ortelsburg, Chriſtophoro Langheim ex diſtrictu Lück, Michaele Blumſtein ex diſtrictu Johansburg, Sebaſtiano Knobelsdorff ex diſtrictu Angerburg et Lotzen, Michaële Hoendorff ex diſtrictu Olrtzchip. Civitatum item Deputatis; videlicet ex antiqua Civitate Regiomontana, Michàële Wilhelmi, Jacobo Kreuſchner, Laurentio Perbant, Friderico Kenchell, Hieronymo Schultz, Abrahamo Reinke, Michàële Rodeman, Chriſtophoro Winter, Benjamino Wigant, Wolffgango Fruben, Chriſtophoro Bottner, Abrahamo Bock, Jacobo Fiſcher. Item Kneiphovienſ. Michàële Fries, Petro Roſenkirch, Joanne Schöne, Petro Michàël, Joan. Krintz, Henningio Birkman, Chriſtophoro Naps, Hieronymo Rode, Joanne Quant, Gaſparo Breier, Petro Ludke. Item Löbnicens. Hieronymo Bechm, Philippo Daul, Jacobo Nitſch, Joanne Hein, Georgio Krüger, Joachimo Bruno, Joanne Partſch, ANNO 1609.

Minorum demum civitatum Nunciis, Criſpino Beckſchlager, Joanne Jordan Bartenſteinenſis, David Reich Raſtenburgenſis & Sensburgenſis, Georgio Krüger Friedlandens. Balthaſaro Varneck Scippentens. Elia Klein Velaviens. Joanne Opicz Hollandens. & Milhauſens. Joanne Schultz & Antono Rautenbergle Mariewerdens. Georgio Rubertzen Heiligenbeilenſ. Sebaldo Felaw, Andrea Schultz Oſterodens., Hoenſteinens., Neidenburgens. Gilgenburgens. Soldaviens. & Peſſenheimens. Daniele Spiſz Salfendens. Morungens. Libſtatens. & Liebemühlens. Paulo Steinborn Rieſenburgens. Biſchoffswerdens. Freiſtatens. & Garnſehens: Ludovico Schultz Zintens. Caſparo Ludwichſtein, Joan. Meier Tilſitens. Petro Fuchs Drengfartens. Chriſtophoro Wichert Fiſchauſens. N. Horch Memmelens. Ignatio Treppenhauer Allenburgens. Petro Reimer Goldapens. Fabiano Heyer Margrabovens. Stephano Grunau Creutzburgens. Henrico Voigt Angerburgens. Et aliis permultis, tam Nobilibus Regni & Ducatus, quam aliarum civitatum & oppidorum, hominibus fide & honore dignis, circa praemiſſa exiſtentibus.

SIMON RUDNICKI, *Epiſcopus Varmienſis. mppr.*
(L.S.)

GEORGIUS KOSTKA. *mppr.*
(L.S.)

M. SIERAKOWSKI *de Boguſlawice. mppr.*
(L.S.)

ALBERTUS KRISKI, *Caſtellanus Sierpcenſis. mppr.*
(L.S.)

JOANNES SWIĘTOSŁAWSKI, *Referendarius Regni. mppr.*
(L.S.)

L. MIELZINSKI, *Succamerar. Caliſſ. mppr.*
(L.S.)

SAMUEL LASKI. *mppr.*
(L.S.)

CCXCVI.

Conſtitutio Comitiorum Regni Poloniae Generalium, habitorum Varſaviæ A. 1611. Menſe Nov.

Anno 1611.

Vol. III. fol. 3. tit. de Feudo Pruſſiae.

Conſiderantes ab antiquis temporibus inveteratam Anteceſſorum noſtrorum, Regnique, declaratam Illuſtriſſimorum Margrabiorum Brandenburgenſium amicitiam & benevolentiam erga Rempublicam, quam non tantum conſervare, verum et novis beneficiis erga Rempublicam noſtram, eo majorem excitare; voluimus, diligenti & accurato judicio omnium Ordinum circa ſucceſſionem in Feudum Ducatus Pruſſiae, quemadmodum ut in praeteritis Comitiis, ita etiam praeſenti conſideratione, & poſt Commiſſionis tranſactionem ex præteritis Regiomontem miſſam, quam in omnibus punctis & decretis confirmamus, ſalvis privilegiis & juribus Ducis & Ducatus Pruſſiae, communi omnium Ordinum conſenſu conſtituimus; quod poſt deceſſum moderni aegri Ducis Alberti Friderici, cui integrum jus ſervamus, ſuccedere debet modernus Illuſtriſſimus Princeps Joannes Sigismundus Elector, Marchio Brandenburgenſis, cum tribus fratribus germanis, 1. Joanne Georgio, 2. Ernesto, 3. Guilhelmo, & Ducatum illum jure Feudi ſecundum tranſactionem in Comitiis præſentibus, conditionibus certis, per Dominos Legatos noſtros tranſactis & ſcriptis approbatis, manutenere, ſervare, & gubernare liberum illi erit: eo ſcilicet ordine, quod imprimis Illuſtriſſimo Electori & ſucceſſoribus ejus maſculini ſexus, in Electoratu ſibi invicem ſucceſſuris, in ſpecificatum feudum ſuccedere debent. Iis autem ita deficientibus Ducatus Pruſſiæ cum attinentiis debet integre in poteſtatem Regum Poloniæ & Reipublicæ redire, ſine omni difficultate, prætenſione, & attributione alicujus. Et cum Illuſtriſſimus Elector, ſecundum conditiones tranſactas, quibus tam in parte, quam in toto ſemper ſatisfacere debet, juramentum debitum ſecundum obligationem Nobis & Reipublicæ (ad quod illi tempus ſcilicet dies Dominicus eſt aſſignatus) præſtabit: tum Illuſtriſſimæ Celſitudini ſuæ privilegium ex Cancellaria noſtra, in quo hæc omnia latius comprehenduntur, extradi, & diploma in volumen legum inſcribi, & typis excudi mandabimus.

CCXCVII.

Tranſumptum Plenipotentiæ Internuntiorum Joannis Sigismundi *Electoris Brandeburgici in negotio ſimultaneæ Inveſtituræ Ducatus Pruſſiæ.* Varſaviæ 4. Nov. 1611. *Ex Archiv. Regni Libr. VK. fol. 103.*

Anno 1611.

Sigismundus &c. Significamus &c. Exhibitas fuiſſe coram Nobis literas infraſcriptas Mandati ſeu Plenipotentiae Oratoribus infra nominatis Illuſtriſſimi Joannis Sigismundi Marchionis Brandeburgenſis Sacr. Rom. Imperii Archicamerarii & Electoris in Pruſſia &c. Ducis, ab eodem Illuſtriſſimo Principe ad moderna Comitia in negotio ſimultaneæ Inveſtiturae in Ducatum Pruſſiae miſſis, datas & conceſſas, manu ejusdem Illuſtriſſimi Principis ſubſcriptas, & ſigillo ipſius penſili communitas, eas Nos in acta Cancellariae noſtrae inſcribi mandavimus, quarum tenor ſequitur talis.

„ Nos Dei gratia Joannes Sigismundus Marchio Brandeburgenſis, Sac. Rom. Imperii Archicamerarius & Elector, in Pruſſia, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſuborum, Vandalorumq; nec non Croſnae, Carnoviaeque in Sileſia Dux, Burgravius Norimbergenſis, Princeps Rugiae, Comes Marchae & Raverſburgenſis, Dominus in Ravenſtein, univerſis & ſingulis haſce literas viſuris notum atque teſtatum eſſe volumus. Quod ad Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem Dominum Sigismundum III. Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, nec non Suecorum, Gottorum, & Vandalorum Regem hæreditarium Dominum Conſanguineum, Affinem, & vicinum noſtrum obſervandiſſimum, ut & Reverendiſſimos, Illuſtriſſimos, Illuſtres & Magnificos Dominos Senatores, Proceres, ac Ordines Regni Poloniæ in Comitiis generalibus hoc Menſe Varſoviæ congregatos, Dominos Amicos & Vicinos noſtros plurimum dilectos & honorandos, præſentium exhibitores Illuſtres, Magnificos & Generoſos Vaſallos & Conſiliarios noſtros primarios & fideles ſincere Nobis dilectos, Abrahamum Baronem & Burgravium de Dhona, Joannem Trucſes de Wetzhauſen Capitaneum Fiſchauſenſem, & Joachimum Hüebner cum pleniſſimis Mandatis ablegaverimus, ut quæ in negotio noſtro Pruſſico cum Illuſtriſſimi quondam Domini Patris noſtris, Domini Joachimi Friderici Marchionis et Electoris Brandeburgens. beatæ memoriæ Legatis, pro dilectione ipſius Nobiſmet ipſis et Succeſſoribus noſtris Ann. milleſimo ſexcenteſimo quinto in Comitiis Varſavienſibus feliciter cœ-

Anno 1611. cœpta, tractata, et maximam partem tranſacta ſunt, ſecundum tenorem reſponſi Regii in iisdem Comitiis redditi, (ad quos res univerſa reſponſo Anni milleſimi ſexcenteſimi noni remiſſa fuit) penitus abſolvant, et ita, ſi quæ adhuc reſtare videbuntur, ad perfectiſſimum exitum perducant. Quam ad rem prædictis Legatis noſtris ſufficientem Plenipotentiam ac integram et abſolutam facultatem dedimus nomine et loco noſtro, Regiam Serenitatem, nec non Illuſtriſſimos et Magnificos Dominos Senatores et Ordines inclyti Regni Poloniæ compellandi, cum Serenitate ejus ac Illuſtriſſimis et Magnificis eorum Dominationibus agendi & concludendi ad ſervanda Pacta ſe offerendi, atque omnia ea pro diſcretione, prudentia, et fide ſua, qua Nobis probati ſunt, inſtituendi perficiendique, quæ temporis opportunitas et negotii ipſius rationes exigent, et a Nobiſmet ipſis, ſi coram Varſoviæ eſſemus, præſtanda et conſtituenda forent. Damus itaque, tribuimus et aſſignamus nominatis Legatis noſtris omnibus ac ſingulis ad prædicta omnia peragenda hiſce literis noſtris plenam, integram, liberam, abſolutam, et minime limitatam aut circumſcripram potentiam ac facultatem omni meliore forma, via et modo, ſicut de jure aut conſuetudine inclyti Regni Regiæque Curiæ rite et legitime fieri debet, et poteſt, cum clauſulis omnibus neceſſariis, ſalubribus, et ad rem ipſam pertinentibus, non minus ac ſi expreſſis verbis illæ omnes hac Plenipotentia comprehenderentur. Quin etiam ſi in rerum tractatione præter opinionem aliqua forte inciderint, quæ ſpeciale mandatum et authoritatem ampliorem requirere videbuntur, hanc quoque ipſis ſimul damus et tribuimus eodem plane modo, ac ſi expreſſa ſigillatim omnia eſſent, quæ hujusmodi ſpeciali mandato inſeri debeant ita, ut quando et quoties eodem indigebunt, uti tum illa, et ſic liberrima poteſtate negotium hoc noſtrum gerere, ad exitum optatum promovere poſſint. Quæcunque vero a Legatis noſtris in hac cauſſa Pruſſica, uti prædictum eſt, geſta, noſtroque nomine promiſſa, recepta et peracta fuerint, ea omnia rata et grata Nos habituros, nec unquam impugnaturos, multominus ullam contra hæc ipſa excuſationem allaturos, ſed ſine quovis prætextu aut effugio præſtituros et impleturos eſſe fide optima, quæque Virum Principem et Regium Vaſallum decet, promittimus et aſſeveramus omnibus, quæ in contrarium adduci poſſent legum juriumque exceptionibus et beneficiis penitus et expreſſe renuntiantes ſine fuco, fraude et dolo. In quorum omnium et ſingulorum fidem ac certitudinem, firmiusque ac evidentius teſtimonium, præſentes literas manus noſtræ ſubſcriptione et ſigilli noſtri ſecretioris impreſſione corroboravimus. Dabantur Ortelsburgi XIII. die Septembris Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo undecimo. Joannes Sigismundus Elector. *mpr.* Actum Varſaviæ die quarta Menſis Novembris Anno ut ſupra. Relatio ejusdem ut ſupra.

CCXCVIII.

Legati Brandeburgici ſpondent pro Joanne Sigismundo, *quod conditiones Inveſtituræ ſimultaneæ obſervabit.* Dat. Varſaviæ 5. Nov. 1611. *Indidem fol. 104.*

Nos Abrahamus Baro & Burgravius a Dhona, Joannes Truchſes a Wetzhauſen Capitaneus Fiſchhauſanus, & Joachimus Hubner. Significamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis. Cum ab Illuſtriſſ. Principe ac Domino, Domino Joanne Sigismundo, Marchione Brandenburgenſi, Sac. Rom. Imperii Archicamerario & Electore, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, & Croſnæ, Carnoviæque in Sileſia Duce, Burgravio Norimbergenſi, & Principe Rugiæ, Comite Marchæ & Ravensburgi, ad præſentia Regni Comitia, de negotio ſimultaneæ Inveſtituræ in Ducatum Pruſſiæ tractandi cauſa, ad Sereniſſimum Principem Dominum Sigismundum III. Dei Gratia Regem Poloniæ, M. Ducem Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque &c. nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarium Regem, Ampliſſimosq; Regni Ordines, plenis cum mandatis, ſumma poteſtate miſſi fuiſſemus, de certis conditionibus, nomine Sereniſſimae Regiae Majeſtatis ſuae & Ordinum nobis propoſitis, conveniſſet, pleneque transactum conſtitutumque fuiſſet, certoque ſcripto a commemorato Illuſtriſſimo Principe noſtro, ſub manu & ſigillo Illuſtriſſimae Celſitudinis ejus edendo, comprehenſis. Cujus quidem tenor ad verbum ſequitur, & eſt talis. „ Joannes Sigismundus DEI Gratia Marchio Brandenburgenſis, Sac. Romani Imperii Archicamerarius & Elector, in Pruſſia, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſuborum, Vandalorum & Croſnae, Carnoviaeque in Sileſia Dux, Burgravius Norimbergenſis, & Princeps Ru-

ANNO 1611. Rugiae, Comes Marchae & Ravensburgi, Dominus in Ravenſtein: Significamus praeſentibus hiſce, quorum intereſt, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis. Cum de ſucceſſione in feudo Ducatus Pruſſiae ab aliquot jam annis, partim ab inclytae memoriae D. JOACHIMO FRIDERICO Principe, itidem Electore Brandenburgenſi, Parente noſtro deſideratiſſimo, partim a Nobis ipſis cum Sereniſſimo Principe ac Domino, Domino SIGISMUNDO III. Rege Poloniae, Magno Duce Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae &c. &c. Domino & Cognato noſtro obſervandiſſimo, Ampliſſimiſque Regni Ordinibus, diverſis temporibus actum eſſet, ac tandem in hiſce Comitiis Varſovienſibus per Legatos noſtros, Magnificos & Generoſos, Abramum Baronem & Burgravium a Dhona, Joannem Truchſeſium a Wetzhauſen Praefectum noſtrum Fiſchhauſanum, & Joachimum Hubnerum Conſiliarium noſtrum, quos ad negotium hoc perficiendum plenis cum mandatis, ſummaque facultate miſeramus, cum eodem Sereniſſimo Rege, Ampliſſimiſque Regni Ordinibus tota de re certis conditionibus conveniſſet, pleneque transactum fuiſſet, atq; ex vi transactionis hujus, conditionibusque ejus, ad homagium praeſtandum ab eodem Sereniſſimo Rege, Ampliſſimiſque Regni Ordinibus accerſiti, vocati, admiſſique fuiſſemus: Nos in commemoratam transactionem, conditionesque omnes eas, quae a commemoratis Oratoribus noſtris nomine noſtro acceptae ſunt, non ſolum conſenſum noſtrum libere praeſtitiſſe, ſed easdem etiam peculiari hoc ſcripto approbandas, confirmandas, firmasque & ratas habendas duxiſſe, quemadmodum quidem approbamus, confirmamus, firmasque & ratas habemus praeſentibus hiſce. In primis autem tam noſtro, quam Succeſſorum noſtrorum nomine approbamus, confirmamus, maturoque conſilio ac deliberatione adhibita, ultro in Nos & Succeſſores noſtros recipimus omnia, quae ex antiquis pactis, quaecunque inter Sereniſſimos Reges, Regnumque Poloniae, Magnum Ducatum Lithuaniae, & Ducatum Pruſſiae, Dominos ſuos Duces aut Ordines ejus, nominatim autem Divum SIGISMUNDUM I. Regem, & inclytae itidem memoriae ALBERTUM Marchionem Brandenburgenſem, Agnatum noſtrum primum Pruſſiae Ducem, tum Illuſt. Principem GEORGIUM FRIDERICUM Marchionem Brandenburgenſ. &c. ejusdem Ducatus Dominum & Gubernatorem, aut quoscunque alios unquam interceſſerunt, debentur: quibus poſtrema hac tractatione transactioneque & inſertis conditionibus nulla in re derogatum quicquam volumus, ſed & in robore ſuo firma immotaque omnia manere debere, cavemus promittimusque. Praeter iſta vero conditiones etiam omnes, de quibus Anno ſexcenteſimo quinto in Comitiis itidem Varſavienſ. per Legatos inclytae memoriae Parentis noſtri, tum in hiſce per Nos convenit, quemadmodum & quae per Commiſſarios Regios in Conventu Regiomontano, ex praeſcripto Sac. Reg. Majeſtatis, quod ad jura & privilegia Ducatus ejus accommodatum fuit, conſtituta ſunt. Secundum quas quidem conditiones inprimis profitemur Nos vocatos in perſona ad Comitia Varſaviam veniſſe, rituque et ceremonia ſolemni, commemorato Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO III. et Regno infraſcriptum homagium et juramentum praeſtitiſſe eodem nimirum modo, iisdemque ceremoniis, quibus proxime Illuſtriſſimus Princeps GEORGIUS FRIDERICUS Marchio Brandenburgenſ. in Pruſſia Dominus et Curator id praeſtitit, verbis ita conceptis. ANNO 1611.

Ego JOANNES SIGISMUNDUS *Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis. Sac. Rom. Imperii Archicamerarius & Elector, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, & Croſnæ Carnoviæque in Sileſia Dux, Burgravius Norimbergenſis, & Princeps Rugiæ &c. juro ſuper hæc Sancta Dei Evangelia, quod ab hac hora deinceps, uſque ad ultimum diem vitæ meae ero fidelis & obediens tibi Sereniſſimo Principi Domino* SIGISMUNDO III. *Dei Gratia Regi Poloniæ, & Magno Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. &c. Domino, ſicuti meo naturali & hæreditario Domino, & Succeſſoribus tuis legitimis, Regibus & Regno Poloniæ, Dominis meis, contra omnem hominem, nemine excepto. Et quod nunquam ero ſcienter in conſilio, vel auxilio, vel in facto, ex quo (quod abſit) amittas vitam vel membrum aliquod, vel per quod accipias in perſona aliquam læſionem, aut injuriam vel contumeliam, vel per quod amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel poſt habebis. Et ſi ſcivero, vel audivero de aliquo, qui velit iſtorum aliquid contra te & Regnum hoc Poloniæ facere, pro poſſe meo, ut non fiat, impedimentum præſtabo. Et ſi impedimentum præſtare nequivero, quam cito potero, tibi nuntiabo, & contra eum, juxta pacta, auxilium tibi & Regno præſtabo. Et ſi contigerit te rem aliquam, quam habes, vel habebis, caſu aliquo ammittere, eam recuperare curabo, & in recu-*

Anno 1611.

recuperata retinenda, te omni tempore adjuvabo, & ſi ſcivero te velle contra aliquem publico conſilio arma ſumere, & de eo generaliter vel ſpecialiter fuero requiſitus, meum tibi ſecundum pacta præſtabo auxilium, Et ſi aliquid mihi de ſecreto manifeſtaveris, illud ſine tua licentia nemini pandam, neque quicquam, per quod pandatur, faciam. Et ſi conſilium a me ſuper aliquo facto poſtulaveris, illud tibi dabo conſilium, quod tibi dominiisque tuis judicavero magis expedire, & nunquam ex perſona mea aliquid ſcienter, quod pertineat ad tuam, vel Regni, dominiorumque tuorum Regno adjunctorum, vel inpoſterum adjungendorum, injuriam vel contumeliam faciam; immo honorem, commodaque tua, Regnique ac Dominiorum tuorum tuebor & conſervabo, vel quoad maxime potero, augebo. Denique Pacta etiam priora & antiqua omnia & ſingula, quocunque tempore a Deceſſoribus meis, Pruſſiæ Dominis aut Ducibus cum inclyto hoc Poloniæ Regno conventa, tum poſtremum hanc transactionem & conditiones per Oratores meos tecum & Ordinibus Regni tractatas conſtitutasque, & a me peculiari Diplomate confirmatas, ſervabo & implebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Quod quidem homagium ſeu juramentum: ut ex pactis feudalibus, conditionibusque a Nobis initis, in perſona praeſtitimus, ita Nos Succeſſoresve noſtri, quoties ſecundum leges feudales renovari Inveſtituram contigerit, eodem omnino modo, eademque forma Sereniſſimis Regibus pro tempore extituris, Regnoque praeſtare ſemper tenebimur, tenebunturque. Declarationem autem hanc Sereniſsimi Regis et Ampliſſimorum Ordinum, de jure hoc ſimultaneae Inveſtiturae, beneficioque in feudo hoc Ducatus Pruſſiae ſuccedendi, non ulterius extendi debere ſtatuerunt, decreveruntq;, quam quemadmodum conditionibus Anni milleſimi ſexcenteſimi quinti Sac. Reg. Majeſtatis, et Ampliſsimorum Ordinum nomine propoſitum fuit, ad unam tantum lineam laudatiſsimae memoriae Parentis noſtri, Nos nimirum ipſos, Succeſſoresque noſtros, per rectam lineam a Nobis deſcendentes, Illuſtriſsimosque Fratres noſtros germanos, Ioannem Georgium in Sileſia Ducem Iegersdorfenſem, Ernestum, et Christianum Wilhelmum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, eorumque legitimos poſteros maſculos; ita, ut in ſingulis ſtirpibus, ut quisque major natu in Electoratu ſucceſſerit, et una forte ſtirpe extincta, altera, ſicque deinçeps in commemorato feudo Ducatus Pruſsiae invicem ſibi ſuccedant: quemadmodum etiam hos ſolos ad contactum Vexilli Reg. Majeſtas et Ampliſsimi Ordines admittendos ſtatuerunt; alios vero nullum omnino jus uſurpare in eo ſibi poſſe aut debere. Religio deinde Catholica Romana, in Ducatu eam profiteri volentibus libera erit; neque ullus unquam ex Ducalibus, vel eam jam profitentibus, aut in poſterum profeſſuris, eam ob rem interpellabitur. Sacella itidem et Oratoria ubivis, tam in confinibus quam alibi, integra, tuta et conceſſa illis erunt, in iisdemq; liberum pietatis ex doctrina inſtitutisque Catholicis Rom. exercitium habebunt. Nemo eo nomine turbabitur, premeturve; nemo Religionis Catho. cauſa ullam vim, injuriam, contumeliam moleſtiamve perferet, aut perferre perpetique debebit. Ad munera etiam et honores, qui ex Catholicis idonei fuerint, liber aditus erit. Quicunque etiam in Ducatu Catholicis Romanae Religionis, Barones, Nobiles et Civitates jura patronatus a Magiſtris Ordinis Cruciferorum, vel Sereniſsimis Poloniæ Regibus, vel deceſſoribus noſtris Ducibus Pruſſiæ habuerint, vel præſcriptione conſecuti ſint, integrum licitumque illis erit, Religionis Catholicæ Romanæ exercitium in iisdem introducere, inſtituere, habereque. Si vero ex Nobilibus plures extiterint, qui in uno eodemq; Templo jus patronatus ſibi vendicent, partim Catholici, partim Evangelici, nemoque eorum reliquis de publico exercitio decedere velit, a Nobis judiciove noſtro cauſa cognoſci, exque præſcripto juris Canonici definiri debebit. Qua ſententia ſi quis gravatum ſe exiſtimaverit, ad judicium Sacræ Regiæ Majeſtatis provocatio integra ei erit. Cum vero præter hæc in conditionibus Anni milleſimi ſexcenteſimi quinti, nomine Sereniſſimi Regis, & Ampliſſimi Senatus poſtulatum fuiſſet, ut ad minimum Regiomonti unum atque alterum Templum ad Religionis Catholicæ uſus, cum reditibus juſtis aſſignaretur, non ſolum propter eos, qui ex Ducatu ejus Religionis eſſent, aut in poſterum forent, verum etiam qui ex Regno, Magnoque Ducatu Lithuaniæ, Catholicæ Religionis homines, negotiorum ſuorum cauſa, frequenter eo convenire ſolerent; ac vero ita de eo tum conveniſſet, ut per Commiſſarios ſuos cum ipſis Provincialibus Sereniſſimus Rex ageret, neque tamen apud illos quidquam adhuc perfici potuerit. Nos quidem tranſactionis, conditionumque harum, vi authoritateque præſentium literarum noſtrarum recipimus,

ANNO 1611.

mus, promittimus, ſpondemusque in uſus hoſce Religionis Catholicæ Romanum unum Templum, cujus juſta capacitas ſit latericium, ſeu ex lapide, loco decente & honeſto in ſuburbio aliquo, ubi Commiſſarii Regii, qui in poſſeſſionem Nos mittent, commodiſſimum judicaverint. Cœmeterium item circumcirca, & campanile, ad ſummum intra triennium, noſtro ſumptu extructuros. Similiter etiam juxta Templum domum, & habitationes neceſſarias & commodas pro Parochis & Miniſtris, tam ejus, quam Eccleſiæ, infra ſupraſcriptum tempus; tum in dotem etiam Eccleſiæ, & alimenta Parochi, mille florenos annuos certi reditus, certis in fundis, villis, agris, aut cenſibus aſſignaturos. Jus præſentandi Parochum, idoneum tamen, & inprimis quidem Sacerdotem Catholicum Religionis Romanæ, tum qui utriusque linguæ tam Polonicæ nimirum, quam Germanicæ peritus ſit, ad Nos pertinere debebit. Si tamen intra ſemeſtre tempus, Nos ſucceſſoreſve noſtri, præſentare eum negligeremus, Reverendiſſimo Epiſcopo Varmienſi, uti Epiſcopo viciniori, Succeſſoribusque ejus, de Parocho ei Eccleſiæ providere, ipſumque inſtituere liberum erit, ad eundem, ſucceſſoresque ejus inſpectio in doctrinam, mores, & vitam Parochi pertinere debebit, qui quidem eodem jure, quo alii in Regno Poloniæ Sacerdotes, privilegiatus & exemptus omnino ab omni jurisditione ſeculari eſſe debebit; exceptis caſibus, in jure Canonico expreſſis. Cæterum eidem Parocho, Nos Succeſſoresque noſtri, nec non Magiſtratus noſtri, Caſtrenſes quam urbani, ſecuritatem ab omni vi, injuria, contumeliis, bona fide præſtabimus, illique præſtabunt. De altero autem Templo quemadmodum & de dote redituve eorum augendo, integrum erit Sereniſſimo Regi, cum ipſis Provincialibus, per Commiſſarios, qui Nos in poſſeſſionem mittent, agere. Quam ad rem non modo nihil impedimenti Nos allaturos, verum favorem ſtudiumque noſtrum apud Ordines Ducatus candide, ſincere, bonaque fide præſtituros promittimus. Ne quoque Ducatus ejus noſtri rationes a rationibus Regni, cujus corpore continetur, diſcrepent; Calendarium novum, ut in Ducatum introducatur, in Conventu Provincialium, omni ſtudio & opera quamprimum curabimus, idque poſthac in Ducatu ſervari mandabimus. Subſidii nomine, præter illa, quae ex priſtinis pactis Ducatus hujus nomine debentur,

ANNO 1611.

quemadmodum iisdem conditionibus Anni ſexcenteſimi quinti convenit, Nos Succeſſoresque noſtri, quotannis in ærarium publicum inferre tenebimur, tenebunturque, triginta millia florenorum Polonicalium, triginta groſſis unumquemque computando. Quoties vero, neceſſitate aliqua publica poſtulante, in Regno tributum decretum publice fuerit, totidem alia triginta nimirum millia ejusdem valoris ſeu monetæ, ita ut cum tributum ſcitum fuerit, ſexaginta millia a Nobis dependantur. Quarum quidem ſummarum nomine, quoties numeratæ fuerint, Regni Theſaurarius, vel ad quos pertinuerit, idonee Nos, miniſtroſve noſtros liberare, ſeu quietare tenebuntur. Quemadmodum etiam conditionibus ejusdem Anni ſexcenteſimi quinti ſtatutum eſt, quoties neceſſitas poſtulaverit, quatuor naves ad tuendam oram maritimam Pruſſiæ, noſtro ſumptu habebimus: quod ſi Sacra Regia Majeſtas uti illis voluerit, de ſumptu in illas faciendo Nobiſcum tractabit. Privilegia, juraque incolarum Ducatus Pruſſiæ, cætera itidem pacta omnia, quæque ex iis, & priſtinis Inveſtituris debentur, omnia in ſuo robore integra inviolataque permanere debebunt, quemadmodum quidem nulla re ea infirmaturos, verum omnia ſarta tectaque conſervaturos, promittimus ſpondemusque: nominatim vero ad honores & officia publica, Magiſtratusque & arcium Præfecturas, nullos alios, quam Ducatus Pruſſiæ indigenas, ſecundum privilegia, juraque vetera Ducatus, Nos Succeſſoreſve noſtros, adhibituros promoturoſve. Tributa nova Conventu Ordinum prius non habito, invitis repugnantibusve, nulla etiam imponere eis poterimus, aut debebimus. Horum etiam, qui per hoc tempus ad Sacram Regiam Majeſtatem aliqua in re confugerunt, ſupplicesque libellos obtulerunt, ſecuritati indemnitatique per omnia cavemus, neque eam rem unquam apud Nos Succeſſoreſve noſtros, aut Magiſtratus, cuiquam fraudi damnoque eſſe debere, promittimus ſpondemusque. Appellationes a ſententiis noſtris, judiciive noſtri Aulici, ſine ulla exceptione liberæ omnibus ad judicium Regium erunt: ita tamen, ut nonniſi a definitiva ſententia, aut vim definitivæ habente appelletur, quantitas, de qua appellatur, ſummam quingentorum florenorum Polonicalium, æſtimationis valoriſve uſitati excedat, infra quam appellare nulli integrum erit. Similiter tamen de injuria, quæ ei ſummæ, de qua appel-

Anno 1611.

appellaretur, æquiparari poſſit, appellare licebit. Si fide publica etiam ex Ducalibus alicui cavendum Sacra Regia Majeſtas, Succeſſoreſve ejus, ſalvumque conductum tribuendum cenſuerint; ii, ſecundum jus publicum, apud Nos Succeſſoreſve noſtros, ſacroſancti ſemper erunt, & eſſe debebunt. Ita tamen ex parte Regiæ Majeſtatis, & ampliſſimorum Ordinum convenit, ne ſalvi conductus aliqui hominibus ullis, vel facinoroſis, vel in crimine ſcelereve aliquo deprehenſis, dentur; ſed ſi quis ex ſiniſtra aliqua delatione offenſionem noſtram, Succeſſorumque noſtrorum incurrerit, vel adverſarii alicujus potentia premeretur, aut aliqua alia juſta ex cauſa dignus præſidio ac patrocinio Regio videretur: datumque eosdem iri non a jure, ſed a vi tantum & potentia, ut juri nihilominus ſe ſiſtere, reique judicatæ parere teneatur. Durante itidem ſalvo conductu modeſte ſe gerat, nullum injuria afficiat, tum vero publice ſalvum conductum illum ad notitiam omnium, maxime autem Magiſtratus adducat: ad extremum etiam, ut ad ſex tantum menſium ſpatium dentur, intra quos & jure experiri, & alia negotia ſua honeſta gerere adminiſtrareque, qui ſalvum conductnm habuerit, poſſit. Spatio autem eo exacto, ſi ulterius eo opus habuerit, alium impetrare. Si quando etiam ex Ducatu Pruſſiæ ad alias ditiones noſtras extra Regnum diſcedere Nobis contigerit, & a Ducatu abeſſe neceſſe fuerit, gubernationem adminiſtrationemque ejus nullis aliis, quam ſecundum formam regiminis a Nobis confirmatam Conſiliariis Regentibus, Nobilibus indigenis & poſſeſſionatis, committemus. Illuſtriſſimi etiam Principis Alberti Friderici Agnati & Soceri noſtri chariſſimi, juri, quoad in vivis extiterit, jus hoc noſtrum nullo detrimento præjudicioque eſſe debebit. Interim etiam lum in valetudine iſta permanebit, ex dignitate ejus a Nobis exhibebitur; omniaque quæ tam ad alimenta neceſſitatemque, quam etiam dignitatem ejus pertinebunt, liberaliter illi a Nobis ſuppeditabuntur. Deſignabit autem Regia Majeſtas Commiſſarios ſuos, qui Nos in poſſeſſionem Ducatus feudique ejus mittant, coram quibus quidem Commiſſariis ſubditi ſimul Ducatus ejus, tam Nobiles quam civitates, ſeu ex ſingulis diſtrictibus, duo ex Nobilitate & civitatibus, in easdem ſupraſcriptas haſce conditiones & tranſactionem, corporale juramentum, ſuo poſterorumque ſuorum nomine, præſtare tenebuntur, quod omnia ea ipſi quoque, poſterique eorum, rata grataque habituri ſervaturique ſint; maxime autem quod poſt obitum quatuor prædictorum Principum fratrum, eorumque legitimorum feudi hæredum, ſi Deo permittente ita acciderit, nulli alii quam Regibus, & Regno Poloniæ, immediate tum parere ſubjectique eſſe debebunt, neque quenquam alium, niſi Reges, & Regnum Poloniæ, tanquam naturalem hæreditariumque ſuum Dominum agnoſcere, aut fidelitatem ſubjectionemque præſtare debent, ſed in commemoratorum Regum, & Regni Poloniæ poteſtatem recident, ſineque ulla cunctatione tergiverſationeque eis, tam quoad utile & directum dominium, quam merum itidem & mixtum imperium ſe ſubjicient obedientque: veteribus tamen juribus, privilegiis, libertatibusque eorum ſalvis. Quæ quidem omnia & ſingula ſupraſcripta, tam in genere, quam in ſpecie, Nos Succeſſoresque noſtros, in omnibus eorum punctis & clauſulis, diligentiſſime ſanctiſſimeque adimpleturos, executioni demandaturos, obſervaturosque, neque quicquam vel per Nos, vel quemcunque alium, contra eadem attentaturos, facturos, aut attentari fierive paſſuros, ſub fide, & honore Principis, noſtro, Succeſſorumque noſtrorum nomine ſpondemus, promittimus, cavemusque. In quorum omnium fidem, præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilloque noſtro communiri mandavimus. „

Nos igitur ſupra commemorati Legati, quemadmodum ex vi mandatorum, noſtrorum, ab Illuſtriſſima Celſitudine ſua nobis datorum, in ſupraſcriptas conditiones omnes & ſingulas, maturo conſilio deliberationeque adhibita, ſponte ultroque conſenſum noſtrum præſtitimus, inque Illuſtriſſimum Principem noſtrum, & in Nos recepimus; ita easdem hiſce literis noſtris ex hoc mox tempore accipimus, approbamus, confirmamus, roboramus, perpetuæque firmitatis robur obtinere debere atteſtamur: commemoratum etiam Illuſtriſſimum Principem noſtrum, quam primum ad præſtandum homagium admiſſus fuerit, ſupraſcriptas literas hiſce noſtris inſertas, ſine ulla cunctatione, tergiverſationeque, ſub manu & ſigillo ſuo, Sacræ Regiæ Majeſtati & Ampliſſimis Ordinibus editurum, omniaque bona fide, fuco, dolo, fraudeque omni remotis, adimpleturum, ſub fide & honore Virorum Illuſtrium ſancte promittimus, pollicemur, ſpondemus, cavemusque. In quorum fidem

Anno 1611. fidem haſce manibus noſtris ſubſcripſimus, ſigillisque noſtris munivimus. Dat. Varſſoviæ in Comitiis Regni Generalibus, die 5. Menſis Novembris Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo undecimo.

Abrahamus *Burgravius &*
Baro a Dhona.
(L.S.)
Joannes Truchses a Wetzhausen
Capitaneus Fiſchhauſen.
(L.S.)
Joachimus Hubner.
(L.S.)

CCXCIX.

Sigismundus III. *Poloniæ Rex ſupradictam ſponſionem acceptat & approbat.* Ibidem eodem die & Anno. *Indidem fol. 97.*

Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque; nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus hiſce, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis: Cum Illuſtriſſimus Princeps Domin. Joannes Sigismundus Marchio Brandenburgenſis, S. R. I. Archicamerarius & Elector, in Pruſſia &c. Dux &c. Cognatus noſter chariſſimus, per Legatos ſuos, Magnificos, Generoſos ac Nobiles, Abrahamum Baronem & Burgravium a Dhona, Ioannem Truchſes a Wetzhauſen Capitaneum Fiſchhauſen: & Ioachimum Hubner, plenis cum mandatis ſummaque facultate in Comitiis hiſce ad Nos miſſos, diligenter apud Nos Ordinesque Regni inſtitiſſent, ut ſecundum ſuperiorum Comitiorum reſponſa, conditionesque ab aliquot jam Comitiis, tam a laudatæ memoriæ Parente ipſius, Illuſtriſſimo quondam Principe Ioachimo Friderico Marchione Brandeburgenſi &c, &c. quam Illuſtritate ejus ipſa per Legatos tractatas, dubitationem tandem eam, quæ de jure ſimultaneæ Inveſtituræ Illuſtriſſimæ Domus ejus exorta fuerat, explicaremus. Nos conſilio & auctoritate, conſenſuque omnium Ordinum R. noſtri adhibito, ſequente modo ac ratione, nullo plane ex commemoratis Ordinibus repugnante, proteſtante, contradicente; ſed omnibus unanimiter conſentientibus, eam definiviſſe terminaſſeque, de eademq; plene & integre transegiſſe, quemadmodum quidem definimus, determinamus tranſigimusq; præſentibus hiſce. Imprimis quidem omnia, quæ ex priſtinis pactis, quæ unquam inter Sereniſſimos Reges Deceſſores noſtros, Regnum, Magnumque Ducatum Lithuaniæ, & Ducatum Pruſſiæ, Dominos ſuos Duces, aut Ordines ejus, nominatim autem D. Sigismundum I. Regem, Avum & Deceſſorem noſtrum, & laudatæ itidem memoriæ Alberttum Marchionem Brande. primum PruſſiæDucem, tum Illuſtrem Principem Georgium Fridericum Marchionem Brandenburgenſem, Ducatus ejus Adminiſtratorem & Gubernatorem, & alios quoscunque intercesſerunt, hac nova transactione & conditionibus nulla in re derogatum quicquam volumus, ſed in robore ſuo firma immotaque omnia manere debere decernimus. Præter hæc vero conditiones etiam omnes, de quibus An. 1605. in Comitiis itidem Varſovienſibus, tum in hiſce præſentibus inter Nos, Ordinesque Regni noſtri, & Legatos laudatæ memoriæ Parentis Illuſtritatis ſuæ, nuncque Illuſtritatis ipſius convenit, quemadmodum & quæ per Commiſſarios noſtros in Conventu Regiomontano ex præſcripto noſtro, quod ad jura privilegiaque Ducatus ejus accommodatum fuit, conſtituta ſunt. Secundum quam quidem transactionem conditionesque, commemoratus Illuſtriſſimus Princeps Elector, a Nobis accerſitus vocatusque, inprimis ad diem tertiam Menſis hujus Novemb. Varſoviam huc ad Nos venire tenebitur, rituque & ceremonia ſolenni Nobis Regnoque noſtro infraſcriptum homagium & juramentum præſtare, eodem nimirum modo, iisdemque ceremoniis, quibus proxime Illuſtriſſimus Princeps Georgius Fridericus Marchio Brandenb. in Pruſſia &c. Dux & Curator id præſtitit; nimirum:

Ego Ioannes Sigismundus *Marchio Brandenburgenſ. &c.* ut ſupra pag 438.

Declaratio autem hæc noſtra, ampliſſimmorumque Ordinum de jure hoc ſimultaneæ Inveſtituræ, beneficiumque hoc in Feudo Ducatus Pruſſiæ ſuccedendi non ulterius extendi debebit, quam quemadmodum conditionibus An. 1605. noſtro & Ampliſſimi Senatus nomine propoſitum fuit, ad unam tantum lineam laudatiſſimæ memoriae Parentis Illuſtritatis ſuæ, Illuſtriſsimum nimirum Electorem ipſum Ioannem Sigismundum, Illuſtresq; Fratres ejus, Ioannem Georgium in Sileſia Ducem Iegersdorff. Ernestum, & Christianum Vilhelmum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, quatuorq; fratrum horum legitimos poſteros maſculos; ita, ut in ſingulis eorum ſtirpibus, ut quiſq; major natu in Electoratu ſucceſſerit, & una forte ſtirpe extincta, alteraſicque

ANNO 1611. ſicque deinceps in commemorato feudo Ducatus Pruſsiæ ſibi ſucedent; quemadmodum quidem ſupra nominati fratres ſoli etiam ad contactum Vexilli admittentur. Alii, ſi qui ſint, nihil omnino ſibi juris obſervare poterunt vel debebunt. Religio deinde Catholica Romana, omnibus in Ducatu eam profiteri volentibus, libera eſſe debebit, neque ullus unquam ex Ducalibus, vel jam eam profitentibus, vel in poſterum profeſſuris, eam ob rem interpellari debebit. Sacella itidem & Oratoria ubivis, tam in confinibus quam alibi, integra, tuta & conceſſa illis ſint, in iisdemque liberum pietatis ex doctrina inſtitutisque Catholicis exercitium habeant: nemo eo nomine prematur turbeturve: nemo Religionis Catholicæ cauſa ullam vim, injuriam, contumeliam, moleſtiamve perferat. Ad munera etiam & honores, ſi qui ex Catholicis idonei fuerint, liber aditus iis ſit. Quicunque etiam in Ducatu Catholicae Romanae Religionis, Barones, Nobiles & Civitates, jura patronatus a Magiſtris Ordinis Cruciferorum, vel Sereniſsimis Regibus Poloniae Deceſſoribus noſtris, vel ipſis *Ducibus* habuerint, vel praeſcriptione conſecuti fuerint, integrum licitumque illis erit, Religionis Catholicae Romanae exercitium in iisdem introducere, inſtituere, habereque. Si ex Nobilibus plures extiterint, qui in uno eodemque templo jus patronatus ſibi vendicent, partim Catholici, partim Evangelici, nemoque eorum reliquis de publico exercitio decedere velit, in Illuſtritatis ejus judicio cauſa primum cognoſci, definirique ex praeſcriptione juris Canonici debebit. Si quis autem ſententia gravatum ſe exiſtimaverit, ad judicium noſtrum Regium provocare integrum liberumque illi eſſe debebit. Cum vero praeter haec in conditionibus Anni 1605. noſtro & Ampliſsimi Senatus nomine poſtulatum fuiſſet, ut ad minimum Regiomonti unum atque alterum templum ad Religionis Catholicae uſus cum reditibus juſtis aſsignetur, non ſolum propter eos, qui ex Ducatu ejus Religionis eſſent, aut in poſterum forent; verum etiam qui ex Regno, Magnoq; Ducatu Lithuaniae, Cath. Religionis homines negotiorum ſuorum cauſa frequenter eo convenire ſolerent: ac vero ita de eo tum conveniſſet, ut per Commiſſarios noſtros cum ipſis Provincialibus hac de re ageremus, neque tamen apud illos quidquam adhuc perfici potuerit: ita interim inter Nos de eo convenit, ut Illuſtritas ſua in uſus hoſce Religionis Catholicae Romanae unum templum, cujus juſta capacitas ſit, lateritium ſeu ex muro, loco decenti & honeſto, in ſuburbio aliquo, ubi Commiſſarii noſtri, qui in poſſeſsionem Illuſtritatem ejus mittent, commodiſsimum judicaverint. Cœmiterium etiam circumcirca & campanile ad ſummum intra triennium ſuo ſumptu extruat: ſimiliter etiam domum, & habitationes neceſſarias & commodas pro Parocho & miniſtris, tam ejus quam Eccleſiae, intra ſupraſcriptum tempus extruat, in dotem etiam Eccleſiae & alimenta Parochi mille florenos annuos, certi reditus, certis in fundis, villis, agris aut cenſibus aſsignet. Ius praeſentandi Parochum, idoneum tamen, & inprimis quidem Sacerdotem Catholicum, Religionis Romanæ, tum qui utriusque linguae, tam Polonicae nimirum quam Germanicae peritus ſit, ut ad Illuſtritatem ejus pertineat, concedimus. Si tamen intra ſemeſtre tempus Illuſtritas ejus, Succeſſoresve ipſius eum praeſentare neglexerint, Reverendo Epiſcopo Varmienſi, uti viciniori Epiſcopo, Succeſſoribusve ejus, de Parocho Eccleſiae ei providere, ipſumque inſtituere liberum erit, ad eundem Succeſſoresve ejus inſpectio in doctrinam, mores & vitam Parochi pertinere debebit; qui quidem, ut eodem, quo alii in Regno noſtro Sacerdotes, jure privilegiatus, & ab omni jurisdictione ſaeculari exemptus omnino eſſe debebit: exceptis tamen caſibus, in jure Canonico expreſsis. Caeterum eidem Parocho Illuſtritas ejus, Succeſſoresve ipſius, nec non Magiſtratus illius, tam caſtrenſes, quam urbani, ſecuritatem ab omni vi, injuria, contumeliis, bona fide praeſtare tenebuntur. *De* altero autem templo, quemadmodum & de dote reddituve eorum augendo, integram Nobis cum ipſis Provincialibus per Commiſſarios noſtros, qui Illuſtritatem ejus in poſſeſsionem mittent, agendi facultatem reſervamus. Quam ad rem non modo nihil impedimenti Illuſtritas ejus afferre debebit, verum favorem, ſtudiumque ſuum apud Ordines *Ducatus* ejus candide, ſincere, bona fide Nobis praeſtabit. Ne quoque *Ducatus* ejus rationes a rationibus Regni, cujus corpore continetur, diſcrepent, Calendarium novum ut in Ducatum introducatur, in Conventu Provincialium omni ſtudio & opera quamprimum curare debebit, inque Ducatu poſthac ſervari mandare. Subſidii deinde nomine praeterea, quae ex priſtinis pactis *Ducatus* hujus nomine debentur, quemadmodum iisdem conditionibus Anni 1605. convenit, Illuſtritas ſua, Succeſſoresve ejus quotannis in aerarium publi- ANNO 1611.

ANNO 1611.

cum inferre tenebuntur triginta millia annua florenorum Polonicalium, triginta groſsis quemque computando. Quoties vero, publica aliqua neceſsitate poſtulante, in Regno tributum publice decretum fuerit, totidem triginta alia, nimirum millia ejusdem valoris, ſeu monetae, ita, ut cum tributum ſcitum fuerit, ſexaginta millia annua ab Illuſtritate ejus dependantur. Quarum quidem ſummarum nomine, quoties numeratae fuerint, Theſaurarius Regni noſtri, vel ad quos ea res pertinuerit, idonee Illuſtritatem ejus miniſtrosve illius liberare, ſeu quietare tenebuntur. Quemadmodum etiam conditionibus iisdem Anni MDCV. ſtatutum eſt, quoties neceſſitas poſtulaverit, quatuor naves Illuſtritas ſua, ad tuendam oram maritimam Pruſſiæ, ſuo ſumptu habebit. Quodſi ipſi uti illis voluerimus, de ſumptu in illas faciendo, cum Illuſtritate ſua tractabimus. Privilegia, juraque incolarum Ducatus Pruſſiæ, cætera itidem pacta omnia, quaeque ex iis & priſtinis Inveſtituris debentur, omnia in ſuo robore integra, inviolataque permanere debebunt; nominatim vero ad honores & officia publica, Magiſtratusque & arcium Præfecturas, nulli alii, quam Ducatus Pruſſiæ indigenæ, ſecundum privilegia, juraque vetera Ducatus, adhiberi promoverique debebunt. Tributa nova, Conventu Ordinum prius non habito, invitis repugnantibusve nulla etiam eis imponi poterunt, vel debebunt. Eorum etiam, qui per hoc tempus ad Nos aliqua in re confugerunt, ſupplicesque libellos obtulerunt, ſecuritati indemnitatique per omnia cautum eſſe debebit, neque ea res unquam apud Illuſtritatem ſuam, Succeſſoresve ejus, aut Magiſtratum, cuiquam fraudi damnoque eſſe debebit. Appellationes a ſententiis Illuſtritatis ſuæ, judiciove aulico ejus, ſine ulla exceptione liberæ omnibus ad judicium noſtrum Regium eſſe debebunt, ita tamen, ut nonniſi a definitiva ſententia, aut vim definitivæ habente, appelletur, quantitasque, de qua appellatum fuerit, ſummam quingentorum florenorum Polonicalium æſtimationis valorisque uſitati excedat, intra quam appellare nemini liberum erit; ſimiliter tamen de injuria, quæ ei ſummæ, de qua appelaretur, æquiparari poſſit, appellare licebit. Si fide publica etiam ex Ducalibus alicui cavendum Nos, Succeſſoresque noſtri cenſuerint, ſalvumque conductum tribuendum, ii ſecundum jus publicum, ſacroſancti ſemper eſſe debebunt. Non dabuntur autem ſalvi conductus, hominibus ullis facinoroſis, vel in crimine ſcelereve aliquo deprehenſis. Sed ſi quis ex ſiniſtra aliqua delatione, offenſionem Illuſtritatis ſuæ, Succeſſorumve ejus incurrerit, vel adverſarii alicujus potentia premeretur, aut aliqua alia juſta ex cauſa dignus præſidio & patrocinio noſtro videatur, dabunturque non a jure, ſed a vi tantum & potentia, ut juri nihilominus ſe ſiſtere, reique judicatæ parere teneatur. Durante itidem ſalvo conductu, modeſte ſe gerat, nullum injuria afficiat, tum vero ſalvum conductum illum, publice ad notitiam omnium, maxime autem Magiſtratus adducat: ad extremum etiam ad ſex tantum menſium ſpatium dabuntur, intra quod '& jure experiri, & alia honeſta ſua negotia gerere, adminiſtrareque, qui ſalvum conductum habuerit, poſſit. Spatio autem eo exacto, ſi ulterius eo dignus fuerit, alium impetrare. Illuſtris etiam Principis ALBERTI FRIDERICI, Ducis ægri, quoad in vivis extiterit, jus id Illuſtritatis ſuæ nullo detrimento præjudicioque eſſe debebit. Interim etiam dum in valetudine iſta permanebit, ex dignitate ejus ab Illuſtritate ejus exhibebitur; omniaque, quæ tam ad alimenta neceſſitatemque, quam etiam dignitatem ejus pertinebunt, liberaliter illi ab Illuſtritate ſua ſubminiſtrabuntur. Si quando etiam ex Ducatu Pruſſiæ ad alias ditiones, extra Regnum diſcedere Illuſtritatem ſuam contigerit, & a Ducatu abeſſe neceſſe fuerit, gubernationem adminiſtrationemque ejus, nullis aliis, quam ſecundum formam regiminis a Nobis confirmatam, Conſiliariis, Regentibus, Nobilibus, indigenis & poſſeſſionatis, Illuſtritas ſua committet. Quæ quidem omnia & ſingula ſupraſcripta, Illuſtritas ſua peculiaribus ſuis etiam literis, manu ſigilloque ejus munitis, ex ſua etiam parte confirmare, deque iis cavere Nobis Regnoque debebit. Interim vero Oratores Illuſtritatis ejus in eandem rem cautionem Nobis præſtare, mandatumque, ſeu plenipotentiam, quam ab Illuſtritate ſua in has res habent, exhibere tenebuntur. Quæ cum omnia præſtita fuerint, Nos etiam Inveſtituræ ejus ſolenne Diploma, manu ſigilloque Majeſtatis noſtræ munitum, e Cancellaria noſtra Illuſtritati ejus edi mandabimus. Simul etiam Commiſſarios noſtros deſignabimus, qui in poſſeſſionem Ducatus, feudique ejus, Illuſtritatem ejus mittent. Coram quibus quidem Cnmmiſſariis ſubditi ſimul Ducatus ejus, tam Nobiles, quam

Anno 1611. quam civitates, ſeu ex ſingulis diſtricti- bus, duo ex Nobilitate & civitatibus, in eaſdem ſupraſcriptas haſce conditiones omnes corporale juramentum, ſuo po- ſterorumque ſuorum nomine præſtare tenebuntur, quod omnia ea ipſi quoque, poſterique eorum rata, grataque habi- turi, ſervaturique ſint: maxime autem, quod poſt obitum quatuor prædictorum Principum fratrum, eorumdemque le- gitimorum feudi hæredum, ſi Deo per- mittente ita acciderit, nulli alii, quam Regibus, Regnoque Poloniæ immediate tum parere, ſubjectique eſſe debebunt, neque quenquam alium, niſi Regem & Regnum Poloniæ, tanquam naturalem hæreditariumque ſuum Dominum agno- ſcere, aut fidelitatem, ſubjectionemque præſtare debeant, ſed in commemora- torum Regum, & Regni Poloniæ pote- ſtatem recident, ſineque ulla cunctatio- ne tergiverſationeque, tam quo ad uti- le & directum dominium, quam merum itidem & mixtum imperium ſe ſubjicient, obedientque. Juribus noſtris Regali- bus, ſupremique Dominii & Regni no- ſtri, incolarum itidem Ducatus ejus, per omnia ſalvis manentibus. In cujus rei fidem & teſtimonium præſentes manu no- ſtra ſubſcriptas, ſigillo Regni communi- ri mandavimus. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus, die quinta Menſis Novembris. Anno MDCXI. Regno- rum noſtrorum, Poloniæ XXIV. Sueciæ XVII. Præſentibus Reverendiſſimis, Re- verendis, Illuſtribus, Magnificis, &c. ut inferius in ipſo Feudo.

SIGISMUNDUS Rex.

HIERONYMUS CIELECKI.

CCC.

Literæ Conſiliariorum Ducatus Pruſſiæ, & univerſæ Nobilitatis & Civitatum, ad Sac. Reg. Majeſtatem in negotio Feudi datæ. Dat. Regiomonti 11. Nov. An. 1611. *Ex Archivo Theſauri Regni.*

Sereniſſime Rex, Princeps Potentiſſime, Domine, Domine Clementiſſime.

Valetudinem Sac. Reg. Majeſtati Veſtr. firmiſſimam, proſperrimumque re- rum omnium ſucceſſum animo devotiſſi- mo comprecantes, ſervitia & obſequia noſtra omni fidelitate ſubmiſſioneque ple- niſſima deferimus.

Cum Illuſtriſſimus Elector in Pruſſia Dux, Dominus itidem noſter clementiſ- ſimus, per Oratores ſuos in negotio ſuo Succeſſionis Pruthenico id, quod reli- quum eſt, ex remiſſione ſponſioneque proxima Comitiali, urgendum terminan- dumque Comitiis in præſenti cenſuerit: haud alienum partibus & officio noſtro facturos nos putavimus, ſi eam ad rem denuo per literas ad minimum, cum ob temporis anguſtiam coram comparere ne- queamus, deſideria noſtra, votaque & ſuſpiria quam humilima adjiceremus, ea- que ad Thronum Sacræ Reg. Majeſtatis Veſtræ Auguſtiſſimum ſinceris animis conteſtaremur. Imprimis autem memo- ri & gratiſſima mente clementiam & ſol- licitudinem Sac. Veſtræ Majeſtatis Regiæ erga nos, patriamq; noſtram, ſummam, nec unquam ſatis laudandam ex eo agno- ſcimus, quod nuper Illuſtriſſimo Electo- ri, in Pruſſia Duci, per Illuſtres & Ma- gnificos Commiſſarios ſuos curam ægri Principis noſtri & hujus Ducatus admini- ſtrationem conferre, ſimulque jurium & privilegiorum provincialium rationem habere voluerit. Quo felici & divino plane Sac. Reg. Majeſtatis Veſtræ conſilio effectum eſt, ut pax & tranquillitas Pa- triæ noſtræ publica ſervata propagataq; fuerit. Unicum hoc ſaltem ſupereſt, quod ad perfectionem laudis, monumentique Sac. Veſt. Regiæ Majeſtatis immortalis, nobis vero & incolis Ducatus omnibus ad firmamentum quietis & tranquillita- tis, omniumque actionum & fortunarum noſtrarum ſolidiſſimum ſtabilimentum, u- nice pertinere videtur, ut nimirum flu- ctuans, dubiaque patriæ noſtræ ſors & conditio in portum penitus tutum ac tran- quillum tandem provehatur. Quod nul- la alia ratione commodius perfici poteſt, quam ſi poſt tractatus, dilationes, venti- lationesque multifarias, Inveſtitura Pruſ- ſiæ Ducatus ſolennis Illuſtriſſimo Electo- ri moderno, totiq; Familiæ Brandenbur- gicæ, vigore tot Diplomatum feudalium indubitatorum, hisce Comitiis durantibus, eorum auctoritate publica realiter confe- ratur. Quo bono ac beneficio immenſo ſi nos, patriamque noſtram in præſens frui contingeret, eſſet, cur in publico & com- muni gaudio, triumphoque Sac. Regiæ Veſtræ Majeſtatis glorioſiſſimo eo magis effuſiusque lætari ac exultare poſſemus, utpote Sac. Reg. Veſtræ Majeſtatis, Reiq: publicæ univerſæ, de recuperato Duca- tu Severienſi, & Regni finibus ampliſſi- me dilatatis, nobis vero de Duce & Gu- bernatore certo, ejusq; Hæredibus (uti præſentiſsima patriæ noſtræ ſalutis ancho- ra) conceſsis, animo devotiſsimo lætiſ- ſimoque gratulantes. Pacta ſiquidem perpetua, cauſam diſſenſionum omnium, quæ

Anno 1611. quæ tempore Ordinis Crucigerorum cum inclyto Regno Poloniæ continue interceſſerunt, eam ſolam præcipuam dilucide aſſerunt, quod modo unus Princeps hæreditarius Terrarum Pruſsiæ Gubernator extitiſſet, ſed ex nutu Imperatorum & Ordinum Sacri Romani Imperii, varii, & qui turbandis inclyti hujus Regni rebus maxime idonei videbantur, ſubinde gubernaculis præficerentur. Unde inter alias cauſas etiam factum exiſtimamus, ut linea Domus Franconicæ paulatim decreſcente, Divæ memoriæ SIGISMUNDUS AUGUSTUS, totaque Respubl. Pol. id unice curarint, ne illa extincta, nec præpotenti aliqua inter Germaniæ Principes familia, in ejus locum ſurrogata, Imperator & Ordines Sac. Rom. Imp. jus & prætenſionem ſuam in Terras Pruſsiæ denuo reſuſcitarent, totaque res ad priſtinam fortunæ aleam recideret. Quam ob cauſam, aliaque inſignia merita inclytæ hujus Domus, Proavus moderni Illuſtriſsimi Electoris, Domini noſtri Illuſtriſſimi, pro ſe, totaque familia ſua & ſtirpe deſcendente Diplomata, Tabulasque feudales accepit, eaque deinceps ad ſimultaneam Inveſtituram & Vexilli contactum non ſemel admiſſa eſt, adeo ut nos & parentes noſtri, potentiſsimamq; hanc Electoralem Domum nunquam aliter, quam Dominos noſtros naturales & immediatos coluerimus, & in hanc uſque diem venerati ſumus; præſertim cum præter ſuperiora de Illuſtriſsima hac Domo, noſtros omniumque Ducatus incolarum animos talis opinio inſederit, eaque multis rerum argumentis hactenus comprobata ſit, nullius unquam, ut hujus inclytæ Domus, ſive publicas ſive privatas inſpiciamus rationes, in nos regimen eſſe poſſe ſalutarius aut felicius. Quocirca has & alias ob cauſas ſubmiſſe ſupplicamus Sac. Reg. Veſtr. Majeſtati, eamque precibus noſtris perhumillimis obteſtamur, ut mora & dilatione ulteriori rejecta, tam Celſitudini ejus Electorali, quam deſideriis noſtris, votisque humillimis ſatisfacere dignetur. Salvis tamen per omnia omnium Ordinum Ducatus privilegiis, juribus, immunitatibus, reſponſisque Regiis, quæ Sac. Reg. Veſtræ Majeſtati manutenenda humillime commendamus. Quo perfecto meritò erit, ut ſæculum hoc, tempusque praeſens ſumme judicetur feliciſsimum auſpicaciſsimumque, quo Sacra Regia Veſtra Majeſtas trophaea ſibi bina, monumentaque aeterna, alterum fortitudinis & conſtantiae ſuae, alterum juſtitiae & aequitatis ſummae, poſuit & erexit. Quod primum poſteri audientes & legentes, ut admirabuntur, ita hoc poſtremum laude perpetua, memoriaq; aeterna extollent ac praedicabunt. Cujus praecônio ac laudibus, gratitudinique immortali pariter, quantum vires ſuppetent, humillime nos ac ſacroſancte obſtringentes; rogamus denique ea, qua par eſt, animi ſubmiſsione devotiſsima, ut hanc noſtram ſollicitudinem & curam animo affectuque ſuo innato clementisſime accipiat. Cujus etiam gratiae, & clementiae benigniſsimae nos, omniaq; noſtra reliqua ſubjectiſsime commendamus, atque eandem Sac. Reg. Veſtram Majeſtatem continuo perpetuoque felicitatis ſucceſſu undique cumulari, victoria in omnes ſuos hoſtes perpetim frui, optimeque & belliſsime in longaevum vivere ac valere, votis exquiſitiſsimis optamus. Regiomonti die 11. Novembris, Anno Domini 1611. Anno 1611.

Sac. Reg. Veſtrae Majeſtatis

Subditi humillimi

Barones & Conſiliarii Provinciales, nec non ex Ordinibus tam Nobilitatis, quam Civitatum Ducatus in Pruſſia congregati.

CCCI.

Deſcriptio, quo ordine Feudum Illuſtriſſimo JOANNI SIGISMUNDO *Marchioni & Electori Brandeb. collatum.* d. 16. Nov. 1611. *Indi.*

Die 16. Novembris homagii ſolennitas peracta. Miſsi primum ad Electorem mane Caſtellani, Gneſnenſis & Elbingenſis, qui eo die actum eum Regiam Majeſtatem celebraturam, atque etiam ipſe ad eum ut ſe pararet, ei ſignificarunt, ſimul etiam ad prandium a Rege eum invitarent, paratum ſe obtulit.

Theatrum in area, quae ante Monaſterium Bernardinorum erat, qui locus ante etiam aliquot ejusmodi actibus conſecratus, quaſi ei rei videbatur, jam ante paratum erat; & cum thronus Regius panno aureo tapetibusque, tum ipſum theatrum circumcirca rubro panno ornatum inſtructumque.

Rex ex Arce, Senatoribus, Aulaque tota eum comitante, primum ipſum Monaſterium Bernardinorum divertit, illuſtri veſtitu ordinario poſita alba dalmatica, & aliis Regalibus indutus fuit. Miſsi inde ad Electorem deducendum ex Senatu Palatini, Poſnanienſis, Lancicienſis, Maſoviae. Quibus deducentibus primum in

ANNO 1611. in Curiam Archiepiſcopi, Monaſterio vicinam, Elector divertit.

Interim Rex Regalibus indutus, Coronam etiam capite, una manu ſceptrum, altera pomum gerens, progreſſus in theatrum fuit, maxima hominum multitudine, partim ex equis, partim domibus & tectis; Regina etiam ex vicino quodam Monaſterii projecto, ex cujus latere proſpectus in theatrum patebat, per feneſtras ſpectante. Circa ſolium Regis a dextris Vexillifer Regni *S*obieſcius, Vexillum manu tenens, a ſiniſtris Enſifer Branicius, diſtrictum Gladium manu proferens, tum Marſchalci tres, Regni nimirum duo, Magni Ducatus Lithuaniae major, Curiae abſente, tum Palatini complures, ex quorum numero unus ſceptrum, alter pomum tenebat, aſtabant. Cum in ſolio jam Rex aſſediſſet, venere a Marſchalco introducti ſex ex primariis Electoris Conſiliarii; cumque in genua ante Regem procubuiſſent, Hubnerus ex iis in eam, quae ſequitur, ſententiam verba fecit:

"*S*ereniſsime Rex, & Domine Domine Clementiſsime: Miſit nos Illuſtriſsimus Princeps, Dom. JOANNES *S*IGISMUNDUS Marchio Brandeburgenſis, *S*ac. Romani Imperii Archicamerarius & Elector, qui ſuppliciter a Majeſtate Veſtra petit, ut ad juramentum homagiumque ratione Ducatus in Pruſsia praeſtandum, hic ſe apud Majeſtatem Veſtram ſiſtere, homagiumque a *M*aj. Veſtra petere poſſit."

Inde cum *S*enatores ad ſellam Regiam acceſsiſſent, collatisque ſententiis mox receſsiſſent, Dominus Epiſcopus Vladiſlavien. Regni Cancellarius, de Conſilii ſententia, iis quae ſequuntur verbis reſpondit:

„ Notum eſt *S*. R. Majeſtati, Domino noſtro clementiſsimo, ſummam jam inde a multis retro ſaeculis, *S*ereniſſ. Poloniae Regibus Majoribus ſuis, ac iis potiſsimum, a quibus maternum genus ducit, cum Illuſtriſſ. Domo Brandenburgica interceſsiſſe neceſsitudinem firmatam cum ſanguinis communione, tum multis & magnis negotiis. Cum igitur eadem ſe teneri intelligat; nunquam omittendum aliquid putavit, quod ad ſuam ſingularem erga inclytam hanc Domum propenſionem teſtificandam pertineret. Itaque nunc etiam pro peculiari ſua erga Illuſtr. Principem D. JOANNEM *S*IGISMUNDUM Electorem, de eadem inclyta *D*omo benevolentia, de Ampliſsimi Conſilii ſententia, ut ad accipiendam Inveſtituram Ducatus Pruſsiae, ac praeſtandum homagium huc veniat, benigne aſſentitur."

Tandem ipſe Elector, Aulicis primum Regiis quibusdam antecedentibus, ipſius deinde ſequentias, inter Palatinum Poſnanienſem & Lancicienſ. medius advenit, proxime autem Palatinus Maſoviae, Caſtellani unus atque alter, interque eos Caſtellanus Inowlodenſis Martinus Sierakowſki, & Maximilianus Przerębſki Capitaneus Petricovienſis, qui pro proxenetis illi adjuncti fuerant; tum Radzivilus, aliique nonnulli primarii Aulici incedebant: ſequebantur eum Conſiliarii ipſius Electoris. A Marſchalcis in theatrum adductus, *S*enatoribus, de quibus oſtenſum eſt, antecedentibus, in genua ante Regem procumbens, hiſce verbis eum allocutus fuit: ANNO 1611.

„ *S*ereniſſime Rex, *D*omine gratioſiſſime. Quod Majeſt. Veſtra, quemadmodum per Conſiliarios meos petieram, ad ſolium ſuum me admiſerit, magnas *M*ajeſtati Veſt. gratias ago. Quemadmodum vero antea, ita nunc quoq; coram a *M*aj. Veſtra, ut de Ducatu in Pruſsia, Terrisq;, Civitatibus, Oppidis & Arcibus ejus, benigne me, ſecundum pacta vetera, & poſtremam transactionem noſtram, tanquam naturalis haereditarius & ſupremus, uti omnium Terrarum Pruſsiae, & *D*ucatus quoq; in Pruſsia *D*ominus, inveſtire dignetur, ſupplex peto. Quo nomine & nunc homagium, juramentumq; *M*ajeſtati Veſtrae & Regno praeſtare paratus ſum, & impoſterum nullum officium praetermittam, quod a bono fidelique Principe Vaſallo praeſtari debeat."

In eandem ſententiam Oratores quoq; ſimultaneorum Principum ſimultaneam Inveſtituram petebant.

Cum *S*enatores iterum ad ſellam Regiam acceſsiſſent; moxq; receſsiſſent, Cancellarius Regni ſequentibus verbis reſpondit.

Illuſtriſsime Princeps. Cum Illuſtritas Veſtra, ut paulo ante per Nuntios & Conſiliarios ſuos, ita nunc coram ipſa a *S*. R. *M*aj., *D*omino noſtro clementiſsimo, Inveſtituram *D*ucatus in Pruſsia ſupplex petat, ac eo nomine homagium praeſtare paratam ſe eſſe declaret, *S*. R. *M*ajeſtas benigne id Illuſtritati Veſtræ concedit. *D*at autem hoc imprimis vetuſtae neceſsitudini, quae *S*ereniſſ. Poloniae Regibus, potiſsimum Iagellonicae ſtirpis, cum Illuſtriſſ. *D*omo Brandenburg. ſumma interceſsit; dat ſuae propriae erga Illuſtrit. Veſtram propenſioni & benevolentiae; dat communi *S*enatus Ordinumque Regni ſui auctoritati, qui poſtrema transactione, cum Oratoribus Illuſtrit. Veſtrae ſtabilita, eodem Feudi hujus beneficio ornandam cenſuerunt. Itaque

ANNO 1611. quod non modo Illuſtritatis Veſtrae, & ipſius inclytae poſteritatis, verum etiam S. R. Majeſtati, ejusque poſteris Poloniae Regibus, Regnoque huic, atque adeo univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ bene & feliciter eveniat, Inveſtituram Ducatus in Pruſſia, juxta pacta vetera, poſtremam & etiam tranſactionem, Illuſtritati Veſtræ tradito hoc Vexillo, ex more confert, ac Illuſtriſſimos etiam Fratres ipſius germanos, ad ejusdem contactum, & ſimultaneæ Inveſtituræ participationem benigne admittit. Sperat autem, planeque confidit Sacra Regia Majeſtas, Illuſtritatem Veſtram, & Illuſtres Fratres ejus, daturos operam, ut hanc erga ſe Majeſtatis Regiæ beneficientiam, debitis officiis proſequantur, deque ea, ac Regno illius, perpetuo bene mereri ſtudeant, atque contendant. “

Inde Rex ipſe Vexillum, quod Vexillifer tenebat, apprehendit, cujus fimbriam Legati ſimultaneorum Principum itidem apprehendebant, tam diuque quoad juramentum præſtitiſſet, tenuerunt. Rex autem ſequentibus verbis, Inveſtituram ei contulit.

„ Nos SIGISMUNDUS Rex Poloniæ, tanquam naturalis & ſupremus Dominus totius Pruſſiæ Ducatusque in ea, annuentes precibus Dilectionis tuæ, tradidimus & concedimus Dilectioni tuæ in Feudum, Terras, Civitates, Oppida, & Arces, commemorati in Pruſſia Ducatus, & ad eas Dilectionem tuam, per hujus Vexilli traditionem, inveſtimus & inſtituimus, gratia & benignitate noſtra, qua Dilectionem tuam, uti Conſangvineum noſtrum chariſſimum, & Illuſtrem Domum ejus complectimur. Speramusque Dilectionem tuam beneficentiæ hujus noſtræ memorem ſemper futuram, gratamque pro eo ſe exhibituram.!“

Inde liber Evangeliorum in ſinu Majeſtatis Regiæ poſitus fuit, Princepsque in genua ante Majeſtatem Regiam procumbens, duobusque digitis ſuper librum Evangeliorum extenſis, Domino Cancellario in verba ei præeunte, ſolenne juramentum præſtitit.

Poſtea Rex eum amplexus, in ſella penes ſe a ſiniſtris collocavit; in qua cum paululum aſſediſſet, ex theatro Marſchalcis deducentibus ad equos, & inde ad Curiam Domini Archiepiſcopi ſe contulit. Gratias etiam pro collato Feudo, in genua itidem procumbens, cum Fratrum Oratoribus, agere debebat, paratusque erat: ſed cum non ſatis commoda tempeſtas eſſet, ideoque omnia ſub dio properantius agerentur, omiſſa tum ea pars ſolennitatis fuit. ANNO 1611.

Equitum etiam creatio, quæ itidem ſolennis eſſe debet, non uſurpata tum a Rege fuit. Inde prandio, ad quod ex Curia Archiepiſcopi ſe contulit, a Rege exceptus fuit.

CCCII.

Diploma Sacræ Regiæ Majeſtatis pro Inveſtitura Ducatus Pruſſiæ, Illuſtriſſimo JOANNI SIGISMUNDO *Marchioni & Electori Brandeburgenſi & tribus illius Fratribus ſimultaneo jure Feudi conceſſa.* Datum Varſaviæ 16. Novembr. 1611. *Ex Archiv. Regni Libr. WP. fol. 119.*

In Nomine Sanctae & individuae Trinitatis, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos SIGISMUNDUS III. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque: necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus hiſce, quorum intereſt, intereritue, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis: quod cum jam ante a divæ memoriæ Deceſſore noſtro STEPHANO Rege, deinde etiam Nobis ipſis, cura Illuſtris Principis D. ALBERTI FRIDERICI, Marchionis Brandenburgenſis, &c. in Pruſſia, &c. Ducis, cognati noſtri chariſſimi, in ea ejus ægritudine, in quam permiſſu divino incidit, atque ad tempus hoc verſatur, Illuſtri Principi Domino GEORGIO FRIDECO, Marchioni Brandenburgenſi multis, juſtisque de cauſis, benignitateque & gratia noſtra Regia, demandata collataque fuiſſet, ac vero ille, commemorato Illuſtri Principe D. ALBERTO FRIDERICO in eadem invaletudine permanente, deceſſiſſet, Nos ex Senatus conſiliique noſtri ſententia, non minoribus cauſis animum noſtrum moventibus, adductos, proque ſumma neceſſitudine, quæ cum Illuſtriſſima Electorali Domo Brandenburgica, a Majoribus noſtris mutua tradita Nobis fuit, eandem curam primum Illuſtriſſimo Principi D. JOACHIMO FRIDERICO Marchioni Brandenburg. &c. deinde poſt Illuſtritatis ejus deceſſum, ejusdem Illuſtritatis filio, nimirum Illuſtriſſimo Principi, D. JOANNI SIGISMUNDO, Marchioni Brandenburgenſis S. R. I. itidem Archicamerario & Electori

ANNO 1611.

ctori contuliſſe. Cum autem Illuſtritates eorum ab aliquot jam Comitiis, ut dubitationem quoque, tam quæ de jure ſimultaneæ Inveſtituræ, jureque in Feudo Ducatus Pruſſiæ ſuccedendi, exorta fuerat, ſimul explicaremus, per ſuos, atque adeo Regum quoque & permultorum Sacr. Rom. Imper. Principum Legatos, apud Nos, Ordinesque Regni noſtri, diligenter inſtitiſſent; ob ſuperiorum autem temporum difficultates, in Comitia Anni hujus MDCXI. proxime hiſce diebus peracta extractaque res fuiſſet: tandem in iiſdem hiſce Comitiis, certis conditionibus, ita tota de re convenit, tranſactumque fuit, ut re in Conventibus particularibus ante propoſita deliberataque, tam Ampliſſimi Senatus, quam Nunciorum Terreſtrium, ab univerſa Nobilitate ad Comitia commemorata miſſorum, omniumque Ordinum noſtrorum authoritate, unanimique conſilio, & conſenſu adhibito, publice per Marſchalcum ejus Ordinis, Generoſum Joannem Swoſzewſki, Notarium Terreſtrem Leopolienſem declarato, ac lege quoque lata firmato, commemorato Illuſtriſſimo Principi, Domino Joanni Sigismundo, Fratribusque Illuſtritatis ejus germanis, Illuſtribus nimirum Principibus, Joanni Georgio in Sileſia Duci Jegersdoff. Ernesto, & Christiano Vilhelmo, Archiepiſcopo Magdeburgenſi eorundemque omnium legitimis Succeſſoribus maſculis, ex lumbis eorum deſcendentibus, jus ſimultaneæ Inveſtituræ ſucceſſionisque in Feudo Ducatus Pruſſiæ tribueretur, conferretur confirmareturque. Quæ quidem conditiones cum peculiari decreto noſtro comprehenſæ ſint, ab Illuſtriſſimo etiam Principe Electore peculiaribus literis, manu ſigilloque Illuſtritatis ejus editis, acceptæ, approbatæ, confirmatæque ſint, ſecundum easdem conditiones commemoratus Illuſtriſſimus Princeps Elector, intra tempus legitimum, juxta prorogationem, in Comitiis publica Ordinum authoritate factam, ſolennis juramenti Nobis Regnoque noſtro præſtandi cauſa, Varſoviam in propria perſona veniſſet, dieque decimoſexto menſis hujus Novembris publice ſolenniterque in loco publico, & theatro, ſub dio ex tempore excitato, Senatoribus lateri noſtro aſſiſtentibus, Officialibus & Aulicis noſtris, magnaque frequentia Nobilitatis, præſentibus, Inveſtituram a Nobis petiiſſet, jusjurandumque præſcriptis verbis, ſolenni ritu ac cerimonia, Nobis Regnoque noſtro præſtitiſſet: Nos authoritate, conſilio, conſenſuque omnium Ordinum noſtrorum, jam ante durantibus Comitiis, in eam rem præſtito, peculiarique conſtitutione declarato, pacta vetera, tum poſtremam hanc tranſactionem in omnibus & ſingulis conſervando, iisdem cauſis, ſingularique erga Illuſtritatem ejus, univerſamque Illuſtriſſimam Domum Brandeburgicam, benevolentia noſtra, qua antea concedendam Illuſtritati ejus curationem & gubernationem ſupradictam adducti fuiſſemus; cum præſertim commemorati Illuſtris Principis D. Alberti Fridеci in Pruſſia Ducis, non ſolum valetudo, ſed ætas etiam magis in dies ingraveſcat, inque ætate hac ipſius, vitaque cælibe ſeu viduali, proles ulla maſcula vix expectanda ſit; nunc quoque non inviti faciendum Nobis putavimus, ut Illuſtritatem ejus ad Terras, Civitates, Oppida, & Arces, feudalis Ducatus in Pruſſia inveſtiremus, uti inveſtimus præſentium literarum tenore, ea nimirum ratione, ut quoad Illuſtris D. Albertus Fridericus in Pruſſia Dux, cujus juri nihil derogatum volumus, in ea, quæ nunc eſt, valetudine perſeveraverit, commemoratus Illuſtriſſimus Princeps Elector Joannes Sigismundus, tanquam Curator ipſius Ducis, & Gubernator Ducatus, cum titulo & præeminentia Ducis, Ducatum ipſum teneat; iis nimirum conditionibus, quæ veteribus pactis, decretoque noſtro & poſtrema tranſactione, diplomate ab ipſo Illuſtriſſimo Electore ſubſcripto, confirmata convenerunt. Quodſi vero præfatus Dux in ægritudine deceſſerit, & tunc ſuo jure, vigore veterum & noſtræ hujus Inveſtituræ, prædictus Illuſtriſſimus Princeps Joannes Sigismundus Marchio & Elector, Ducatum in Pruſſia in Feudum a Nobis & Regno noſtro retineat. Eo igitur modo Illuſtriſſimo D. Joanni Sigismundo Electori, & Marchioni Brandenburgenſi ejusque hæredibus maſculis, legitimis Feudi ſucceſſoribus, in perpetuum & individuum Feudum omnes Ducatus Pruſſiæ Terras, Civitates, Oppida, & Arces; videlicet Arcem Konigsberg cum tribus Civitatibus, item Arces & Oppida, Lochſteten, Wargen, Germau, Pubeten, Radau, Schaken, Kaimen, Kremiten, Waldau, Tapiau, Taplacken, Narketen, Inſterburg, Alenburg, Wonsdorff, Gerdaven, Angerburg, Nordenburg, Labiaw, Laukiſken, Tilze, Ragnet, Roziten, Wientzberg, Memel, Brandeburg, Kreucburg, Frideland, Dominau, Batten, Lecen, Balge, Heiligenbeil, Cinten, Lantzberg, Preiſchei-

ANNO 1611.

Anno 1611. ſcheilau, Barteſtein, Schonſtein, Schensburg, Rein, Raſtenburg, Lekk, Stradaun, Joansburg, Holand, Libſtad, Milhauſen, Morugen, Paſſenheim, Ortelsburg, Oſtrode, Hohenſtein, Neidenburg, Soldau, Hilgenburg, Schipenpeil, Oteroslau, Preiſmarck, Libemil, Salfeld, Riſenburg, Marienverder, Iſenberg, Powunden, Georgenburg, Roſenberg, Gardeſchec, Neihaus, Freiſtadt, Salau, Fiſchhauſen, Biſchoffswerder, Medenau, cum omnibus & ſingulis ſubditis, vaſallis, fructibus, dominiis, ſuperioritatibus, libertatibus & juribus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, manſis, curiis, molendinis, molendinorum locis, cenſibus, vectigalibus, reditibus, theloneis, ſervitiis, feudis ſpiritualibus & ſæcularibus, lacubus fluminibus, piſcationibus, aquis, aquarumque decurſibus, ferarum luſtris, ferarum meatibus, venationibus, ſylvis, nemoribus, paſcuis, pratis, actibus, etiam cum omnibus metallis, quæ modo ſunt, ſeu in futuro fieri poſſunt, auro, argento, cupro, ſtanno, plumbo, & ſalinis ſupra & ſubtus terram: ſimiliter una cum omnibus & ſingulis juribus, eminentiis & pertinentiis univerſis, nullis penitus exceptis, ſicut ejusmodi Terras quondam Magiſtri Generales & Ordo habuere, & uſque ad Ducem, in locum Magiſtrorum creatum, uſu & fructu tenuerunt, in poſterum perpetue & hæreditarie in commune & individuum feudum tenendas, fruendas, utendas & poſſidendas. Ubi vero & Illuſtris Albertus Fridericus, nunc æger, & ipſe Illuſtriſſimus Joannes Sigismundus Elector, Marchiones & Duces in Pruſſia, maſculis ſine legitimis feudi hæredibus, vel eorum hæredes poſt eorum obitum, ſine legitimis maſculini generis feudi hæredibus ex humanis concederent; dictæ terræ, civitates, oppida & arces, ad commemoratos Illuſt. Principes, Illuſtritatis ejus germanos Fratres, vel eorum legitimos poſteros maſculos, ex lumbis eorum deſcendentes, prout quisque eorum in Electoratu ſucceſſerit, quorum Oratores, in hac inauguratione & renovatione feudi, ex ſingulari noſtra gratia benignitateque, ac poſtrema hac transactione, ad contactum Vexilli admiſimus; ita tamen, ut poſtquam alicui ex iis aperietur ſuo ordine feudum Ducatus in Pruſſia, ne per aſſecutionem priorem Electoratus aliqua in re præjudicaret juribus noſtris & Regni noſtri, quod habemus legitime & hæreditarium ad Terras Pruſſiæ, derivari & devolvi debere: ita, ut dictæ terræ, civitates, oppida & arces, ubi divina ordinatione ejusmodi caſus futuris temporibus acciderent, de uno in alium, & eorum legitimos feudi hæredes maſculos, illo ipſo ordine, qui ſuperius expreſſus eſt, cedant & devolvantur, ſine noſtro, Hæredumque & Succeſſorum noſtrorum Regum, & Regni Poloniæ impedimento & præjudicio. Ea ratione, ut quoties ſe obtulerit ejusmodi caſus devolutionis de uno in alium, Marchiones prædictos, & eorum legitimos feudi hæredes maſculos, debebunt illi, & quisque eorum debebit Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniæ, infra tempus debitum ac legitimum, debitam ſubjectionem & feudi obligationem ac homagium præſtare, neque prius feudum Ducatus in Pruſſia accipere, aut ſuſceptum adire, a ſubditisve juramentum exigere poterunt aut debebunt, quam Nobis, Succeſſoribusve noſtris Regibus, ac Regno Poloniæ, in propria perſona juramentum fidelitatis homagiumque præſtiterint. Quod ſi prædicti Marchiones, divina voluntate ſic diſponente, ſine maſcula prole, feudi hærede legitima, ex lumbis eorum ordine ſupra ſcripto procedente, decederent, tunc omnes & ſingulæ terræ, civitates, oppida, bona & arces ſupraſcriptæ ad Nos, Succeſſoresve noſtros Reges & Regnum Poloniæ, ſine omni impedimento & contradictione, incolarum tamen privilegiis & juribus ſalvis, devolvi debent & redire. Debebit item Illuſtriſſimus Marchio Elector, & Dux in Pruſſia, ejusque prænominati ſucceſſores & feudi hæredes, pro hac noſtra in ſe beneficentia, Nobis & Regno noſtro tale obſequium præſtare: Quod ubi ratione concordiæ & conceſſionis feudi, a quocunque cujusvis eminentiæ & conditionis Principe ſeu Potentatu impeteremur, aut Succeſſores noſtri impeterentur, tenebitur ipſe Illuſtriſſimus D. Marchio Elector & Dux in Pruſſia, aut ejus prædicti feudi ſucceſſores, Duces in Pruſſia, in propria perſona Nobis & Regno noſtro ubique, una cum omnibus ſubditis ſuis, pro ſummis viribus adeſſe: quodſi viciſſim Nos & Succeſſores noſtri Reges, & Regnum Poloniæ alia quavis ex cauſa tam ab infidelibus, quam a quocunque alio impeteremur, & ipſi in propria perſona ad bellum cum ſubditis noſtris proficiſceremur, aut Succeſſores noſtri proficiſcerentur, debebit dictus Dom. Marchio & Dux in Pruſſia, & ejus prænominati feudi ſucceſſores Duces in Pruſſia, Nobiscum cum centum equitibus armatis proficiſci, & intra limites Terrarum Pruſſiæ Nobis ſervire Anno 1611.

ANNO 1611.

vire. Quodſi educere extra terminos Pruſſiæ illum, aut ejus ſucceſſores in Pruſſia, cum ipſo equitatu voluerimus, aut Succeſſores noſtri voluerint, debebimus & Nos & Succeſſores noſtri in eosdem centum equites ſtipendium tale præbere, quale aliis mercenariis equitibus noſtris dari ſolet. Ubi vero Nos, vel Succeſſores noſtri vellemus ipſum D. Marchionem, aut ejus nominatos poſteros, Nobis & Succeſſoribus noſtris majori comitatu ſervire: debebimus Nos & Succeſſores noſtri his omnibus militibus, quos ultra centum praedictos conducere poſſet, mox poſt egreſſum a domibus eorum, ſtipendium, quod noſtris militibus dabitur, quamdiu ſervierint, perſolvere. Si autem plures, quam centum praedictos equites, ipſe Illuſtriſſ. D. Marchio Elector, aut ejus ſucceſſores Duces in Pruſſia, educere non poſſent, non debebimus Nos aut Succeſſores noſtri ab illo aut ſucceſſoribus ejus, Ducibus in Pruſſia, plures exigere. Praeter haec ex poſtrema etiam hac transactione, & conditionibus ejus, idem D. Marchio Elector, legitimique ejus feudi ſucceſſores, in aerarium publicum quotannis inferre tenebitur & tenebuntur triginta millia annua florenorum Polonicalium, triginta groſſis unumquemq; computando; quoties vero publica aliqua neceſſitate poſtulante, in Regno publice tributum decretum fuerit, totidem alia, nimirum triginta millia, ejusdem valoris ac monetae, ita, ut cum tributum in Regno ſcitum fuerit, ſexaginta millia annua ab eis dependantur. Quarum quidem ſummarum nomine, quoties numeratae fuerint, Theſaurarius Regni noſtri, vel ad quos ea res pertinuerit, idonee praedictum Illuſtriſſ. Dominum Marchionem Electorem, ſucceſſoresve ejus in Pruſſia Duces, miniſtroſve eorum, liberare ſeu quietare tenebuntur. Quoties neceſſitas poſtulaverit, quatuor naves, tam Illuſtriſſ. Marchio Elector, quam ſucceſſores illius legitimi in Pruſſia Duces, ad tuendam oram maritimam Pruſſiae, ſuo ſumptu habebunt. Quodſi Nos ipſi aut Succeſſores noſtri uti illis voluerimus, aut voluerint, de ſumptu in illas faciendo cum iisdem tractabimus, aut Succeſſores noſtri tractabunt conſtituentque. Alias etiam conditiones, de quibus inter Nos convenit, quaeque peculiari ſcripto commemorati Illuſtriſſimi Principis, ſub ipſius hyrographo & ſigillo continentur, debebit ipſe Illuſtriſ. Elector ac ejus ſucceſſores adimplere. Praeterea non debebit ipſe Illuſtriſſimus D. Marchio Elector, & ejus praenominati feudi ſucceſſores Duces in Pruſſia, quidquam ex terris, civitatibus, oppidis, arcibus & bonis praedictis vendere; verum ſi ad hoc illum, aut ſucceſſores ejus, ingens urgeret neceſſitas, tenebuntur Nobis & Succeſſoribus noſtris, tanquam Dominis ſuis haereditariis, ante omnia denunciare. Quodſi Nos ipſi emere non curaverimus, aut Succeſſores noſtri non curaverint, in hoc caſu ipſe poſtea Illuſtriſſ. D. Marchio Elector & Dux in Pruſſia, aut ejus legitimi feudi haeredes ſeu ſucceſſores, cui voluerint aut potuerint, liberam vendendi habebunt facultatem. Regalibus tamen noſtris feudi, & obſequiorum juribus ſemper ſalvis permanentibus. Poterit autem ipſe Dux in Pruſſia & ejus feudi haeredes, ubi neceſſitas urgens premeret, ex bonis praedictis, quantum opus foret, impignorare ſuis duntaxat vaſallis & ſubditis, ut eadem bona unita & indiviſa permaneant. Quae omnia & ſingula ſupraſcripta, & quaecunque alia, quae Vaſallus & feudalis Princeps erga ſuum naturalem, haereditarium ac ſuperiorem Dominum praeſtare ac obſervare tenetur, quaeque ſpontanea voluntate ſe praeſtiturum ſpopondit ac recepit, debebit ipſe Illuſtriſſimus D. Marchio Elector & Dux in Pruſſia, ac ejus feudi haerrdes legitimi ſucceſſores, firmiter & inviolabiliter adimplere, Noſque viciſſim illum & ſucceſſores ejus omni gratia & favore Regio complecti, ac illos in juribus & immunitatibus eorum conſervare, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniae pollicemur. Juribus noſtris Regalibus, directique ac ſupremi dominii noſtri, & Regni noſtri, & incolarum Ducatus, ſalvis per omnia manentibus. In quorum omnium fidem & teſtimonium praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, ſigillumque noſtrum appendi juſſimus. Dat. Varſoviae, ex prorogatione ad hunc actum Conventionis Regni noſtri Generalis, die 16. Menſis Nov. Anno Domini 1611. Regnorum noſtrorum Poloniae 24. Sueciae vero 17. Praeſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Venerabilibus ac Generoſis: Alberto Baranowſki Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni noſtri Primate, Petro Tylicki Cracovienſi, Laurentio Gębicki Vladiſlavienſi & Pomeraniae, Regni noſtri ſupremo Cancellario, Benedicto Woyna Vilnenſi, Martino Szyſzkowſki, Plocenſi, Simone Rudnicki Varmienſi, Georgio Zamoyſki Chelmenſi, Joanne Pruchnicki Camenecenſi, Othone a Schenking, Vendenſi, Epiſcopis; Joanne Co-

Anno 1611.

mite ab Oſtrorog, Poſnanienſi, Mariae-burgenſi, Grabovienſi, Stanislao Bykowſki Siradienſi, Adamo Sandivogio a Czarnkow Czarnkowſki Lancicienſi, Majoris Polon. Generali, Stanislao Zolkiewſki Kijovienſi, Exercituum noſtrorum Duce, Thoma Goſtomſki Maſov. Ryczyvolenſi, Stanislao Gulſki Rusſiae, Barenſi, Palatinis & Capitaneis; Adamo Zmigrod Stadnicki Caliſsienſi, Andrea Przyemſki Gneſnenſi, Michaële Konarſki Culmenſi, Stanislao Dzialynſki Elbingenſi, Andrea Comite a Tenczyn Vislicienſi, Jacobo Gawronſki Vielunenſi, Stanislao Kiełczewſki Biechovienſi, Martino Sierakowſki Inowlodenſi, Conſtantino Plichta Sochaczovienſi, Adamo Koſſobucki Wyſſogrodenſi, Joanne Podoſki, Ciechanovienſi, Caſtellanis; Sigismundo a Mirow Myſzkowſki ſupremo Regni, Chriſtophoro Monvido Doroſtayſki M. Duc. Lithuaniae Marſchalcis, Felice Kryſki in Drobnin Vicecancellario Regni, Stanislao Warſzycki Regni, Hieronymo Wołowicz M. Ducat. Lith. Theſaurariis, Nicolao Wolſki de Podhayce Marſchalco Curiae Regni, Henrico Firley de Dambrovica Praepoſ. Plocenſi, Joanne Swiętoſławſki, Referendariis Regni, Sebaſtiano Sobieſki Vexillifero, Joanne Branicki Gladifero Regni, Joanne Radziwił Duce in Ołyka & Nieſwież, Joanne Duce de Zbaraż, Pinſcenſi Capitaneo, Stanislao Lubienſki Gneſnenſi, Mathia Lubienſki Lancicienſi, Hieronymo Cielecki Poſnanienſi, Jacobo Zadzik Vladislavienſi, Praepoſitis; Reinholdo Heindenſthein Soleſcio, Secrecretariis noſtris; nec non Terrarum Nunciis, qui ad actum hunc remanſerunt, & aliis quam plurimis ad praemiſſa fide dignis teſtibus. Dat. per manus Reverendiſſimi Domini Laurentii Gębicki Epiſcoſcopi Vladislavienſis & Pomeraniae, ac Regni noſtri Cancellari ſupremi, ſincere Nobis dilecti.

SIGISMUNDUS Rex.

Reinholdus Heindenſthein S. R. M. Secretarius.

CCCIII.

Tranſumptum Protectationis Nuncii Apoſtolici circa præſtitum per Electorem Brandeburgenſem ratione Ducatus Pruſſiæ homagium de Juribus in eo Ducatu S. Pontificis & Eccleſiæ. Ibidem eodem die & Anno. *Libr. VK. fol. 126.*

Anno 1611.

SIGISMUNDUS &c. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut in futurum quomodo libet intereſſe poteſt, ſignificamus. Quod cum in proxime tranſactis Comitiis Generalibus Varſchavienſibus cum Ordinibus Regni noſtri, poſtulantibus Legatis Illuſtriſſimorum Dominorum Marchionum Brandenburgenſium de declarando & concedendo eisdem Feudo in ea parte Provinciæ noſtræ Pruſſiæ, quæ Ducatus dicitur, tractaremus, illudque ipſis concedendo authoritate publica fore decreverimus, Reverendiſſimus Dominus Franciſcus Simoneta Comes, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Fulginatenſis, & in Regno noſtro Nuncius Apoſtolicus Proteſtationem nomine S. D. N. ne juribus illius ejusque S. Sedis Apoſtolicæ eo loco totaque ipſa Pruſſia a temporibus antiquiſſimis ſervientibus per hoc in aliquo detrahatur, verum iis per omnia ſalvis & integris ſemper manentibus id ipſum fiat, atque peragatur. Nobis & Senatoribus noſtris, ac potiſſimum Reverendiſſimo Laurentio Gembicki Epiſcopo Vladislavienſi & Pomeraniæ, Regni noſtri Cancellario ſupremo, per ſe ipſum intimatam, etiam die hodierna cum jam in theatrum pro Feudo eodem ipſis dando, & juramento ſuper illo, ab uno eorum, Illuſtriſſimo videlicet Domino Joanni Sigismundo Sacri Romani Imperii Electore, tanquam moderni ibidem Ducis Valetudinarii, Illuſtriſſimi Domini Alberti Friderici Curatore, & futuro Vaſallo prodiiſſemus, ac in ſolio noſtro Regio ad actum hujusmodi conſediſſemus, in ejusdem Illuſtriſſimi Domini Electoris, ac ipſius Fratrum Nunciorum præſentia in ſcripto præſentari fecit, eamque præſentatam a Nobis recipi, & actis noſtris Regiis inſcribi poſtulavit, cujus tenor fuit & eſt talis, ut ſequitur. „ Sacra ac Sereniſſima Regia Majeſtas. Cum Franciſcus Simoneta Comes, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Fulginatenſis, & ad Sereniſſimam M. V. Nuncius Apoſtolicus pro certo cognoverit, eandem M. V. cum omnibus hujus inclyti Regni Ordinibus in proxime tranſactis Comitiis Generalibus conſtituiſſe, atque ordinaſſe Illuſtriſſimo Domino Joanni Sigismundo Marchioni Brandeburgenſi Sacri Romani Imperii Electori ac tribus ejus Fratribus tum & natis eorum ſexus maſculini, jus Feudi in eo tractu Pruſſiæ, qui Ducatus communiter dicitur, declarandum, dandumque & concedendum eſſe, ipſumque Illuſtriſſimum Dominum Electorem præfatum, jam ex nunc ad jusjurandum ſuper eodem Feudo, ſeu homagium præſtan-

ANNO 1611. ſtandum tanquam moderni Illuſtriſſimi Domini ALBERTI valetudinarii, ibidem Ducis aſſerti Curatorem ac futurum Vaſallum admittendum, illudque ab eo recipiendum fore, eapropter pro officii ſui debito proſpicere cupiens, ne per hoc jura, quæ in eisdem partibus Pruſſiæ Romanus Pontifex a Domino ſuper omnes gentes & Regna conſtitutus, ejusque S. Sedes Apoſtolica vetuſtiſſima habet, aliquo modo ſupprimantur ac obliterentur, imo ſatagens, quatenus magis ac magis eluceſcant, clarioraque reddantur, M.V. Sereniſſimam cum debita obſervantia requirit, ab eaque ſummopere petit, ut nonniſi perpenſis & examinatis prius juribus ejusdem, fideique & Religionis Catholicæ, ac libertatibus Eccleſiaſticis tum proviſo, ac cautione & obligatione juratoria ab eisdem Dominis Feudatariis, more Prædeceſſorum ibidem eorum recepta, quod jura eadem S. Sedis Apoſtolicæ ac immunitates Eccleſiaſticas defendent, & ſi quæ imminuta, aut in aliquo læſa ſint, in ſuum priſtinum ſtatum reſtituent, reſtituique facient, ac integra per omnia manutenebunt, atque ſarta tecta conſervabunt, ad actum eundem Feudi concedendo, & jurisjurandi ſuper eo recipiendi procedat, ipſosque ad eum admittat. In quibus omnibus inhærendo proteſtationibus inprimis in Comitiis Generalibus Lublini Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono coram Sereniſſimo SIGISMUNDO AUGUSTO per Reverendum Dominum Vincentium Porticum. Deinde in Comitiis Generalibus Varſchovienſibus Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo coram Sereniſſimo Rege STEPHANO per Reverendum Dominum Vincentium Laurium, Montis Regalis Epiſcopos, ac demum noviſſime in Comitiis Generalibus itidem Varſchovienſibus, Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono coram eadem & Sereniſſima M.V. per Reverendiſſimum Domin. Hannibalem de Capua Archiepiſcopum Neapolitanum, tunc temporis Nuncios Apoſtolicos factis, earum tenores præſenti ſuæ proteſtationi pro expreſſis habere volens, ac per omnia approbans, & ad notitiam S.M.V. Regiæ deducens, ſolenniter & omni meliori modo proteſtatur, minime porro dubitans S.M.V. uti Catholicæ Religionis Sanctæque Sedis Apoſtolicæ ac juſtitiæ & æquitatis obſervantiſſimam, in hiſce omnibus pro jure ſuo Regio munere debito perfuncturam." Nos igitur SIGISMUNDUS III. Rex juſtiſſimis & æquiſſimis affectationibus prædicti Reverendiſſimi Domini Franciſci Simonetæ, Epiſcopi Fulginatenſis, & in Regno noſtro S.D.N. Domini PAULI divina providentia Papæ quinti Nuncii annuentes, proteſtationem illius ejusmodi Nobis intimatam, atque præſentatam ſuſcepimus & admiſimus, eamque actis noſtris Regiis inſcribi, indeque deinceps authentice edi mandavimus. In cujus rei fidem præſentes ſigillo Regni noſtri communiri juſſimus. Actum & Datum Varſchoviæ die ſedecima Menſis Novembris. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo undecimo.

CCCIV.

Tranſumptum Plenipotentiæ Internuntiorum Marchionum Bradenburgenſium ad contactum Vexilli. Ibidem 17. Novemb. 1611. Indidem *fol. 123.*

SIGISMUNDUS &c. Significamus &c. Oblatas eſſe Nobis literas inſcriptas pargameneas, manibus Illuſtriſſimi JOANNIS GEORGII, ERNESTI & CHRISTIANI VILHELMI, Marchium Brandeburgenſ. ſubſcriptas, & ſigillis eorundem penſilibus tribus communitas, ſalvas & illæſas, omnique ſuſpicione carentes. Supplicatumque Nobis, ut eas Actis eisdem noſtris inſcribi mandare dignaremur, quarum literarum tenor ſequitur talis.

„ Nos DEI Gratia JOANNES GEORGIUS Dux Jegerdorffianus, ERNESTUS, Equeſtris Joannitarum Ordinis in Marchia, Saxonia, Pomerania, & Vandalia Magiſter, & CHRISTIANUS VILHELMUS, Poſtulatus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Primas in Germania, omnes germani Fratres & Marchiones Brandeburgenſes, in Pruſſia, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, & Croſnæ, Carnoviæque in Sileſia Duces, Burgrabii Norimbergenſes, & Principes Rugiæ, univerſis & ſingulis, haſce literas noſtras patentes lecturis, ſignificamus, & teſtatum facimus. Intellexiſſe Nos jam ante ex Illuſtriſſimo Principe Domino JOANNE SIGISMUNDO Marchione Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario & Electore, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium &c. Duce &c. Domino & Fratre noſtro germano obſervantiſſimo, in eo nunc ſtatu communem cauſam noſtram Pruſſicam aliquot annos in inclyto Poloniæ Regno agitatam, divina benedictione verſari, ut in proxime futuris Comitiis Varſchovienſibus exoptatam ejusdem determinationem polliceri Nobis poſſimus. Cumque Dilectio ipſius hunc unicum ob finem ſeſe in

Anno 1611. in Ducatum Pruſſiæ conferre, & in finibus Inclyti Regni tam diu ſubſiſtere conſtituerit, quoad Deo Optimo Maximo annuente ad homagium ſolenniter præſtandum accerſatur, & inveſtituræ Pruſſicæ tandem legitime particeps fiat, operæ Nos in primis precium facturos eſſe, ſi ipſius Dilectionem, vel ipſimet, vel per Legatos noſtros authoritate præditos comitaremur. Quoniam igitur non ignoravimus, ſimultaneam Inveſtituram Ducatus Pruſſiæ, non modo Nobis & poſteris noſtris ex antiquis pactis & tabulis Inveſtiturarum competere, ſed etiam transactione Anno milleſimo ſexenteſimo quinto Varſchoviæ Menſe Martio inita, jus Nobis quoque aliquando, ſi ita ſit in fatis, in Ducatu Pruſſico ſuccedendi, aſſignatum eſſe, idque etiam Nobis in poſterum non derogatum iri confidamus. Idcirco nihil quidem nunc æque mallemus, quam potuiſſe Nos hoc tempore una cum Dilectione ipſius in Pruſſiam, & inde, ubi opus fuerit, in inclytum Poloniæ Regnum proficiſci, ac ſimultaneæ illi Inveſtituræ coram intereſſe, cum id Nobis jam ex ſententia exequi minime liceat; ne tamen juri noſtro quæſito quicquam interea derogetur, ſed ut eam potius vigilantiam, quæ a Nobis requiri poteſt, adhibitam eſſe conteſtemur, viſum Nobis fuit, re bene deliberata, conſilioque communicato, id negotii dare Illuſtribus & Magnificis Abrahamo Burgrabio & Baroni a Dhona, Joanni Truchſes & Joachimo Huebner &c. ut ad Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Sigismundum III. Poloniæ & Sueciæ Regem &c. Dominum Conſanguineum noſtrum obſervandiſſimum, eo tempore, quo Dominus Elector, Frater noſter natu maximus, Sac. Reg. Majeſtati ſe ſiſtet, homagiumque præſtabit, tunc S. R. Majeſtatem ſuam petito & implorato aditu noſtris verbis quam obſervandiſſime ſalutent, deque concedenda Nobis ex pactis ſimultanea Inveſtitura obſervantiſſimis precibus compellent. Damus itaq; attribuimus ac impertimur præſentibus hiſce Literis noſtris plenam, liberam, abſolutam potentiam & facultatem commemoratis Legatis noſtris ſimultaneæ Inveſtituræ Pruſſiæ ſolennem & ſplendidum actum, noſtro loco, præſentia ſua cohoneſtandi, Sac. R. Majeſtatem ſuam, & Illuſtriſſimos Ordines, de permittendo contactu Vexilli Regii, in ſignum & teſtimonium ſimultaneæ Inveſtituræ Pruſſicæ, & conjunctæ manus legitime firmiterque pro Nobis ac poſteritate noſtra acquiſitæ, decore & rite ad eundem in animas noſtras, ubi id poſtulatum fuerit, ſimul cum Domino Electore, Fratre noſtro, jurandi S. R. Majeſtati ſuæ, & Illuſtriſſimis Ordinibus: hac re ex noſtris votis peracta, obſervandiſſimas & amiciſſimas gratias de iſta beneficentia agendi, omniaq; & ſingula, quæ ex conſuetudinibus feudalibus, tum de inclyti R. Pol. more efflagitari ab ipſis poterunt, ac debebunt ſubeundi & perficiendi, nec quicquam penitus intermittendi, quod ad juris noſtri conſervationem ac ſtabilimentum, actusque hujus publici celebrationem, ac certitudinem confirmandam pertinere videbitur. Quæcunque autem nomine & loco noſtro prædicti Legati noſtri egerint præſtiterintque, ea Nos ſemper omnia & ſingula rata & grata habituros, ac ab eo momento, quo ad contactum Vexilli Regii, in vim & evidentiam ſimultaneæ Inveſtituræ collatæ, per eosdem Legatos noſtros admiſſi fuerimus, omnia, quæ a ſimultanee inveſtitis, feudatariisque Principibus & Vaſallis S. R. Majeſtatis ſuæ & inclyti Regni proficiſci debebunt ac poterunt, prompte & cupide executuros, pactis & conventis & tractationibus tam vetuſtis, quam recentioribus, quandocunque opus fuerit, plene & exacte ſatisfacturos eſſe ſpondemus & aſſeveramus, ſub fide bona honoreque Perſonarum Illuſtriſſimarum, omni dolo penitus remoto. In quorum omnium majus & evidentius teſtimonium præſentes haſce manuum noſtrarum ſubſcriptionibus, ſigillorumque appenſione communiri curavimus. Dabantur Jegerdorffii 16. die Menſis Septembris, Anno milleſimo ſexenteſimo undecimo. Joannes Georgius in confirmationem præfatæ Plenipotentiæ ſubſcripſit. Ernestus in confirmationem &c. Christianus Vilhelmus in confirmationem præfatæ Plenipotentiæ ſubſcripſit.“

Nos itaque prædictæ ſupplicationi benigne annuentes, præinſertas literas Actis noſtris inſeri mandavimus, volentes, ut robur debitæ firmitatis obtineant. Datum Varſchoviæ die decima ſeptima Menſis Novembris, Anno Domini milleſimo ſexenteſimo undecimo.

CCCV

Diploma Sigismundi III. *Poloniæ Regis, quo* Joannes Georgius, Ernestus, & Christianus *Marchiones Brandeburgici ad ſimultaneam Inveſtituram Ducatus Pruſſiæ admittuntur.* Datum

Anno 1611. tum Varſaviæ 17. Novemb. 1611. *Indidem fol. 125.*

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae etc. Significamus praeſentibus hiſce hujus et futuri temporis univerſis et ſingulis. Cum Illuſtriſsimus Princeps JOANNES SIGISMUNDUS eadem Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius et Princeps Elector, etc. ex ſingulari gratia noſtra, conditionibusque transactionis inter Nos initae, ad feudum Ducatus in Pruſsia, Ampliſsimi Senatus omniumq; Ordinum noſtrorum unanimi conſenſu ac voluntate admiſſus fuiſſet, homagiumque et juramentum die decima ſexta Menſis hujus Novembris publice ſub dio, in theatro ex tempore excitato, in perſona Nobis Regnoque noſtro praeſtitiſſet, ſimul Illuſtrium etiam Principum, Fratrum Illuſtritatis ejus germanorum, JOANNIS GEORGII nimirum Ducis in Sileſia Jegerdorffenſis, ERNESTI Ordinis Equitum Joannitarum per Marchiam, Pomeraniam, Vandaliamque Magiſtri, CHRISTIANI VILHELMI poſtulati Archiepiſcopi Magdeburgenſis Oratores, Magnificos nimirum et Generoſos, Abrahamum a Dhona, Joannem Truchſes a Wetzhauſen, Joachimum Huebnerum Illuſtritatis ipſorum nomine ſe ſtitiſſe, qui ſecundum mandata, quae a commemoratis Illuſtribus Principibus ſibi data exhibuerunt, nomine Principum ſuorum ad ſimultaneam Inveſtituram, contactumq; Vexilli Principes commemoratos admitti, in genua procumbentes ſupplices petiiſſent, et ad homagium juramentumq;, omniaque officia et obſequia, quae Vaſallis Principibus praeſtare deberent, Principum ſuorum nomine ſe obtuliſſent, de conſilio ſententiaque Senatorum noſtrorum, omniumque Ordinum noſtrorum unanimi conſenſu, ſecundum commemoratam transactionem, ipſiusque Inveſtiturae literis, ad commemoratam ſimultaneam Inveſtituram, contactumque Vexilli in praedictorum Oratorum perſona benigne Illuſtritates eorum admiſimus. Quod quo notius teſtatiusque omnibus eſſet, haſce manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque Regni noſtri munitas, edi illis mandavimus. Datum Varſchoviæ die decima ſeptima Menſis Novembris, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo undecimo Regnorum ut ſupra.

SIGISMUNDUS Rex.

Reinholdus Heidenſtein,
S. R. M. Secretarius.

CCCVI.

Anno 1611.

Reſponſum Sacræ, Regiæ Majeſtatis, datum Magnificis, Generoſis & Nobilibus, Abrahamo a Dhona Baroni & Burgrabio, Joanni Truchſes, & Joachimo Hubnero, Illuſtriſſimi Principis Domini Marchionis Brandeburgenſis, in Pruſſia Ducis Oratoribus. Varſaviæ die 20. Novembris Anno 1611. *Ex Archivo Theſ. Regni.*

STudium Illuſtriſſimi Principis, D. JOANNIS SIGISMUNDI Marchionis & Electoris Brandenburgenſis, & in Pruſſia Ducis, partim delatione officiorum, partim gratulatione de victoria, Dei benignitate in Moſcovia parta, per Dominos Oratores erga ſe declaratum, benigne Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, accipit. Viciſſim etiam Illuſtr. Celſ. ſuæ et proſperos præteritarum rerum ſucceſſus gratulatur, et futurarum quam proſperrimos optat. Quod ad negotium feudi Pruſſici, cujus perficiendi cauſa ad Sacram Regiam Majeſtatem, atque Ampliſſimos Ordines huc legati fuere: maluit Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, ſingularem erga Illuſtriſſimam Celſitudinem ejus, atque univerſam Illuſtriſsimam Domum Electoralem Brandenburgicam, propenſionem ſuam re, quam verbis declarare. Itaque cum eximia Regiae Majeſtatis gratia, atque apud Ampliſsimos Ordines ſtudio, ex animi ſententia omnia perfecta ſint, non dubitat Sacra Regia Majeſtas, et ſuam erga ſe benevolentiam, Illuſtriſsimam Celſitudinem ſuam ſatis re ipſa ex iis perſpexiſſe, ſuaque viciſsim obſervantia atque ſtudio, ei Regiae Majeſtatis voluntati ſemper reſponſuram. Eodem autem animo porro etiam Illuſtriſsimae Celſitudinis ſuae benevolentiam propenſionemq; ſuam, ipſis autem Dominis Oratoribus clementiam gratiamque ſuam benigne defert.

Ad Mandatum Sacræ
Reg. Majeſtat. proprium.

HIERONYMUS CIELECKI.

ANNO 1612.

CCCVII.

Inſtrumentum Commiſſionis a S. R. M. ad Pruſſiam. Varſaviæ 6. Januarii 1612. *Ex Archiv. Theſ. Regni.*

SIGISMUNDUS III. DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque: nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus hiſce, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis. Cum Illuſtriſſimo Principi & Domino JOANNI SIGISMUNDO Marchioni Brandenburgenſi, Sacr. Rom. Imperii Archicamerario & Electori, in Pruſſia, &c. Duci, Cognato noſtro chariſſimo, dubitatione, quæ de Feudo Pruſſico intervenerat, de Ampliſſimi Senatus omniumque Ordinum noſtrorum conſilio, explicata ſublataque, feudum Ducatus in Pruſſia proxime præteritorum Comitiorum authoritate contuliſſemus, ſimul etiam Commiſſarios noſtros, pro more & inſtituto deputandos deſignandosque putavimus, qui Illuſtritatem ejus in poſſeſſionem Ducatus illius, noſtro, Regnique noſtri nomine mitterent, aliisque nonnullis de rebus, quæ in tranſactione ad illos rejectæ fuiſſent, agerent, perficerentque. Delegamus igitur nunc ad eas res Reverendum in Chriſto Patrem, Dominum Simonem Rudnicki, Epiſcopum Varmienſem, Magnificum Stanislaum a Działyn, Palatinum Mariæburgenſem & Generoſos, Venceslaum Kiełczewſki Caſtellanum Biechovienſem &c. nec non Reinholdum Heidenſthein Secretarium noſtrum, ſyncere & fidel. Nobis dilectos, iisdemque plenam facultatem & poteſtatem tribuimus. Inprimis quidem commemorato Illuſtriſſimo Principi Electori poſſeſſionem ſupra nominati Ducatus tradendi, juramentum ſimul a commemorati Ducatus incolis, ſecundum conditiones tranſactionis, pro Nobis Regnoque noſtro exigendi, tum de aliis rebus, quæ eadem tranſactione illis reſervatæ ſunt, tam publice cum univerſis Ordinibus, quam privatim cum ſingulis, maxime autem ipſo Illuſtriſſimo Principe agendi, omniaque, vel ad officium, munusque id illorum, vel dignitatem noſtram, Regnique noſtri pertinere videbuntur, etiamſi tale aliquid incideret, quod ſpeciali noſtro mandato de jure egere videretur, omnia plane ſingulaque nullo omnino excepto, ſecundum pacta vetera, poſtremamque hanc tranſactionem, tum jura & privilegia Ducatus ejus exequendi adminiſtrandique. Quod Nos ad omnium ſingulorumque, maxime autem commemorati Illuſtriſſimi Principis Electoris in Pruſſia Ducis, tum Conſiliariorum præfatorum, aliorumque Magiſtratuum, atque adeo Ordinum, tam Nobilitatis, quam Civitatum Ducatus ejus notitiam deducentes, ut eandem fidem, honorem, ſtudium, obedientiamque eis præſtent, quam Nobis præſentibus præſtare deberent, eos hortamur, mandamusque pollicentes, quæcunque ex præſcripto præſentis delegationis hujus noſtræ acta, conſtituta, adminiſtrataque ab illis fuerint, Nos quoque rata, grata, firmaque habituros. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilloque Regni noſtri muniri mandavimus. Datum Varſoviæ, die VI. Menſis Januarii. Anno Domini, MDCXII. Regnorum noſtrorum, Poloniæ XXV. Sueciæ vero Anno XVIII.

SIGISMUNDUS Rex.

Hieronymus Cielecki.

CCCVIII.

SIGISMUNDUS III. *Poloniæ Rex promittit juribus Ducatus Pruſſiæ per Inveſtituram, Electoribus Brandeburgicis datam, nihil derogatum iri, quamvis Nuntii Ordinum non adfuerint.* Varſaviæ 2. Martii 1612. *Ex Archiv. Regni Libr. WP. fol. 119.*

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque; nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt univerſis & ſingulis, quod cum poſt diuturnos multiplicesque tractatus, qui inter Nos, Ordinesque Regni, & Illuſtriſſimam Domum Brandenburgicam, de jure Feudi in Ducatu Pruſſiæ intervenerant, & in aliquod Regni Comitiis, citro ultroque propoſitis rationibus agitabantur: tandem in proxime præteritis Varſovienſibus Comitiis de iis, communi accedente conſenſu, tranſactum fuiſſet, Nosque cum Ordinibus Regni Ducatum Pruſſiæ, ad corpus Regni pertinentem, jure Feudi, Illuſtriſſimo Principi Domino JOANNI SIGISMUNDO Marchioni Brandenburgenſi & Electori, ejusque Fratribus germanis contuliſſemus, licet in iisdem Comitiis, ac actu ipſo Inveſtituræ Ordinum illius Provinciæ Nuncii & Mandatarii non interfuerint, eo quod ob temporis anguſtiam

ANNO 1612. guſtiam Conventus particulares in Ducatu illo ante Comitia indici non potuerint; tamen cum & ante in aliquot Regni Comitiis, iidem Ducatus Ordines, ſuam erga Illuſtriſſimam Domum Brandenburgicam voluntatem declaraverint, & apud Nos, Ordinesque Regni, ut hoc ipſum feudum eidem Illuſtriſſimæ Familiæ conferretur, publice inſtiterint; hiſce literis noſtris declaramus, teſtamurque, Nos eorum aſſenſus & voluntatis, in inclytam illam Domum propenſæ, toties declaratæ, & in præteritis etiam Comitiis, actuque Inveſtituræ, per literas Primariorum e Ducatu teſtificatæ; eam, quam par erat, rationem habuiſſe, & ea cognita, ad hanc de Feudo Pruſſico tranſactionem deſcendiſſe, ac proinde noſtram cum Illuſtriſſimo Electore, & Familia ipſius, ea de re compoſitionem, jurisque feudalis traditionem, non modo juribus, privilegiis & prærogativis Ordinum, cujuscunque ſtatus & conditionis, præjudicare non debere: verum etiam eo ipſo, quod & voluntate aſſenſuque illorum facta ſit, & Nos pactis feudalibus ei inprimis, pro noſtra erga ſubditos illos, totamque eam provinciam propenſione caverimus, tanto magis robur & firmamentum temporibus perpetuis obtinere. Idque Nos ita cenſeri debere decernimus, ſtatuimus, & declaramus. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, ac ſigillo Regni communiri mandavimus. Datum Varſoviæ die 2. Menſis Martii. Anno Domini MDCXII. Regnorum noſtrorum, Poloniæ XXV. Sueciæ vero XVIII. Anno.

SIGISMUNDUS Rex.

Jacobus Zadzik.

CCCIX.

Tranſumptum Literarum JOANNIS SIGISMUNDI *Electoris Brand. quibus promittit natigationem fluvii Warthæ facilitatum iri.* Varſaviæ 1. Aprilis. 1612. *Indidem. Libr. VK. fol. 197.*

SIGISMUNDUS Tertius Dei gratia Rex Poloniæ &c. Significamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Oblatas Nobis eſſe literas papireas infra inſcriptas, manu Illuſtris Domini JOANNIS SIGISMUNDI Marchionis & Electoris Brandeburgici ſubſcriptas, & ſigillo ejusdem communitas, ſanas & illæſas, omnique ſuſpicione carentes, quas ut in Acta Cancellariæ noſtræ inſcribere mandare dignaremur, ſupplicatum eſt Nobis. Earum vero literarum tenor ſequitur talis. „ Nos Dei gratia JOANNES SIGISMUNDUS Marchio Brandeburgenſ. Sacr. Rom. Imperii Archicamerarius & Elector, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, & Croſnæ, Carnoviæque in Sileſia Dux, Burgravius Norembergen. & Princeps Rugiæ, Comes Marchæ & Ravensburgi, Dominus in Ravenſtein, teſtamur præſentibus hiſce literis noſtris. Cum Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino SIGISMUNDO Tertio Poloniæ & Sueciæ Regi, Domino Conſanguineo & Affini noſtro obſervandiſſimo, uti & Ampliſsimis inclyti Regni Poloniæ Ordinibus, in proxime præteritis Comitiis Varſavienſibus placuiſſet, tam ex Senatorio, quam Equeſtri Ordine certos Commiſſarios deſignare, qui Deo volente XV. die Maji, in ſequentis Anni MDCXII. in finibus inclyti Regni, & noſtræ novæ Marchiæ congrediantur, & de navigatione tuta, libera, & ſine indecora illicitaque Nobilitatis Majoris Poloniæ per thelonea aggravatione, in fluvio Wartha, qui ditiones noſtras alluit, ac in Oderam ſe tandem exonerat, inſtituenda deliberent ac tranſigant. Nos quam primum in Electoratum noſtrum Deo adjuvante reverſi fuerimus, non modo cum Ordinibus commemoratæ noſtræ novæ Marchiæ hac de re ſerio & diligenter acturos, ſed & ex iisdem præcipuos Conſiliarios Vaſallosque & ſubditos noſtros ibidem delecturos, & circa dictam diem XV. Maji, ad ipſos limites Electoratus noſtri ita ablegaturos eſſe, ut Regiis Dominis Commiſſariis ſeſe cum ſiſtere, ac vi plenipotentiæ, qua ipſos muniemus, quæcunqne ad hanc rem ex communi uſu utriusque nationis definienda, recteque conſtituenda pertinere videbuntur, cum iisdem perficere & determinare poſsint. Id quod Nos ſic facturos præſtiturosq; eſſe pollicemur. In quorum fidem præſentes haſce manus noſtræ ſubſcriptione ſigillique impreſsione corroboravimus. Actum Varſaviæ XVIII. die Menſis Novembris, Anno MDCXI. JOANNES SIGISMUNDUS Elector. Quas quidem ſupraſcriptas literas in Acta Cancellariæ noſtræ inſcribi mandavimus. Volentes, ut robur debitum obtineant. Actum Varſaviæ die prima Menſis Aprilis. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo duodecimo. Regnorum, ut ſupra.

Relatio ejusdem ut ſupra.

Anno 1612.

CCCX.

Oblatæ Literarum, quibus aſſignatur ſtipendium pro Parocho Eccleſiæ in Suburbio Sackheimiano Regiomontano extructæ. Dat. Varſaviæ 1612. *Ex Arch. Regni Lib. VN. fol. 173.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae etc. Significamus etc. Oblatas eſſe ad Acta Cancellariae noſtrae literas infra ſcriptas pergameneas, manu Illuſtriſsimi JOANNIS SIGISMUNDI Marchionis et Electoris Brandenburgenſis, in Pruſsia etc. Ducis ſubſcriptas, ſigilloque ejusdem appenſo communitas, ſanas, ſalvas et integras, omnique ſuſpicionis nota carentes, quas ut in Acta Cancellariae noſtrae inſcribi mandare dignaremur, ſupplicatum Nobis eſt. Earum vero Literarum tenor eſt talis:

., Nos JOANNES SIGISMUNDUS DEI Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius et Elector, in Pruſsia, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſuborum, Vandalorumque, nec non in Sleſia, Croſnae, Carnoviaeque Dux, Burgrabius Norimbergenſis, Rugiaeq; Princeps, Comes Marcae et Ravensburgi, Dominus in Ravenſtein. Significamus literis hiſce noſtris, quorum intereſt, intereritve, hujus et futuri temporis univerſis et ſingulis. Cum ex transactione proxima Varſavienſibus Comitiis Anni ſuperioris MDCXI. inita, qua feudum Ducatus Pruſsiæ Nobis, Illuſtriſsimisq; Fratribus noſtris germanis, poſterisque legitimis maſculis noſtris, Fratrumq; noſtrorum a Sacra Regia Majeſtate, Ordinibusque Regni Poloniæ collatum confirmatumque fuit, inter alias transactionis ejus conditiones, ad uſus Religionis Romanæ Catholicæ præter id, de quo cum Oratoribus Ducatus agi deberet, unum templum, cujus juſta capacitas ſit, latericium, ſeu ex lapide, loco decenti & honeſto in ſuburbio aliquo, ubi Commiſſarii Regii, qui in poſſeſſionem Nos mittent, commodiſſimum judicaverint, intra triennium cum campanili, cœmeterio, neceſſariisque & commodis habitationibus pro Parocho & miniſtris, tam ejus, quam Eccleſiæ, ædificare teneamur, obligatique ſimus, in dotem etiam Eccleſiæ alimenta Parochi mille florenos annuos certi reditus, certis in fundis, villis, agris aut cenſibus conſtituere, inſcribereque, ac vero Majeſtas ejus Regia Commiſſarios ſuos, Reverendiſsimum, Illuſtriſsimos, Illuſtres ac Magnificos Dominos, Simonem Rudnicki Epiſcopum Varmienſem, Stanislaum Działynſki Palatinum Mariæburgenſem, Venceslaum Kiełczewſki Caſtellanum Biechovienſem, & Reinholdum Heindenſtein Secretarium Regium, ad ea, quæ ex commemorata transactione peragenda eſſent, executioni mandanda, Nosque in poſſeſsionem Ducatus mittendos miſiſſet. Inprimis de certo loco in ſuburbio Sakheymiano, pro templo illo & habitationibus prædictis ædificando, inter Nos conveniſſe. Deinde vero commemoratos mille florenos in fundo, prædiis, villis, cenſibus, proventibus, omnibusque reditibus cameratus noſtri Valdaucen. in Præfectura Neiſchauſenſi &c. villisque ad eandem pertinentibus omnibus & ſingulis, nimirum in arce ipſa cum prædio adjacente & molendino, ut ex villis ac pagis Brusdorff, Pogenphuel, Schonwaldt, Conrathswaldt, Heiligenwaldt, Lithauſchdorff, Pelanken, Stangenau, Legitten, Leiden, Marchinen, Epicznek, Konichm, Gamſen, Montaw, Preuſcharnau, Praddaw, Ablitten, Ranſaw, Nornien, Rogrinen, Pogawen & Waldau, quæ citra omnem controverſiam, ultra duo millia florenorum Polonicalium annua reddunt, perpetua obligatione & inſcriptione aſsignaſſe & inſcripſiſſe, quemadmodum quidem authoritate præſentium harum aſsignamus, inſcribimus, obligamus, ita nimirum, ut Præfecti, œconomi, ſcribæque noſtri, cujus cura commemorati Cameratus noſtri, a Nobis, Succeſſoribusque noſtris mandata fuerit, pro tempore extituri, ad id etiam obligati eſſe debebunt ſingulis annis, ipſo die D. Martini 1614. incipiendo, ad manus Reverendiſsimi & Illuſtriſsimi Domini Epiſcopi Varmienſis, ſucceſſoribusq; ejus, vel qui mandatum quietationemq; ab iis habuerint, & hic in loco exhibuerint, ad quos inſtitutio & inſpectio Parochi pertinere debebit, ſine ulla mora, difficultate, impedimento, in moneta bona & uſitata tradere, numerareq; debeant, teneanturque, qui deinceps commemorati Epiſcopi Varmienſis, ſucceſſorumque ejus arbitrio in uſus Parochi & Eccleſiæ diſtribui debebunt. Quæ quidem commemorata bona ſupra memorati Commiſſariatus noſtri Valdavienſis, ut nunc ab omni nexu hypothecæ, locationis ſeu arendæ, aut quocunque alio onere ſeu obligatione, libera, pura, mundaque ad commemoratos uſus Eccleſiae Catholicae Romanae obligamus, inſcribimus, aſsignamus, ita futuris temporibus ab omnibus oneribus libera, ac ſoli commemoratæ Eccleſiae obligata eſſe

Anno 1612.

ſe

Anno 1612. ſe debere, neque ullo alio contractu, inſcriptione, obligatione, quocunque etiam colore aut praetextu a Nobis, Succeſſoribusve noſtris onerari obligarique poterunt aut debebunt, aut ſi obligata fuerint, nullum omnino obligatio ea valorem, robur, aut vim habere debebit, jamque praeſentium harum auctoritate & vi ad praedictum Cameratum, bonaque ad eum pertinentia, jure hypothecae tenenda & poſsidenda, realem, plenamque poſſeſsionem & intromiſsionem, qualis de jure vel maxime valida eſſe poteſt, vel debet, in eadem bona in defectu praenominatae ſolutionis tam mille florenorum, quam vadii ſupra eis conſtituti, praefato Illuſtriſsimo & Reverendiſsimo Epiſcopo Varmienſi, Succeſſoribusve ejus, Parochoque & Eccleſiae dictae admittimus, damus, concedimus, tradimusque. In caſu etiam, ut commemorata Eccleſia a Nobis ædificanda, quod quidem nullo modo admittemus, intra tempus praefinitum a Nobis, Succeſſoribusve noſtris non aedificaretur, aut etiam aliquando contingeret, ut aliqua ex cauſa ad tempus Parocho vacaret, eo nihilominus non obſtante, commemorati mille floreni ad praeſtitutam diem ad manus ſupra nominati Reverendiſsimi & Illuſtriſsimi Domini Epiſcopi Varmienſis, Succeſſorumve ejus, vel quibus ipſi mandarint, aut quietationes ſuas tradiderint, ſine ullo impedimento, tergiverſatione hoc in loco tradi, numerarique debebunt. In defectu autem aliquo anno ſolutionis, numerationisve eorum, quod quidem omni modo praecavere volumus, Succeſſoresve praecavebunt, ad vadium mille florenorum, praeter conſtitutum cenſum & reditum, toties, quoties commiſſum id foret, ſolvere Nos, Succeſſoresve noſtros obligamus & inſcribimus, ita, ut in duplum duo millia florenorum Polonicalium ex praenominato Cameratu Valdavienſi perſolvere teneamur, Succeſſoresve noſtri teneantur. Renuntiamus quoque praeſentibus hiſce, noſtro Succeſſorumve noſtrorum nomine, omnibus exceptionibus, juribus, libertatibus, privilegiis, beneficiis, conſtitutionibus, quae vel nunc ſunt, vel inpoſterum conſtitui, humanoque ingenio excogitari poſſent, quae contra commemoratam hanc hypothecam, vigore praeſentis inſcriptionis & aſsignationis conſtitutae, Nobis patrocinari, tuerive Nos & Succeſſores noſtros poſſent. Pro jure etiam Patronatus noſtri idem templum aedificiaque noſtro ſumptu ſarta tecta, integraque Nos Succeſſoresve noſtri conſervare ſemper tenebimur, obligatique erimus, ad ſuppellectilem etiam Eccleſiaſticam comparandam, ac in ornatum & uſum ejusdem templi convertendam, promiſimus ſemel pro ſemper bis mille Marcas Prutenicales, in qualibet earundem viginti groſſos computando, ita, ut eae bis mille Marcae a Nobis in Anno 1614. ad Feſtum D. Martini ad manus Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi Epiſcopi Varmienſis, Succeſſorumve ejus, vel illi, qui mandatum & quietationem ab iis attulerit, hicque in loco eo nomine exhibuerit, ſine ulla mora aut tergiverſatione ſolvi dependique debeat. Ut vero ſtudium voluntatemque noſtram, qua commemoratum Sereniſsimum Regem, Cognatum, Affinem & Parentem noſtrum dilectiſsimum colimus, eo magis teſtatam faciamus, ex mera ſpecialique gratia noſtra, ultra ſupra dictos mille florenos annuos ex ſupra commemorato Cameratu noſtro in uſus Parochi miniſtrorumq; ejus quotannis etiam decem ſtrues lignorum, vulgo *Firtel* dicta, hic Regiomonti praeberi, ſubminiſtrarique deberi volumus, ſancimusque. Quae omnia ſupra ſcripta firmiter inviolabiliterque Nos & Succeſſores noſtros praeſtituros, ſervaturosque bona fide verboque Principis praeſentibus hiſce noſtro, Succeſſorumque noſtrorum nomine promittimus ſpondemusque. In quorum fidem haſce ſigillo noſtro muniri fecimus, atque manu noſtra ſubſcripſimus. Datum Regiomonti in Conventu Provinciali Anno MDCXII. die 12. Menſi. Maji.

JOANNES SIGISMUNDUS
Elector. mppr."

Nos igitur ſupplicationi praedictae benigne annuentes, literas praeſentes Actis Cancellariae noſtrae inſcribi mandavimus, volentes, ut robur ſuum debitum obtineant. Actum Varſaviae Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo duodecimo, Regnorum noſtrorum Poloniae vigeſimo quinto, Sueciae decimo octavo.

Relatio Illuſtris & Magnifici Felicis Kryski *in Regno Poloniæ Supremi Cancellarii, Kovlenſis, Przedecienſis Capitanei.*

CCCXI.

Litteræ Reverſales, DD. Commiſſarriis Regni Poloniæ ab Ordinibus Ducatus Pruſſiæ datæ. Dat. Regiomonti 21. Maji 1612. *Ex Archivo Theſauri Regni.*

ANNO 1612. Nos infraſcripti, Ludovicus Rautter Hoffmeiſter, Fabianus Burgrabius & Baro a Dhona, Supremus Burgrabius, Chriſtophorus Rappe Cancellarius, Joannes Albertus Borck, Supremus Marſchalcus, tanquam Regentes Conſiliarii; Fridricus Burgrabius & Baro a Dhona Brandenburgenſ. Ottho von der Gröben Schackens, Joannes Truchſes von Wetzhauſen, Fiſchauſen. Martinus von Waltenrodt Tapiavien. tanquam majores Capitanei; Fridericus Sacr. Rom. Imperii Dapifer & Baro zu Waldtpurg Capitaneus Baigenp. Botto Albertus Baro von Eylenburg, Capitaneus Joansburgenſ. Sigismundus Birckhan Capitaneus Soldavienſ. Andreas von Kreutzen, Capineus Angeburgenſ. Fabianus Sack, Albertus Finck, tanquam Conſiliarii Terreſtres, Albertus ab Oſtaw Præſes Judicii Aulici, Joannes a Falckenheim, Joachimus Wenediger, Ludovicus Kalckſtein, Georgius a Schlubuth: Levinus Buchius J. V. Doctor, Chriſtianus Dorffer J. V. Doctor, Balthaſarus Braunsbergen J. V. Doctor, tanquam Conſiliarii Aulici; Euſtachius von der Gröben, Provinciæ Marſchalcus, Andreas Ripp, Albertus Weiſſel ex diſtrictu Brandenburgenſ. Gerlacus Gaudecker, Gaſparus ab Olſen ex diſtrictu Schacken. Joannes Philippus Gaudecker ex diſtrictu Fiſchhauſenſ. Chriſtophorus Dellau ex diſtrictu Tapiavienſ. Inſterburgen. Taplavien. Salavien. & Georgenburgen. Theodoricus Kanitz ex diſtrictu Balgen. Gaſparus ab Hohendorff ex diſtrictu Eylavien. Joannes Eberhardus a Thettau, ex diſtrictu Bartenſteinen. Joannes ab Hohendorff, Ludovicus a Pudevels ex diſtrictu Raſtenburgen. Fabianus a Milbe ex diſtrictu Riſenburgen. & Mariæverden. Albertus a Polentz ex diſtrictu Schonbergen. Martinus Wenediger, & Albertus de Milbe ex diſtrictu Prenſchmarken. Libmuh & Deutſch Elaw, Henricus a Finck ex diſtrictu Oſterode, Hohenſtein & Gilgenburg, Joannes Georgius de Sanden ex diſtrictu Holland, Morungen & Libſtad, Georgius Schwider ex diſtrictu Bartenſi, Georgius Spigel ex diſtrictu Seſtenſi, Nicolaus Reytein ex diſtrictu Neydenburgen. & Soldavien. Georgius a Kroſten ex diſtrictu Lick. Henricus ab Halle ex diſtrictu Oleczko, Angerburg & Leſſen, Chriſtophorus a Schlieben ex diſtrictu Gerdavien. & Nordenburgen. tanquam Nuncii Nobilitatis & Ordinis Equeſtris, Michael Vilhelmi antiquæ Civitatis Regiomontanæ, Michael Frieſe J. V. Doctor, Knipavien. Philippus Dawel Lobnicen. Proconſules, Hieronymus Schnltz, Chriſtophorus Klein, Jacobus Nietz, Magiſtri Scabinorum: Daniel Bartſch, Tobias Schlickt, Joannes Nagel, ex communitate trium Civitatum Regiomontan. Chriſpinus Betſchlager, Gregorius Ferman, Jordan Joannes ex Bartenſtein, David Reich ex Raſtenburg, Angerburg, Margrabowa, Michael Frieſe ex Fridelandt, Conradus Wideman, & Michael Lietze ex Welau, Zacharias Schroter ex Schieſtenburg, Valentinus Blumichem ex Hollandt, Mulchauſen, Joannes Wegel ex Heiligenbeil, Antonius Rautenberg ex Marienverder, Garnſehe, Abraham Mittelpfort ex Riſenburg, Frauſtadt, Ioannes Sackersdorff ex Oſterode, Hohenſtein, Gilgenburg, Chriſtophorus Prætorius ex Leidenburg, Soldau, Paſſenheim, Petrus Lenck ex Ziten, Ioannes Brin ex Preuſcheülau, Chriſtophorus Geroldt ex Biſchoffswerder, Petrus Fuchs ex Dringfort, Auguſtinus Schieker ex Sahfeld, Morungen, Liepſtadt, Liebemuhle, Chriſtophorus Wichert ex Fiſchhauſen, Henricus Frieſe, & Chriſtophorus Wolff ex Creutzburg, Ioannes Wolbertus ex Inſterburg, Petrus Reimanus ex Goldap, oppidis; tanquam Civitatum Ducatus Pruſſiæ Legati, in hoc Conventu Regiomontano legitime convocati & congregati, tam noſtro, quam eorum, quorum mandata ſuſtinemus, nomine, recognoſcimus, atteſtamur, profitemurq; præſentibus hiſce literis. Cum tandem ALBERTI inclytæ memoriæ primi in Pruſſia Ducis, jam fere deficiente, nullaque adeo ſpe maſculæ prolis exiſtente, Sereniſſimus Princeps ac Dominus, D. SIGISMUNDUS III. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, ſimul & Ordines Regni, ſingulari quodam amore & benevolentia ducti, commemoratum Pruſſiæ Feudum Illuſtriſſimo Principi Domino, D. JOANNI SIGISMUNDO, Fratribus etiam Illuſtriſſimæ Celſit. ejus germanis, nimirum JOANNI GEORGIO, ERNESTO, CHRISTIANO WILHELMO, eorumque omnium legitimis maſculis hæredibus, ſimultaneæ Inveſtituræ jus, certis conditionibus legibusque contuliſſent, eandemque tranſactionem, conditionesq;, ut nos etiam conſenſu ratificationeq; noſtra firmaremus, ratas gratasq; haberemus, ex ejusdem tranſactionis via nobis poſtulaſſent; non invitos nos feciſſe, ut eadem nos quoque approbaremus, confirmaremus, rataque & firma haberemus. Quemadmodum quidem non ſolum

Anno 1612. lum libere in eosdem conſentimus, verum eadem omnia, tranſactiones nimirum, conditiones, pactaque omnia & ſingula, tam vetera quam nova, inter Sereniſſimos Poloniæ Reges, Regnique Ordines, nec non Cruciferos, Pruſſiæ Duces, Curatores, Ordinesque Ducatus, & nuper in proximis Comitiis Varſavienſibus inter commemoratum Sereniſſimum Regem, Regnique Ordines, & Illuſtriſſimam Domum Brandenburgicam, inita conſtitutaque, quemadmodum & per Regios Commiſſarios ante triennium in Conventu Regiomontano conſtituta ſunt, in omnibus eorundem punctis, clauſulis, capitibusque, quemadmodum jam corporali juramento noſtro confirmavimus, ita nunc reverſalibus etiam literis noſtris, pro nobis, ſucceſſoribusque & poſteris noſtris, grata, rataque habituros, neque quicquam vel ipſos nos, poſterosque noſtros, in iis immutaturos, vel a quoquam mutari paſſuros, promittimus, ſpondemusque: ita tamen, ne juribus & libertatibus, antiquisque privilegiis noſtris, quemadmodum & teſtamento inclytæ memoriæ Alberti primi in Pruſſia Ducis, tum reſponſis Regiis, aliisque jurium noſtrorum confirmationibus quicquam ulla in re hiſce derogetur, ſed ea omnia, tum univerſæ ſingulæque immunitates noſtræ integræ ſalvæque maneant; neque vel novis ullis tributis, vel tranſactionibus, præter conſenſum voluntatemq; noſtram, Nobis imponendis, vel ineundis, vel qua alia re violentur lædanturque. Promittimus deinceps pro eo, authoritateque præſentium, noſtro, ſucceſſorumque noſtrorum nomine ſanctiſſime pollicemur, ſi aliquando commemoratos quatuor Fratres germanos, illorumve poſteros, ſine maſculis hæredibus ſteriliter, Deo ita permittente, decedere contigerit; Nos, poſterosque noſtros, nulli alii quam Regibus, & Regno Poloniæ, immediate tum pariruros, ſubjectosque futuros, neque quenquam alium, niſi Regem & Regnum Poloniæ, tanquam naturalem & hæreditarium Dominum agnituros, aut fidelitatem ſubjectionemque præſtituros, obedituroſque, ſalvis tamen in eum caſum juribus, libertatibus, immunitatibus, privilegiisque, tam publicis quam privatis, omnibus & ſingulis, nominatimque iis, quæ a Sacræ Regiæ Majeſtatis anteceſſoribus, ab Anno MCCCCLIV. ad hæc usque tempora, tum & modernæ Regiæ Majeſtatis reſponſis Nobis indulta, confirmata & renovata ſunt, quæ omnia in eum caſum, cum Ducatus hic immediate & plene, modo prædicto, Regno incorporabitur, inviſcerabiturque, ſarta, tecta, inviolataque eſſe debebunt. Hoc etiam ſpecialiter adjecto, ut quoties Nos, poſterive noſtri, novo Principi homagium præſtare tenebimur, toties ſemper iidem hæc omnia recognoſcere prius, & eodem modo, quo a Nobis factum, juramentis ſcriptisque ſuis ea comprobare tenebuntur. Si quid etiam contra jus, formam regiminis, teſtamentum commemorati inclytæ memoriæ Alberti Ducis, aliaque jura ac privilegia noſtra interim interceſſiſſet obrepſiſſetque, eadem corrigantur, in integrumque prius reſtituantur; cujus rei curam, executionemque ad Sereniſſimos Reges, pro tempore exiſtentes, ac Regnum, tanquam ſupremos & directos Dominos, Patronosque ac Defenſores noſtros delegamus, pertinereque volumus. In quorum fidem, & evidentius teſtimonium, haſce manu noſtra ſubſcripſimus, ſigillis ſubappreſſis a Nobis deputatorum, nimirum ex Conſiliariis Regentibus, Ludovici Rautter: ex Conſiliariis tribus, Friderici Burgrabii & Baronis Dhona: ex Nunciis Nobilitatis, Euſtachii a Gröben: ex Nunciis Civitatis, Michaelis Guilhelmi, J. V. Doctoris. Datum & Actum in Conventu Regiomonti, die XXI. Menſis Maji. Anno MDCXII. ſtylo antiquo.

Ludovicus Rautter, Hoffmeiſter.
(L.S.)
Fridericus Burgrabius, & Baro a Dhona.
(L.S.)
Euſtachius a Gröben.
(L.S.)
Michaël Guilhelmi, I. V. Doctor.
(L.S.)

CCCXII.

Formulæ Juramentorum, Sacræ Regiæ Majeſtati, & Illuſtriſſimo Electori præſcriptorum, ex Præſcripto Dominorum Commiſſariorum. Dat. Regiomonti 22. Maji 1612. *Indidem.*

Nos Simon Rudnicki, *D*ei Gratia Epiſcopus Varmienſis, Stanislaus *D*zialyńſki Palatinus Mariaeburgenſis, Rogoſnenſis, Tolkmitenſisque Capitaneus, Venceslaus Kielczewſki Caſtellanus Biechovienſis, Wſchovienſis Capitaneus, Reinholdus Heidenſthein *S*ecretarius *S*. Reg. Majeſtatis, *S*erenisſimi Potentisſimique Principis ac *D*omini, D. Sigismundi III. Dei Gratia Regis Poloniae, Magni Ducis Lithuaniae, Ruſsiae, Pruſsiae, Ma-

ANNO 1612. Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeq; &c. nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarii Regis, & inclyti Regni Poloniae, in Ducatum Pruſsiae delegati Commiſſarii. Significamus praeſentibus hiſce, hujus & futuri temporis, quorum intereſt intereritve, univerſis & ſingulis: Cum a Sacra Regia Majeſtate, Domino noſtro clementiſsimo, inclytisque Regni Ordinibus, ad Illuſtriſsimum Principem ac Dominum, *D.* JOANNEM SIGISMUNDUM, Dei Gratia Marchionem Brandeburgenſem, Sac. Romani Imperii Archicamerarium et Electorem, in Pruſſia, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſuborum, Vandalorum; nec non in Sileſia, Croſnae, Carnoviaeque Ducem, Burgravium Norimbergenſem, Principemque Rugiae, Comitem Marcae et Ravensburgi, *Dominum* in Ravenſtein, etc. Ordinesque Ducatus Pruſsiae, ad ea, quae ex ſuperiorum Comitiorum Anni *Domini* 1611. transactione praeſtari deberent, peragenda, maximeque, ut commemorato Illuſtriſsimo Principi Electori poſſeſsionem realem ejusdem *Ducatus* traderemus, in eundemque Illuſttriſsimam Celſitudinem ejus, ex authoritate Reg. Majeſtatis ac Regni, introduceremus immitteremusque, miſsi delegatique eſſemus, aliis rebus, quae a *S.* Reg. Majeſtate, *Domino* noſtro clementiſsimo, mandatae nobis fuerant, ex praeſcripto eorundem mandatorum conſtitutis definitisq;, tandem die 12. Menſis Maji ad juramentum ab Ordinibus Ducatus Pruſsiae exigendum nos acceſsiſſe, exque commemorata transactione in pacta transactionemque ſequens juramentum iisdem propoſuimus, nimirum:

Ego N. N. juro, meo, Ordinumque Ducatus hujus, poſterorumque ac ſucceſſorum noſtrorum nomine, quod pacta tam vetera, quam poſtremam transactionem, conditionesque inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, D. SIGISMUNDUM III. *Dei Gratia Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque; nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumq; hæreditarium Regem, Succeſſoresque ejus Reges ac Regnum Poloniæ, tanquam ſupremos directos Dominos meos & naturales, & Illuſtriſſimum Principem ac Dominum, D.* JOANNEM SIGISMUNDUM, *Dei Gratia Marchionem Brandenburgenſem, Sac. Rom. Imperii Archicamerarium & Electorem, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, nec non in Sileſia, Croſnæ, Carnoviæque Ducem, Burgravium Norimbergenſem, Principem Rugiæ, Comitem Marcæ & Ravensburgi, Dominum in Ravenſtein, &c. Ducem & Dominum noſtrum, conſtitutas, in omnibus earum punctis & clauſulis ſervabimus, poſterique ac ſucceſſores noſtri ſervabunt; maxime autem, ſi Deo ita permittente forte acciderit, ut commemoratus Illu. Princeps Elector ſine legitimis maſculis hæredibus, poſt eumque Illuſtriſſimi Fratres ejus germani, ſimultaneam Inveſtituram habentes, ſine legitimis itidem Feudi ſucceſſoribus decederent, nulli alii, quam Regibus & Regno Poloniæ immediate tum parebimus, aut poſteri noſtri parebunt, neque quenquam alium, niſi Reges & Regnum Poloniæ, tanquam naturales & hæreditarios D. noſtros agnoſcemus, aut fidelitatem ſubjectionemq; præſtabimus, ſucceſſoresque noſtri agnoſcent aut præſtabunt; ſed in commemoratorum Regum & Regni Poloniæ poteſtatem ſine ulla cunctatione aut tergiverſatione concedemus, eisque tam quoad utile & directum Dominium, quam merum & mixtum imperium, juribus tamen ac libertatibus, privilegiisque noſtris & Ducatus hujus ſalvis manentibus, nos ſubjiciemus obediemusque, poſterique ac ſucceſſores noſtri concedent, ſubjicient, obedientque; ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta ejus Evangelia.*

Quo juramento exacto praeſtitoque, ex mandato atque authoritate *S*ac. Reg. Majeſtatis, Domini noſtri clementiſsimi, Ordinumque Regni, ſupra memorato Illuſtriſsimo Principi Electori, JOANNI SIGISMUNDO etc. etc. in loco publico, univerſoque populo praeſente, integram, plenam, realemque poſſeſsionem commemorati *D*ucatus hujus, cum omni jure, dominio, poteſtate, ex pactis, noviſsimaque transactione, ad Duces in Pruſsia quocunque modo pertinente tradidimus, in eandemque omni meliore modo ac ratione, quocunque id de jure vel conſuetudine fieri poteſt, aut debet, cum effectu intromiſimus, quemadmodum quidem praeſentibus etiam hiſce tradimus, intromittimusque. Quod ad omnium et ſingulorum, maxime autem Ordinum *D*ucatus Pruſsiae notitiam deducentes, authoritate Sac. Reg. Majeſtatis, Ampliſsimique *S*enatus, atque omnium Regni Ordinum, ut commemoratum Illuſtriſsimum Principem *D.* JOANNEM SIGISMUNDUM, Marchionem Brandenburgenſem, *S*acri Romani Imperii Archicamerarium et Electorem, etc. etc. tan-

Anno 1612.

tanquam Ducem in Pruſsia, pro Principe Duceque ſuo habeant, agnoſcant, eidem tanquam Principi Regni Poloniae fiduciario ac feudali, Duci autem ac Domino ſuo haereditario ac naturali, omnem fidem, honorem, obedientiam, omniaq; ſubjectionis officia deferant praeſtentque, mandamus. Juramentum autem cum Illuſtriſsima Celſitudo ſua exigere ab iis voluerit, tale praeſtare debebunt, videlicet:

Ego N. N. juro Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino Joanni Sigismundo, *Marchioni Brandeburgenſi &c. &c. Domino meo hæreditario, tanquam Duci in Pruſſia, Serenitatisque ejus legitimis hæredibus maſculis, & ſi illorum nulli amplius extiterint, tum demum Sereniſſimis Principibus & Dominis, Dominis Serenitatis ipſius tribus germanis Fratribus, ſimultanee inveſtitis, nimirum Domino* Ioanni Georgio, *Domino* Ernesto, *& Domino* Christiano Vilhelmo, *Marchionibus Brandenburgenſibus, in Pruſſia Ducibus, & illorum legitimis hæredibus maſculis, uti illud inter Sereniſſimum Regem Poloniæ, & Illuſtriſſimum Electorem Brandeburgenſem, in Pruſſia Ducem, Dominos meos clementiſſimos, Anno Domini 1611. Varſoviæ transactionis pacta conventa, & noviter conſecuta infeudatio, & diplomata exprimunt & in ſe continent. Et ſi illorum quoque nullus amplius extiterit, tum demum etiam Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi Domino, Domino* Sigismundo III. *illiusque Succeſſoribus Regibus, & inclyto Regno Poloniæ, tanquam non ſolum ſupremis & directis, quales nunc ſunt, ſed etiam utilibus & immediatis tunc futuris Dominis meis, tum uti cæteri Regni indigenæ, ſubditus fidelis & ſubjectus eſſe. Ejus Serenitatis commoda & emolumenta quærere & promovere, omnibusque terrarum & incolarum Serenitatis ejus damnis & incommodis pro poſſe meo, & quantum ex me fieri poteſt, præcavere, amovere, prævenire, uti fidelem & probum ſubditum decet, nec quicquam, quod humano ingenio excogitari poterit, impediet vel obſtabit. Sic me Deus juvet, & ſanctum ipſius Evangelium.*

In quorum fidem et evidentius teſtimonium, nos ſupra ſcripti Commiſſarii Regii manu propria ſubſcripſimus, et ſigilla noſtra apponi fecimus. Datae Regiomonti ipſa die immiſsionis factae, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo duodecimo, die vigeſima ſecunda Menſis Maji.

Simon Rudnicki, Epiſcopus Varmienſis.
(L.S.)
Stanislaus Działynſki, Palatinus Mariæburgenſis.
(L.S.)
Venceslaus Kiełczewſki, Caſtellanus Biechovienſis.
(L.S.)
Reinholdus Heidenſthein, Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius.
(L.S.)

CCCXIII.

Cautio Dominorum Commiſſariorum in cauſa Marchionum Franconicorum. Ibid. eodem die & Anno. *Indidem.*

Nos Simon Rudnicki Dei Gratia Epiſcopus Varmienſis, Stanislaus Działyńſki Palatinus Mariaeburgenſis, Rogoſnenſis, Tolkmittenſis, Wenceslaus Kiełczewſki Caſtellanus Biechovienſis, Vſchovienſis, Capitanei; Reinholdus Heidenſthein, Secretarius, Sereniſsimi ac Potentiſsimi Principis ac Domini, D. Sigismundi III. Dei Gratia Regis Poloniae, etc. etc. et inclyti Regni Poloniae, in Ducatum Pruſsiae deputati Commiſſarii, omnibus et ſingulis, cujuscunque ſtatus, dignitatis et praeeminentiae fuerint, praeſentibus et futuris, notum teſtatumque facimus. Poſteaquam memorata Sacra Regia Majeſtas, inclytique Poloniae Regni Ordines, Illuſtriſsimo Principi ac Domino, D. Ioanni Sigismundo, Dei Gratia Marchioni Brandenburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario et Electori, in Pruſsia, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſuborum, Vandalorum, nec non in Sileſia, Croſnae, Carnoviaeque Duci, Burgravio Norimbergenſi, Principique Rugiae, Comiti Marcae et Ravensburgi, Domino in Ravenſtein, etc. et Illuſtritatis ſuae maſculis feudi haeredibus, cum et Illuſtritatis ſuae tribus Fratribus, eorumque maſculis feudi haeredibus, Ducatum Pruſsiae certis conditionibus, quae et in Diplomate Inveſtiturae, et literis authenticis reverſalibus continentur, conceſſerit, et inter alia convenerit, ut Ordines Ducatus jurisjurandi religione conditiones illas approbarent. Illi vero juramenti praeſtationem ex hac cauſa deprecarentur, quod majores ſuos Anno 1578. toti Domui Brandenburgicae, et ſic moder-

Anno 1612. nae etiam Culmbachianae et Onoldinae lineae juramenti vinculo ſeſe obligaſſe dicerent, quam tamen in literis Inveſtiturae praeteritae non animadverterent. Tandemque ſtudioſiſsimis verbis a nobis peterent, ne illis retro praeſtitum juramentum, vel nunc vel in praeteritum, apud quempiam noxae fraudique eſſet, ut S. Reg. Majeſtatis et Ordinum Regni nomine ſolenniter caveremus. Nos non ſolum juſtis eorum precibus annuentes, verum etiam juri Sac. Reg. Majeſtatis et Regni caventes, inprimis omnia iſta juramenta, Anno 1578. et quocunq; tempore a ſubditis Ducatus praeſtita, utpote, quae inſcia S. Reg. Majeſtate et Regno requiſita et facta, quaeque et a Commiſſariis Regiis, tum & a Sereniſſimo Rege Sigismundo Augusto, & Ordinibus Regni, omnibusque ſequentibus Inveſtituris caſſata fuerunt, illegitima, nulla, & invalida pronunciamus, declaramusque; tum etiam pro authoritate noſtra Commiſſoriali, nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini noſtri Clementiſſimi, & omnium Ordinum inclyti Poloniæ Regni, omnibus Ordinibus Ducatus Pruſſiæ, vigore harum, quam fieri poteſt & debet, certiſſime cavemus, promittimus & pollicemur, Sacr. Reg. Majeſtatem, Regniq; inclytos Ordines, ratione commemorati præſtiti juramenti, & præteritæ memoratæ lineæ Culmbachianæ & Onoldinæ, omni tempore apud omnes & ſingulos illos defendere ac tueri velle. In quorum fidem manibus noſtris ſubſcripſimus, & ſigillis ſubappenſis communiri fecimus. Datum Regiomonti, die 22. Maji. Anno MDCXII.

Simon Rudnicki, Epiſcopus Varmienſis.
(L.S.)
Staniſlaus Działyńſki, Palatinus Mariæburgenſ.
(L.S.)
Venceſlaus Kiełczewſki, Caſtell. Biechoviens.
(L.S.)
Reinholdus Heidenſthein, S. R. M. Secretarius.
(L.S.)

CCCXIV.

Recognitio de acceptis literis Reverſalibus ab Ordinibus Ducatus Pruſſiæ. Ibid. Eod. die & Anno. *Indidem.*

Nos Simon Rudnicki, Dei gratia Epiſcopus Varmiens. Stanislaus a Działyn, Palatinus Mariæburgens. Rogoſnens. Tolkmitenſisque, Venceslaus Kiełczewſki, Caſtellanus Biechovien. Wſchovien. Capitaneus, Reinholdus Hidenſthein, Secretarius Sacræ Regiæ Majeſtatis, Sereniſſimi Potentiſſimique Principis ac Domini, D. Sigismundi III. Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque: nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarii Regis, & inclyti Regni Poloniae in Ducatum Pruſſiae delegati Commiſſarii, ſignificamus praeſentibus hiſce, hujus & futuri temporis, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Cum ad conſtituendas res, ex noviſſima ſuperiorum Comitiorum Anni MDCXI. tranſactione, in Ducatum Pruſſiae, a Sacra Regia Majeſtate atque Ordinibus Regni miſſi eſſemus, interque eas inprimis juramentum in ſupramemoratam tranſactionem ab Ordinibus ejusdem Ducatus exegiſſemus, illosque ſalvis juribus ac libertatibus ſuis, pro fide, officio publico, ſolennique in loco, promptiſſime id præſtitiſſe. Cum vero certis etiam literis reverſalibus ſuis praeſtitum id a ſe eſſe teſtati fuerint, earundem exemplum ad perpetuam rei memoriam hiſce literis noſtris inſerendnm exiſtimavimus, quod, quae infra ſcripta ſunt verbis, ſequitur.

Nos infraſcripti Ludovicus Rauter Hofmeiſter &c. *ut in pag. 460.*

Quas quidem literas, nos ab illis acceпiſſe, officioque ſuo, ut fideles probosque ſubditos decet, omnibus in rebus functos eſſe, praeſentibus hiſce fidem facimus, profitemur, atteſtamurque. In quorum fidem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, ſigillaque noſtra apprimi mandavimus. Regiomonti 22. Maji. Anno Domini, MDCXII.

Simon Rudnicki, Epiſcopus Varmiens.
(L.S.)
Staniſlaus Działyńſki, Palatinus Mariæburgen.
(L.S.)
Venceſlaus Kiełczewſki, Caſtellanus Biechovien.
(L.S.)
Reinholdus Heidenſthein, S. R. M. Secretarius.
(L.S.)

CCCXV.

Receſſus Commiſſionis Regiomontanæ. Ibid. 29. Maji. 1621. *Indid.*

Nos Simon Rudnicki, Dei gratia Epiſcopus Varmien. Stanislaus Działyńſki Palatinus Mariaeburgen. Rogoſnen.

ANNO 1612. ſnen. Tolkmitten. Venceslaus Kiełczewſki Caſtellanus Biechovien. Wſchovien. Capitaneus, Reginholdus Heidenſthein Sacr. Reg. Majeſtatis Secretarius, Sereniſſimi Potentiſſimique Principis ac Domini, D. SIGISMUNDI III. Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarii Regis, & inclyti Regni Poloniæ, in Ducatum Pruſſiæ delegati Commiſſarii, ſignificamus præſentibus hiſce, hujus & futuri temporis, quorum intereſt intereritve, univerſis & ſingulis: Cum a Sacr. Reg. Majeſtate, Domino noſtro Clementiſſimo, inclytisque Regni Ordinibus, ad Illuſtriſſimum Principem ac Dominum, D. JOANNEM SIGISMUNDUM, Dei gratia Marchionem Brandenburgen. Sacr. Rom. Imperii Archicamerarium & Electorem, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, nec non in Sileſia, Croſnæ, Carnoviæque Ducem, Burgravium Norimbergen. Principemque Rugiæ, Comitem Marcæ, & Ravensburgi, Dominum in Ravenſtein, &c. Ordinesque Ducatus Pruſſiæ, ad ea, quæ ex ſuperiorum Comitiorum, Anni Domini 1611. præſtari deberent, peragenda, maximeque ut commemorato Illuſtriſſimo Principi Electori, poſſeſſionem realem ejusdem Ducatus, in eandemque Illuſtriſſimam Celſitudin. ejus, ex authoritate Regiæ Majeſtatis ac Regni, introduceremus immitteremusque, plenis cum mandatis miſſi delegatique eſſemus, præſcripto mandatorum noſtrorum diligenter examinato expenſoque, in eum, qui ſequitur modum, quæ officio noſtro incumbant, conſtituiſſe explicaſſeque. In primis loco templi, ex tranſactione ædificandi, pro arbitrio & voluntate noſtra definito, obligatione etiam mille florenorum annuorum, in uſus Parochi & dotem præſtandorum, certis in fundis, villis, agris, cenſibus, redditibusque, conſtituta inſcriptaque. Alterius autem templi, de quo ad Ordines relatum fuerat, cauſa in eo, quo in tranſactione erat ſtatu, integra Sacr. Reg. Majeſtati, Domino noſtro clementiſſimo, inclytisque Regni Ordinibus, relicta conſervataque. Omnia hæc certis cautionibus inſcriptionibusque, a ſupramemorato Illuſtriſſimo Principe in ea præſtitis edictisque, firmavimus ſancivimusque. De Calendario deinde novo, cum Sereniſſimæ Celſitud. ſuæ, omniumque Ordinum Ducatus conſenſu ac voluntate, nomine Sacr. Reg. Majeſtatis, Nobis poſtulantibus receptum jam ſit, ut ad proxima Feſta Pentecoſtes, currentis hujus Anni, milleſimi ſexcenteſimi duodecimi, publice etiam introducatur, promulgetur, conſtanterque in poſterum ſervetur, conſtituimus, edicimusque. ANNO 1612. Secundum hæc, cum a Sacr. Reg. Majeſtate, Domino noſtro clementiſſimo, inprimis mandatum Nobis eſſet, ut ſi quæ contra jus ſupremi directique dominii Regiæ Majeſtatis, Regnique, vel etiam jura, privilegia, literis ipſius Ducatus, Ordinumque ejus, irrepſiſſent, introductaque eſſent, de his cognoſceremus, gravaminaque omnia, authoritate Regiæ Majeſtatis, ac Regni tolleremus, abolеremusque. Similiter, ſi quæ ex ſuperioris Commiſſionis ſtatutis decretisque nondum executioni mandata eſſent, inſpiceremus, atque ad effectum deduceremus. Cum vero ne contra jus publicum privilegiaque Ducatus hujus: maxime autem Lublinen. (quo penes Religionem Catholicam Romanam, ut in Ducatu hoc antiquiſſimam, & puriſſimam exercitio Religionis Auguſtanæ libertas etiam in Ducatu hoc indulta, aliæque omnes cujuscunque generis aut nominis ſectæ excluſæ exterminatæque ſunt) diverſæ in Religione opiniones in Ducatum invehantur, non pauci vereantur: Appellationem deinde contra jus publicum, & expreſſa pacta, noviſſimamque tranſactionem proxime præteritorum Comitiorum Varſavienſium, variis modis partim impediri, partim excludi cognoviſſemus: Inprimis de duobus hiſce capitibus, ſequentem in modum definivimus, conſtituimusque. Et ad ſectas quidem peregrinasque religiones quod attinet, ſi quis poſthac ad Magiſtratum & officium adſcitus promotusque fuerit, qui diverſam a Religione Catholica Romana, vel Auguſtanæ Confeſſionis, Anno Domini, MDXXX. publice Auguſtæ propoſitæ, & Apologiae ejus, tanquam publico Ordinum Ducatus hujus conſenſu receptae & approbatae, indultoque Sereniſſimorum Regum Poloniae in Ducatu hoc permiſſae; quamcunque vel Zwinglianorum, Calvinianorumque, Anabaptiſtarum, Arrianorum, vel quibuscunque nominibus vocentur, ſectam foveat profiteaturque, a Conſiliariis Terreſtribus, vel iis negligentibus, a Conventu univerſae Nobilitatis, aut quocunque in Ordine ſibi pari; in Civitatibus autem a Magiſtratu civium, aut quocunque de populo, primo ad judicium Illuſtriſſimi Principis Aulicum vocari poterit, ac debebit; & in defectu quidem plenariae probationis, non aliter liber pronunciari aut evadere debebit, quam ut ſupranominatis Zwinglianis, Calvi-

BIBLJOTEKA w Wilnie. Im. Wróblewskich

ANNO 1612. Calvinianis, Anabaptiſtis, Arrianis, vel quibuscunque nominibus vocentur ſectis, manifeſte contradicat & renunciet. Et convictus quidem arbitraria pœna a Sacra Regia Majeſtate, quae pro delicti aut delinquentis qualitate, quousque viſum fuerit, ex arbitrio Sacrae Regiae Majeſtatis extendi poterit, puniri, animadvertique in eum debebit, & a Magiſtratu, aut officio, in quo conſtitutus eſt, mox moveri cedereque debebit. Salva, ut in aliis cauſis, ita maxime in hac quoque per omnia appellatione ad Sacram Regiam Majeſtatem. Quod ſi quis vero praedictorum actionem alicui movere velit, huic ex officio idoneus procurator dari debebit; qui ſi a prædictis Conſiliariis vel Ordinibus petatur, omnes ſumptus, quemadmodum ſuas aras & præmia, ex publico pecuniæ ærario habebit; ita tamen, ut Conſiliariorum terreſtrium duo, tres, vel plures, quem hæreſeos ſuſpectum ſi cognoverint, Ser. Principi id, vel ejus loco D. ConſiliariisRegentibus denunciare debeant, qui tum, cognitis cauſæ indiciis, omnes Terreſtres Conſiliarios convocabunt, ut ii adſcitis Conſiſtorialibus conjunctim deliberent: An actio publico nomine contra ſuſpectum ſit inſtituenda nec ne? & ſi eam ſuſcipiendam judicaverint, tum Procuratorem conſtituere, & ſumptus ex publico Provinciæ ærario in id impendere debent; alias Ordinibus Ducatus, & cuilibet privato agendi facultas contra quemlibet in publica hac cauſa erit. Si vero reus convictus fuerit, hæc omnia cuilibet accuſatori refundere teneatur. Provocatio etiam appellatioque ad Judicium Sac. Reg. Majeſtatis, cum & jure publico, & commemorata noviſſima transactione, integra, liberaque omnibus eſſe debeat, ut cujuscunque fortunæ aut conditionis fuerit, qui gravatum ſe ſententia exiſtimarit, more aliorum judiciorum omnium, ſumma ſex florenorum Polonicalium depoſita, cujus amittendæ periculo ſi in ultima inſtantia cauſa ei abjudicetur, appellet in judicio, ſine ulla aut ſubſcriptione, aut aſſiſtentia Procuratoris, vel quacunque alia conditione; modo infra ſummam quingentorum florenorum, transactione definitam, a judicio aulico ad Regiam Majeſtatem judiciumque appellare liberum integrumque ſit. Neque ullo alio prætextu, colore, quicunque ingenio humano excogitari poſſit, præterquam infra commemoratam ſummam quingentorum florenorum appellationem quis interponat, ab ea quis prohibeatur, impediatur excludaturque, ſub pœna in judices, appellationi ultimæ inſtantiæ non deferentes, jure publico conſtituta, in pedicio itidem Regio ſuccumbenda. Quodſi etiam contra jus, transactionem, definitionemq; hanc noſtram appellatio cujuspiam a judicio Aulico non reciperetur, admittereturve; tali extra ordinem, vel in quocunq; alio jure, aut ad acta quæcunq; vel etiam apud Notarium publicum appellationem ſuam interponere, interpoſitamq; ad notitiam partis, contra quam appellarit, judiciique ipſius, a quo appellarit, deducere liberum integrumque ſit. In omni autem appellatione, ſive ordinaria, ſive extraordinaria, etiam ſine ulla judicis aſſignatione, aut partis citatione, in judicio Regio terminum ipſo jure partes habebunt, poſtridie poſt duodecim ſeptimanas, a tempore appellationis interpoſitae exactas; quem ſi partes non obſervaverint, etiam nulla alia citatione præcedente, contumaciæ, pœnisque ejus ſubjecti erunt. Cum etiam Sac. Regia Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, triennio ab hinc literas quasdam ad Ordines Ducatus hujus dediſſet, quæ durante Commiſſione hac noſtra, nunc primum illis redditæ, quidamque in eam ſententiam interpretati eas fuerint, quaſi Regia Majeſtas aliquam re officio functos non exiſtimaſſet, eoque nomine illos accuſaſſet, arguiſſetque: Regia autem Majeſtas recentibus literis, nunc ad illos datis, ita mentem ſuam declaret; non eo animo quicquam a ſe ſcriptum eſſe, quaſi fidei & obſequiorum, Reg. Majeſtati & Principi ſuo debitorum, promptitudinem ullam in iis requiſiviſſet; ſed ut illa cohortatione, eo quo ſponte ferebatur, illos tanto magis incitaret mandato, auctoritateque Sac. Reg. Majeſtatis: Nos etiam præſentibus hiſce literis noſtris ſupradictas priores literas ita explicamus, declaramusque: Neque ulla in re exiſtimationi honorique commemoratorum Ordinum, aut poſterorum eorum derogare debere pronunciamus, decernimus, ſtatuimusque. In univerſum vero jura, privilegiaque, libertates, immunitates omnes, tam univerſorum Ducatus hujus Ordinum, quam ſingulorum, ſpeciatim etiam, ne exteri ulli ad conſilia, negotiaque publica adhiberentur, ſed ſecundum formulam regiminis, teſtamentumque inclytæ memoriæ ALBERTI primi in Pruſſia Ducis, aliaque jura Ducatus hujus, per Conſiliarios Regentes, aliosq; Magiſtratus indigenas omnia agantur, adminiſtrenturque. Commemoratæ etiam ſuperioris & præſentis hujus etiam Commiſſionis noſtræ acta decretaque, quæque præſenti hoc edicto noſtro conſtituta ſunt, omnia, tanquam Sac. Reg. Ma-

ANNO 1612. Majeſtatis, Ordinumque Regni auctoritate adminiſtrata, firma inviolabiliaque ab omnibus ſervari, tenerique debere volumus, decernimus, ſtatuimusque. Ne etiam cuipiam jura, legesque Ducatus hujus ignotæ ſint, ſubſellia quoque Tribunalque Regium habeat, quid in judicando ſequi debeat, quæ ad jura Ducatus Ordinum pertinent, ut pacta, privilegia, transactio Varſavienſis noviſſima, ſuperioris Commiſſionis acta & decreta, tum præſentes hæ literæ, auctoritasque noſtra, ut publice etiam promulgentur, & quo facilius copia ſingulis fieri poſſit, typis impreſſa edantur, cenſemus, ſtatuimusque. Præter hæc cum diligenter etiam a Sacra Regia Majeſtate, Domino noſtro clementiſſimo, mandatum nobis ſit, auctoritatem noſtram apud Illuſtriſſimum Principem ut interponeremus; ne Generoſi & Nobiles Domini Berzevicii, Rivocii, Roſciſzevii, in exercitio Religionis Catholicæ in ſuis quisque templis impedirentur, eamque rem ad publicam cauſam, transactionemque pertinere, Sacra Reg. Majeſt. Dominus noſter clementiſſimus exiſtimet: Illuſtriſſimus autem Princeps a publica cauſa ſeparatam prius ad ſuum judicium, cognitionemque ſpectare arbitretur, totam hanc cauſam privatorum horum templorum, quemadmodum & poſtulationem Sacræ Regiæ Majeſtatis de Notario in portu Pilavienſi, ad Regiam Majeſtatem integram revocamus, referimusque; quæ, quo ulterius in hiſce cauſis progrediendum ſibi ſit, judicabit. Similiter & decreta in cauſa Nobilium, &c. & ſi quæ alia in tali cauſa ſint, a Commiſſariis Regiis Anno Domini 1609. lata, executioni nondum demandata, cum tota cauſa effectuque ſuo integra ad Sacram Regiam Majeſtatem remittimus, referimusque; jure tamen tam Illuſtriſſimi Principis, quam ſupremi ac directi dominii Sac. Reg. Majeſtatis ſalvo. Quibus quidem rebus partim ita explicatis, definitiſq;, partim ad R. Maj. integris relatis, eidemque reſervatis, inprimis ex commemorata transactionis formula, in loco publico, univerſoque populo præſente, in ipſa pacta, transactionem, juramentum ab Ordinibus Ducatus exegimus. Ex mandato inde atque auctoritate Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini noſtri clementiſſimi, Ordinumque Regni, integram, plenam, realemque poſſeſſionem commemorati Ducatus hujus, cum omni jure, dominio, poteſtate ex pactis, noviſſimaque transactione, ad Duces in Pruſſia quocunque modo pertinente, ſupra memorato Illuſtriſſimo Principi tradidimus, in eandemque cum effectu Illuſtriſſimam Celſitud. ſuam intromiſimus, in omnibus, quæ a nobis conſtituta ſupra ſcripta ſunt, juribus ſupremi ac directi dominii Sacræ Regiæ Majeſtatis & Regni, quæ inprimis ſarta tectaque eſſe debent, per omnia ſalvis integrisq; manentibus. In quorum fidem haſce manibus noſtris ſubſcripſimus, ſigillisque noſtris communiri fecimus. Datum Regiomonti die 29. Menſis Maji, Anno 1612. ANNO 1612.

Simon Rudnicki, Epiſcopus Varmienſis.
(L.S.)
Stanislaus Dzialyńſki, Palati. Mariæburgenſis.
(L.S.)
Venceslaus Kiełczewſki, Caſtellanus Biechovienſis.
(L.S.)
Reinholdus Heidenſthein, S. R. M. Secretarius.
(L.S.)

CCCXVI.

Confirmatio Commiſſionis Regiomontanæ S. R. M. Dat. Varſav. 16. Junii. 1612. *Indidem.*

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque; nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Quod cum Commiſſarii noſtri, ad tradendam poſſeſſionem Ducatus Pruſſiæ, Illuſtr. Principi D. JOANNI SIGISMUNDO Marchioni Brandenburgenſi, ac Sac. Rom. Imp. Electori, aliaque, quæ ad bonum ordinem ejus Ducatus pertinerent, juxta inſtructionem noſtram expedienda, noſtra & Comitiali auctoritate deſignati, exemplum ejus totius actus ſigillis communitum, & manibus ſubſcriptum, Nobis exhibuiſſent, ſupplicatumque Nobis eſſet, ut eum actum libris Metricæ noſtræ inſeri, & auctoritate noſtra Regia approbare & confirmare dignaremur. Cujus quidem ea ſeries & tenor eſt talis, qui ſequitur.

„ Nos Simon Rudnicki, Dei Gratia Epiſcopus Varmienſis, Stanislaus Dzialyńſki, Palatinus Mariæburgenſ. &c. Venceslaus Kiełczewſki, Caſtellanus Biechovienſis, &c. Reinholdus Heidenſthein, S. R. Majeſtatis Secretarius, Sereniſſimi Potentiſſimique Principis ac Domini, D. SIGISMUNDI III. Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniae, &c.

&c.

Anno 1612. &c. &c. inclyti Regni Poloniæ, in Ducatum Pruſſiæ delegati Commiſſarii: Significamus præſentibus hiſce, hujus & futuri temporis, quorum intereſt intereritve, univerſis & ſingulis. Cum a Sacra Regia Majeſtate, Domino noſtro clementiſſimo, inclytisq R. Ordinibus, ad Illuſtriſſimum Principem & Dominum, D. Joannem Sigismundum D. G. Marchionem Brandenburgenſem, Sacri Romani Imperii Archicamerarium & Electorem, in Pruſſia, Juliæ, &c. &c. Dominum in Ravenſtein, Ordinesque Ducatus Pruſſiæ, ad ea, quæ ex ſuperiorum Comitiorum Anni Domini 1611. transactione præſtare deberent, peragenda, maxime ut commemorato Illuſtriſſimo Principi Electori poſſeſſionem realem ejusdem Ducatus traderemus, in eandem que Illuſtr. Celſitudinem ejus, ex auctoritate Reg. Majeſtatis ac Regni introduceremus, immitteremusque, plenis cum mandatis miſſi delegatique eſſemus; præſcripto mandatorum noſtrorum diligenter examinato expenſoque, in eum, qui ſequitur modum, quæ officio noſtro impendebant, conſtituiſſe explicaſſeque. &c. Reliqua ut ſupra in Receſſu Commiſſionis &c."

Cui ſupplicationi benigne annuentes, eum totum actum, omniaque intro contenta, in omnibus punctis, clauſulis, articulis, conditionibusque generaliter univerſis, approbandum & confirmandum eſſe duximus, approbamusque, confirmamus & ratificamus, præſentibus hiſce ſtatuentes, ut robur debitæ firmitatis obtineat. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Regni communiri mandavimus. Datum Varſaviæ die 16. Junii Anno Domini 1612. Regnorum noſtrorum Poloniæ 25. Sueciæ vero Anno 19.

SIGISMUNDUS Rex.

Hieronymus Cielecki.

CCCXVII.

1613. *Regia Majeſtas concedit Regiomontanis foſſam fodere ad facilitandam navigationem ex Litvania.* Varſaviæ 1. Aprilis 1613. *Ex Archivo M. Duc. Lithu. Libr. num. 185. fol. 137.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae etc. Significamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Quod cum a multis jam anteactis annis, tam Nobilitatis & mercatorum M. Ducatus Lithuaniæ, quam etiam Magiſtratus civiumque civitatis Regiomontanæ nomine, in aliquot ſuperioribus Generalibus Regni Comitiis graves querimoniæ ad Nos delatæ fuiſſent, quod nimirum graviſſima damna, & ingentem jacturam navigiorum, mercium & hominum, navigando per lacum Curonicum ex Magno Ducatu Lithuaniæ verſus Regiomontum ſæpiſſime experiantur, huic vero intollerabili damno obviam ire poſſe reparatione & inſtitutione novi portus Nobis propoſitum eſſet, Illuſtriſſimos quoque laudatæ memoriæ in Pruſſia Duces, in hoc negotium perficiendum ſumptus proprios impenſuros, libenter obtuliſſe, modo illis in recompenſam ſumptuum novo aliquo theloneo proſpectum fuiſſet. Quam in rem delegatus erat olim Generoſus Elias Pielgrzymowſki Notarius Magni Ducatus Lithuaniæ, qui, perluſtratis rite illis locis, per quæ novus portus & navigatio ſecurior inſtitui poſſet, licet quidem ejus rei Nobis relationem fecerit, neque tamen hoc negotium hucusque pervenerat. Inſtantibus denique in proxime præteritis Generalibus Regni Comitiis, nomine eorundem Ordinum Magni Ducatus Lithuan. Nunciis Terreſtribus, ut tandem huic tam laudabili operi extrema manus imponatur, & tam ingenti communi omnium damno occurratur; Nos precibus hujusmodi benigne adducti, ex publico omnium Ordinum, in proxime præteritis Comitiis, Anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo celebratis, laudo & conſenſu deputaveramus Generoſum Januſſium Skumin Tyſzkiewicz, Notarium Magni Ducatus Lithuaniæ, Braclavienſem & Novogrodenſem Capitaneum, data & conceſſa illi plena poteſtate, loca illa nova navigationis una cum Commiſſariis, ab Illuſtriſſimo moderno Duce in Pruſſia ad eundem actum delegatis, juxta priorem prædicti olim Gen. Eliæ Pielgrzymowſki luſtrationem videndi & perluſtrandi, locaque commodioris navigationis eligendi, tum demum facta ſumptuum & impenſarum, quæ in hoc opus erogandæ ſint, juſta computatione, & diligenti conſideratione, in recompenſam earum theloneum novum ad certum tempus inſtituendi. Qui quidem Generoſus Januſſius Skumin Commiſſarius noſter, ſatisfaciendo eidem Commiſſioni, vigore Conſtitutionis generalis ſibi demandatæ, atque prius illis locis, per quæ navigatio tutior expediri poſſit, una cum delegatis ab Illuſtriſſimo moderno Duce in Pruſſia Commiſſariis rite & bene conſideratis ac perluſtratis, veniens Regiomontum, communicato cum iisdem conſilio, novam navigationem per foſſam, Anno 1613.

quæ

ANNO 1613.

quæ ducenda eſſet, tutiore commodioreque omnibus tam Habi Curonici periculis, quam caeteris Giliae difficultatibus, impedimentis & anfractibus poſthabitis & abjectis adinventa. In quod opus cum de eroganda ſumma & impenſis faciendis cum Magnificis ac Generoſis Ducatus Pruſſiae Conſiliariis egiſſet, ii vero Conſiliarii nomine Illuſtriſſimi Ducis Electoris ſeſe excuſando declaraſſent, non poſſe Illuſtriſſimum Principem certis & graviſſimis de cauſis hoc onus in ſe ſuſcipere, ut ſumptus proprios ad inſtitutionem hujus navigationis erogaturus eſſet, verum hoc totum negotium ad Magiſtratum Civitatis Regiomontanae (cum id ipſum quoq; publicum eorum civium commodum ſpectaret) remiſiſſent. Tandem conſenſu & ſcitu Conſiliariorum Illuſtriſſimi Principis accedente, per praenominatum Generoſum Commiſſarium noſtrum cum Magiſtratu Civitatum Regiomontanarum ad mutuos tractatus & contractus (quorum utrinque authentica extant reſcripta) ventum & in hanc ſententiam concluſum eſt, habita & accepta ad id ſpeciali & authentica Illuſtriſſimi moderni Ducis & Electoris ratificatione. Et primo quidem Civitas Regiomontana expediendi hujus ſecurioris portus gratia ſe novam foſſam, juxta ocularem luſtrationem & mappalem delineationem latius deſcriptam, ſuis ſumptibus juſtæ & debitae latitudinis & profunditatis & quidquid requiſitum fuerit ad navigationem, parare & educere recepit. Secundo facta diligentiſſima operis magnitudinis, tum & ſumptuum & impenſarum quantitate conſiderata, adhibito ad id Internunciorum Civitatum noſtrarum Vilnenſis & Caunenſis mutuo conſilio, in recompenſam eorundem ſumptuum Theloneum Labovianum trinum a mercibus omnibus, quae deorſum Laboviam transvehentur, inſtitutum eſt, ita, ut Illuſtriſſimo Principi ratione antiquitus laudati Thelonei una pars, Magiſtratui vero Regiomontano duae cedant. Item a quavis navi onuſta vel vacua deorſum vel ſurſum tranante toties quoties dimidium Florenum exolvendum, & inſuper a mercibus Regiomonto ſurſum vehendis Theloneum juxta taxam & ſpeciale computum, authentice utrinque extraditum, exigi debere, cujus exigendi gratia Civitas Regiomontana in Oppido Labiano ſuum exactorem conſtituet, dictum vero Theloneum, uti praemiſſum eſt, modo deſcripto conſtitutum, ad annos viginti duraturum, per praedictum Generoſum Commiſſarium noſtrum conceſſum eſt. Item praedictum Theloneum inchoari debere, ubi opus perfectum abſolutumque fuerit. Demum Conventum eſt, neminem a ſolutione Thelonei ſub praetextu privilegii vel ſpecialis gratiae, aut immunitatis liberum fore, exceptis rebus aut mercibus ad uſum noſtrum proprium ſpectantibus, quae literis noſtris vel Theſaurarii Magni *Ducatus* Lithuaniae ſpecificatae fuerint. Ad extremum praedictos contractus & conventiones in modernis Comitiis a Nobis & Ordinibus approbandas, & ad Conſtitutiones publicas redigendas eſſe. Siquidem ad operis inceptionem Civitas non tenebitur, antequam a Nobis & Ordinibus confirmatio generalis laudata & in publicas Conſtitutionum tabulas relata, ipſiſque in manus tradita fuerit. Inſuper ſi caſu aliquo inſperato intra unum aut alterum annum navigatio intermitteretur, & nullum Theloneum penderetur, Nos & Regni Ordines rationes inituros, quo hujus damni recompenſatio Magiſtratui Regiomontano fiat, concluſum & definitum eſt. Quorum quidem contractuum & conventionum computorum, tum & ſpecialis Illuſtriſſimi Principis Electoris ratificationis authentica reſcripta Nobis in facie totius Senatus & Nunciorum Terreſtrium producta exhibita ſunt, quae hic pro inſertis haberi volumus. Atque ſupplicatum Nobis eſt, tam Ordinum & Mercatorum Magni *Ducatus* Lithuaniae, quam etiam Magiſtratus Regiomontani nomine, ut eandem tranſactionem ratione inſtituendi novi portus & navigationis atque hujus operis perfectionis, nec non & Thelonei ſupra expreſſi inſtitutionis per praedictum, Generoſum Januſſium Skumin Tyſzkiewicz Notarium M. D. L. Commiſſarium noſtrum cum Magiſtratu Regiomontano factum authoritate praeſentis Conventus approbare, confirmare & ratificare dignaremur. Nos itaque cum Conſiliariis noſtris & Nunciis Terreſtribus Regni & M. D. L. ad praeſentem Conventum congregatis, animadvertentes eandem Commiſſionem diligenter & exacte expeditam eſſe, & ut tandem tam laudabile opus finem ſuum ſortiatur, tanquam maximis ſubditorum noſtrorum & Civitatum Regiomontanarum damnis occurratur, commodo vero communi conſulatur, Commiſſionem praedictam per memoratum Generoſum Januſſium Skumin Tyſzkiewicz Notarium M. D. L. Braclavienſem & Novogrodenſem Capitaneum, Commiſſariumq; noſtrum expeditam, atque in eam tranſactionem praedictam modo factam, omniaque reſcripta contractuum, ac ſi de verbo ad verbum inſerta eſſent in omnibus earum punctis, clauſulis & conditio-

Anno 1613. ditionibus in toto & in ampliſſima forma accedente omnium Ordinum Regni & Magni Ducatus Lithuaniae mutuo & unanimi conſenſu, & vigore praeſentis Generalis Conventus approbanda, confirmanda & ratificanda eſſe duximus, uti quidem approbamus, confirmamus & ratificamus præſenti Diplomate noſtro. Quod robur debitæ & inviolatæ firmitatis habere debere volumus, decernimus & declaramus. Hoc tamen ſpecialiter cautum eſſe volumus, ut idem Magiſtratus Regiomontanus juxta voluntariam & ſpontaneam ſubmiſſionem ſuam eundem novum portum ita navigabilem expediat, ne ibidem navigantes propter incommodam navigationem ullum damnum amplius patiantur. Item omnes cujuscunque ſtatus & conditionis Magni Ducatus Lituaniæ incolæ, qui cum mercibus quibuscunque & cujusvis generis navigantes, hoc idem Theloneum, noviter conſtitutum, & ſpecialiter deſcriptum, ullo modo vel prætextu ſubterfugiant, ſed illud integre & totaliter exolvere tenebuntur. In quorum omnium fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus & ſigillo majori Magni Ducatus Lithuaniæ conſignari mandavimus. Datum Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die prima Menſis Aprilis Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo tredecimo, Regnorum noſtrorum Poloniæ vigeſimo ſexto, Sueciæ vero Anno decimo nono. Præſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Venerabilibus, Generoſis & Nobilibus: Alberto Baranowſki ArchiEpiſcopo Gneſnenſi Legato Nato, & Regni noſtri Primate, Petro Tylicki Epiſcopo Cracovienſi, Laurentio Gembicki Vladiſlavienſi & Pomeraniæ, Andrea Opalinſki Poſnanienſi, Martino Szyſzkowſki Plocenſi, Simone Rudnicki Varmienſi, Staniſlao Leſzczyńſki Præmislienſi, ... Kazimirſki Kijovienſi, Ottone Szenkingk Vendenſi, Epiſcopis Joanne Comite in Oſtrog Poſnanienſi, & Capitaneo Garvolienſi, Georgio Mniſzek de magna Kończyce Sandomirienſi, & Leopolienſi, Samborienſi Capitaneo, Staniſlao Bykowſki Siradienſi & ...... Capitaneo, Adamo Sandywogio Czarnkowſki Lancicienſi, Pizdrenſique Capitaneo, Michaele Działyńſki Brzeſtenſi, Gneſnenſique Capitaneo, Thoma de Lenczyce Goſtomſki Maſoviæ & Ricivolienſi Capitaneo, Zbigneo Oſſolinſki Podlachiæ & Staniſlavovienſi Capitaneo, Joanne Euſtachio Tyſzkiewicz Mſciſlavovienſi, Moſirienſi, Camenecenſique Capitaneo, Nicolao Sapieha Minſcenſi, & Capitaneo Niemonocenſi, Palatinis; Adamo Stadnicki Calisienſi, Præmislienſi, Colenſi Strienſique Capitaneo, Andrea Przyjemſki Gneſnenſi, Covalienſique Capitaneo, Andrea Comite in Tęczyn Belſenſi, Staniſlao Radſietowſki Ravenſi, & Capitaneo Sochacovienſi, Raphaele Leſzczynſki Viſlicenſi, Nicolao Oleſnicki Radomienſi, Andrea Stadnicki Sanocen. Conſtantino Plichta Sochacovienſi, Alberto Krzyſki Ravenſi, ... Koſobucki Viſogrodenſi, Capitaneo Lomſenſi, Jacobo Lelewſki Zakrocimenſi .... Ciechanovienſi, Caſtellanis; Sigismundo Myſzkowſki Marchione a Mirow, Supremo Regni Poloniæ Mareſchalco, Corcinenſi, Grodecenſi, Solecenſique Capitaneo, Felice Krzyſki in Drobin Kovalienſi, Inovladislavienſique, Capitaneo; Leone Sapieha M. D. L. Mochienſi Capitaneo, Cancellariis. Henrico Firley de Dąbrowica Scholaſtico Cracovienſi præpoſito Plocenſi, Regni Poloniæ Vicecan. cellario, Stanislao Warſzycki Regni Poloniæ, Oſiecenſi, Cobrienſique Capitaneo, Hieronymo Woſowicz M. D. L. Theſaurariis; Euſtachio Wołowicz Abbate Lubinenſi, Præpoſito Trocenſi, Cuſtode Vilnenſi M. D. L. Notario, ... Swiętoſławſki R. P. Referendariis; Januſio Skumin Tyſzkiewicz Braslavienſi & Novogrodenſi Capitaneo, Joanne Sokolinſki Orlen. Capitaneo, Joanne Kuczborſki Præpoſito Cracovienſi Archidiacono Varſavienſi, Hieronymo Cielecki Præpoſito Poſnanienſi, Jacobo Radzik Secretariis noſtris; Przerembſki Capitaneo Petricovienſi, Nunciorum Terreſtrium Marſchalco, nec non Nunciis omnibus Terreſtribus ad præſentem Conventum congregatis.

CCCXVIII.

1614. *Decretum* Sigismundi III. *Poloniæ Regis de Appellationibus incolarum Pruſſiæ ad Judicia Sacr. Regiæ Majeſt. Relationum.* Datum Varſaviæ d. 9. Mart. Anno 1614. *Ex Archivo Regni Libr. VM. fol. 42.*

Sigismundus Tertius DEI Gratia Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Expoſitum Nobis eſſe tam Illuſtriſſimi Principis Domini Joannis Sigismundi Electoris & Marchionis Brandeburgenſis, Ducis in Pruſſia &c. quam Nobilitatis totius Ducatus Pruſſiæ nomine, contra mentem pactorum eſſe, ſumptibusq; & aliis difficultatibus occaſionem præberi, ſi Appellationes, ex vi pactorum Nos concernentes, non recta ad judicium relationum noſtrarum, ſed primum ad examen

Anno 1614. men judicii noſtri Aſſeſſorialis devolverentur, petitumque, ut in hoc puncto Appellationum certam formulam & normam, juxta quam partibus litigantibus procedendum eſſet, præſcriberemus. Cum vero Nos poſtulatis & Illuſtritatis ſuæ & ſubditorum ejusdem libenter annuere ſoleamus, ſumptibusque & impenſis neminem gravare velimus, ita pacta, transactiones & decreta Commiſſariorum noſtrorum, in cauſa Appellationum, adhibito Senatorum noſtrorum conſilio, declaranda cenſemus, ut a ſententia definitiva coram judicio Aulico, cæteris novationibus vel effugiis non attentatis, recta ad Nos, judiciumq; Relationum noſtrarum, omiſſo Aſſeſſoriali, appelletur. Acta vero cauſarum ab ipſis partibus, vel eorum plenipotentibus primum relegantur & ſubſcribantur. Ac demum Referendariis noſtris exhibeantur, qui coram Nobis & Conſiliariis, lateri noſtro aſsidentibus, ſtatum cauſæ partibus præſentibus referant. Et ne aliqui errores in extradendis citationibus, quibus cauſæ confundi poſſent, contingant, Officiales noſtri Cancellarius & Vicecancellarius unum vel duos Secretarios deſignabunt, qui illas ipſas citationes ſubſcribant. Quo vero tanto magis rationibus Nobilitatis, incolarumque Ducalis Pruſsiæ conſulamus, iisdem certum tempus judiciorum in Curia noſtra aſsignandum eſſe duximus, uti quidem Menſes Martium & Septembrem, quibus cauſas Ducalis Pruſsiæ judicaturi ſumus, aſſignamus. Si tamen in prædictis Menſibus Comitia Regni peragi contigerit, ſequentibus immediate Menſibus easdem expedituri ſumus. Quod ad omnium, quorum intereſt, præſertim vero Magiſtratuum & incolarum Ducatus Pruſsiœ notitiam deducentes mandamus, ut ſeſe juxta præſcriptam formulam in proſequendis ad Nos Appellationibus conſervent. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Regni communiri juſsimus. Datum Varſaviæ die nona menſis Martii Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, Regnorum noſtrorum Poloniæ vigeſimo ſeptimo, Sueciæ vigeſimo primo Anno.

SIGISMUNDUS Rex.

CCCXIX.

1621. *Tranſumptum Literarum* GEORGII VILHELMI, *quibus conditiones Feudi Pruſſiæ approbantur.* Dat. Varſaviæ d. 21. Septembris Anno 1621. *Ex Archivo Regni Libr. TC. fol. 511.*

SIGISMUNDUS Tertius Dei gratia Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Oblatas Nobis eſſe literas infra ſcriptas pargameneas, manu Illuſtriſſimi GEORGII VILHELMI Marchionis Electoris Brandeburgenſis, In Pruſſia &c. Ducis, ſubſcriptas, ſigilloq; ejusdem appenſo communitas, ſalvas & illæſas, quas ut in Acta Cancellariæ noſtræ inſcribere mandare dignaremur, ſupplicatum Nobis eſt, earum vero literarum tenor eſt talis: Anno 1621.

„ Nos GEORGIUS VILHELMUS DEI Gratia Marchio Brandeburgenſis, S. Romani Imperii Archicamerarius & Elector, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, nec non Croſnæ, Carnoviaeque in Sileſia Dux, Burgrabius Norimbergenſis, Rugiae Princeps. Significamus praeſentibus literis noſtris hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis. Quod Nos dum beneficentia Sereniſsimi Principis Domini SIGISMUNDI III. D. Gr. Regis Poloniae, Magni Ducis Lithuaniae, Ruſsiae, Pruſsiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque &c. nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorum haereditarii Regis, Domini Parentis noſtri beniguiſsimi, auctoritate & conſenſu omnium Ordinum Regni, poſt obitum Sereniſsimi Parentis noſtri, Domini JOANNIS SIGISMUNDI Marchionis Brandeburgenſis, in Pruſsia, Stetini, Pomeraniae, Caſſuborum, Vandalorum Ducis, renovationem feudi Ducatus Pruſsiae, ad Nos jure ſucceſsionis feudalis, juxta pacta, devoluti reciperemus, reaſſumimus in omnibus punctis & clauſulis cautionem Sereniſsimi Parentis noſtri, quae literis peculiaribus Sacrae Regiae Majeſtati & Regni Ordinibus oblata fuit, cujus quidem tenor eſt talis: “

„ Nos Dei Gratia JOANNES SIGISMUNDUS Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius & Elector, in Pruſsia, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeraniae & Caſſuborum, Vandalorum, & Croſnae, Carnoviaeque in Sileſia Dux, Burgravius Norimbergenſis, & Princeps Rugiae, Comes Marchae & Ravensburgi, Dominus in Ravenſtein, &c. Significamus praeſentibus hiſce, quorum intereſt, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis. Cum de ſucceſſione in feudo Ducatus Pruſsiae, ab aliquot jam annis, partim ab inclytae memoriae Domino JOACHIMO FRIDERICO Principe, itidem Electore Brandeburg. Parente noſtro deſideratiſsimo, partim a Nobis ipſis cum Sereniſsimo Principe ac Domino, *D*omino SIGISMUNDO III. Rege Poloniae, Magno *D*uce Lithuan.

ANNO 1621. Ruſsiae, Pruſsiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniæq; nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorum Rege, & Finlandiae Haerede &c. Domino & Cognato noſtro obſervandiſsimo, Ampliſsimisque Regni Ordinibus, diverſis temporibus actum eſſet, ac tandem in hiſce Comitiis Varſchovienſibus per Legatos noſtros, Magnificos & Generoſos, Abrahamum Baronem & Burgravium a Dhona, Joannem Truchſes a Wetzhauſen, Praefectum noſtrum Fiſchauſanum, & Joachimum Huebnerum Conſiliarium noſtrum, quos ad negotium hoc perficiendum plenis cum mandatis, ſummaque facultate miſeramus, cum eodem Sereniſsimo Rege, Ampliſsimisq; Regni Ordinibus, tota de re certis conditionibus conveniſſet, pleneque transactum fuiſſet, atque ex vi transactionis hujus, conditionibusque ejus ad homagium praeſtandum ab eodem Sereniſsimo Rege, Ampliſsimisque Regni Ordinibus acccerſiti, vocati, admiſsique fuiſſemus. Nos in commemoratam transactionem, conditionesque omnes eas, quae commemoratis Oratoribus noſtris noſtro nomine acceptae ſunt, non ſolum conſenſum noſtrum libere praeſtitiſſe, ſed easdem etiam peculiari hoc ſcripto approbandas, confirmandas, firmasque & ratas habendas duxiſſe, quemadmodum quidem approbamus, confirmamus, firmasque & ratas habemus praeſentibus hiſce. Imprimis autem tam noſtro, quam Succeſſorum noſtrorum nomine approbamus & confirmamus, maturoque conſilio, & deliberatione adhibita, ultro in Nos & Succeſſores noſtros recipimus omnia, quae ex antiquis pactis, quæcunque inter Sereniſsimos Reges, Regnumque Poloniæ, Magnum Ducatum Lithuaniae, & Ducatum Pruſsiae, Dominosve Duces aut Oratores ejus, nominatim autem D. Sigismundum I. Regem, & inclytae itidem memoriæ Albertum Marchionem Brandeburgenſem, Agnatum noſtrum, primum Pruſsiae Ducem, tum Illuſtrem Principem Georgium Fridericum Marchionem Brandenburgenſ., ejusdem Ducatus Dominum & Gubernatorem, aut quoscunque alios unquam interceſſerunt, debentur, quibus poſtrema hac tractatione, transfactioneque, & inſertis conditionibus nulla in re derogatum quidquam volumus, ſed ea in robore ſuo firma, immotaque manere debere omnia cavemus promittimusque; præter iſta vero conditiones etiam omnes, de quibus Anno milleſimo ſexcenteſimo quinto in Comitiis itidem Varſovienſibus per Legatos inclytæ memoriæ Parentis noſtri, tum in hiſce per noſtros convenit, quemadmodum & quæ per Commiſſarios Regios in Conventu Regiomontano, ex præſcripto Sacræ Regiæ Majeſtatis, quod ad jura & privilegia Ducatus ejus accommodatum fuit, conſtituta ſunt, ſecundum quas quidem conditiones imprimis profitemur. ANNO 1621.

Nos vocatos in perſona ad Comitia Varſchoviam veniſſe, rituq; & ceremonia ſolenni commemorato Sereniſsimo Regi Sigismundo Tertio &c. & Regno infraſcriptum homagium praeſtitiſſe, eodem nimirum modo, iisdemque cerimoniis, quibus proxime Illuſtriſsimus Princeps Georgius Fridericus Marchio Brandeburgenſis &c. in Pruſsia Dominus & Curator id praeſtitit, verbis ita conceptis; &c. *Vid. pag. 438. & reliqua uſque ad pag. 441. incluſive.*

Atque praedictam cautionem in omnibus punctis & clauſulis Nos obſervaturos recipimus, obligamusque Nos & Succeſſores noſtros, prout & Sereniſsimus Parens noſter obligavit, vique pactorum obligati ſumus, ea omnia & ſingula ſupra ſcripta, tam in genere, quam in ſpecie, in omnibus punctis, clauſulis diligentiſsime ſanctiſsimeque adimpleturos, eaque, quibus per Sereniſsimum Parentem noſtrum, Domin. Joannem Sigismundum ſatisfactum eſt, manutenere, & integre conſervare, quibus vero ſatisfieri non potuit, Nos executuros bona fide quamprimum, ac circa templum Regiomontanum neceſſariam fabricam, prout ex pactis tenemur, primo quoque tempore expediri faciemus. Horum etiam, qui poſt obitum Parentis noſtri ad Sacram Regiam Majeſtatem, aliqua in re confugerunt, ſupplicesque libellos obtulerunt, ſecuritati indemnitatique per omnia cavemus, neque eam rem unquam apud Nos, Succeſſoresque noſtros, aut Magiſtratus cuiquam fraudi damnoque eſſe promittimus ſpondemusque. Quae omnia executioni demandabimus, neque quidquam vel per Nos, vel quemcunque alium contra eadem attentaturos, facturos, aut attentari, fierive paſſuros, ſub fide & honore Principis, noſtro, Succeſſorumque noſtrorum nomine ſpondemus, promittimus, cavemusque. In quorum omnium fidem praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilloque noſtro communiri mandavimus. Datum Varſaviae die vigeſima ſecunda Menſis Septembris, An. D. milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo.

Georgius Guilhelmus
Elector. "

Nos

Anno 1621. Nos itaq; præinſertas literas Actis Cancellariæ noſtræ majoris inſeri mandavimus volentes, ut ſuum robur debitum ſemper obtineant. Actum Varſaviæ die vigeſima tertia Menſis Septembris, Anno Domini milleſimo ſexenteſimo vigeſimo primo. Regnorum noſtrorum Poloniæ trigeſimo tertio, Sueciæ vigeſimo ſeptimo Anno. Relatio Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini, Domini Andreæ Lipſki a Lipe Epiſcopi Luceorien. Regni Poloniæ ſupremi Cancellarii.

CCCXX.

Diploma SIGISMUNDI III. *Poloniæ Regis, quo feudum Ducatus Pruſſiæ* GEORGIO VILHELMO *confertur.* Dat. Varſaviæ 23. Sept. 1621. *Ex Archiv. Regni fol. 503.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Ad perpetuam rei memoriam: Nos SIGISMUNDUS Tertius Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus hiſce, quorum intereſt, intereritve, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis. Quod cum pro noſtra, Anteceſſorumq; noſtrorum Regum Poloniæ erga Illuſtriſſimam Domum Brandeburgicam benevolentia, re primum in Conventibus particularibus propoſita & deliberata in Conventu Generali Anni milleſimi ſexenteſimi undecimi, tam Ampliſſimi Senatus, quam Nuntiorum Terreſtrium, ab univerſa Nobilitate ad Comitia commemorata miſſorum omniumque Ordinum noſtrorum authoritate, unanimique conſilio ac conſenſu publice declarato, ac lege tum lata firmato, multis variisque de cauſis certis conditionibus, de quibus Nobis convenit, tranſactumque fuit, Illuſtriſſimo Principi Domino JOANNI SIGISMUNDO Marchioni Brandeburgen. Sacr. Rom. Imperii Archicamerario & Electori, in Pruſſia Duci &c. Fratribusq; Illuſtritatis ejus germanis, Illuſtribus nimirum Principibus JOANNI GEORGIO in Sileſia Duci Jagensdorfenſi, ERNESTO & CHRISTIANO VILHELMO Archiepiſcopo Magdemburgenſi, eorundemque omnium legitimis ſucceſſoribus maſculis, ex lumbis eorum deſcendentibus, jus ſimultaneæ inveſtituræ, ſucceſſionisque in feudo Ducatus Pruſſiæ tribuiſſemus, contuliſſemus, & confirmaſſemus, ac in iisdem Comitiis die decima ſexta Menſis Novembris juramentum ſolenne præſcriptis verbis ab eodem Illuſtriſſimo JOANNE SIGISMUNDO Electore Nobis & Regno noſtro præſtitum fuiſſet, ſicque Ducatum in Pruſſia a Nobis in feudum authoritate & conſenſu omnium Ordinum accepiſſet, in idque inveſtitus eſſet, pacta vetera, & ultimam tranſactionem, cum ipſius Illuſtritate factam, conſervando. Nunc poſt ejusdem Illuſtriſſimi Principis JOANNIS SIGISMUNDI obitum, Nos eadem benevolentia complectentes Filium ſuæ Illuſtritatis Illuſtriſſimum Domin. GEORGIUM VILHELMUM Marchionem Brandeburgenſem, Sac. Rom. Imperii Archicamerarium & Electorem, pactis cum ipſius Illuſtritatis Majoribus, præcipue vero cum Illuſtriſſimo Principe JOANNE SIGISMUNDO Electore tranſactioni ultimæ inhærentes, authoritate & conſilio Senatus atque conſenſu omnium Ordinum, in præſentibus Comitiis Anni milleſimi ſexenteſimi vigeſimi primi prorogatione diei ad præſtandum juramentum facta, Illuſtriſſimo Principe per Internuntios ſuos, ob renovationem inveſtituræ, & ante aliquoties, & in præſentibus Comitiis inſtante, ejus Illuſtritatem in propria perſona ad diem XXIII. Menſis Septembris Varſaviæ juramenti Nobis & Regno noſtro præſtandi cauſa vocavimus. Atque poſtquam prænominatus Illuſtriſſimus Princeps GEORGIUS VILHELMUS Elector die vigeſima tertia Menſis hujus Septembris in perſona propria a Nobis publice ſub dio in theatro ad id excitato, ſedentibus Senatoribus lateri noſtro aſſiſtentibus, Officialibus, & Aulicis noſtris, magnaque frequentia Nobilitatis præſentibus, renovationem Inveſtituræ petiiſſet, Nos authoritate, conſilio, conſenſuque omnium Ordinum, durantibus Comitiis præſtito, pacta vetera, tranſactionemq; ultimam cum ipſius Illuſtritatis Avo & Parente factam, in omnibus & ſingulis conſervando, pro ea benevolentia, qua ipſius Illuſtritatis Majores proſequuti ſumus, atque ipſius Illuſtritatem, totamque Illuſtriſſimam Domum Brandeburgicam complectimur, iis conditionibus, veteribus pactis, decretoque noſtro, atque ultima tranſactione cum Illuſtriſſimo Principe JOANNE SIGISMUNDO Diplomate ab ipſo prænominato Illuſtriſſimo JOANNE SIGISMUNDO Electore ſubſcripto confirmatoque convenerunt, Illuſtriſſimo Domino GEORGIO VILHELMO Electori & Marchioni Brandeburgenſi, ejusque hæredibus maſculis legitimis feudi ſucceſſoribus in perpetuum & in dividuum feudum omnes Ducatus Pruſſiæ terras, civitates, oppida, & arces, videlicet Arcem Königsberg cum tribus civitatibus,

Anno 1621.

bus, item arces & oppida Lochſteten, Wargengemaw, Pobeten, Rudau, Schaken, Kaimen, Kremiten, Waldau, Tapiau, Tapiaucken, Narkiten, Inſterburg, Alenburg, Wonsdorff, Gerdauen, Angerburg, Nordenburg, Labiaw, Lauckizken, Tilze, Rugnet, Roſzyren, Willemberg, Memel, Brandeburg, Kreutzburg, Frideland, Dominau, Barten, Leten, Balge, Heiligenbeil, Cinten, Lantzberg, Preiſchelau, Bartenſtein, Silſten, Sensburg, Rein, Raſtenburg, Likk-Stradaun, Joansburg, Noland, Milhauſen, Murungen, Paſſenheim, Ortelsburg, Oſterode, Hohenſtein, Naidenburg, Soldau, Gilgenburg, Schippenpeil, Oterosſlau, alias Deutz Eulau Preismarck, Libennk, Salfeld, Rizenburg, Marienwerder, Tirenberg, Powuden, Georgenburg, Roſenberg, Gardenſehe, Neihaus, Freiſtad, Salau, Fiſchauſen, Biſchoffswerder, Medenau, cum omnibus & ſingulis ſubditis vaſallis, fructibus, dominiis, ſuperioritatibus, libertatibus & juribus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, manſis, curiis, molendinis, molendinorum locis, cenſibus, vectigalibus, reditibus, theloneis, ſervitiis, feudis ſpiritualibus & ſæcularibus, lacubus, fluminibus, piſcationibus, aquis, aquarumque decurſibus, ferarum luſtris, ferarum meatibus, venationibus, ſylvis, nemoribus, paſcuis, pratis, actibus, etiam cum omnibus metallis, quæ modo ſunt, ſeu in futuro fieri poſſunt, auro, argento, cupro, ſtanno, plumbo & ſalinis, ſupra & ſubtus terram: ſimiliter una cum omnibus & ſingulis juribus, eminentiis, & pertinentiis univerſis, nullis penitus exceptis, ſicuti ejusmodi terras quondam Magiſtri Generales & Ordo habuere, & usque ad Ducem, in locum Magiſtrorum creatum, uſu & fructu tenuerunt, in poſterum perpetue & hæreditarie in commune & individuum feudum tenendas, fruendas, utendas & poſſidendas concedimus. Ubi vero Illuſtriſſimus Georgius Vilhelmus Elector, Marchio & Dux in Pruſſia, ſine legitimis feudi haeredibus maſculis, vel ipſius haeredes poſt ejus obitum ſine legitimis maſculini generis feudi haeredibus ex humanis concederent, dictae terrae, civitates, oppida & arces ad ipſius Illuſtrit. Fratrem germanum, Illuſtrem Principem Joachimum Sigismundum, ejusque legitimos feudi haeredes maſculos, & poſt ejus deceſſum ſine legitimis haeredibus maſculis, ad commemoratos Illuſtres Principes, Illuſtritatis ejus Parentis germanos Fratres, vel eorum legitimos poſteros maſculos, ex lumbis eorum procedentes, prout quisque eorum in Electoratu ſucceſſerit, quorum Fratres, prout in prima Illuſtriſſimi Joannis Sigismundi Electoris Inveſtitura & Inauguratione, ita & in hac renovatione feudi ex ſingulari noſtra gratia, benignitateque, ac poſtrema cum Illuſtriſſimo Joanne Sigismundo transactione, ad contactum Vexilli admiſimus, ita tamen, ut poſtquam alicui ex iis aperiretur ſuo ordine feudum Ducatus in Pruſſia, ne per aſſecutionem priorem Electoratus aliqua in re praejudicaret juribus noſtris & Regni, quod habemus legitime haereditarium, ad Terras Pruſſiae derivari, & devolvi debent, ita, ut dictae terræ, civitates, oppida & arces, ubi divina ordinatione ejusmodi caſus futuris temporibus acciderent, de uno in alium, & eorum legitimos feudi haeredes maſculos illo ipſo ordine, qui ſuperius expreſſus eſt, cedant, & devolvantur, ſine noſtro, Haeredumque & Succeſſorum noſtrorum Regum, & Regni Poloniae impedimento & praejudicio. Ea ratione, ut quoties ſe obtulerit ejusmodi caſus devolutionis de uno in alium Marchiones praedictos, & eorum legitimos feudi haeredes maſculos, debebunt illi, & quisque eorum debebit Nobis, & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniae, infra tempus debitum ac legitimum, debitam ſubjectionem & feudi obligationem, ac homagium praeſtare, neque prius feudum Ducatus in Pruſſia accipere, aut ſuſceptum adire, a ſubditisve juramentum exigere poterunt aut debebunt, quam Nobis, Succeſſoribusque noſtris Regibus ac Regno Poloniae in propria perſona juramentum fidelitatis, homagiumq; praeſtiterint. Quodſi praedicti Marchiones, divina voluntate ſic diſponente, ſine maſcula prole, feudi haerede legitima, ex lumbis eorum ordine ſupraſcripto procedente, decederent, tunc omnes & ſingulae terrae, civitates, oppida, bona & arces ſupraſcriptae ad Nos, Succeſſoresve noſtros Reges & Regnum Poloniae, ſine omni impedimento & contradictione, incolarum tamen privilegiis & juribus ſalvis, devolvi debent & redire. Debebit item Illuſtriſsimus Marchio Elector & Dux in Pruſsia, ejusque praenominati ſucceſſores & feudi haeredes pro hac noſtra in ſe beneficentia, Nobis & Regno noſtro tale obſequium praeſtare. Quod ubi ratione concordiae & conceſſionis feudi a quocunque, cujusvis eminentiae & condirionis, Principe ſeu Potentatu impeteremur, aut Succeſſores noſtri impeterentur, tenebitur ipſe Illuſtriſ-

Anno 1621.

Anno 1621. ſtriſsimus Dominus Marchio Elector et Dux in Pruſsia, aut ejus praedicti feudi Succeſſores Duces in Pruſsia, in propria perſona Nobis et Regno noſtro ubique, una cum omnibus ſubditis ſuis, pro ſummis viribus ſuis adeſſe, quo caſu etiam, ſi ipſe Illuſtris Dux Pruſsiae in Terris Pruſsiae impeteretur a quopiam, auxilia viciſsim omnimoda ex Regno noſtro habebit, eaque a Nobis et Succeſſoribus noſtris ei praeſtabuntur. Quodſi quando Nos et Succeſſores noſtri Reges, et Regnum Poloniae alia quavis ex cauſa tam ab infidelibus, quam a quocunque alio impeteremur, et ipſi in propria Perſona ad bellum cum ſubditis noſtris proficiſceremur, aut Succeſſores noſtri proficiſcerentur, debebit dictus Dominus Marchio Dux in Pruſsia, et ejus praenominati feudi Succeſſores Duces in Pruſſia Nobiſcum cum centum equitibus armatis proficiſci, et intra limites Terrarum Pruſsiae Nobis ſervire. Quodſi educere extra terminos Pruſsiae illum, aut Succeſſores ejus in Pruſsia cum ipſo equitatu voluerimus, aut Succeſſores noſtri voluerint, debebimus et Nos et Succeſſores noſtri in eosdem centum equites tale ſtipendium praebere, quale aliis mercenariis equitibus noſtris dari ſolet. Ubi vero Nos vel Succeſſores noſtri vellemus ipſum Dominum Marchionem, aut ejus nominatos poſteros, Nobis et Succeſſoribus noſtris majori comitatu ſervire, debebimus Nos et Succeſſores noſtri his omnibus militibus, quos ultra centum praedictos conducere poſſet, mox poſt egreſſum a domibus eorum ſtipendium, quod noſtris militibus dabitur, quamdiu ſervierint, perſolvere. Si autem plures, quam centum praedictos equites Ipſe Illuſtriſsimus Dominus Marchio Elector, aut ejus Succeſſores Duces in Pruſsia educere non poſſent, non debebimus Nos, aut Succeſſores noſtri ab illo, aut Succeſſoribus ejus Ducibus in Pruſsia plures exigere. Praeterea hac poſtrema transactione cum Illuſtriſsimo Joanne Sigismundo Electore, Parente ipſius Illuſtritatis inita, et conditionibus ejus, idem Dominus Marchio Elector, legitimique ejus feudi Succeſſores, in aerarium publicum quotannis inferre tenebitur et tenebuntur, triginta millia annua florenorum Polonicalium, triginta groſſos unumquemque computando. Quoties vero, publica aliqua neceſsitate poſtulante, in Regno publice tributum decretum fuerit, totidem alia, nimirum triginta millia, ejusdem valoris ac monetae, ita, ut cum tributum in Regno ſcitum fuerit, ſexaginta millia annua ab eis dependantur. Quarum quidem ſummarum nomine, quoties numerata fuerit, Theſaurarius Regni noſtri, vel ad quos ea res pertinuerit idonee, praedictum Illuſtriſsimum Dominum Marchionem Electorem, Succeſſoresque ejus in Pruſſia Duces, Miniſtrosve eorum liberare ſeu quietare tenebuntur. Quoties etiam neceſsitas poſtulaverit, quatuor naves tam Illuſtriſſ. Marchio Elector, quam Succeſſores ipſius legitimi in Pruſsia Duces, ad tuendam oram maritimam Pruſſiae, ſuo ſumptu habebunt. Quodſi Nos ipſi aut Succeſſores noſtri uti illis voluerimus, aut voluerint, de ſumptu in illas faciendo cum iisdem tractabimus, aut Succeſſores noſtri tractabunt, conſtituentque. Alias etiam conditiones, de quibus inter Nos et Parentem Illuſtritatis ejus convenit, quaeque peculiari ſcripto commemorati Illuſtris Principis Joannis Sigismundi Electoris, ſub ipſius chyrographo et ſigillo continentur, debebit ipſe Illuſtriſsimus Elector ac ejus Succeſſores adimplere. Praeterea non debebit ipſe Illuſtriſsimus Dominus Marchio Elector, et ejus praenominati feudi Succeſſores Duces in Pruſsia, quidquam ex terris, civitatibus, oppidis, arcibus et bonis praedictis vendere; verum ſi ad hoc illum aut Succeſſores ejus ingens urgeret neceſsitas, tenebuntur Nobis et Succeſſoribus noſtris, tanquam Dominis ſuis haereditariis, ante omnia denuntiare. Quodſi Nos ipſi emere non curaverimus, aut Succeſſores noſtri non curaverint, in hoc caſu ipſe poſtea Illuſtriſsimus Dominus Marchio Elector, et Dux in Pruſsia, aut ejus legitimi feudi haeredes et ſucceſſores, cui voluerint, vel potuerint, liberam vendendi habebunt facultatem. Regalibus tamen noſtris, feudi et obſequiorum juribus ſemper ſalvis permanentibus. Poterit autem ipſe Dux in Pruſsia, et ejus feudi haeredes, ubi neceſsitas urgens premeret, ex bonis praedictis, quantum opus foret, impignorare ſuis duntaxat vaſallis et ſubditis, ut eadem bona unita et indiviſa permaneant. Quae omnia et ſingula ſupra ſcripta, et quaecunque alia, quae Vaſallus et feudalis Princeps erga ſuum naturalem, haereditarium ac ſupremum Dominum praeſtare et obſervare tenetur, quaeq; ſpontanea voluntate ſe praeſtiturum ſpopondit ac recepit, debebit Ipſe Illuſtriſsimus Dominus Marchio Elector, et Dux in Pruſsia, ac ejus feudi haeredes, legitimi ſucceſſores, firmiter et inviolabiliter adimplere, Nosq; viciſsim illum et Succeſſores ejus omni gratia et favore Regio complecti, ac illos in juribus et im-

immunitatibus eorum conſervare, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniæ pollicemur, juribus noſtris regalibus, directique ac ſupremi dominii noſtri ac Regni noſtri, & incolarum Ducatus ſalvis per omnia manentibus. In quorum omnium fidem & teſtimonium præſentibus manu noſtra ſubſcripſimus, ſigillumque noſtrum appendi juſſimus. Datum Varſchoviæ ex prorogatione ad hunc actum Conventionis Regni noſtri Generalis die vigeſima tertia Menſis Septembris Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo. Regnorum noſtrorum Poloniæ trigeſimo tertio, Sueciæ vero vigeſimo ſeptimo. Præſentibus Reverendiſſimis Reverendis Illuſtribus, Magnis, Venerabilibus ac Generoſis, Laurentio Gembicki Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni noſtri Primate, Martino Szyſzkowſki Cracovienſi, Andrea de Bnin Opalinſki Poſnanienſi, Henrico Firley de Dambrowica Plocenſi, Andrea Lipſki a Lipe Luceorienſi, Regni noſtri ſupremo Cancellario, Joanne Kuczborſki Culmenſi, Epiſcopis; Raphaele a Leſſno Bełzenſi, Thoma de Lezenice Goſtomſki Maſoviæ, Varſavienſi, Ryczyvolenſi Capitaneo, Stanislao Radziejowſki Ravenſi, Capitaneo Sochaczovienſi, Palatinis; Joanne Gorſki Camenecenſi, Melchiore Weicher Elbingenſi, Luca Sierakowſki Landenſi, Joanne Podoſki Raciązenſi, Adamo Koſſobucki Wyſlogrodenſi, Caſtellanis; Nicolao Wolſki de Podhayce, ſupremo Regni Marſchalco, Krzepiſcenſi, Olſtinenſi, Rabſtinenſi, Inovlodenſi Capitaneo, Leone Sapieha Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellario, Venceslao de Leſſno Regni Vice-Cancellario, Breſtenſi Capitaneo, Nicolao de Zurow Danilowicz Theſaurario Regni, Samborienſi, Drohobicenſi Capitaneo, Luca de Bnin Opalińſki Marſchalco Curiæ Regni, Lezayſcenſi Capitaneo, Jacobo Zadzik Secretario Regni majore Cracovienſi Præpoſito, Hieronymo Cielecki Poſnanienſi, Plocenſi Præpoſito, Petro Ożga Capitaneo Trembowlienſi, Referendariis Regni; Joanne Sokolińſki Notario Terreſtri Magni Ducatus Lithuaniæ, ... Eliaſzowicz Canonico Vilnenſi, Referendario Magni Ducatus Lithuaniæ, Joanne Daniłowicż Dapifero Regni, Capitaneo Chełmenſi, Chriſtophoro Carolo Niſzczycki Archidiacono Plocenſi, majoris, Petro Gembicki Decano Vladislavienſi minoris Cancellariæ Regni Regentibus, Stanislao Prochowſki Cuſtode Sendomirienſi Notario Theſauri Regni ſupremo. Paulo Piaſſecki Archidiacono Varſovienſi, Joanne Drzewicki Canonico Gneſnenſi, Henrico Firley Cancellario Plocenſi, Joanne Wiebzyńſki, Alberto Sękowſki Capitaneo Mlavenſi, Secretariis noſtris; necnon Terrarum Nuntiis, qui ad actum hunc remanſerunt, & aliis quam plurimis fide dignis teſtibus. Datum per manus Reverendiſſimi Domini, Domini Andreæ Lipſki a Lipe Epiſcopi Luceorienſis, Regni noſtri Cancellarii Supremi ſincere Nobis dilecti.

SIGISMUNDUS Rex.

Chriſtophorus Carolus Niſzczycki.

CCCXXI.

Cautio Sacræ Regiæ Majeſtatis de corrigendo defectu in Diplomate præcedenti. Dat. Varſaviæ 24. Sept. 1621. *Ex Archiv. Regni. Libr. TC. fol. 510.*

SISMUNDUS III. &c. Significamus &c. Poſtquam in Renovatione Inveſtituræ, facta Illuſtriſſimo Principi Domino GEORGIO GVILHELMO Marchioni Brandeburgenſi, Sacr. Rom. Imperii Archicamerario & Electori, in Pruſſia &c. Duci &c. Anno præſenti, præſentisque Menſis Septembris die vigeſima tertia, Diploma Illuſtritati ipſius dedimus, ſecundum copiam in Metrica noſtra deſcriptam formatum, & vero Illuſtritas ipſius in dicto Diplomate de defectu cujusdam paragraphi, ad pactum mutuæ defenſionis pertinentis, Nobis ſignificaverit, tenoris ſequentis. Quod viciſſim Nos & Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniæ in eodem caſu facere debebimus, & debebunt: ſimulq; rogaverit, ut defectum illum ſupplere faceremus, eo quod in Diplomate Originali Illuſtr. Dom. Parenti Illuſtritatis ipſius, Anno MDCXI. a Nobis dato, paragraphus iſte contineatur, quod tamen Diploma Nobis Illuſtritas ipſius exhibere non potuit, idcirco Nos ſcripto hoc noſtro ipſius Illuſtritati cavere voluimus, prout cavemus, ac bona fide promittimus, quod quam primum Illuſtritas ipſius Nobis vel Delegato noſtro Diploma dictum Originale Anni MDCXI. atque in eo dictum paragraphum exhibuerit, tum ſtatim novum Diploma, inſerto iſto dicto paragrapho, tranſcriptum Illuſtritati ipſius dabimus. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Regni communiri mandavimus. Dat. Varſaviæ die vigeſima quarta Menſis Septembris, Anno Domini MDCXXI. Regno-

Anno gnorum noſtrorum Poloniæ XXXIII.
1631. Sueciæ XXVII.

SIGISMUNDUS Rex.

Chriſtophorus Carolus Niſzczycki.

CCCXXII.

1639. *Oblata Literarum Confirmationis Generalis jurium civitati Elbingenſi ſervientium.* Dat. Varſ. Mens. Nov. Ann. 1639. *Ex Archiv. Regni Libr. SB. fol. 66.*

Vladislaus IV. Dei gratia Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Oblatas eſſe ad Acta Cancellariæ noſtræ majoris literas infraſcriptas, ſupplicatumque Nobis, ut easdem ad Acta ſuſcipi, iisq; inſeri mandare dignaremur, quarum is eſt, qui ſequitur, tenor. „ In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Humanarum rerum fluxa & prætereuntе conditione factum, ut, quæ olim magna, admirabilia, celeberrimaque fuere, mox poſt aliquod temporum intervalla oblivione quadam, & neglecta antiquitatis veneratione exoleſcant. Quod cum in multis tum etiam in Regum ac Principum beneficiis ad ſuos ſubditos derivatis, evenire ſoleat, ideo clemens eorum & prodiga libertatum benignitas, ne cum virtute ac fide benemeritorum, per injuriam temporum, & ignaviam poſſidentium extinguatur, tabulas literis exaratas ad poſteritatem traducendas uſus & diuturnitatis cogitatio adinvenit, quibus gratitudo decedentium teſtaretur, venientium hæredum virtus ad obſequii gloriam invitaretur, immunitatum memoria ad ſeros nepotes deſcenderet, denique integra fides & auctoritas haberetur inviolabilis. Hinc eſt, quod cæterorum Principum, maxime vero DD. Prædeceſſorum noſtrorum exemplum imitari volentes, Nos Vladislaus IV. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque, nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex notum facimus hiſce literis noſtris, quorum intereſt, aut in poſterum quoquo modo intererit, univerſis & ſingulis. Poſtquam Divina aſpirante gratia omnium Ordinum, ac Statuum inclyti Regni noſtri Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, cæterarumque Provinciarum ad præfatum Regnum pertinentium libera Electione ſacro Regni diademate inaugurati ſumus, nihil magis Nos in votis habuiſſe, quam ut omnium Ordinum & Statuum Regni noſtri ſubditos Regia clementia noſtra, favore & benevolentia complectentes, juſto legum moderamine ita gubernaremus, ut non ſolum ab omni hoſtili impreſſione tuti ſine injuria in pace vivere, ſed etiam juribus, privilegiis, ac immunitatibus, antiquitus obtentis, libere uti ac perfrui poſſint. Id cum Nobis ſub ipſis felicis Coronationis noſtræ exordiis Divina largita ſit benignitas, ut & Moſchorum faſtu dejecto, & Turcarum vi, quam moliebantur, repreſſa, ſubditis noſtris quietam ab externis hoſtibus ſecuritatem præſtiterimus: illud etiam reſtabat, ut elapſis induciarum cum Sueco pactarum annis, quæ a terris & dominiis Reipubl. temporum injuria avulſa erant, juſtis armis vindicaremus. Quod dum in Pruſſia copias noſtras contra hoſtem ducendas animo Regio molimur, refragari tamen Potentiſſimorum Sereniſſimorum, Illuſtriſſimorumque Regum, Principum & Ordinum, Mediatorum partes agentium auctoritati non debuimus, quin omnia prius pacifice terras noſtras recuperandi conſilia per ipſorum Legatos tentarentur, antequam ad arma conclamaretur. Poſtquam itaque ſingulari Illuſtriſſimorum Legatorum dexteritate, & indefeſſo labore tandem ea proponerentur pacis media, quæ ab horum temporum conditione haud aliena videbantur, noluimus in iis cenſendis rigidiores eſſe, ne ad fundendum ſanguinem Chriſtianum cupidiores, a quo natura abhorremus, cuiquam videri poſſemus. Præterea cum Nobis fides haud dubia facta eſſet, civitates & territoria, quæ in hoſtis poteſtatem venerant, ſola ejus repentina irruptione, & improviſa invaſione prius circumventa eſſe, quam legitima reſiſtendi media capeſſere poſſent, haud inviti naturæ noſtræ ad omnem clementiam pronæ ductum, & DD. Legatorum, Senatorumque & Conſiliariorum noſtrorum auctoritatem & conſilium ſequentes, antea cta omnia per amneſtiam ſopitę, omnibusque in fidem noſtram receptis civitatibus & territoriis, clementiam & gratiam noſtram Regiam publica ſponſione noſtra conteſtari voluimus. Qua etiam Regia noſtra voluntate invitati Proconſul, & Conſules, totaque communitas ac omnes civitatis Elbingenſis Ordines, cum unanimi conſenſu humiliter ſupplicaſſent, ut omnia & ſingula præfatæ civitatis jura, privilegia, libertates, immunitates, conſtitutiones, conſuetudines, ac denique quævis indulta, tum ante, tum poſt harum terrarum ad inclytum Regnum Poloniæ acceſſionem, & præcipue tempore Casimiri Regis in ipſa in- Anno 1639.

ANNO 1639. corporatione obtenta, & in hunc ipſum diem uſum & conſuetudinem recepta, una cum omnibus aliis diplomatis, hypothecis & hyrographis, ex Regia noſtra clementia ipſis confirmare dignaremur, & juramentum, a Nobis in Coronatione noſtra Regia Cracoviæ præſtitum, ad eandem civitatem pertinere declararemus.

Nos re cum Senatoribus & Conſilariis noſtris, ad latus noſtrum exiſtentibus communicata, quod pactis publicis omnibus in genere reſtitutis locis dedimus, civitati Elbingenſi minime denegandum rati, ad eandem ipſam civitatem noſtram Elbingenſem, cum omnibus & ſingulis incolis ſuis, gratiam & favorem noſtrum Regium ſpecialiter extendentes, de certa ſcientia noſtra, & ex Regiæ poteſtatis plenitudine, præhabita matura deliberatione & conſilio, & approbatione eorundem ad latus noſtrum exiſtentium Conſiliariorum Regni noſtri, poſt redintegratum Terrarum Pruſſiæ corpus, pro felici & ſtabili gubernationis noſtræ auſpicio, Proconſulibus, Conſulibus, totique communitati civitatis illius noſtræ Elbingenſis jura, privilegia omnia & ſingula, ac nominatim Jus Municipale Lubecenſe, leges, libertates, immunitates, prærogativas, donationes, inſcriptiones, hypothecas, conſuetudines, omnemque jurisdictionem, privilegio D. CASIMIRI ipſis conceſſam, denique alia quæcunque in genere, aut in ſpecie, tam ab Ordine Theutonico, ac Magiſtris Pruſſiæ, quam a divæ memoriæ Sereniſſimis Poloniæ Regibus, Anteceſſoribus noſtris, vel ante vel poſt illius ad inclytum Regnum Poloniæ acceſſionem ipſis conceſſa & in hunc uſque diem, ut præmiſſum eſt, poſſeſſa, maxime vero etiam nominatim Dominorum Meſtuini & Premiſtonis, Pomeraniæ & Maſoviæ Poloniæ Ducum, nec non VLADISLAI Regis, priſtinis temporibus eidem civitati, de immunitate ab omnibus per Terras Pomeraniæ theloneis, liberoque tranſitu, navigatione, negotiatione, naufraga ſervandi jure, prærogativa, interque eas privilegium ratione jurisdictionis non turbandæ, a D. SIGISMUNDO III. Parente noſtro deſideratiſſimo, Varſaviæ die ſeptima Menſis Nov. Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo conceſſum aliaq; ab eodem conceſſa ac tributa privilegia, in omnibus ac ſingulis punctis, clauſulis, articulis & conditionibus, non ſecus, ac ſi omnia ea de verbo ad verbum hic inſerta eſſent, prout etiam pro inſertis haberi volumus, innovanda, approbanda, ratificanda & confirmanda duximus, uti etiam innovamus, approbamus, ratificamus & confirmamus per præſentes, ita, ut in Conventu felicis Coronationis noſtræ in forma pleniſſima juravimus. ANNO 1639. Quo juramento Terras Pruſſiæ, & ſic civitatem noſtram Elbingenſem comprehenſam eſſe volumus, declaramus & extendimus, omniaque eadem obligatione, & ita firmiter, quemadmodum aliis Statibus & Ordinibus Regni Poloniæ, tenere ac ſervare Nos recipimus. Promittentes verbo noſtro Regio, eandem civitatem non ſolum circa privilegia, jura, immunitates, conſuetudines, ac conceſſiones hujusmodi prædictas, tam in ſpecie, quam in genere, perpetuis temporibus conſervare, defendere, ac manutenere, ſed etiam re, cauſaque exigente, novis acceſſionibus augere & amplificare, ac omnia & ſingula, ſi quæ illegitime atque adverſus privilegia introducta fuerint, pro Regia noſtra poteſtate in univerſum tollere & abrogare. In cujus rei fidem & teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillum noſtrum appendi juſſimus. Datum Elbingæ die decima quarta Menſis Februarii, Anno Domini 1636. Regnorum noſtrorum Poloniæ & Sueciæ quarto Anno. Præſentibus Reverendis, Magnificis, Generoſis, Venerabilibus ac Nobilibus, Gaſparo Deinhoff Palatino Siradienſi, Vielunenſi, Radomſcenſi, Łayſcen. Boleslavienſi Capitaneo, Luca Opalinſki ſupremo Regni Marſchalco, Lezaycenſi, Kamionacenſi, Loſitenſi, Odolanovienſi Capitaneo, Stanislao Alberto Radziwił Cancellario M. D. L. Gniewſcenſi, Pinſcenſi, Tucholienſi Capitaneo, Petro Gembicki nominato Epiſcopo Premisli. Decano Cracovienſi, Præpoſito Generali Miechovienſi, Vicecancellario Regni, Nicolao Gniewoſz Abbate Coprivnicen. ſupremo Regni Secretario, Jacobo Doruchowſki Archidiacono Varſav. Scholaſtico Lenczyczyenſi, Referendario Regni, Remigio de Ottok Zaleſki Referendario Regni, Januſſio Radziwił Succamerario M.D.L. Georgio Oſſolinſki Curiæ Regni Theſaurario, Bielzcenſi, Bidgoſtienſi Capitaneo, Stanislao Jaſnogorſki Culinæ Regni Præfecto, Paulo Pieczychorſki M. D. L. Culinæ Præfecto, Raphàële Grochowſki Stabuli noſtri Vicepræfecto, Thoma Lezeńſki Theſauri noſtri Notario, Joanne Gembicki Secretario noſtro, & minoris noſtræ Cancellariæ Regente, Gneſnenſi, Cracovienſi, Varſavienſi Canonico, Maximiliano Oſſolińſki Succamerario Sendomirienſi, Chriſtophoro Gembicki intimi Cubiculi noſtri Familiari, Gerhardo Denhoff Oeconomo Marieburgenſi, intimi Cubiculi noſtri Fami

Fami

ANNO 1639. miliari, Koſierzynenſi, Joanne Zawacki Pincerna Ciechanovienſi, Svecenſi, Samuele Nadolſki Derſavienſi, Capitaneis noſtris; Chriſtophoro Lode Succamerario Derpatenſi, Jacobo Carolo Madalenſki Tribuno Mſcislavienſi, Colonello noſtro. & intimi Cubiculi noſtri Familiari, Samuele Płaza Præpoſito Lublinenſi, Adamo Komorowſki, Gregorio Boraſte Canonico Varmienſi, Stephano Zadorſki, Secretariis noſtris, Joanne Rudawſki Decretorum noſtrorum Notario & Secretario noſtro, Joanne Oborſki, Maximiliano Miaſkowſki, Andrea Niegoleſki, Aulicis noſtris, aliisq; cumplurimis Officialibus, Secretariis, Aulicis & Dignitariis noſtris.

VLADISLAUS Rex.

Joannes Gembicki Secr. Reg. Maj."

Cui ſupplicationi Nos benigne annuentes, præinſertas Literas ad Acta ſuſcipi, iisque inſeri mandavimus. Actum & datum Varſaviæ Feria ſexta poſt Feſtum Omnium Sanctorum proxima, Anno Domini 1639. Regnorum 2.

Relatio Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Petri Gembicki Epiſcopi Premisrienſis.

1641. *Diploma* VLADISLAI IV. *Poloniæ Regis, quo* FRIDERICO VILHELMO *Inveſtitura in Ducatum Pruſſiæ confertur.* An. 1641. *Non extat.*

CCCXXIII.

1649. *Confirmatio jurium Ducalis Pruſſiæ.* Dat. Cracoviæ 19. Januarii 1649. *Ex Archivo Regni Lib. SE. fol. 102.*

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium rerum, quæ ſempiternæ memoriæ commendari debent, nulla certior firmitudo inveniri poteſt, quam ut literis poſteritati mandentur. Cætera enim facta, quamvis memorabilia, aliis modis æternitati dicata, aliquot quidem ſæculis durare poſſunt; ſed quæ literis memoriæ conſervantur, nunquam intereunt, ipſaque vetuſtate fiunt robuſtiora. Atque ita Nos JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, M. Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Suecorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarius Rex. Manifeſtum facimus Literis noſtris univerſis & ſingulis, tam præſentibus, quam futuris, quomodo revolventes in animo, qua quantaque puritatis affectione, & integra fidei conſtantia Ordines Ducalis Pruſſiæ, cujuscunque ſtatus, eminentiæ, vel conditionis, Divos Prædeceſſores noſtros coluerint, & proſequuti ſint, ac perſuaſiſſimum habentes, parem Nobis quacunque oblata occaſione probaturos obſequiorum promptitudinem: dignum propterea duximus, in ipſos, omnesque adeo Incolas præmemorati Ducatus in Pruſſia, oculos benignitatis clementiæq; noſtræ aperire, & eorum ſinceritatem & conſtantiam gratitudine noſtra, ut decet, compenſare; unde ex certa ſcientia, præhabitaque ſufficienti deliberatione, animo benevolo, & voluntate noſtra ultronea præmemoratis Ducalis Pruſſiæ Ordinibus omnibus & ſingulis, cæterisque Incolis Terrarum Pruſſiæ in caſu devolutionis Feudi ad Nos Regnumq; noſtrum quæque ipſorum jura tam Eccleſiaſtica, quam ſæcularia, facta quoque omnia privilegia, receſſus, immunitates, libertates, in Terris Pruſſiæ collata; ac denique a Sereniſſima Domo Brandenburgica data & approbata fuere, quæque ſuper quibuscunque bonis & libertatibus habere dignoſcuntur, & habent, in omnibus eorum punctationibus, conditionibus, articulis univerſis, ne quidquam eis quovis prætextu derogetur, ratificamus, gratificamus, approbamus, & præſentium Literarum patrocinio confirmamus. Decernentes easdem idem robur habere perpetuæ firmitatis. Promittentes inſuper in verbo noſtro Regio, & tenore præſentium ſpondentes, eadem ipſorum jura, privilegia, libertates, inſcriptiones, donationes per omnia rata, grata habituros, & inconcuſſe, jugiter, inviolabiliter & perpetuo gratioſe conſervaturos. In cujus rei teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Regni noſtri communiri juſſimus. Datum Cracoviæ in Comitiis felicis Coronationis, die decima nona Menſis Januarii, Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Regnorum noſtrorum Poloniæ & Sueciæ Anno primo.

JOANNES CASIMIRUS Rex.

Thomas Wieyſki Regiæ Majeſtat. Secretarius.

 CCCXXIV.

Anno 1649.

CCCXXIV.

Confirmatio privilegii Sereniſſimi olim Vladislai IV. *Civitati Elbingenſi ſuper bona in eadem Civitate vacantia & absque hærede derelicta.* Datum Cracoviæ 19. Januarii. 1649. *Ex Archivo Regni Libr. EE. fol. 82.*

Joannes Casimirus Dei gratia Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Exhibitas eſſe Nobis literas pargameneas, manu Sereniſſimi olim divæ memoriæ Vladislai IV. Regis Poloniæ, Fratris noſtri chariſſimi, ſubſcriptas, ſigilloque Regni communitas, ſanas, ſalvas, illæſas omnique ſuſpicionis nota carentes, continentes in ſe a prima Fundatione, vigore juris Lubecenſis uſum & poſſeſſionem, perceptionem bonorum vacantium absque hærede in civitate Elbingenſi derelictorum. Supplicatumque Nobis eſt, ut easdem auctoritate noſtra Regia approbare & confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum de verbo ad verbum tenor ſequitur, eſtque talis. „ Vladislaus IV. Dei gratia Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Expoſitum Nobis eſſe nomine civitatis noſtræ Elbingenſis, quod & ſi ipſa vigore juris Lubecenſis, a prima fundatione eidem conceſſi, & publica auctoritate confirmati, non tantum ſub ordine Cruciferorum ſed & Divi Casimiri, nec non ſubſequentium Divorum Prædeceſſorum noſtrorum Regum Poloniæ temporibus in continuo uſu & poſſeſſione perceptionis bonorum vacantium, & abſque hærede in civitate illa derelictorum, hactenus fuerit, eademque etiamnum utatur, fruatur; accidere tamen nonnunquam, ut ab inſtigatoribus & fiſcalibus noſtris non ita exacte jurium illius ſpecialium notitiam habentibus, ſubinde in eodem jure ſuo inquietetur, & fruſtraneis ad Tribunal noſtrum Regium evocationibus non exiguo publico civitatis diſpendio ſumptus erogare cogatur. Supplicatumque eſt, ut pro auctoritate noſtra Regia Diplomate aliquo ſpeciali, ipſam eo nomine ſecuram & indemnem redderemus. Nos qui ex innata Nobis clementia benignam prædictæ civitatis noſtræ Elbingenſis rationem habentes, ejusdem Jura, conſuetudines, & privilegia generaliter omnia, nominatim etiam Jus Municipale Lubecenſe, exemplo Prædeceſſorum noſtrorum, generali Diplomate jam confirmavimus, præfatum inſuper bonorum vacantium uſum ſpecialibus hiſce literis noſtris ipſi roborandas, confirmandas, & approbandas eſſe duximus, prout etiam roboramus, confirmamus, & approbamus. Promittentes & caventes pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, Nos Sereniſſimosque Succeſſores noſtros Poloniæ Reges prædictam civitatem noſtram Elbingenſem circa uſum & poſſeſſionem bonorum vacantium, & absque legitimis hæredibus in eadem civitate derelictorum, quovis tempore clementiſſime conſervaturos & quorumvis tam Inſtigatorum Regni quam Adminiſtratorum fiſci, aliorumve quorumcunque impetitione & moleſtia, proceſſibusque quibusvis hactenus ipſi eo nomine motis, vel in poſterum movendis, liberam, ſecuram & immunem præſtituros eſſe temporibus perpetuis & in omne ævum. In quorum omnium fidem & evidentius teſtimonium præſentes literas manu noſtra Regia ſubſcriptas ſigillo Regni de certa & ſpeciali ſcientia noſtra communiri mandavimus. Datum Varſaviæ die tertia Menſis Januarii Anno Domini MDCXL. Regnorum noſtrorum Poloniæ VII. Sueciæ vero VI. Anno.

VLADISLAUS Rex.

Maximilianus Fredro Succamerarius Premiſlienſis Regens Cancellariæ. "

Nos itaque eidem ſupplicationi uti juſtæ benigne annuentes, præinſertas literas in omnibus earundem punctis, clauſulis & articulis approbandas & confirmandas eſſe duximus, prout, in quantum juris ratio poſtulat, approbamus & confirmamus præſentibus literis noſtris. Volentes easdem vim & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere in omnibus earum punctis. In cujus rei fidem &c. Datum Cracoviæ die 19. Menſis Januarii Anno Domini 1649.

JOANNES CASIMIRUS Rex.

Ann. 1649.

CCCXXV.

Confirmatio Feudi Friderico Guilhelmo *Duci Pruſſiæ.* Dat. Cracoviæ 15. Februarii, Anno 1649. *Ex Archivo Regni Libr. SE. fol. 64.*

In Nomine Sanctiſſimæ & individuæ Trinitatis Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Joannes Casimirus Dei gratia Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Quod cum Sereniſſimus Parens noſter Sigismundus Tertius Poloniæ & Sueciæ Rex Anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo in Comitiis Regni Generalibus Sereniſſi-

Anno 1649. reniſſimo Principi Joanni Sigismundo Marchioni Brandeburgenſi, Sacr. Romani Imperii Archicamerario & Electori, ejusque Fratribus germanis; eorumque liberis ac hæredibus maſculis ex lumbis eorum deſcendentibus, certis primum cum eodem Sereniſſimo Joanne Sigismundo pactis ſuper Feudo Ducatus in Pruſſia, cum conſilio & auctoritate conſenſuque omnium Ordinum Regni, nullo plane ex commemoratis Ordinibus repugnante, proteſtante, contradicente, ſed omnibus unanimiter conſentientibus, factis & firmatis, renovationem & Inveſtituram dicti Feudi Ducatus in Pruſſia ſolennibus & legitimis modis dederit & contulerit, ac poſt obitum Serenitatis ſuæ Filio ejusdem Sereniſſimo Principi Friderico Guilhelmo Marchioni Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario & Electori, in Pruſſia Duci, iisdem pactis & conditionibus præmemoratum Feudum Ducatus in Pruſſia Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo renovaverit & contulerit Sereniſſimus divæ memoriæ Frater noſter Vladislaus IV. Poloniæ & Sueciæ Rex, poſt Sereniſſimi Parentis noſtri Sigismundi Tertii Poloniæ & Sueciæ Regis deceſſum liberis ac concordibus omnium Ordinum votis & ſuffragiis, ad Regni hujus gubernacula feliciter evectus, Divorum imprimis Anteceſſorum noſtrorum, & Sereniſſimi Parentis noſtri Sigismundi Tertii Poloniæ & Sueciæ Regis veſtigiis pactisque, tam veteribus quam recentibus cum Sereniſſima Familia Brandeburgica & præſertim cum Sereniſſimo Principe Joanne Sigismundo Marchione Brandeburgenſi & Electore, in Pruſſia Duce, juſtis gravibusque de cauſis cum omnium Ordinum conſenſu firmatis inſiſtens, proque ſingulari ejus erga eandem Familiam benevolentia in Comitiis generalibus felicis Coronationis ſuæ Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio, die vigeſima prima Menſis Martii, Sereniſſimo Principi Georgio Guilhelmo Marchioni Brandeburgenſi & Electori, in Pruſſia Duci, ejusque liberis & hæredibus maſculis, ex lumbis ejus deſcendentibus in Aula publici Conſilii arcis noſtræ Cracovienſis in perſona Illuſtris & Reverendiſſimi Adami Comitis a Schwartzemberg, tunc Serenitatis ſuæ (quæ ob graviſſima impedimenta advenire non potuit) Legati, cum Senatus conſenſu & interventione omnium Ordinum ad hoc admiſſi, & ſufficienti ac legitimo mandato ſeu plenipotentia inſtructi, & nomine Principis ſui renovationem Feudi Ducatus in Pruſſia ab ipſo petentis, homagio primum & juramento in Serenitatis ſuæ animam præſtito, cum Ampliſſimi Senatus Conſilio & auctoritate renovationem Inveſtituræ dicti Feudi Ducatus in Pruſſia ſignatis Principibus in Diplomate Anni milleſimi ſexcenteſimi undecimi nominatis, ſimultaneam inveſtituram dederit & contulerit, ſicque dictum feudum Sereniſſimus Princeps Guilhelmus legitime, quam diu vita ſuppetebat, pleno jure & quiete tenuerit ac poſſederit. Eoque rebus humanis exempto Filium ejusdem ſucceſſorem & proximum hæredem Sereniſſimum Principem Dominum Fridericum Guilhelmum Marchionem Brandeburgicum, Sacri Romani Imperii Archicamerarium & Electorem, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeranorum, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnæ Carnoviæque Ducem, Burgrabium Norimbergenſem, Rugiæque Principem, Comitem Marchæ & Ravenſpergi, Dominum in Ravenſtein, eadem benevolentia complectens, pactis tum antiquis cum ſuæ Serenitatis Prædeceſſoribus Sereniſſimisque Progenitoribus, & præcipue poſtremæ tranſactioni cum Avo ſuæ Serenitatis, Sereniſſimo Principe Joanne Sigismundo Electore, & in Pruſſia Duce, Anno milleſſimo ſexcenteſimo undecimo initae a Sereniſſimoq; Parente ejusdem Georgio Guilhelmo obſervatæ inhærendo, Serenitatem ſuam, ac ejusdem hæredes maſculos legitimos, e lumbis Serenitatis ſuæ deſcendentes, feudique Ducatus in Pruſſia hæredes & ſucceſſores, cum conſilio & auctoritate Senatus, Varſaviæ die ſeptima Menſis Octobris Anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi primi in theatro, ad hunc Actum extructo, ſub dio in Regali Throno ſedens, Senatoribus Regni, lateri ejusdem aſſidentibus, Officialibus, Aulicis, & magna frequentia Nobilitatis præſentibus, nulloq; contradicente aut proteſtante, rituque ac more ſolenni de Ducatu in Pruſſia inveſtiviſſet, ejusdemq; Serenitatis proximos Agnatos Principes Illuſtriſſimum Ernestum Marchionem Brandeburgenſem Illuſtriſſimi Joannis Georgii Marchionis Brandebugenſis, in Sileſia Carnoviæ Ducis, in primævo Sereniſſimo Joanni Sigismundo Electori dato Diplomate nominati & admiſſi Filium, & Illuſtriſſimum Christianum Guilhelmum Marchionem Brandeburgenſem, Adminiſtratorem, ſimiliter in eodem Diplomate nominatum ſecundum, per prædicta pacta vetera, transactionemq; ultimam, cum Avo ſuæ Serenitatis initam, per contactum Vexilli ad ſimultaneam Inveſtituram admiſiſſet. Nos quoque poſt Sereniſſimi olim Anno 1649.

Anno 1649. olim Fratris noſtri Vladislai IV. Poloniæ & Sueciæ Regis deceſſum, liberis ac concordibus omnium Ordinum Regni votis & ſuffragiis, ad Regni hujus gubernacula feliciter evecti, cum ſua Serenitas Electoralis per Legatos ſuos Illuſtres: Volffgangum a Kreutzen Terreſtrem, Præfectumque Schakenſem, & Joannem ab Hoverberg intimum Status Conſiliarios, nec non Carolum Fridericum ab Olsnicz ſolenni more ſuo nomine primævi feudi renovationem pro ſe, Patruoque ſuo Illuſtriſſimo Christiano Guilhelmo Marchione Brandeburgenſi, Adminiſtratore olim Archiepiſcopatus Magdeburgenſis ſimultaneam Inveſtituram petiiſſet, Nos renovationem prædictæ primaevae Inveſtiturae auctoritate noſtra Regia peragentes, eundem Sereniſſimum Principem Dominum Fridericum Guilhelmum Marchionem Brandeburgenſem, S. Rom. Imperii Archicamerarium et Electorem, in Pruſſia &c. Ducem etc. Dominum Cognatum et Affinem, uti Fratrem chariſſimum, ejusdem haeredes maſculos, legitimos feudi Ducatus in Pruſſia ſucceſſores, pactis cum Serenitatis ſuae Praedeceſſoribus Majoribusque, praecipue vero ultimæ cum Avo ſuae Serenitatis Anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo initae transactioni inhaerentes, Anno praeſenti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, die duodecima quinta Februarii, in perſona primi Legati Illuſtris Volffgangi a Kreutzen, homagio ac juramento in animam ſuae Serenitatis a dicto Legato, ſufficienti ſpeciali mandato ſeu plenipotentia ad id inſtructo, praeſtito in Aula publici Conſilii Arcis noſtrae Cracovienſis, Senatoribus lateri noſtro aſſidentibus, Officialibus et Aulicis noſtris, magnaque praeſentia Nobilitatis praeſentibus (nemine circa totum actum contradicente vel proteſtante) per novi Vexilli traditionem inveſtivimus, inſtituimusque, ejusdem Patruo Illuſtriſſimo Christiano Gvilhelmo, Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia Duci, ejusque haeredibus maſculis, per admiſſionem ejus ad contactum Vexilli in perſona alterius Legati Illuſtris Joannis ab Hoverberk, ſimultaneam Inveſtituram dedimus; prout etiam hiſce ſecundum pacta vetera, transactionem ultimam Anni milleſimi ſexcenteſimi undecimi, priorisque a Sereniſſimo olim Fratre noſtro datæ, a Nobis renovatae modernæ Inveſtituræ, Diplomatisque hujus tenore, eidem Sereniſſimo Electori & Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia Duci, ejusque hæredibus maſculis legitimis feudi Ducatus in Pruſſia ſucceſſoribus, in perpetuum & individuum feudum omnes Ducatus Pruſſiæ terras, civitates, oppida, & arces, videlicet arcem Konigsperg cum tribus civitatibus, item arces & oppida Lochſteten, Vargen, Gernau, Pobeten, Rudau, Schaken, Laymen, Vomiten, Valdau, Tapiau, Taplauken, Narkiten, Inſterburg, Aldenburg, Vondorff, Gerdaven, Angerburg, Nordenburg, Labiau, Laukiſken, Tylſe, Ragnet, Ropiten, Villenberg, Memel, Brandeburg, Kreutzburg, Frodlant, Dominau, Barten, Lecen, Balge, Heiligembeill, Cinten, Landsberg, Preuſcheilau, Bartenſtain, Seſten, Seensburg, Rein, Raſtenburg, Lik, Stradaun, Joansburg, Holland, Libſtid, Milhauſen, Morungen, Baſſenheim, Ortelsburg, Oſterode, Holenſtain, Naydenburg, Soldau, Gilgenburg, Schipenpeil, Oteroslau alias Deuſzeylau, Preusmark, Libemul, Salfeld, Ryſemburg, Marieverder, Tyrenberg, Powanden, Gergenburg, Roſenberg, Gardenſche, Neuchaut, Freiſtad, Salau, Fiſchauſen, Biſſchofsverder, Medenau, cum omnibus & ſingulis ſubditis, vaſallis, fructibus, dominiis, ſuperioritatibus, libertatibus & juribus, una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, manſis, curiis, molendinis, molendinorum locis, cenſibus, vectigalibus, redditibus, theloneis, ſervitiis, feudis ſpiritualibus & ſæcularibus, lacubus, fluminibus, piſcationibus, aquis, aquarum decurſibus, ferarum luſtris, ferarum meatibus, venationibus, ſylvis, nemoribus, paſcuis, pratis, actibus, etiam cum omnibus metallis, quæ modo ſunt, ſeu in futuro fieri poſſunt, auro, argento, cupro, ſtanno, plumbo, & ſalinis, ſupra & ſubtus terram, ſimiliter una cum omnibus juribus, eminentiis & pertinentiis univerſis, nullis penitus exceptis, ſiccut ejusmodi terras quondam Magiſtri Generales & Ordo habuere, & usq; ad Ducem in locum Magiſtrorum creatum, uſu & fructu tenuerunt, inpoſterum perpetue & hæreditarie, in commune & individuum feudum tenendas, fruendas, utendas & poſſidendas concedimus, tribuimus & conferimus. Ubi vero ipſe Sereniſſimus Fridericus Gvilhelmus Elector, Marchio & Dux in Pruſſia, ſine legitimis hæredibus maſculis, vel ipſius hæredes poſt obitum ejus ſine legitimis maſculini generis feudi hæredibus ex humanis concederent, dictæ terræ, civitates, oppida & arces ad ipſius Sereniſſimum Patruum ſupra nominatum, nimirum Illuſtriſſimum Christianum Vilhelmum Marchionem Brandeburgenſ. olim Adminiſtratorem Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, ejusque legitimos poſteros

Anno 1649. ſteros maſculos, ex lumbis ejus deſcendentes, prout quisque eorum in Electoratu ſibi ſucceſſerit, cujus nomine alterum ſupramemoratum Electoralem Legatum, legitimo quoque ad id mandato inſtructum, prout in prioribus Inveſtituris & Inaugurationibus admiſſus fuerat, ita & in hac renovatione feudi ex ſingulari noſtra gratia, benignitateque, ac poſtrema cum Sereniſſimo JOANNE SIGISMUNDO transactione ad contactum Vexilli admiſimus, (ita tamen, ut poſtquam alicui ex illis aperiretur ſuo ordine feudum Ducatus in Pruſſia, ne per aſſecutionem priorem Electoratus aliqua in re præjudicaret juribus noſtris & Regni noſtri, quod habemus legitime hæreditarium ad Terras Pruſſiæ) derivari & devolvi debent, ita, ut dictæ terræ, civitates, oppida & arces, ut divina ordinatione ejusmodi caſus futuris temporibus acciderent, de uno in alium, & eorum feudi legitimos hæredes maſculos in ipſo ordine, qui ſuperius expreſſus eſt, cedent & devolvantur, ſine noſtro, Hæredumq; & Regni Poloniæ impedimento & præjudicio, ea ratione, ut quoties ſe obtulerit ejusmodi caſus devolutionis de uno in alium Marchiones prædictos, & eorum legitimos feudi hæredes maſculos, debebunt illi, & quisquis eorum debebit Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniæ, infra tempus debitum ac legitimum, debitam ſubjectionem & feudi obligationem, homagium præſtare, neque prius feudum Ducatus in Pruſſia accipere aut ſuſceptum adire, a ſubditisve juramentum exigere poterunt aut debebunt, quam Nobis, Succeſſoribusque noſtris Regibus & Regno Poloniæ in propria perſona juramentum fidelitatis, homagium præſtiterint, præſtiturosve idonea ſponſione caverint. Quod ſi prædicti Marchiones, divina voluntate ſic diſponente, ſine maſcula prole feudi hærede legitima, ex lumbis eorum ordine ſupra ſcripto procedente, decederent, tunc omnes & ſingulæ terræ, civitates, oppida, bona & arces ſupraſcriptæ ad Nos, Succeſſoresque noſtros Reges & Regnum Poloniæ, ſine omni impedimento & contradictione, (incolarum tamen privilegiis & juribus ſalvis) devolvi debent & redire. Debebit item Sereniſsimus Marchio Elector & Dux in Pruſſia, ejusque prænominati ſucceſſores & feudi haeredes pro hac noſtra in ſe beneficentia, Nobis & Regno noſtro tale obſequium præſtare. Quod ubi ratione concordiæ & conceſſionis feudi a quocunque, cujusvis eminentiæ & conditionis Principe ſeu Potentatu impeteremur, aut Succeſſores noſtri impeterentur, tenebitur ipſe Sereniſſimus Marchio Elector & Dux in Pruſſia, aut ejus prædicti feudi ſucceſſores Duces in Pruſſia, in propria perſona, ubique una cum omnibus ſubditis ſuis pro ſummis viribus adeſſe. Quod viciſſim & Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniæ in eodem caſu facere debebimus & debebunt. Quodſi quando Nos, & Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniæ, alia quavis ex cauſa, tam ab infidelibus, quam a quopiam alio impeteremur, & ipſi in propria perſona ad bellum cum ſubditis noſtris proficiſceremur, aut Succeſſores noſtri proficiſcerentur, debebit dictus Sereniſſimus Marchio Elector & Dux in Pruſſia, & ejus prænominati feudi ſucceſſores Duces in Pruſſia, Nobiſcum cum centum equitibus armatis proficiſci, & intra limites Terrarum Pruſſiæ Nobis ſervire. Quodſi educere extra terminos Pruſſiæ illum, aut ejus ſucceſſores in Pruſſia cum ipſo equitatu voluerimus, aut Succeſſores noſtri voluerint, debebimus Nos & Succeſſores noſtri in eosdem centum equites ſtipendium tale præbere, quale aliis mercenariis equitibus noſtris dari ſolet, ſi vero Nos vel Succeſſores noſtri vellemus ipſum Marchionem Sereniſſimum, aut ejus nominatos poſteros, Nobis & Succeſſoribus noſtris majori comitatu ſervire, debebimus Nos & Succeſſores noſtri his omnibus militibus, quos ultra centum prædictos conducere poſſet, mox poſt egreſſum a domibus eorum ſtipendium, quod noſtris militibus dabitur, quamdiu ſervierint, perſolvere; ſi autem plures, quam centum prædictos equites, ipſe Sereniſſimus Marchio Elector, aut ejus ſucceſſores Duces in Pruſſia educere non poſſent, non debebimus Nos & Succeſſores noſtri ab illo, aut ſucceſſoribus ejus Ducibus in Pruſſia plures exigere. Præter hæc ex poſtrema transactione cum Seren. JOANNE SIGISMUNDO Electore Avo ipſius Serenitatis inita, et conditionibus ejus, idem Sereniſſ. Marchio Elector, legitimique ejus feudi Succeſſores, in aerarium publicum quotannis inferre tenebitur et tenebuntur, triginta millia annua florenorum Polonicalium, triginta groſſis unumquemque computando. Quoties vero, publica aliqua neceſsitate poſtulante, in Regno publice tributum decretum fuerit, totidem alia, nimirum triginta millia, ejusdem valoris ac monetae, ita, ut cum tributum in Regno ſcitum fuerit, ſexaginta millia ab eis dependantur. Quarum quidem ſummarum nomine, quoties numerata fuerit, Theſaurarius Regni noſtri, vel ad quos Anno 1649.

Anno 1649.

ea res pertinuerit idonee praedictum Sereniſſiimum Marchionem Electorem, Succeſſoresque ejus in Pruſſia Duces, Miniſtrosve eorum liberare ſeu quietare tenebuntur. Quoties etiam neceſsitas poſtulaverit, quatuor naves tam Sereniſſ. Marchio Elector, quam Succeſſores ipſius legitimi in Pruſsia Duces, ad tuendam oram maritimam Pruſſiae, ſuo ſumptu habebunt. Quodſi Nos ipſi aut Succeſſores noſtri uti illis voluerimus, aut voluerint, de ſumptu in illas faciendo cum iisdem tractabimus, aut Succeſſores noſtri tractabunt, conſtituentque. Alias etiam condtiones, de quibus inter Sereniſſ. Parentem noſtrum & Avum Serenitatis ejus convenit, quaeq; peculiari ſcripto commemorati Sereniſſ. Principis Joannis Sigismundi Electoris, ſub ipſius chyrographo & ſigillo continentur, debebit ipſe Sereniſſimus Elector ac ejus Succeſſores adimplere. Praeterea non debebit ipſe Sereniſſimus Marchio Elector, ac ejus feudi praenominati ſucceſſores Duces in Pruſſia quidquam ex terris, civitatibus, oppidis, arcibus & bonis praedictis vendere, verum ſi adhoc illum, aut ſucceſſores ejus ingens urgeret neceſſitas, tenebuntur Nobis & Succeſſoribus noſtris, tanquam Dominis ſuis haereditariis, ante omnia denuntiare. Quod ſi nos ipſi emere non curaverimus, aut Succeſſores noſtri non curaverint, in hoc caſu ipſe Sereniſſimus Marchio Elector & Dux in Pruſſia, aut ejus legitimi feudi haeredes ſeu ſucceſſores, cui voluerint vel potuerint, liberam vendendi habebunt facultatem, Regalibus tamen noſtris feudi & obſequiorum juribus ſemper ſalvis permanentibus. Poterit autem ipſe Dux in Pruſſia & ejus feudi haeredes, ubi neceſſitas urgens praemeret, ex bonis praedictis, quantum opus foret, impignorare, ſuis duntaxat vaſallis & ſubditis, ut eadem bona unita & indiviſa permaneant. Quae omnia & ſingula ſubſcripta, & quaecunque alia, quae Vaſallus & feudalis Princeps erga ſuum naturalem & haereditarium ac ſuperiorem Dominum praeſtare ac obſervare tenetur, quaeque ſpontanea voluntate ſe praeſtiturum ſpondet ac recipit, debebit ipſe Sereniſſimus Marchio Elector & Dux in Pruſſia, ac ejus feudi haeredes legitimi ſucceſſores firmiter & inviolabiliter adimplere. Nosque viciſſim illum & Succeſſores ejus omni gratia & favore Regio complecti ac illos in juribus & immunitatibus eorum conſervare pro Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniae pollicemur: juribus noſtris Regalibus directiq; & ſupremi dominii noſtri ac Regni noſtri & incolarum Ducatus ſalvis per omnia manentibus. In quorum omnium fidem & teſtimonium praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus & ſigillo Regni communiri mandavimus. Datum Cracoviae decima quinta Februarii Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Regnorum noſtrorum Poloniae & Sueciae Anno primo. Praeſentibus Reverendiſſimo, Reverendis, Magnificis, Venerabilibus & Generoſis Matthia Łubienſki Archiepiſcopo Gneſnen. Legato Nato; Regni Primate, Primoq; Principe, Petro Gembicki Epiſcopo Cracovienſi, Duce Severiae, Nicolao de Olexow Gniewoſz Vladislavienſi & Pomeraniae, Andrea Szołdrſki Poſnanienſi, Paulo Piaſecki Praemislienſi Adminiſtratore Abbatiae Clarae Tumbae, Georgio Tyſzkiewicz Samogitiae, Andrea de Leſno Leſzczynſki Culmenſi & Pomeſaniae, Procancellario Regni, Stanislao a Burzenin Pſtrokonſki Chełmenſi, Adminiſtratore Abbatiae Tynecenſis, Epiſcopis; Vladislao Dominico Duce in Oſtrog & Zaſław Palatino Sandomirienſi Luceorienſi Capitaneo, Nicolao Abrahamowicz Trocenſi, Simone Szczawinſki, Breſtenſi Cujavienſi, Łancicienſi, Januſſio Tyſzkiewicz Kijovienſi, Zytomirienſi, Jeremia Michaele Korybuth Duce in Wiſniowiec, Terrarum Ruſſiae, Kaniovienſi, Georgio Chlebowicz Smolenſcenſi, Petro Tarło de Szczekarzowice Lublinenſi, Stanislao Warſzycki Maſoviae, Paulo Warſzycki Podlachiae, Palatinis & Capitaneis; Stanislao Witowſki Sandomirienſi, Knyſzynenſi, Zwolenſi, Michaele Comite in Tarnow Woynicienſi, Alberto Łubienſki Siradienſi, Praedecenſi, Nicolao Duce in Klevan Czartoryſki Wołhyniae, Stanislao a Brzezie Lanckoronſki Camenecenſi, Skalenſi, Franciſco de Zebrzydovice Zebrzydowſki Lublinenſi, Korczynenſi, Szereſzovienſi, Gabriele Stępkowſki Braclavienſi, Franciſco Mniſzech a Magna Konczyce Sandecenſi, Sanocenſi, Andrea Koryciński Wislicienſi, Mathia Pękoſławſki Radomienſi, Zbigneo Gorayſki Chełmenſi, Boleslao Cieklenſki Czechovienſi, ... Charbicki Brzezinenſi, Achacio Przyłęcki Oſwiecimenſi, Nicolao Łaſciſzewſki Sochaczovienſi, Stanislao Cieciſzewſki Livenſi, Caſtellanis & Capitaneis; Luca de Bnin Opalinſki ſupremo Regni Mareſchalco, Lezayſcenſi, Georgio a Tenczyn Duce in Oſſolin, Sacri Romani Imperii Principe, ſupremo Regni Cancellario, Lublinenſi, Brodnicenſi, Lubaczovienſi, Lubovienſi, Rycenſi, Bohuſłavienſi, Adzelenſi, Stanislao Alberto Duce in Ołyka & Nieſwież,

Anno 1649.

Anno 1649. ſwież, Supremo Magni Ducatus Lituaniæ Cancellario, Mevenſi, Tucholienſi, Pinſcenſi, Caſimiro Leone Sapieha Procancellario Magni Ducatus Lituaniæ, Słonimenſi, Wołpinenſi, Luboſzunenſi, Joanne Nicolao a Zurow Daniłowicz Theſaurario Regni, Premislienſi, Samborienſi, Drohobicenſi, Rutnenſi, Bolinenſi, Kolenſi, Czerwonenſi, Blonenſi, Michaele Gedeone Tryzna Theſaurario Supremo Magni Ducatus Lithuaniæ, Surażenſi, Mochilovienſi, Grodzinenſi Adminiſtratore, Adamo in Czaſniki Kazanowſki Mareſchalco Curiæ Regni, Bielſcenſi, Warecenſi, Kozienſi, Solecenſi, Boryſzovienſi, Neoforienſi, Joanne Antonio Tyſzkiewicz Mareſchalco Curiæ Magni Ducatus Lithuaniæ, Joanne Gembicki Supremo Regni Secretario, Præpoſito Miechovienſi, Decano Cracovienſi, Cancellario Reginalis Majeſtatis, Martino Starczewſki Abbatiæ Trzemeſnenſis Adminiſtratore, Cracovienſi, Varſavienſi Canonico, Franciſo Dołmat Iſaykowſki Vilnenſi, Geranenſi, Grodnenſi Præpoſito, Alexandro de Otok Zaleſki, Stanislao Naruſzewicz Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ Referendariis, Maximiliano a Tenczyn Oſſolinſki Theſaurario Curiæ Regni, Samuele Rylſki Rapſtinenſi, Kapinoſenſi, Felice Pac Magni Ducatus Lithuaniæ, Braclavienſi, Dorogalienſi, Succamerariis; Caſimiro Tyſzkiewicz Pocillatore Magni Ducatus Lithuaniæ, Chriſtophoro Gembicki Inciſore Regni, Nicolao Daniłowicz Subdapifero Regni, Chriſtophoro Potocki Subdapifero Magni Ducatus Lithuaniæ, Chriſtophoro Zawiſza Notario Magni Ducatus Lithvaniæ, Alexandro Lubomirſki Comite in Wiſnicz Stabuli Regni Præfecto, Sandomirienſi, Zatorienſi, Niepołomicenſi, Boguslao Radziwiłł Duce in Bierze & Dubinki Stabuli Magni Ducatus Lithuaniæ Præfecto, Poſsevienſi, Alexandro a Koniecpole Koniecpolſki ſupremo Regni Vexillifero, Pieſtavienſi, Korſzunenſi, Płockirovienſi, Chriſtophoro Pac Magni Ducatus Lithuaniæ Vexillifero, Bogdano Oginſki Vexillifero Curiæ Magni Ducatus Lithuaniæ, Michaele a Zebrzydovice Zebrzydowſki Enſifero Regni Lanckoronenſi, Sniatinenſi, Franciſco Dubrawſki Succamerario Premislienſi, Nuntiorum Terreſtrium in his Coronationis noſtræ Comitiis Mareſchalco, Andrea a Magna Konczyce Mniſzech Culinæ Regni Præfecto, Oſicenſi, Stanislao Skarſzewſki Regente Cancellariæ majoris, Stężycenſi, Waſilcovienſi, Remigiano Piaſecki Regente Cancellariæ minoris, Cantore Premislienſi, Thoma Leżynſki Abbate Wąchocenſi Supremo Theſauri Notario, Stephano Wyżga Adminiſtratore Abbatiæ Sieciechovienſis, Præpoſito Leopolienſi, Concionatore noſtro, Carolo Czołanſki Abbate Coronovienſi, Zbigneo Oſſolinſki Abbate Pokriwnicenſi, Alexandro Głembocki Archidiacono Gneſnenſi, Canonico Cracovienſi, Præpoſito Piotrkovienſi, Andrea Trzebicki, Scholaſtico Plocenſi, Gneſnenſi, Cracovienſi Canonico, Caſimiro Duce in Klewan Czartoryſki Canonico Cracovienſi, Thoma de Rupniow Ujeyſki Cuſtode Gneſnenſi, Præpoſito Varſavienſi, Canonico Plocenſi, Franciſco Dembinſki Cracovienſi, Luca a Bnin Opalinſki, Poſnanienſi Succamerariis; Georgio Lubomirſki Comite in Wiſnicz Generali Cracovienſi, Chmielnicenſ. Boguslao a Leſno Leſzczyńſki Generali Majoris Poloniæ Præfecto, Conſtantino Comite in Wiſnicz Lubomirſki Sandecenſi, Białocerkievienſi, Hieronymo a Radziejowice Radziejowſki Łamzenſi, Kamionacenſi, Stephano Korycinſki Oſwiecimenſi, Marco Sobieſki Kraſnoſtavienſi, Joanne Wielopolſki Biecenſi, Salinarum Adminiſtrare, Vladislao Marchione a Mirow Myſzkowſki Grodecenſi, Drahimenſi, Miſcienſi, Zbigneo Olesnicki Opoczynenſi, Joanne Zamoyſki Kałuſzyenſi, Joanne Sobieſki Jaworovienſi, Baldovino a Tenczyn Oſſolinſki Vislicensi, Stobnicensi, Jacobo Comite a Rozrażew Rozrażewſki, Kuninensi, Stanislao Sarbiejewſki Grabovecensi, Stephano Oborſki Livensi, Andrea Koniecpolſki Notario Campeſtri Regni, Martino Dembicki Pocillatore Sandomiriensi, Aulico noſtro, Cubiculario, Samuele Lipſki a Lipie Ravensi, Stanislaviensi, Joanne Alberto Lipſki Succamerario Ravensi, Junivladislavienſi, Martino Nieborowſki Succamerario Sochacoviensi, Sigismundo Donhoff Sokaliensi, Capitaneis; Joanne Wąglikowſki Terrarum Pruſſiæ Enſifero, Gotfrido Buthler Capitaneo Prænensi, intimo & primario Cubiculi noſtri Familiari, Adamo Działyńſki Capitaneo Białycinensi, Samuele Bal Vexillifero Premisliensi, Carolo Franciſco Comiatk Aulico noſtro, Theodoro Donhoff Cubiculi noſtri Familiari, Joanne Theodoro Maydel Venatore Magni Ducatus Lithuaniæ, Capitaneo Rigensi, Stanislao Leżyńſki Metricante Cancellariæ majoris, Andrea Stanislawſki Pocillatore Leopoliensi, Alexandro Nieborowſki Archidiacono Łoviciensi, Canonico Gneſnensi, Gabriele Liłoſzowſki Gneſnensi, Vladislaviensi Canonico, Secretariis; aliisque quam plurimis Senatoribus, Officialibus Came- Anno 1649.

rariis,

ANNO 1649. rariis, Aulicis & Secretariis noſtris. Datum per manus Magnifici Georgii a Tenczyn Ducis in Oſſolin, Sacri Romani Imperii Principis, ſupremi Regni Cancellarii, Lublinenſis, Brodnicenſis, Lubaczovienſis, Zabomlenſis, Rycenſis, Bohuſlavienſis, Capitanei noſtri.

JOANNES CASIMIRUS Rex.

Staniſlaus Skarzewſki Regens Cancellariæ Regiæ Mttis.

1656. *Pacta inter* CAROLUM GUSTAVUM *Sueciæ Regem, & FRIDERICUM* VILHELMUM *Electorem Brandeburgenſem, quibus hic Ducatum Pruſſiæ pro Feudo Regni Sueciæ recognoſcit.* Dat. Regiomonti 17. Januarii 1656. *Vid. Tom. II. Part. I. Tit.* Suecia. *ad An. 1656.*

Fœdus inter Eosdem contra quosvis, tam in Terris Eorum propriis, quam in illis, quas ſibi in Polonia appropriaverant, militantes. Datum Marienburgi 15. Junii 1656. *Vid. ib*

CCCXXVI.

Excerptum Fœderis inter CAROLUM GUSTAVUM *Sueciæ Regem ab una, & Belgium Fœderatum parte ab altera concluſi.* Elbingæ 11. Sept. 1656. *Ex Archivo Neſuiſienſi Principum Radiviliorum.*

Omnibus iis conditionibus & commodis, de quibus in præſenti Inſtrumento inter Confœderatos convenit, gaudeat Civitas quoque Gedanenſis, ſalva atque integra fide, quam prædicta Civitas Regi Poloniæ debet, ita, ut ceſſet inter S. Regiam Majeſtatem & Civitatem Gedanenſem omnis hoſtilitas.

Fœdus inter CAROLUM GUSTAVUM *&* FRIDERICUM VILHELMUM, *quo Pacta feudalia abolentur, atque Domui Brandeburgicæ abſolutum in Ducatu Pruſſiæ dominium attribuitur* Datum Labiaviæ ult. Oct. 1656. *Vid. Tom. II. Part. I. Tit.* Suecia. *Anno 1656,*

Dilucidatio quorundam Articulorum in præmiſſo Fœdere contentorum. Dat. eodem die & Anno. *Vid. ibid.* ANNO 1657.

CCCXXVII.

Fœdus perpetuum, quo Domui Brandenburgicæ Ducatus Pruſſiæ in ſupremum & abſolutum, certis conditionibus, dominium ceditur. Datum Velaviæ 19. Septembris Anno 1657. *Ex Originali. Extat in Archivo Regni Libr. 167. ſub Litt. SN. num. 168. fol. 40.* 1657.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unici verique DEI Amen.

Notum ſit omnibus; quod cum ſuperioribus annis, eoque ipſo tempore, quo Sereniſſimus, Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus JOANNES CASIMIRUS Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolenſciae, Czernichoviaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius Rex, inclytumque Poloniæ Regnum, & M. Lithuaniae Ducatus Moſcovitico bello, Coſacisque implicarentur turbis, Sueci infeſtis pariter armis eandem peterent Poloniam, tandemque in Pruſſiam Regiam ac Ducalem irrumperent, ita, ut ipſe Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICUS WILHELMUS, Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius & Princeps Elector, Magdeburgi, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnae & Carnoviae Dux, Burgravius Norinbergenſis, Princeps Halberſtadi & Mindae, Comes Marcae & Ravensburgi, Dominus in Ravenſtein, ejusque ditiones & ſubditi infeſtis Suecorum armis ac hoſtilitatibus, convocatis undequaq; contra ipſum Suecicis copiis, ita peteretur ac urgeretur, ut cum ipſis ad pacta quædam, premente neceſsitate, fuerit adactus; unde hoſtilia quaedam inter Sereniſsimum Poloniae Regem & Sereniſsimum Electorem Brandeburgicum inſecuta patrataque fuerint; tantum per ſingularem Dei gratiam clementiamque, interveniente & mutuam concordiam Sereniſsimo ac Potentiſsimo Principe Domino D. LEOPOLDO, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae; Sclavoniaeq; Rege, Archiduce Auſtriae, Duce Burgundiae,

ANNO 1657. diae, Styriae, Carinthiae Karniolaeq;, per ipſius Conſiliarium Camerae Aulicae, & ad hoſce Tractatus Ablegatum, Illuſtriſsimum & Excellentiſsimum Dominum Franciſcum de Liſola, Dominum in Tyſſen & Marienfeld, conciliante: tam Sac. Reg. Majeſtatis, quam ſuae Serenitatis Electoralis Plenipotentiarii, ex parte quidem ſuae Regiae Majeſtatis Poloniae, Revernd. Illuſtr. & Excellentiſsimus Dominus Venceslaus Comes in Leſzno Leſzczynſki Epiſcopus Varmienſis, & Dominus Vincentius Corvinus Gonſiewſki ſupremus Theſaurarius, & Campiductor M. D. Lithuaniae, Vieliſenſis, Punenſis, Marcovienſis Gubernator, Oeconomiarum Olitenſis & Graudentenſis Adminiſtrator; ex parte vero Serenitatis Electoralis Illuſtr. & Excell. Domini, Dominus Otho liber Baro a Suerin, Dominus in Landsberg, Oldeviquehagen & Drevitz, haereditarius Electoratus Brandeburgenſis Camerarius, Seren. Electoris Brandeburgenſis Conſiliarius ſtatus intimus, & negotiorum feudalium Director, nec non *S*ereniſsimae Electricis ſupremus Aulae Praefectus, Capitaneus in Oranienburg, & Dominus Chriſtophorus a *S*omnitz, haereditarius Camerarius in Ducatu Pomeraniae, ejusdem *S*erenitatis Electoralis Conſiliarius ſtatus intimus, Cancellarius in Pomerania Ducali, & Capitaneus Neoſtetinenſis, neceſſariis ad hoc inſtructi mandatis, perpetuam Pacem, concordiam atque amicitiam inter praedictum *S*ereniſsimum ac Potentiſsimum Regem, Magnumque Lituaniae Ducem, ejusque *S*ucceſſores, & Regnum Poloniae, Magnumque Ducatum Lithuaniae; tum *S*ereniſsimum Electorem Brandeb. qua Pruſsiae Ducem, ejusque *S*ucceſſores his, quae ſequuntur, conditionibus pacti ſint, inſtaurarint atque concluſerint.

I. Praedicta pax, quemadmodum in perpetuum fida & ſincera erit, ita hoc ipſo momento omnis inter utramque partem utriusque partis copias, milites, ſubditosque hoſtilitas ceſſabit, neutra pars in alterius damnum quicquam tentabit, aut tentari patietur, ſed alter alterius gloriam, utilitatem & ſecuritatem modis omnibus promovere ſtudebit. Quicquid vero durantibus hiſce bellis uni vel alteri parti tam in Regno Poloniae, quam in Pruſsia Ducali, aut ſingulis eorum incolis ab una vel altera parte, damnorum, injuriarum, moleſtiarumve, ſive per vim atque expeditiones militares, ſive per exactiones, ablationes, aut alios modos illatum fuiſſet, illud omne, utpote perpetua oblivione ſepultum, nunquam exſuſcitabitur, nec eo nomine tam *S*acra Regia Majeſtas, Regnumque Poloniae, aut Provincia aliqua eidem unita, aut ſubditorum quisquam, cujuscunq; gradus, dignitatis aut conditionis fuerit, quam *S*erenitas ſua Electoralis, ejusque ſubditi, milites & miniſtri poterunt ſe invicem, aut ſingulorum haeredes vel terras, ditiones, belli duces, milites, ſubditos convenire, compellare, aut quidquam ab iis petere aut poſtulare, multo minus vi extorquere, ſed iſta omnia utrinque abolita erunt: ac deinceps alter alterius commodum promovebit, damna autem mutuo avertet, ſalvis nominibus & debitis civilibus inter Regni, Magni Ducatus Lithuaniae, & hujus Ducatus incolas ante vel durante hoc bello contractis, quibus ſolvendis unusquisque teneatur, neque iis, qui praeſidia Electoralia per hoc bellum habuerunt, aut quovis modo cum *S*ereniſsimo Electore, aut ejus Officiariis in Regno Poloniae contraxerunt, hoc omne reſpectu amicitiae & interceſsionis ſuae *S*erenitatis Electoralis, a ſua Regia Majeſtate indulgebitur, & nulla in re ipſis contra priſtina jura, reliquasque libertates omnes, qualescunque ſint, absque ulla exceptione aut reſervatione, quibus antea fruebantur, praejudicio erit. ANNO 1657.

II. Qui hujus belli cauſa a Polonis & Electoralibus capti fuerunt, ſine lytro, & relicta ipſis ſuppellectile, quae exſtabit, priſtinae libertati reddantur; ſi qui vero alterius ſigna ſecuti fuerint, atque militiae ſe addixerint, iſti relinquantur parti, nec repoſcantur, bona immobilia & literaria documenta, quae ab utraque parte ratione hujus diſſenſionis arreſtata, vel fiſco addicta fuerunt, legitimis eorum Dominis reſtituantur, non obſtantibus quibusvis donationibus, a quocunque vel quovis titulo factis.

III. Utraque Pars in modernis hiſce bellorum tempeſtatibus ſedulo communi ſaluti & defenſioni intenta erit, contra quoscunque illius perturbatores, pacique & mutuae ſecuritati ſtabiliendae, pellendisque e Regno Poloniae, Magno Ducatu Lithuaniae, & Ducatu Pruſsiae hoſtibus, unitis conſiliis, viribus ac conatibus incumbet; non obſtante quovis alio nexu aut conjunctione, quae huic aequiſsimae intentioni & reciprocae obligationi obſtare poſſe viderentur, vigore autem hujus pacti pro reſciſsis habentur.

IV. Sereniſſimus Elector omnia, quæ univerſum Poloniæ Regnum, Magnumque Ducatum Lithuaniæ & Epiſcopatum Varmienſem per hoc bellum, aut per

ANNO 1657. Tractatus Suecicos quocunque titulo occupavit, ac ipſo facto poſſidet, ſtatim atque hæc conventio a ſua Regia Majeſtate & Senatoribus ac præcipuis Regni Aulæque Officialibus eidem aſsiſtentibus ratihabita fuerit, reſtituet plenarie & absque ulla reſervatione. Evacuatio locorum fiat per Commiſſarios utriusque partis communi conſilio juxta ſolitam belli rationem, absque injuria & moleſtia ulla incolarum, & ſine demolitione fortalitiorum novorum & antiquorum, nisi id ex communi partium conſenſu quibusdam in locis expedire videatur, & ſine ablatione rei tormentariæ ad Epiſcopatum ſpectantis. Quorum intuitu, & aliorum præſertim infra ſpecificatorum, & aliis juſtis de cauſis, Ducatum Pruſſiæ iis finibus circumſcriptum, quibus Sereniſſimus Elector illum olim jure feudali ante bellum exortum poſſidebat, ipſe deinceps & deſcendentes ejusdem maſculi, ex toro ejus legitime provenientes, indeque deſcendentes omnes, donec quis quam ſupererit ex deſcendentibus maſculis ſuæ Serenitatis Electoralis, jure ſupremi dominii cum ſumma atque abſoluta poteſtate ſibi habebunt, poſſidebunt, regentque absque omnibus ante hac præſtitis oneribus.

V. Quanquam vero Sereniſſimus Elector, ejusque deſcendentes omnes maſculi omni prorſus vaſallagii nexu, quo hactenus Regi & Reipublicæ Poloniæ obſtricti fuerunt, iisque omnibus, quæ inde dependent, liberentur, non tamen perpetua feudi alienatio inde ſequitur; ſed deficientibus maſculis ex præmemorata linea legitima Electorali deſcendentibus, Sereniſſimis Regibus & Reipublicæ Poloniæ jus ſuum integrum in præfatum Ducatum reſervatur, & tali pacto præfatus Ducatus a Republica Poloniae non avelletur, quae tamen reſervatio interim ante caſum exiſtentem juri ſupremi dominii Serenitatis ſuae Electoralis, ejusque deſcendentium nullo modo praejudicabit.

VI. Promittit etiam ſua Regia Majeſtas tam pro ſe, quam pro Succeſſoribus ſuis, ſe in caſu non exiſtentium deſcendentium ſpecialem habituros rationem Agnatorum Serenitatis ſuae Electoralis, nimirum Domus Culmbacenſis & Onolsbacenſis, & officia collaturum apud Regni Comitia, ut caſu caducitatis exiſtente, illi aliis praeferantur, & ad ſucceſſionem praefati Ducatus admittantur, ſub iisdem feudi conditionibus & obligationibus, quibus antehac Sereniſſimus Elector ejusque Anteceſſores illum vigore Inveſtiturae poſſederunt.

VII. Sua Regia Majeſtas atque Respublica Poloniae hoc ipſo exſolvunt ſtatus, Officiales, omnesque Pruſſiae Ducalis ſubditos priori juramento, quo hactenus obſtricti fuerunt: cujus loco Sereniſſimus Elector juramento ſe ac ſubditos omnes Pruſſiae obſtringet ad obſervantiam horum pactorum & fœderis perpetui in termino extradendae ratificationis: & praeterea universi Pruſſiae Ordines, Magiſtratus, Officiales, arcium, portuum; fortalitiorum, civitatum Praefecti jurabunt, ſe, caſu caducitatis exiſtente, Serenis. Regem ac Rempublicam Poloniae pro ſolis & immediatis Dominis agnituros, eisque omnem obedientiam fidemque debitam praeſtituros, idque in ſingulis Ducum Pruſſiae homagiis coram Deputatis Sereniſſimi Regis ac Reipublicae Poloniae repetent, juxta formulam juramenti ſpecialem, quae hic ſequitur, de die vero ad praefatum juramentum decernenda cum ſua Regia Majeſtate, vel ejusdem Legatis conveniet. ANNO 1657.

Ego N. N. juro, quod caſu caducitatis exiſtente, quo poſſeſſio plenumque dominium Ducatus Pruſſiæ ad ſuam Regiam Majeſtatem Poloniæ & Rempublicam pertinebit, juxta tenorem tractatus inter ſuam Regiam Majeſtatem & Serenitatem ſuam Electoralem die decima nona Menſis Septembris Anno 1657. initi, Sereniſſimum Regem Poloniæ ejusque Succeſſores & Rempublicam pro ſolis & legitimis ac immediatis Dominis meis agnoſcam, eisque debitam fidem & obedientiam præſtabo. Sic me Deus adjuvet per Jeſum Chriſtum, Amen.

VIII. Deficientibus maſculis deſcendentibus ex Linea Electorali praeſenti, ſuperſtitibus faeminei ſexus Marchioniſſis deſcendentibus, aut his non exſtantibus, propinquo gradu agnationis ſuam Serenitatem Electoralem, ejusque poſteros attingentibus, quisquis in Pruſſiae Ducatu tum temporis ſuccedet, ſummam perſolvet, de qua inter Sacram Regiam Majeſtatem & Serenitatem ſuam Electoralem conveniet in ipſa ratificatione, quaeque ibidem exprimetur, donec autem exſoluta fuerit, occupare aut poſſidere dictis Marchioniſſis, aut ſupra dictis proximis haeredibus, licebit Praefecturam Inſterburgenſem cum omnibus eo ſpectantibus praediis & Præfecturis Camerae, quas vocant vulgo Kammer-Ambter dictis, iisque omnibus omni meliori modo uti frui debebunt, hac tamen lege, ut quiquid ex fructibus dictae Praefecturae percipient, illud in defalcationem & extenuationem praefatae

Anno 1657. fatae ſummae capitalis imputetur, qua perſoluta, tenebuntur illam Praefecturam cedere legitimis Pruſſiae Poſſeſſoribus, nec ultra quicquid praetendere.

IX. Sereniſſimus Elector ejusque deſcendentes maſculi, Barones, Nobiles, Civitates & Magiſtratus, ac ſubditos omnes Pruſſiae, cujuscunque gradus & conditionis ſint, in avitis receptisque ſtatutis, juribus & libertatibus, huic conventioni non derogantibus, conſervabunt, manutenebunt, nec quidquam in contrarium attentabunt aut innovabunt vel a quovis attentari aut innovari patientur, ipſis quoque juſtitiam juxta jus Pruſſiae uſitatum & receptum, caeteraque ſtatuta & conſuetudines adminiſtrari curabunt, ſi quis in inferioribus inſtantiis gravatum ſe praetenderit, ad ſupremum Tribunal appellationum a Serenitate ſua Electorali in Pruſſia Ducali erigendum provocare poterit, ibidemque decenti modo jus ſuum perſequi, ulterior provocatio, ſive ordinaria, ſive extraordinaria, aut quocunque nomine veniat, nullum inveniat locum, Praeſes autem & Aſſeſſores iſtius Appellationis, Judicii a Serenitate ſua Electorali ejusdemq; deſcendentibus maſculis conſtituentur ex Pruſſiae Ducalis indigenis & terrigenis, iisque illi juramentum praeſtabunt, nec ſubditi querelas ſuas ad Regem Regnumque Poloniae ullo modo deferre poterunt, aut ab iis admitti; ſimiliter ſua Regia Majeſtas ac Respublica Poloniae promittunt, caſu devolutionis exiſtente ſe praememoratas Statuum Pruſſiae libertates, privilegia, ſtatuta, conſuetudines, juraque recepta integra atque ſalva, dictis Statibus deinceps ſemper conſervaturas, illosque in quieta & tranquilla poſſeſſione eorum omnium manutenturos, nihilque in iis omnibus innovaturos.

X. Loco vaſallagii priſtini Sereniſſimus Elector ejusque deſcendentes perpetuo ac inviolabili fœdere Sereniſſimo Regi ac Regno Poloniae conjungentur, per quod utriusque partis ſtabiliatur in perpetuum ſecuritas, in eum, qui ſequitur, modum.

XI. Sereniſſimus Elector ejusque deſcendentes fidam cum Sereniſſimis Regibus Regnoque Poloniae & Magno Ducatu Lithuaniae colent amicitiam & unionem: nunquam cum Sereniſſimorum Regum vel Regni hoſtibus aliquod fœdus directe vel indirecte inibunt in praejudicium Regis & Reipublicae, tranſitum hoſtibus per ditiones ſuas, portus & propugnacula, annonam quoque & commeatum, ac qualecunque ſubſidii genus ipſis denegabunt, nec portus ſuos ac munitiones ipſis quocunque modo vel titulo in poſſeſſionem tradent. Anno 1657.

XII. Subſidia, quae in hoc praeſenti bello Serenitas ſua Electoralis Sereniſſimo Regi ac Reipublicae Poloniae conferre tenebitur, illa in particulari tractatu, ea de re inito, ſpecifice deſignata ſunt ac limitata, quae conventio vigore praeſentis pacti per omnia ſervanda erit: quoties autem finito hoc bello, novum aliquod aliud bellum contra Sereniſſimum Regem ac Rempublicam Poloniæ oriretur, ſua Electoralis Serenitas ejusque deſcendentes tenebuntur 1500. pedites & 500. Equites Sereniſſimo Regi ac Regno Poloniae ſubminiſtrare, quibus, poſtquam ex Ducatu Pruſſiae Ducalis educti fuerint, Rex Regnumque Poloniae ſuſtentationem ſubminiſtrabunt.

XIII. Viciſſim vero Sereniſsimus Rex ejusque Succeſſores & Regnum Poloniae, ac Magnus Ducatus Lithuaniae reciprocam cum Serenitate ſua Electorali ejusque Succeſſoribus ſervabunt amicitiam, nullum hoſtibus ipſius aditum in ſuae Serenitatis Electoralis terras concedere, ſed potius defenſioni, conſervationi ac ſecuritati Ducatus Pruſſiae omnibus modis conſulere debebunt, praeſertim ſi hujus conventionis vel ſubſidii miſſi cauſa (de quo ſupra) Sereniſſimo Electori ejusque Succeſſoribus quisquam & quicunque fuerit, ſive in præſenti, ſive deinceps, bellum indicere, aut Ducatui Pruſſiæ inferre voluerit, Sereniſſimus Rex & Regnum Poloniæ adaequato ipſi ſubſidio ſubvenire tenebuntur.

XIV. Copiis Regiis, per Pruſſiam Ducalem, quando opus fuerit, iter patebit: ſine maleficio tamen, noxa aut damno ullo incolarum, ordinabit quoque Sereniſſimus Elector ejusque deſcendentes, itinerum rationes, & quidquid inde dependet, idque ut eo rectius fieri poſſit, mature adventus exercitus Polonici aut turmarum, Sereniſſimo Electori aut Poſteris ejus, vel in abſentia eorum iis, quibus gubernatio Ducatus commiſſa fuerit, a ſua Regia Majeſtate vel a Regni Generalibus vulgo Feldherren indicandus erit; ordinationi autem praedictae exercitus Polonicus ejusque Duces parere neceſſe habebunt: pariter liberum erit Serenitati ſuae Electorali ejusque poſteris Pruſſiae Ducibus, eadem ratione & cautelis ſupra memoratis, per Poloniam & Pruſſiam Regalem, copias militares ducere.

XV. Navibus utriusque partis propriis ſit liber cum omnimoda ſecuritate praeſtanda aditus atque tranſitus per portus,

ANNO 1657. tus, qui ſunt in alterutrius partis dominio, absque præjudicio commerciorum atque fortalitiorum & cum omnimoda eorumdem ſecuritate, de qua inter partes deinceps conveniet. Libera quoque erit utrique parti in alterius ditionibus annona, commeatus, ac omnis ſubſidii bellici coëmptio, utraque pars in alterius partis terris militem conducere poterit; illam tamen eo nomine amice prius compellabit, atque deſuper inter utramque partem de modo conveniet, prout fœderis atque amicitiæ ac temporum ratio expoſtulabit, & hoc ſemper obſervabitur, ne ullum partibus incommodum, aut ſubditis damnum afferatur.

XVI. Exercitium Religionis Cathol. Romanae, prout ante hoc bellum Sueticum, juxta antiqua & recentia pacta, in Pruſsia viguit, aut vigere debuit, conſervabitur aut reſtituetur: liberum erit eam profiteri volentibus, nec ullus unquam ex Ducalibus ſubditis jam eam profitentibus, aut inpoſterum eam profeſſuris eam ob rem interpellabitur: Sacella itidem & Oratoria, ac bona omnia Eccleſiaſtica ipſis appertinentia ubivis, tam in confinibus quam alibi, integra, tuta & conceſſa illis erunt, in iisdemque liberum ex doctrina inſtitutisque Catholicæ Romanæ Religionis exercitium habebunt: eo nomine turbabitur, perdeturve nemo Religionis Catholicæ cauſa, ullam vim, injuriam, contumeliam, moleſtiamve perferet, & quicunque eos aliqua injuria affecerit, ſevere punietur: ad munera & honores iis, qui ex Catholicis idonei fuerint, liber erit aditus: quicunque etiam in Ducatu Catholici Barones, Nobiles, Civitates, jura patronatus legitimis acquiſiverint modis, in locis, ubi jura illa ipſis competunt, iisdem uti ac frui abſque impedimento ac contradictione poterunt. Si vero alii Compatroni non Romanæ Religioni addicti fuerint, inibi interque eos lis ſuper ejus exercitio oriatur, a Commiſſariis, a Serenitate ſua Electorali ex utraque Religione pari numero conſtituendis, componetur vel decidetur, juxta præſcriptum Juris Canonici: Templum quoque Regiomontanum, cum ſuo Cœmeterio & locis ad id pertinentibus, ac fundatione, aliisque juribus receptis in eo ſtatu, quo ante hoc bellum fuerunt, aut eſſe debuerunt, conſervabitur. Perſonæ Eccleſiaſticæ iis immunitatibus & foro in poſterum gaudebunt, quibus hactenus gaviſæ ſunt, aut gaudere debuerunt juxta pacta priora. Juriſdictio ſpiritualis Reverendiſſimi & Excellentiſſimi D. Epiſcopi Varmienſis, juxta pacta, intacta & integra conſervabitur, in Parochum & omnes alias Eccleſiaſticas perſonas, Catholicæ Religioni addictas, omnibus denique juribus, prærogativis ac libertatibus fruentur, quæ tam in antiquis quam recentibus pactis & fundationibus contenta ſunt, quæ hic in hac ſolum materia, denuo confirmantur, ac pro ſpecifice expreſſis & declaratis habentur. Calendarium (novum) hactenus uſitatum & receptum pariter retinebitur, ſimiliter Sereniſſ. Rex Poloniæ & Reſpublica pro ſe & Succeſſoribus ſuis promittunt, quod in caſu devolutionis nihil in præjudicium tam Auguſtano-Lutheranæ, quam Auguſtano-Reformatæ Religionis innovabunt aut attentabunt.

XVII. Commercia inter Regni Poloniae, M. D. Litu. & Ducatus Pruſsiae incolas libera erunt ac ſecura. Circa controverſias vero quascunque ratione commercii & omnium inde dependentium, vel eos ſpectantium, aut quae ad illud quocunque modo referri poſſunt, Commiſsio inſtituetur ad inſtantiam partis poſcentis, & omnia per Commiſſarios ex utraque parte, ad inſtantiam ſive ſuae Regiae Majeſtatis, ſive ſuae Serenisſimae Electoralis Celſitudinis, pari numero intra ſpatium duorum menſium nominandos, amicabiliter componentur. In dominiis vero utriusque partis nulla nova theloneorum onera, tam terreſtria, quam maritima, quae ante hoc bellum non fuerunt, in gravamen cujuslibet imponantur, quod ſi aliqua e re communi de novo imponenda aut augenda videbuntur, id partium conſenſu fiet.

XVIII. Si ſuper limitibus inter utramque partem, aut ſubditos utriusque partis, ratione videlicet limitum, aut etiam inter ſuam Regiam Majeſtatem ac Succeſſores Reges, Regnum Poloniae ac M. D. Lithuaniae, & Serenitatem ſuam Electoralem, ejusque Succeſſores circa obſervationem ac executionem fœderis ac praeſentis Conventionis, aliave quavis de cauſa aliqua dubitatio aut controverſia exoriatur, per Commiſſarios ad inſtantiam tam ſuae Reg. Majeſtatis, quam ſuae Serenitatis Electoralis, intra * bimeſtre ſpatium ab utraque parte aequali numero nominandos, quique, ſi opus ſit, in rem praeſentem jurent, amice componantur ac definiantur.

XIX. De pretio, valore, ac æſtimatione monetæ, liberoque ejusdem curſu per utriusque ditiones, quoties opus fuerit, amicabiliter conveniendum erit.

XX. Ad interceſſionem Sereniſſimi ac Potentiſſimi Ungariæ & Bohemiæ Regis, per

* Alibi legitur *trimeſtre*.

ANNO 1657. per præmemoratum Dominum Ablegatum ſuum interpoſitam, nec non Sereniſſimi Electoris Brandeburgici pro plenaria reſtitutione, & omnimoda ſecuritate cognati Principis majorem in modum inſtante: Sereniſſimi Regis Poloniæ Plenipotentiarii perſpectam & exploratam habentes ſuæ Regiæ Majeſtatis, cum erga cæteros omnes ad obſequium redeuntes, tum ſpecialiter erga Illuſtriſſimum Principem Dominum Boguslaum Radziwiłł, Ducem Bierzarum, Dobinkorum & Slutciæ, Sac. Rom. Imperii Principem, non uno documento literario teſtatam benignitatem, annuerunt & conſenſerunt, ut præfatus Princeps tanquam is, qui de facto cum debita ſubmiſſione ad priſtinam obedientiam, fidem & obſequium una cum ſuis omnibus jam redierit, & omni cum hoſtibus commercio renunciarit, atque in poſterum Sereniſſimo Regi & Reipublicæ obſequium ſuum fidele voverit, non modo generalis amniſtiæ beneficio frui & gaudere poſſit, ſed etiam ſpeciali præſentis transactionis vigore in Ducatuum ſuorum patrimonia & omnia bona ac jura, ipſi legitime competentia, in forma pleniſſima una cum ſuis reſtitutus ac reſtituendus intelligatur, neque ratione injuriarum, damnorum ac hoſtilitatum, quæ in hoc bello vel per ipſum, vel per ejus miniſtros aut milites acciderunt, per viam juris aut facti quiſquam negotium aut moleſtiam ipſi, aut partes ipſius ſequentibus faceſſere poſſit; ſed omnia fideli amneſtia & præteritorum oblivione, hujus quoque pacificationis vigore ſepulta cenſeantur, ſalvis nominibus & debitis civilibus, quæ nihilominus perſolvenda erunt.

XXI. Fœdus hoc, & omnia in hoc Inſtrumento contenta ſancte ſervatum iri utraque pars juramento promittet & in præſenti quidem Sereniſſ. Rex Poloniæ, ac Senatores eidem aſſidentes hanc conventionem ſolenniter ratihabebunt, ac juramento firmabunt, promittentque in proximis Comitiis, aut proximo Conventu Comitiorum poteſtatem habente omnia, quæ his concluſa ſunt, ratihabitum iri, ſimiliter Serenitas ſua Electoralis illam pari modo ratificabit, ac juramento firmabit, atque hoc fœdus perpetuum, quotieſcunque novus Rex Poloniæ electus fuerit, aut Dux Pruſſiæ in Ducatum ſucceſſerit, ab utraque parte renovabitur confirmabiturque juramento deſuper præſtito, per Deputatos in animam Principalium jurantes, & ſi pars alterutra huic conventioni & fœderi contravenerit, & decenter admonita ſatisfacere neglexerit, pars læſa monere tenebitur Mediatores, ac Sereniſſimos Reges & Status in Articulo ſequenti nominatos, & eorum curam adhibere procurandæ ſatisfactioni, & huic ſtabiliendæ concordiæ rationi, utraque Pars ſedulo inſiſtet, ut omnia amicabiliter æquis modis componantur. ANNO 1657.

XXII. Pro ſecuritate, & horum pactorum firmitudine fidem ſuam quoque ut interponant Sereniſſimi ac Potentiſſimi Reges Hungariæ & Bohemiæ, item Daniæ Norvegiæque, denique Præpotentes Fœderati Belgii Ordines rogabuntur, ut injuriam aut vim contra hanc conventionem per ſe omni meliori modo conſulant; atque debita ipſis ſatisfactio procuretur. Confecta autem ſunt a ſupra nominatis Dominis Plenipotentiariis hujus pacificationis & fœderis duo ejusdem tenoris exemplaria, a ſua Regia Majeſtate Poloniæ, & Senatoribus eidem aſſidentibus, atque a ſua Sereniſsima Electorali Celſitudine Brandeburgenſi intra ſex ſeptimanas ab infra ſcripto die ratificanda, & juramento firmanda, atque utrinque permutanda: quorum unum ſuæ Reg. Majeſtatis Dominis Plenipotentiariis exhibitum, alterum vero ſuæ Serenitatis Electoralis Dominis Plenipotentiariis traditum, utcunque autem in majorem Fidem majusque robur a ſæpe dictis Dominis Plenipotentiariis utriusque partis propriarum manuum ſubſcriptione, ſigillorumque appoſitione munitum & roboratum eſt. Acta ſunt hæc Welaviæ Pruſſorum die decima nona Menſis Septembris, Anno ſalutis humanæ 1657.

VENCESLAUS de LESZNO, *Epiſcopus Varmienſis, S. R. Majeſtatis Poloniæ & Sueciæ Plenipotentiarius. mppr.*
(L.S.)

VINCENTIUS CORVINUS GONSIEWſKI, *Supremus Theſaurarius & Campiductor M. D. Lit. S. R. Majeſt. Poloniæ & Sueciæ Plenipotentiarius. mpr.*
(L.S.)

FRANCISCUS de LISOLA, *Sereniſſimi Ungariæ & Bohemiæ Regis Conſiliarius, & ad hoſce Tractatus pro mediatione Ablegatus. mppr.*
(L.S.)

OTTO Liber Baro a SUERIN, *Plenipot. Electoralis. mppr.*
(L.S.)

LAURENTIUS CHRISTOPHORUS SOMNITZ, *Plenipotentiarius Electoralis. mppr.*
(L.S.)

Anno 1657.

CCCXXVIII.

Specialis Conventio inter Poloniæ Regem & Brandeburgi Marchionem de conjungendis armis ad expurgandam quibusvis hoſtibus Poloniam, Pruſſiasque Regiam & Ducalem, per eosdem Plenipotentiarios, iisdem loco, anno & die tractata & concluſa. Ex Archivo Regni Libr. SK. fol. 153.

Quandoquidem, Deo clementer annuente, Sereniſſimus Elector Brandeburgenſis ad ſinceram pacem & amicitiam cum Sereniſſimo Rege ac Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lituaniæ, a quibus violento bellorum ingruentium ac neceſſitatis inevitabilis impulſu, invitus avulſus erat, feliciter redierit, ac perpetuo fœdere ita ſe Sereniſſimo Regi ac Regno Poloniæ, & M. D. Lithuaniæ conjunxerit, ut mutuam utilitatem, commodum ac ſecuritatem ſincere procurare, ac promovere teneantur. Ad quem ſcopum attingendum nil expeditius viſum fuit, quam ſi communi ope, viribus ac conſilio arma & ſtudia conjungerentur, ad expurgandum quibusvis hoſtibus Poloniam, & totam Pruſſiam Regiam & Ducalem periculo liberandam, ac removenda omnia obſtacula, quæ communem utriusque partis tranquillitatem impediunt, & optatam pacem eo citius ac efficacius conſequendum: circa quod ſpecialis conventio inter partes, per eosdem Reverendiſſimum, Illuſtriſſimos & Excellentiſſimos DD. utriusque partis Plenipotentiarios, nominatos in pacis Inſtrumento ſtabilita fuit, in eum, qui ſequitur, modum:

I. Sereniſſimus Rex Regnumque Poloniæ & Magnus Ducatus Lithuaniæ, durante hoc bello, requiſito armorum ac militum præſidio Sereniſſimo Electori Brandeburgenſi, ejusque Statibus ac Provinciis tam in Imperio, quam hic in Pruſſia contra præmemoratos hoſtes, vel quoscunque eorum confœderatos & adhærentes, quoties neceſsitas exiget, ſuccurrent: quibus Sereniſsimus Elector, quoties pro ſua defenſione in propriis ipſius Provinciis militabunt, victum & ſubſiſtentiam, prout proprio ſuo militi, ſuppeditabit.

II. Similiter Sereniſsimus Elector Brandeburgenſis pro communi partium utilitate, toto hoc bello durante, inſtructum cum omnibus pertinentiis & re tormentaria habebit exercitum ſex millium militum, partim equitum partim peditum, quibuscum vel ipſe contra ſuper deſcriptum hoſtem aget, aut cum Polonis conjunget, juxta rerum exigentiam, habito deſuper communi conſilio, quibus, etiamſi plures fuerint, ſimiliter Sereniſsimus Rex ac Respublica Poloniæ victum & ſubſiſtentiam, quamdiu pro ipſis & in ipſorum territoriis ſunt militaturi, ſubminiſtrare debebunt: nec Serenitas ſua Electoralis, pendente hoc bello quidquam ultra prædictum numerum militum ſubminiſtrare tenebitur, niſi ſponte volet.

Anno 1657.

III. Si Sueci aut eorum aſſeclæ conjunctionis odio, vel alio quovis colore intra decennium poſt hoc bellum finitum Sereniſsimum Electorem non ſolum in Ducatu Pruſsiæ, ſed & in Imperio, armis ſuis infeſtare tentaverint, Sereniſsimus Rex Poloniæ & Respublica tenebuntur ipſi ſubvenire, & viciſsim eodem caſu Serenitas ſua Electoralis per totum illud decennium poſt confectam pacem tenebitur ſubſidium Sereniſsimo Regi ac Reipublicæ ad ipſorum defenſionem, iisdem ut ſupra conditionibus, ſuppeditare. De quibus auxiliis ſibi mutuo ferendis ſpecialis declaratio fiet inter ſuam Regiam Majeſtat. & Serenitatem ſuam Electoralem in ipſa ratihabitione. Liberum quoque erit Sereniſsimo Electori amplecti fœdus inter Sereniſsim. Domum Auſtriacam & Sereniſsim. Regem ac Rempublicam Poloniæ initum, ac ſecuritatibus omnibus in illo comprehenſis frui.

IV. Quando utriusque partis conjunctæ fuerint copiæ, expeditiones militares omnes communi conſilio, & utriusque partis Generalium conſenſu ſuſcipientur, ſi in terris, ad Serenitatem ſuam Electoralem ſpectantibus, aut aliis in locis ſuæ Seren. Electoralis cauſa tantum bellum geratur, belli directio ad Serenitatem ſuam Electoralem ſpectabit. Serenitate ſua Electorali vero abſente, omnia fient communi conſilio, & ſi opus fuerit, de directione inter principales conveniat, habito reſpectu ad diſcrimina Generalium. Similiter etiam quando copiæ Electorales pro Sereniſsimo Rege aut Republic. Poloniæ certabunt, idem juris ſtatuetur, de cætero ſalva erit utriusque partis Generalis in milites ſuos jurisdictio, & æqualis, ſemper inter milites utriusque partis laborum, ſecundum numerum eorundem proportionata diſtributio; in quocunque autem territorio copiæ tam Regiæ quam Electorales fuerint, ii, quibus annonæ commeatusque cura commiſſa fuerit, ex æquo utriusque partis militibus, ſecundum eorum numerum, de ſuſteſitatione proſpicient.

V Neutra pars poterit ſine alterius ſcitu, conſenſu, ac præſentia Deputatorum

Annorum pacem, induciasve cum hoſtibus pacíſci, nec arma deponere, antequam utrique parti de ſecuritate omnimoda proſpiciatur, ad plenariam partium ſatisfactionem. Sereniſsimus Elector Brandeburgenſis in pace cum Sereniſsimo Magno Moſchoviæ Care includetur, cum omnimoda ſua ſecuritate & obſervatione fœderis perpetui & conventionis cum Sereniſsimo Rege ac Regno Poloniæ & Magno Duce Lithuaniæ initæ.

1657.

VI. Cæterum quum intuitu damnorum, periculorumq; quæ pendente bello Ser. ſuæ Electorali ſubeunda erunt, aliisque de cauſis æquum viſum fuerit, ſuæ Regiæ Majeſtati & Reipublicæ, ut propenſionem ſuam & Regni erga Serenitatem ſuam Electoralem, ejusque inclytam Domum re ipſa demonſtrarent, & illorum omnium dignam haberent rationem, aliquam ipſi congruam ſatisfactionem concedere. Et præterea ſua Serenitas Electoralis certam pecuniæ ſummam, vel contributiones ad belli ſumptus, & neceſſarios militum delectus prætenderit, Reverendiſſimus, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Plenipotentiarii ſuæ Serenitatis Electoralis deſiderio plene ſatisfacere ſumme optaverint, atque nonnulla, quæ circa hoc pactum in mandatis habuerunt, declararint, tamen quum ad complanandum hoc negotium penitus atque ſufficienter inſtructi non fuerint, res iſta ad ulteriorem ſuæ Regiæ Majeſtatis declarationem aut conventionem in ipſa ratihabitione faciendam remiſſa eſt, ita, ut nihilominus pax interea concludatur. Interea vero Serenitas ſua Electoralis declarat ac proteſtatur, ſe ante dictam declarationem ſeu ratihabitionem nullo modo velle obligari ad executionem eorum, quæ in articulo quarto conventionis principalis de evacuatione locorum conventa ſunt. Quæ omnia ſancte & inviolabiliter obſervatum iri pars utraque ſub fide ſua & juramento promittet, prout ex nunc Reverendiſſimus, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Plenipotentarii, nomine Sereniſſimorum ſuorum Principalium, de facto promittunt, ſeque intra ſex hebdomadas Sereniſſimi Regis ac Senatorum eidem aſſidentium uti & Serenitatis ſuæ Electoralis ratihabitionem, nec non etiam in proximis Regni Comitiis eorum omnium, quæ hic acta & concluſa ſunt, plenam confirmationem procuraturos. In quorum fidem hæc a ſæpe dictis Plenipotentiariis propriarum manuum ſubſcriptione, ſigillorumque appoſitione munita roborataque ſunt. Welaviæ Pruſſorum, die decima nona Menſis Septembris. Anno ſalutis humanæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, ſeptimo.

Anno 1657.

Venceslaus de Leszno, *Epiſcopus Varmienſis, S. R. Majeſtatis Poloniæ & Sueciæ Plenipotentiarius. mppr.*
(L.S.)

Vincentius Corvinus Gonśiewski, *Supremus Theſaurarius & Campiductor M. D. Lith. ſuæ Majeſt. Poloniæ & Suæciæ Plenipotent. mppr.*
(L.S.)

Franciscus de Lisola, *Sereniſſimi Ungariæ & Bohemiæ Regis Conſiliarius, & ad mediationem horum Tractatuum Ablegatus. mppr.*
(L.S.)

Otto Liber Baro a Suerin, *Plenipot. Electoralis. mppr.*
(L.S.)

Laurentius Christophorus Somnitz, *Plenipotentiarius Electoralis. mppr.*
(L.S.)

CCCXXIX.

Confirmatio Pactorum Velavienſium; ubi quoque Præfecturæ Bytow & Lavenburg Duci Pruſſiæ in Feudum conferuntur, atque Elbinga cum territerio in poſſeſſionem ceditur. Dat. Bidgoſtiæ 6. Novembris. 1657. *Ex Originali.*

Nos Joannes Casimirus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæque, nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque Rex hæreditarius. Teſtamur præſentibus pro Nobis Succeſſoribusque noſtris Regibus & Regno Poloniæ ac Magno Ducatu Lithuaniæ, Nos univerſa & ſingula capita, pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, bona fide ex Senatus Conſulto approbaſſe, confirmaſſe & ratihabuiſſe, prout ea hiſce nunc ex Senatus Conſulto approbamus, confirmamus, & ratihabemus, promittentes verbo Regio, & ſub fide præſtiti tam a Nobis, quam Conſiliariis noſtris, Officialibusque, lateri noſtro aſſidentibus, juramenti, Nos prædictis pactis poſthac conſtanter inhæſuros, curaturosque, ut omnia & ſingula pactorum capita, quæ a noſtra parte, ac Reipublicæ Poloniæ nomine promiſſa ſunt, ſancte & religioſe obſerventur, imo impedituros, ne a quopiam violentur, & quo-

Anno 1657. quoniam nonnulla ad Nos in negotio conjunctionis armorum & aliis remiſſa ſunt, atque ſuper iis ſequenti ratione inter Nos & Sereniſſimum Principem Electorem ſuper memoratum conventum eſt modo infra ſcripto, ea ſecundum conventionem initam addimus, illaque eandem vim atque vigorem cum ſuperioribus articulis & Senatus Conſulto habere volumus, atque hiſce tribuimus, pollicemurque eadem fide jurata, in proximis Comitiis omnia, quæ ſuperioribus articulis continentur, & quæ hic ſequuntur, omnium Ordinum conſenſu confirmatum & ratihabitum iri. Igitur probe perpendentes, cum pericula, quæ ſuæ Serenitati Elect. terrisque ipſius per ipſam ſeparationem a partibus Suecicis imminent, tum quantum interſit noſtri atque Reipublicæ, vicinum Nobis Principem juſtis devincire modis, tum inprimis quanta quamq; utilia Nobis Regnoq; Polon. per effectivam & actualem armorum Nobiſcum conjunctionem, præſtare ſua Serenitas Electoralis deinceps poſſit officia, tam belli quam pacis tempore. Ad demonſtrandam præterea ſingularem propenſionem noſtram, Regnique noſtri erga ſuam Serenitatem Elect., ejusque Domum Inclytam, ſuæ Serenitati Electorali ejusdemque poſteris maſculis, ex legitimo thoro ejusdem deſcendentibus, pariter ex Senatus Conſulto & conſilio Dominorum Conſiliariorum tam ſpiritualium, quam ſæcularium Regni noſtri, duas Præfecturas Luneburgenſem & Bitovienſem, cum omnibus & ſingulis eorum ſubditis, vaſallis, fructibus, libertatibus, eminentiis, cenſibus, proventibus, juribus & pertinentiis univerſis tenendas, habendas, fruendas, utendas, & poſſidendas in perpetuum jure feudi pro Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ dedimus, conceſſimus, ac illum de eis ipſis arcibus & oppidis Bytau & Lunenburg inveſtivimus, & tenore præſentium damus & concedimus, & inveſtimus. Officiales noſtros & incolas quoscunque ibidem juramentis & ſubjectionibus, quibus hactenus Nobis & Reipubl. obſtricti fuerant, hoc ipſo exolventes. Præterea de ampliori gratia & benevolentia noſtra Serenitatem ejus ac illius hæredes ab omni juramento, nec non tributis & exactionibus quibuscunque, Nobis & Poſteris noſtris, ratione prædictarum arcium & oppidorum præſtandis, dimittimus, & liberos facimus, prout olim a Ducibus Pomeraniæ eædem Præfecturæ Bytau & Lunenburg tenebantur. Pollicemur præterea pro Nobis & Succeſſoribus noſtris, dictum Sereniſſ. Principem ac ejus Hæredes in prædictis arcibus & earum pertinentiis, quantum in Nobis eſt, defendere ac tueri. Tenebitur autem, & obligatus eſſe debebit præfatus Sereniſſ. Elector ejusque Succeſſores, ad ſingulas Succeſſorum noſtrorum Regum Poloniæ Coronationes Conſiliarios aut Officiales ſuos mittere, qui hoc ipſum jus feudale de præfatis arcibus & oppidis ad Regnum pertinens recognoſcent, & literas ejus recognitionis & renovationis feudi, quæ gratis illis debent dari, a novis Regibus accipient. Quodſi aliqua legitima cauſa impediet, ut hoc officium & debitum in Coronationibus Succeſſorum noſtrorum non fecerint, nil ea negligentia illis detrimenti afferre debebit, dummodo alio brevi tempore poſt Coronationem id præſtare curaverint. Ubi vero ipſe Sereniſſimus Princeps Dominus Fridericus Wilhelmus, Marchio & Elector Brandeburgicus, in Pruſſia Dux &c. ſine legitimis maſculis feudi hæredibus, vel eorum legitimi maſculi feudi hæredes non relicta prole virili decederent, ſtirpsque & progenies eorum maſcula & legitima deficeret, extunc prædictæ arces & oppida Bytau & Lunenburg, cum omnibus ſuis bonis, ſubditis, vaſallis, fructibus, libertatibus, juribus, eminentiis & pertinentiis univerſis, ac cum pleno jure & poſſeſſione citra omnem difficultatem ad Nos & Poſteros noſtros Reges Poloniæ redibunt. Etſi quidem ad præſens Præfecturæ iſtæ a Donatariis noſtris poſſidentur, ideo uſum fructum, ante hanc ceſſionem ipſis debitum, atq; quidquid juris in illis habuerunt unquam, alia ratione dignisq; modis compenſabimus, ita, ut vacua omnino poſſeſſio, & plena fructuum perceptio ſuam Serenitatem Electoralem ex hoc ipſo tempore manere, neque quisquam ipſi ratione ſatisfactionis ſuæ negotium faceſſere debeat. Religionis Catholicæ exercitium in præfatis Præfecturis Lunenburg & Bytau, prout ad hanc uſque diem fuit, liberum erit. Jurisdictio Epiſcopi Vladislavienſis in Templa Catholica Sacerdotesque integra maneat, proventus videlicet, decimæ, cenſus, & ſi qui ſint alii, Parochis & Eccleſiis ſuis extradentur, & renuentes ad extradendum a Præfectis ejusdem Serenitatis cogentur. Cauſæ tam Nobilium, quam plebejorum matrimoniales ad Forum Eccleſiaſticum pertinebunt, Nobilitas juribus, privilegiis bonisque ſuis eodem modo, ac ſub immediato dominio noſtro utebatur, utetur, fruetur que ſub ſua Serenitate Electorali. Decreta rerum judicatarum, prout ſub immediato dominio noſtro lata ſunt, inviolata

ANNO 1657. violata maneant, gubernationis & appellationum ratio eadem erit, quæ fuit ſub Ducibus Pomeraniæ, ſalvis privilegiis. Jura patronatus Regia reſervantur ejus Serenitati Electorali, & Nobilibus, ſi quæ habent, juxta privilegia & uſum eorumdem, ita tamen, quod juxta declarationem, circa hanc conventionem ab ejus Serenitate factam, ad Eccleſias Catholicas Parochiales præſentabit ejus Serenitas Electoralis Sacerdotes Catholicos, ad commendationem Epiſcoporum Vladislavienſium, ab iisdem Epiſcopis Vladislavienſibus inſtituendos, ita, ne Eccleſia ultra duorum menſium ſpatium vacare poſſit.

Propter eandem armorum conjunctionem, & ſupra memoratas alias rationes ſuæ Seren. Elect. Civitatem Elbingenſem, cum toto ejusdem diſtrictu & territorio, pleno dominii jure ſibi habendam, poſſidendamque una cum reditibus, qui inde ad Reges Regnumque Poloniæ olim deferebantur, concedimus, promittimusque, quod, quamprimum ex poteſtate Suecorum erepta, aut recuperata fuerit, nemini, quam ſuæ Serenitati Electorali vacua ejus poſſeſſio tradi debeat, citra ullas peætenſiones, vel dilationes, præſidio ſuæ Serenitatis munienda, ſine ullo ſumptu Regis & Regni.

Quam quidem Civitatem Elbingenſem eodem modo poſſidebit, tenebitq; & ea fruetur ſua Serenitas ejusque poſteri, atque a Nobis & Regno Poloniæ, ad hoc ultimum bellum Sueticum 1655. tenebatur & poſſidebatur, etiam quoad commercia, & jura aliarum civitatum noſtrarum Pruthenicarum, nulla præterea nova telonea inſtituendo.

Commiſſio, quoties opus fuerit, inſtituetur ab utraque parte pari numero Commiſſariorum, omnium intereſſe habentium, ac imprimis civitatum noſtrarum Pruthenicarum habeatur ratio, ne illæ in ſuis commerciis, omnibusque inde dependentibus præjudicium patiantur, utque gravamina ac prætenſiones, quas inter ſe habere prætendunt, per Commiſſionem aboliantur, vocatis ad diem Commiſſionis civitatum earundem Pruthenicarum Deputatis.

Religionis Catholicæ & Auguſtanæ exercitium Elbingæ liberum ſit, ſtatusque ejusdem Religionis Catholicæ idem erit, prout ante hoc bellum fuit. Juriſdictio Epiſcopi in Sacerdotes Catholicos, prout ante, integra maneat. Jus patronatus ejusdem Eccleſiæ Elbingenſis Catholicæ ad Nos ſpectabit, Templum Catholicis ademptum reſtituetur, proventusque & fundi omnes Eccleſiæ Catholicæ, quibus ante hoc ultimum bellum Sueticum utebatur fruebaturque, reddentur, Catholicis præterea ad Magiſtratum acceſſus patebit. De ſumma juxta Articulum octavum fœderis perpetui exolvenda conventum eſt, quod haeredibus in dicto Articulo deſignatis & deſcriptis, in caſu ibidem expreſſo, ſumma centum quinquaginta millium Talerorum Imperialium ſolvi debeat. Quæ omnia cum bene expenſa, ex Senatus Conſulto peracta atque concluſa ſint, in eorum fidem & majus robur, hoc inſtrumentum manu noſtra ſubſcriptum, ſigillo inſuper Regni noſtri muniri juſſimus. Actum Bidgoſtiæ die ſextaMenſisNovembris, Anno Domini milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum Poloniæ nono, Sueciæ vero decimo Anno. Præſentibus ut ſupra.

CCCXXX.

Literæ JOANNIS CASIMIRI *Poloniæ Regis, quibus de ſubſidio bellico ſibi invicem per decennium dando cum Duce Pruſſiæ convenitur, Eique Præfectura Drahimenſis ceditur pro centum viginti millibus Talerorum Imperialium.* Datum Bidgoſtiæ 6. Novembris 1657. *Ex Archivo Regni Lib. SK. fol. 170.*

JOANNES CASIMIRUS DEI Gratia Rex Poloniæ, M. D. L. Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c. Significamus &c. Quod ad tractandum cum Sereniſſimo Principe Domino FRIDERICO GUILHELMO Marchione Brandeburgico, S. R. Imperii Archicamerario & Principe Electore, Magdeburgenſi, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnæ Carnoviæque Duce, Burgrabio Norinbergenſi &c. certos deputavimus Plenipotentiarios, illique cum ſuæ Serenitatis Electoralis Plenipotentiariis congreſſi, poſt conſtituta pacificationis & perpetui fœderis, inter Nos, Regnumque noſtrum Poloniæ, ac ejus Serenitatem Electoralem Pacta, præterea in alios de conjunctione armorum articulos, quos pactis perpetui fœderis adjunctos hic pro inſertis haberi volumus, convenerunt, ac denique nonnullos ex iisdem ad noſtrum mutuum congreſſum & colloquium diſtulerunt. Inter alia, quæ ad Nos ſupradicti Plenipotentiarii utrinque deputati rejecerunt, & remiſerunt, illud quoque Articulo tertio, de

Anno 1657. conjunctione armorum rejectum & remiſſum eſt, ut mutuo conſenſu determinaremus cum ejus Serenitate Elect. & quantitatem & qualitatem copiarum, quibus intra decennium, poſt hoc bellum finitum alter alteri ſubvenire teneatur. Itaque in hunc modum inter Nos convenimus, videlicet: quod Nos, ſeu Succeſſores noſtri Reges & Regnum Poloniae octo millia militum, hoc eſt, quinque millia equitum, tria vero millia peditum, ejus Serenitati Electorali, ſeu Serenitatis ejus Succeſſoribus auxilii nomine ſubmittere debebimus. Sereniſſ. vero Elector Nobis ac Succeſſoribus noſtris & Regno Poloniae medietatem harum copiarum, hoc eſt: duo millia equitum & duo millia peditum ſubmittere debebit. Quod vero attinet ſummam pecuniae, quam a Nobis et Regno ejus Serenitas Electoralis ad belli ſumptus et neceſſarios militum delectus popoſcit, quoniam id quoque ad Nos, Articulo ſexto Tractatus de conjunctione armorum, rejectum & dilatum eſt, conceſſimus & concedimus ejus Serenitati Electorali ad ſumptus belli et delectus militum, quos toto hoc bello, ſive citius ſive tardius finiendo, faciet, ſummam centum viginti millium Talerorum ſemel pro ſemper, intra tres annos, a data praeſentium, exolvendam, ita, ut quolibet anno per hoc triennium quadraginta millia Talerorum Imperialium Nos et Reſpublica ſolvere teneatur. Majoris autem ſecuritatis cauſa, et in eventum non ſolutionis ſummæ praefatae centum viginti millium Talerorum, cum conſilio DD. Conſiliariorum noſtrorum, tam ſpiritualium quam ſaecularium, et ex Senatus Conſulto, inſcribimus et obligamus arcem et oppidum Drahim, vigoreque praeſentium in eundem Capitaneatum Drahimenſem intromittimus ejus Serenitatem Electoralem, cum omnibus ejusdem Praefecturae Drahimenſis vaſallis, ſubditis, fructibus, libertatibus, eminentiis, cenſibus, proventibus et pertinentiis univerſis ac ſingulis, nihil excipiendo, vel Nobis et Regno, aut Succeſſoribus noſtris reſervando, pleno dominii jure, cum omnibus utilitatibus inde venientibus tenenda, habenda et poſſidenda eouſque, quoad praedicta centum viginti millium Talerorum Imperialium ſumma ſuae Serenitati Electorali, vel ejusdem poſteris realiter pleneque exoluta fuerit. Et quidem tali ratione, ut poſt exitum triennii, a data praeſentium, in caſum non ſubſecutae ſolutionis, ſupra memorata ſua Serenitas Electoralis, vel ejusdem Poſteri, praedictam Praefecturam Drahimenſem, cum omnibus ejusdem pertinentiis, ſupra expreſſis, propria auctoritate, facta tamen prius ſolutionis requiſitione et denuntiatione, ſine additione alicujus officii, in poſſeſſionem accipere, indeque omnes fructus percipere, uſque ad plenariam inſcriptae ſummae ſolutionem, jus, poteſtatemque habeat. In quem caſum Nos, Succeſſoresque noſtri tenebimur et tenebuntur, poſſeſſorem vel tenutarium, ſive donatarium praedictae Praefecturae alia condigna ratione compenſare, ſuam Serenitatem et ejusdem Haeredes circa hanc inſcriptionem tueri, et contra quemcunque evincere. Et hanc quidem conventionem, hiſce literis comprehenſam, ſuperioribus pactis et articulis, generali ratificatione deſcriptis, addimus, eandemque vim et vigorem cum illis ex Senatus Conſulto habere volumus. Quodſi ob non ſolutam praefatam ſummam intra decurſum triennii, ejus Serenitas Electoralis ſupra dictam Praefecturam Drahimenſem in poſſeſſionem ſuam acceperit, tunc Religionem Catholicam Romanam in eo ſtatu, in quo nunc eſt, in eadem Praefectura Drahimenſi conſervabit. Jus patronatus autem ad Beneficia Eccleſiaſtica, in eadem Drahimenſi Praefectura ſita, Nobis, Succeſſoribusque noſtris Regibus Poloniae reſervamus. In cujus rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Regni communiri juſſimus. Datum Bidgoſtiae die ſexta Menſis Novembris, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum Poloniae et Sueciae decimo Anno.

JOANNES CASIMIRUS Rex.

(L.S)

Major. Canc. Regni.

CCCXXXI.

Cautio juris in Ducalem Pruſſiam Illuſtriſſimo Principi Domino CHRISTIANO WILHELMO *Marchioni Brandeburgenſi.* Dat. Bidgoſtiæ 6. Nov. 1657. *Indid. fol. 174.*

JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniae &c. Significamus etc. Quod poſteaquam Ducalem Pruſſiam conceſſimus, jure ſupremi dominii, cum ſumma atque abſoluta poteſtate Sereniſſ. FRIDERICO GUILHELMO Marchioni Brandeburgico, S. R. Imperii Archicamerario, et Principi Electori, Magdeburgenſi, in Pruſſia, Juliae, Cliviae, Montium etc. Duci

ANNO 1657. Duci &c. Domino in Ravenſtein ejusque deſcendentibus maſculis, ex thoro ejus legitime procreatis, nihil per haec perpetui fœderis pacta, die decima nona Septembris Velaviae inita, & die ſexta Novembris eodem Anno MDCLVII. a Nobis confirmata, derogare voluimus, nec derogatum quidquam eſſe hiſce literis noſtris declaramus juri feudali, quod in eandem Ducalem Pruſſiam Illuſtriſſimus Princeps Dominus CHRISTIANUS GUILHELMUS Marchio Brandeburgen. pro ſe, legitimisque ſuis haeredibus maſculis, pactis, Anno milleſimo ſexconteſimo undecimo cum Sereniſſimo glorioſiſſimae recordationis Domino SIGISMUNDO III. Rege Poloniae & Sueciae, Parente noſtro colendiſſimo, & Regno Poloniae initis, legitime acquiſitum habet. Quod quidem jus ipſius inviolatum illi ſervatum iri, pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris pollicemur. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Regni communiri juſſimus. Datum Bidgoſtiae die ſexta Menſis Novembris, Anno Domini MDCLVII. Regnorum noſtrum Poloniae & Sueciae decimo Anno.

JOANNES CASIMIRUS Rex.

CCCXXXII.

Exemptio Incolarum Ducalis Pruſſiæ a priori juramento. Ibid. Eodem die & Anno. *Ind. fol. 175.*

JOANNES CASIMIRUS Rex Poloniæ, &c. Significamus, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Quod omnes & ſingulos Ducalis Pruſſiæ incolas, cujuscunque ſtatus, dignitatis, præeminentiæ, conditionisque fuerint, pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ, & inclyto Regno Poloniæ, a præſtitis ſeu Nobis, ſeu Anteceſſoribus noſtris Regnoque Poloniæ, ſuper pace perpetua Anni 1525. tum & tranſactione Anni 1611. juramentis, homagiis, ſponſionibus cautionibusque quibuscunque, ſponte, libere & de certa ſcientia abſolvimus, dimiſimus, relaxavimus, præſentiumque vigore abſoluimus, dimittimus, relaxamusque, ita tamen, ut ad obſervationem pactorum, fœderisque perpetui, cum Sereniſſimo Principe Domino FRIDERICO GUILHELMO Marchione Brandeburgico, Sacr. Rom. Imperii Archicamerario, & Principe Electore, Magdeburgen. Pruſſiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, &c. Duce &c. Domino in Ravenſtein, per Commiſſarios Plenipotentiarios utriusque noſtrum die decima nona Septembris Anni præſentis Velaviæ initi & conclusi, ac a Nobis cum conſenſu Dominorum Conſiliariorum noſtrorum, tam ſpiritualium, quam ſæcularium, & ex Senatus Conſulto die ſexta Novembris Anno præſenti Bidgoſtiæ additis certis articulis ratihabiti, noſtroque & Senatorum ac Officialium, lateri noſtro aſſidentium, juramentis confirmati, pro ſe, poſteris, Succeſſoribusque ſuis ſeſe obſtringant, & jurent coram Commiſſariis noſtris, ea forma juramenti, quæ in præfatis pactis Fœderis perpetui præſcripta eſt, juxta quæ eadem pacta ſuæ Serenitati Electorali, ac ejusdem poſteris maſculini ſexus, ejusdem feudi hæredibus, quousque ullus eorum extiterit, omnem fidem obedientiamque præſtent, & ſi illorum nulli amplius extiterint, tunc demum Illuſtriſſimo Domino CHRISTIANO VILHELMO Marchioni Brandeburgico, (ſi tunc ſupervixerit) ultimo ex tribus olim Fratribus, ſimultanee Anno 1611. cum Sereniſſimo Principe Domino JOANNE SIGISMUNDO Marchione Brandeburgen. &c. Duce in Pruſſia inveſtitis, fidem obedientiamque juxta priora pacta præſtabunt. In quorum fidem &c. Datum Bidgoſtiæ die 6. Novembris 1657. ANNO 1657.

CCCXXXIII.

Reverſales Electoris Brandeburgici FRIDERICI VILHELMI *Regi Poloniæ traditæ, quod ſolutis ſibi a Rege & Regno Polon. quadringentis millibus Thalerorum Imperialium Urbem Elbingam retradere debeat.* Bidgoſtiæ die 6. Novembris 1657. *Indid. Lib. SN. fol. 40.*

FRIDERICUS GUILHELMUS Dei gratia Marchio Brandeburgen. Sacr. Rom. Imperii Archicamerarius & Princeps Elector, Magdeburgi, Pruſſiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorumque nec non in Sileſia Croſnæ, Carnoviæque Dux, Burgrabius Norimberg. &c. Princeps Halberſtadi & Mindæ, Comes Marcæ & Ravensbergi, Dominus in Ravenſtein. Notum teſtatumque facimus hiſce Reverſalibus noſtris; quod quanquam ſua Regia Majeſtas Poloniæ & Sueciæ in ratificatione & declaratione pactorum, inter ſuam Regiam Majeſtatem & Rempublicam Poloniæ ac Nos Welaviæ die decima nona Septembris Anni praeſentis initorum, & poſtea Bidgoſtiae confirmatorum & juratorum, in ſatisfactionem Nobis pleno jure dominii Urbem Elbin-

Anno 1657. Elbingenſem conceſſerit: Nos tamen intuitu, & ratione factae Nobis remiſſionis quingentorum equitum de ſubſidio duorum millium vigore ſupra dictorum pactorum fœderis perpetui Reipublicæ Poloniae alias praeſtandorum, tum reſpectu declarationis nomine ſuae Regiae Majeſtatis & Reipublic. factae, quod muri, atque fortificationes omnes dictae Urbis Elbingenſis ante retraditionem per noſtros praeſidiarios deſtrui debeant, promiſiſſe, & Nos haeredesque noſtros obſtrinxiſſe, quemadmodum hiſce promittimus & obſtringimus, quod dictam Urbem cum territorio, ſolutis Nobis a ſua Regia Majeſtate & Regno Poloniae, ex propria pecunia publica quadringentis millibus Talerorum Imperialium a ſua Majeſtate oblatis, iterum ſuae Regiæ Majeſtati, ejusdemque Succeſſoribus & Regno in proprium uſum, pro ſe tantum eam redimentibus cedere, & retradere tenebimur, & poſteri noſtri tenebuntur. In cujus rei fidem haec manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo noſtro Electorali firmari juſſimus. Datae Bidgoſtii die ſexta Menſis Novembris, Anno Domini milleſimo ſexceenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

FRIDERICUS VILHELMUS
Elector.

(L.S.)

CCCXXXIV.

Formulæ jurisjurandi, quo tam a Rege & Electore, quam a Senatoribus Poloniæ, omnia Pacta præmiſſa firmata ſunt. Ex Archivo Regni Libr. SN. fol. 41.

Ego Joannes Casimirus *Rex Poloniæ &c. juro ſuper hæc Sancta Evangelia pro me & Succeſſoribus meis Regibus Poloniæ, Magnisque Ducibus Lithuaniæ &c. quod Pacta fœderis perpetui cum Sereniſſimo Principe Domino* Friderico Wilhelmo *(tit. tot.) ejusdemq; Succeſſoribus Marchionibus Brandenburgicis in Pruſſia Ducibus, per Commiſſarios meos die 19. Septembris Anno 1657. Welaviæ inita & tranſacta, in ſpecie vero ea, quæ ad Tractatum cum Nobiſmet ipſis remiſſa, atque hic concluſa ſunt, in omnibus articulis, punctis & clauſulis obſervabo & manutenebo, eaque ab omnibus ſubditis meis obſervari faciam, nec eisdem ſive directe vel indirecte contraveniam, aut contravenire patiar; Promittoque in proximis Comitiis omnia, quæ iisdem contenta ſunt, ratihabitum iri. Sic me Deus adjuvet.*

Senatorum vero Poloniæ talis erat: Anno 1657.

Ego N. Senator Regni Poloniæ, juro ſuper S. Dei Evangelia, quod pro poſſe curabo, ut Pacta fœderis perpetui cum Sereniſſimo Principe ac Domino &c. per Commiſſarios S. R. Majeſt. &c. obſerventur, nec iisdem a quopiam contraveniatur, utque in proximis Comitiis omnia, quæ iisdem contenta ſunt, ratihabeantur.

Juramentum Sereniſſimi Electoris Brandeburgici.

Ego Fridericus Wilhelmus *Marchio & Elector Brandeburgicus, in Pruſſia Dux, juro ſuper hæc Sancta Dei Evangelia pro me, & Succeſſoribus meis Marchionibus Electoribus Brandeburgicis, in Pruſſia Ducibus, quod Pacta fœderis perpetui cum Sereniſſimo & Potentiſſimo Principe Domino* Joanne Casimiro *Rege Poloniæ &c. &c. Ejusdemque Succeſſoribus Regibus Poloniæ, Magnis Ducibus Lithuaniæ, per Commiſſarios meos die decima nona Menſis Sept. An. Dom. 1657. Velaviæ inita & tranſacta, in ſpecie vero ea, quæ ad Tractatum cum ſua R. Majeſt. remiſſa, atque hic concluſa ſunt, in omnibus articulis, punctis, clauſulis obſervabo, & manutenebo, nec eisdem directe ſive indirecte contraveniam, aut contravenire patiar, ſubditosque meos omnes Ducatus Pruſſiæ corporali juramento obſtringam ad obſervantiam ſupra dictorum Pactorum & Fœderis perpetui. Sic me Deus adjuvet.*

CCCXXXV.

Puncta duo ex Tractatu Leopoldi *Hungariæ & Bohemiæ Regis, atque* Friderici Vilhelmi *Electoris Brandeburg. Poloniam concernentia.* Dat. Coloniæ ad Spream die 30. Januarii 1658. *Ex Archivo Neſviſ. Principum Radivilorum.* 1658.

I. Inprimis fœdera defenſiva, jam ante tam inter dictos Sereniſſimos & Potentiſſimos Hungariæ & Bohemiæ, Poloniæque Reges, quam eosdem etiam & Sereniſſimum Electorem Brandenburg. recenter * inita, in ſuo vigore maneant, prouti per hanc Conventionem corroborantur.

II. In præſenti vero, cum dictus Rex Sueciæ, contra jus induciarum, Regi, Regnoque Poloniæ, in Inſtrumento Pacis Monaſterienſis & Oſnabrugenſis compre-

* Tom. I. pag. 317.

Anno 1658. prehenſo, bellum intulerit, ac Serenitatem ſuam Electoralem in Ducatu ejusdem Pruſſiæ infeſtis aggreſſus ſit armis: Tum denique Regiam quoque Hungariæ & Bohemiæ Majeſtatem eodem involverit bello, illudque adhuc trahat, & arma ſua tam in dicto Regno Poloniae, quam alibi etiam teneat, ejusque infeſta, tam in Suam Regiam Hungariae & Bohemiae Majeſtatem, quam Serenitatem ſuam Electoralem molimina & apparatus, ex authenticis documentis abunde pateant, atque hinc ex communis dictamine rationis nulla ſecura pax ſperanda, ſed certae hoſtilitates expectandae ſint, ideo conventum eſt, quod Fœderati pactis inter ſe initis inſiſtendo, & copiis ſuis certum numerum, ſcilicet Sereniſſimus & Potentiſſimus Hungariae & Bohemiae Rex ſex mille equites, & quatuor mille pedites, qui huic operationi juxta rationem bellicam & communia conſilia operam navabunt. Poſtquam vero communibus armis hoſtis vires eo redactæ fuerint, ut libera communicatio cum Sereniſſimo Daniae Rege pateat, ita ut Fœderati, quoties opus fuerit, copiarum ſupplementa a praefato Sereniſſimo Rege Daniae percipere, cum eodemque ſe pro libitu conjungere valeant, tunc liberum erit, ſuae Regiae Majeſtati Hungariae & Bohemiae quatuor millia, ex praememorato decem millium numero, ſi res ipſius ita poſtulaverint, ad alios uſus revocare: Sereniſſimus autem & Potentiſsimus Poloniae & Sueciae Rex quatuor mille equites, tres mille dragornes & pedites, ſic tamen, ut ſi ratio belli et neceſsitas majores vires & numerum poſtulaverit, is numerus ac vires ad tria vel quatuor millia augebuntur: Sereniſſimus vero Elector equites quatuor mille quingentos, & pedites bis mille & quingentos, cum conveniente utrinque tormentorum bellicorum apparatu, inter ſe conjungere, & hunc exercitum in dictum Regem Sueciae ejusque copias educere, & bellum ab ipſo inchoatum contra eundem, ſive in Polonia, ſive alibi, ubicumque locorum, id, cum ejusdem belli ratio, tum pacis reducendae conſilia requirent, gerere, idque ita junctis viribus tamdiu proſequi velint, donec deſiderata communibus votis pax & ſecuritas conſtituatur. Si copiae praedictae bello huic patrando non ſuffecerint, de majoribus comparandis, pro temporum rerumque conditione inter partes conveniet, & tenebuntur interim iſtae omnibus ſibi viribus, ubi opus erit, mutuo aſſiſtere.

CCCXXXVI.

Approbatio per Leſzczynium Poſnanienſem Palatinum, nomine Regis Poloniæ facta. Absque Dato. *Indidem.* Anno 1658.

Cum ad inſtantiam Sereniſſ. ac Potent. Poloniae ac Sueciae Regis, Domini mei Clement. ac Reipubl. hodierna die Conventio inter Seren. & Potentiſſ. Hungariae & Bohemiae Regem, & Ser. Electorem Brandeburgicum de operationibus bellicis contra Regem Sueciae, & mutuam omnium defenſionem, & ſecuritatem ſtabiliendam, ac inprimis ad pacem reſtaurandam facta ſit, idcirco ego infra ſcriptus fidem facio, hanc praedictam Conventionem Sereniſſ. ac Potent. Regi, Domino meo clementiſsimo, gratam fore, eamque in iis, quae ſuam R. Majeſt. concernunt, approbandam & acceptandam eſſe, hoc ſcripto meo promitto.

CCCXXXVII.

Declaratio, quod Pax Olivenſis juribus Ducis Pruſſiæ, præcipue quoad traditionem Elbingæ, nocere non debeat. Dat. Varſaviæ 26. Jun. 1660. *Ex Archivo Neſviſienſi Principum Radiviliorum.* 1660.

Nos Joannes Casimirus DEI Gratia Rex Poloniae, &c. Significamus &c. Quod cum Illuſtriſsimi, Illuſtres, Magnifici & Generoſi, noſtri & Reipublicae Commiſſarii, ad Tractatus pacis perpetuae inter Nos, Regnumque noſtrum Poloniae, & M. D. Lithuaniae, noſtrosque Fœderatos & belli Socios ab una, & Sereniſsimum Regem Regnumque Sueciae parte ab altera, Olivae inſtitutos, Illuſtriſsimis, Illuſtribus, Magnificis & Generoſis, Sereniſsimi Electoris Brandeburgici Commiſſariis Articulum ſeparatum, declaratorium Articuli ſecundi, qui de Amneſtia & Redintegratione jurium in Inſtrumento pacis habetur, ut ſequitur, ediderint, isque a Partibus acceptatus ſit.

„ Nos infra ſcripti S. R. Majeſt. Reipublicaeque Polonae ad Tractatus Polono-Sueticos Legati Plenipotentiarii, notum facimus, quorum intereſt, vel ulla ratione intereſſe poterit, univerſis et ſingulis. Quandoquidem Inſtrumento pacis principali hodie ſubſcripto Articulus Amneſtiae, in quo tam communitatum, quam ſingulorum jura redintegrantur, forma generali conceptus eſt, et nulla ſpecialis

ANNO 1660. acquiſitorum tam in Pruſsia Ducali, quam extra eandem Sereniſsimo Electori Brandeburgico per Pacta cum S. R. Majeſtate Reque publica primum Velaviae, demum Bydgoſtiae inita, ac Conſtitutione Generali Comitiali approbata, ſuae Serenitatis Electoralis jurium, utpote independentiae Ducatus Pruſsiae, condeſcenſionisque in feudum Bythovienſis et Leoburgenſis Diſtrictuum, in Palatinatu Pomeraniae exiſtentium, tum et juris competentis in Civitatem Elbingenſem, nec non Praefecturam Drahimenſem, in eodem facta eſt mentio, ne id in praejudicium memoratorum ſuae Serenitatis Electoralis jurium trahi poſſet, plures modi ratione incluſionis praedictorum in praefato Articulo Amneſtiae propoſiti fuere. Cum autem partibus nequaquam ſatisfacere tuto potuiſſent, tandem prudenti Illuſtriſsimi & Excellentiſſ. Domini Chriſtianiſsimi Regis Legati mediatione, ac indefeſſo ſtudio maturandae pacis gratia convenit, ut peculiari Articulo, qui tamen pro inſerto pacis Inſtrumento haberi, ejusdemque valoris eſſe debet, ea ipſa jura Sereniſsimo Electori Brandeburgico caverentur, quod et factum eſt a Legatione Suetica per ſequentem Articulum, tenoris eiusmodi:

„ Legatio Suetica declarat Sereniſſimi Regis Regnique Sueciæ nomine, ea, quæ in Inſtrumento pacis, Articulo ſecundo de redintegratione jurium diſponuntur, non debere concernere ditiones, ſtatus, civitates, terras & loca, quæ a ſua Serenitate Electorali poſſidentur, nec eo trahenda; neque obſtare eundem Articulum, quo minus ſuæ Serenitati Electorali Elbinga, jure, quod eidem ſuæ Serenitati Electorali competere poteſt, tenenda tradatur, ſalvis de cætero ejusdem civitatis privilegiis, & immunitatibus, tam in Eccleſiaſticis quam politicis, ſalvo itidem jure retractus conventionalis Sereniſſimo Regi & Reipubl. Poloniæ quoad Elbingam. Qui quidem Articulus tanquam ſi in ipſo Inſtrumento pacis eſſet inſertus, ibidemque cum aliis appoſitus, ejusdem cum eo valoris (ut ſupra dictum eſt) eſſe haberique debeat.

Proinde & Nos infra ſcripti Legati Commiſſarii cum plena poteſtate Sac. Reg. Majeſtatis & Statuum Reipub. eorundem nomine mentem noſtram præſenti itidem Articulo, quem pro inſerto, & ejusdem cum Inſtrumento pacis valoris haberi volumus, declaramus, palamque facimus, Articulum Amneſtiæ generalis in Inſtrumento pacis contentum, nullatenus poſſe vel debere juribus ſuæ Serenitatis Electoralis, tam antiquis, quam noviter acquiſitis, & in ſpecie traditioni Elbingenſis civitatis juxta pacta cum ſua Serenitate Electorali inita derogare & præjudicare, imo eadem pacta in omnibus eorundem articulis, punctis & clauſulis, ſalva & integra conſervare, & manutenere. In cujus rei fidem præſentem declarationem manibus noſtris ſubſcripſimus, ſigillisque noſtris gentilitiis roboravimus die tertia Maji, Anno Domini 1660. in Monaſterio Olivenſi. ANNO 1660.

Georgius Lubomirſki Supremus Mareſchalcus, Generalisque exercituum Regni, Joannes Comes de Leſzno, Palatinus Poſnaniæ, Majoris Poloniæ Generalis, Mariæburg. Korſunenſis Capitaneus, Nicolaus Pražmowſki Epiſcopus Luceorienſis & Breſtenſis, Regni Cancellarius Supremus, Chriſtophorus Pac Suprem. Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarius; Joannes Andreas Morſztin Referendarius Regni, Vladislaus Reji Theſaurarius Curiæ Regni, Joannes Gninſki Succamerarius Pomeraniæ, Capitaneus Gneſnenſis. „

Nos itaq; JOANNES CASIMIRUS eadem gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. Promittimus & recipimus Regio noſtro, Succeſſorum ac Poſterum noſtrorum & Reipublicæ Poloniæ nomine, Nos præmiſſum Articulum, omniaque & ſingula in eo comprehenſa capita approbare & ratihabere, ſicuti vigore quoque præſentium approbamus & ratihabemus, ita, ut ejusdem auctoritatis, cum Inſtrumento principali eſſe debeat & haberi, nec paſſuros, ut ab ullo Reipubl. Statu, vaſallo, Officiali aut ſubdito quovis modo violetur: cavemusque Diplomata ratificationis hujus pacis, tam hoc noſtrum, quam Senatorum & Equeſtris Ordinis a Nobis & Republica Poloniæ Lege comitiali Delegatorum in proximis Comitiis Regni Generalibus Conſtitutionibus & Volumini Legum Reipublicæ inſertum iri. In cujus rei fidem & certitudinem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo Regni communiri juſſimus. Dabantur Varſaviæ in Convocatone ſolenni die 26. Menſis Junii, Anno 1660. Regnorum noſtrum Poloniæ & Sueciæ decimo tertio.

JOANNES CASIMIRUS Rex.

(L.S.)

Stephanus Hankiewicz Secretarius Reg. Majeſt.

CCCXXXVIII.

Ratificatio ejusdem Articuli per Ordines Reipubl. Dat. Varſaviæ eodem die & Anno. *Indidem.*

Nos

ANNO 1660. Nos Senatores & Equeſtris Ordinis a Sereniſſimo Rege & Republica Poloniæ Lege Comitiali Delegati Commiſſarii conſtare volumus, quorum intereſt univerſis & ſingulis. Quod cum Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Domini S. R. M. Domini noſtri Clementiſſimi & Reipublicæ Commiſſarii, ad Tractatus pacis perpetuæ inter Sacr. Reg. Majeſtatem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, Regnumque Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ, eorundem Fœderatos & belli ſocios, ab una, & Sereniſſimam Regiam Majeſtatem, Regnumque Sueciæ, parte ab altera: Olivæ inſtitutos, virtute poteſtatis a Sacr. Reg. Majeſtate, tum & a Republica illis facta Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis Dominis Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Commiſſariis articulum ſeparatum declaratorium articuli ſecundi, qui de Amneſtia & de Redintegratione jurium in Inſtrumento pacis habetur, ut ſequitur, ediderint, isque a partibus acceptus ſit.

Nos infra ſcripti Sacr. Reg. Majeſtatis Reipublicæque Poloniæ &c. ut ſupra *pag. 499. & ſeq.*

Nos Senatores & Equeſtris Ordinis a Sereniſſimo Rege & Republica Poloniæ Lege Comitiali Delegati Commiſſarii promittimus, recipimus, vi poteſtatis Nobis a Republica conceſſæ, nomine ejusdem, Nos præmiſſum articulum, omniaque & ſingula in eo comprehenſa capita juxta Conſtitutionem Regni Anni 1659. approbare & ratihabere, ſicut vigore quoque præſentium approbamus & ratihabemus, ita, ut ejusdem authoritatis cum Inſtrumento principali eſſe debeat, & haberi. Nec paſſuros, ut ab ullo Reipubl. Statu, Vaſallo, Officiali, aut ſubdito quovis modo violentur. Cavemusque & promittimus, Diplomata Ratificationis hujus pacis tam Sacr. Reg. Majeſtatis, quam hoc noſtrum in proximis Comitiis Regni Generalibus Conſtitutionibus & Volumini Legum noſtrarum inſertum iri.

In quorum omnium fidem præſens hæc approbatio manuum noſtrarum ſubſcriptione ſigillisque, nomine Senatus, Celſiſſimi Primatis Regni, nomine vero Deputatorum ex Ordine Equeſtri, Illuſtriſſimi Domini Succamerarii Pomeraniæ, tanquam proxime præteritorum Comitiorum Mareſchalci, firmata & roborata, eaque eandem vim atque robur, ac ſi omnium atque ſingulorum Deputatorum appenſa eſſent ſigilla, habitura eſt. Datum Varſaviæ in Convocatione ſolenni die 26. Menſis Junii Anno Domini 1660.

Venceslaus Comes de Leſzno Archiepiſcopus Gneſnenſis, Caſimirus Dux Czartoryſki Epiſcopus Vladislavienſis, Joannes Stephanus Wydżga Epiſcopus Varmienſis, Thomas de Leżenice Epiſcopus Chełmenſis, Thomas Vieyſki Epiſcopus Kiovienſis, Georgius Białłozor Epiſcopus Smolenſcenſis, Severiæ & Czerniechovienſis, Joannes Carolus Kopec Palatinus Płocenſis, Caſimirus Iwlaſzewſki Palatinus Breſtenſis, Andreas Trzebicki Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiæ, Joannes Zawiſza Epiſcopus Vilnenſis, Joannes Gembicki Epiſcopus Plocenſis, Nicolaus Stephanus Pac Palatinus Trocenſis, Vladislaus Comes de Leſno Palatinus Lancicienſis, Adamus Matthias Sakowicz Palatinus Smolenſcenſis, Adminiſtrator Theſaur. Magni Ducatus Lithuaniæ, Joannes Tarło Palatinus Lublinenſis, Stanislaus Laſkowſki Palatinus Plocenſis, Alexander Naruſzowicz Procancellarius Magni Ducatus Lithuaniæ, Joannes Caſimirus in Craſne Supremus Regni Poloniæ Theſaurarius, Łomzenſis, Praſnicenſis Gubernator, Lucas Opalinſki Mareſchalcus, Chriſtophorus de Grzymultowice Grzymultowſki Caſtellanus Poſnanienſis, Alexander Sielſki a Sieloſz Caſtellanus Gneſnenſis, Joannes Wielopolſki Caſtellanus Woynicenſis, Varſavienſis Gubernator, Sigismundus de Pleſzowice Fredro Caſtellanus Sanocenſis, Andreas a Przyima Przyjemſki Caſtellanus Lenczycienſis, Albertus de Mokronow Mokronowſki Caſtellanus Ravenſis, Eremianus Dembinſki Caſtellanus Rogozinenſis Capitaneus Freydinenſis, Joannes Lubowicki Caſtellanus Chełmenſis, Joannes Lenowicz Mareſchalcus Oſmianenſis Deputatus, Nicolaus Roſochacki Judex Terreſtris, Palatinatus Trocenſis Deputatus, Joannes Chrapowicki Succamerarius Smolenſcenſis Deputatus, Vladislaus Sycinſki Dapifer Upitenſis Deputatus, Stanislaus Domaſzewſki Widlica Capitaneus Lukovienſis, Rotmagiſter Sacræ Regiæ Majeſtatis, Albertus Opadſki Succamerarius Varſavienſis, Capitaneus Latovicenſis Deputatus Terræ Varſavienſis, Albrachtus Laſocki Dapifer Terræ Wyſzogrodenſis, Deputatus Ducatus Maſoviæ, Joannes Albertus Lipſki Succamerarius Ravenſis, Inowlodienſis, Stanislavienſis Capitaneus, Georgius Tyſnicki Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius, Ducatus Oſwiecimenſis & Zatoryenſis Deputatus, Conſtantinus Alexandrowicz Subjudex Grodnenſis Deputatus, Samuel a Rudno Rudzienſki Vexillifer Czernenſis, Deputatus Ducatus Maſo-

ANNO 1660. Maſoviæ, Terræ Czernenſis, Joannes Korſak Succamerarius Polocenſis Deputatus, Chriſtoph. Ant. Obrinſki Succamerarius Nowogrodnenſ. Palatinat. Deputatus, Martinus a Obory Oborſki Succamerarius Terræ Livenſis, & ejusdem in Ducatu Maſoviæ Deputatus, Valerianus Petrikowſki Succamerarius Rozanenſis, Deputatus Ducatus Maſoviæ, Alexander a Bodżisław Wyſocki Venator Palatinatus Breſtenſis, Deputatus Palatinatus Inovladislavienſis, Joan. Ignatius Bakowſki Succamerarius Culmenſis, Conſiliarius Terrarum Pruſſiæ Deputat. Nicolaus Radzanow Łabicki Succamerarius Goſtinenſis, & Deputatus Palatinatus Ravenſis, Joannes Albertus in Mazenin Opacki Succamerarius Terræ Viſnenſ. Deputatus, Joannes Petrus Tucholka Notarius Terreſtris Palatinatus Pomeraniæ Deputatus.

CCCXXXIX.

1661. CAROLI II. *Magnæ Britanniæ Regis Privilegium, Civitati Gedan. conceſſum, de commercio libere in Anglia ejusdemque portubus exercendo.* Datum Weſtmonaſterii die 10. Auguſti 1661. *Ex Tabulario Illuſtr. Comitis Załuſki Epiſcopi Kiovienſis.*

CAROLUS, &c. Omnibus ad quos &c. Cum Proconſules Civitatis Gedanenſis literis ſuis ad Nos 28. die Menſis &c. a Nobis petierint, ut Statutum a Nobis promulgatum, quo prohibetur, ne ulla poſthac mercimonia in Regna noſtra invehantur, præterquam in navibus vel noſtratibus, vel eorum locorum propriis, ubi dicta mercimonia creſcunt, aut fiunt; non extendatur ad præjudicium dictæ civitatis, naviumque inde in Angliam commercia agentium: Nos ex gratia noſtra ſingulari, & in teſtimonium amicitiæ noſtræ erga dictam civitatem declaravimus, ac præſentibus hiſce declaramus, licere omnino dictis Gedanenſibus nautis ac mercatoribus impoſterum, ſicut hactenus conſueverunt, in portus & loca Regnorum noſtrorum navigare, & ibi commercia agere. Proviſo, quod dicti nautæ & mercatores, vel eorum factores, juramento coram Officiariis noſtris præſtito confirment, naves, quibus utuntur, aut uſuri ſunt, ad Gedanenſes proprie, abſolute & in perpetuum pertinere, eſſeq; ab ipſis fabrefactas, aut pretio emptas, non mercede ſolum conductas, quodq; nautæ ſupradictarum navium, aut major eorum numerus, dictæ Civitatis Gedanenſis incolæ ſint. Proviſo etiam, quod mercimonia, in dictis navibus onerata, vel oneranda, in territoriis dictæ Civitatis, vel in Boruſſia creſcant aut fiant, vel ſaltem aliunde in Portum Gedan. communiter primo advehantur, ut inde in alia loca & regiones tranſportentur. Quibus ſingulis rite præſtitis & obſervatis, volumus, ut dicti nautæ & mercatores Gedanenſes libere navigent in Regna noſtra, ibique commercia agant, abſque metu confiſcationis, moleſtationis, aut ullius periculi, non obſtante prædicto Statuto. In cujus rei teſtimonium haſce Literas noſtras Regali ſigillo noſtro muniri fecimus, & manu noſtra ſubſignavimus. Datæ &c.

CAROLUS Rex.

CCCXL.

1667. *Literæ* JOANNIS CASIMIRI *Regis Poloniæ ad Electorem Brandeburgicum, de cauſis dilatæ reſtitutionis Summæ Elbingenſis & Drahimenſis.* Dat. 20. Apr. 1667. *Ex Archivo Capituli Cracovienſis.*

QUæ Bydgoſtiæ inter Nos & Serenitatem Veſtram pacta, & juramentis confirmata fuerunt, ea Nos omnia (præter Elbingenſis & Drahimenſis ſummæ reſtitutionem, ex cauſis rationabilibus dilatam) prompte & benevole adimplevimus, noſtrumque Regium affectum non ignotis Orbi documentis plus quam abunde conteſtati ſumus. Quod vero in traditione Elbingæ & Drahimi, vel potius ſummarum non pari ſtatim promptitudine reſpondeamus, ea Nobis taliter imputari non debent, quaſi pactorum obſervationi minus a Nobis tribuatur; ſed cum a Serenitate Veſtra non adimpletas aliquas eorundem pactorum leges quivis facile dijudicaverit, hoc agebamus primum cum Legato Serenitatis Veſtræ in Aula noſtra reſidente, poſtmodum per Ablegatum noſtrum Extraordinarium, ut ſuper hiſce intervenientibus opportuna tractatione, & decentibus officiis ultimarie componeremus. Æquo animo ferat Serenitas Veſtra, paucis memorari, Brunsbergam ultra & præter pacta Serenitatis Veſtræ præſidio detentam, & gravibus contributionibus exhauſtam fuiſſe, continuato aliquot annis bello Polono Moſchovitico, in quo juxta pactorum tenorem Serenitas Veſtra arma & ſtudia, nempe ad expurgandam hoſte Poloniam No-

Anno 1667. Nobiſcum conjungere obligata erat, tali officio Serenitatem Veſtr. defuiſſe, novo poſtmodum exorto bello Coſatico, debitas equitum & peditum ſuppetias, quæ ſumptus noſtros relevaſſent, & laborantem rem Polonam adjuviſſent, non ſubminiſtraſſe. Exinde minus cauſæ habet Serenitas Veſtra, quod frequentius expoſtulationibus exiſtimationi noſtræ oneroſis utatur, quod aliquos quaſi malevolos, & affectibus ſuis obſequentes, a juſtitia transverſos in Aula noſtra, & gente Polona ſupponat, quod non oblatam, ſed obtruſam a Nobis bene merito Senatori Præfecturam Drahimenſem, Nosq; pactorum vel immemores Ananiæ & Saphiræ exemplis perſtringat. Hiſce talibus, aliisque diverſis attentatis dignitatem & decus noſtrum gravari, data hac literaria a Serenitate Veſtra occaſione, taciti præterire non poſſumus, conſcientia noſtra & judicio Orbis freti, Nos eximia, & ſæculo iſti rara amoris & benevolentiæ noſtræ teſtimonia erga Serenitatem Veſtram dediſſe, ejusque commodo & utilitatibus ad ſummum promovendis, re ipſa faviſſe. Porro quod per Ablegatum noſtrum nuper Serenitati Veſtræ nomine noſtro propoſitum eſt, idem nunc amanter repetimus, & cupimus, ut Serenitas Veſtra revocatis in memoriam tot officiis, a Sereniſſimis Regibus Poloniæ, Majoribus noſtris, erga Majores ſuos, atque a Nobis ipſis nuper erga Serenitatem Veſtram cumulatis, ea Nobis rigidius exigere deſiſtat, quæ difficillimo iſto tempore præſtare non valemus. Vel ſi poſtulatis noſtris nullum locum relinquere, ac gratificationem ſuam penitus denegare collibuerit, ut compenſatis, quæ ſuperius attigimus diſpendiis noſtris, in eum inſuper modum Nobiſcum convenire velit, ut parte aliqua copiarum auxiliarium, quas Nobis Serenitas Veſtra ex pactis juratis ſubmittere ad bella tenetur, eadem ac ejus poſteri in perpetuum exſolvantur. Nos vero viciſſim ab obligatione, tradendæ Elbingæ & Drahimenſis Præfecturæ, vel eorum potius loco numerandæ ſummæ conventæ liberemur. Tali ratione Serenitas Veſtra propenſi erga Nos, Remque publicam Polonam, & pactorum integritati, bonæque correſpondentiæ conſulentis animi reale documentum faciet, Nosque porro arctius ſibi ac Domui ſuæ Electorali obſtrictura eſt. Interim Serenitati Veſtræ longaevam valetudinem, & proſperos ſucceſſus a Deo precamur.

CCCXLI.

Anno 1670.

Renovatio Feudi ſuper Lavenburg & Bütaw. Dat. Varſaviæ die 5. Jul. Anno 1670. *Ex Archivo Regni Libr. RC. fol. 89.*

Michael Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Kioviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolenſciae, Severiae, Czernichoviaeque. Univerſis et ſingulis manifeſtum facimus & conteſtamur. Quod cum Anteceſſor noſter in Regno, Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Dominus Joannes Casimirus Rex Poloniae & Sueciae, Sereniſſimo Principi Domino Friderico Vilhelmo, Marchioni Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario, & Principi Electori, in Pruſſia, Magdeburgi, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnae & Carnoviae Duci, Burgrabio Norimbergenſi, Principi Halberſtadii, Mindae & Camini, Comiti Marcae & Ravensbergi, Domino in Ravenſtein, in Lavenburg & Bytau, Pactis Bydgoſtienſibus die ſexta Novembris Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo confectis, & poſtmodum ab Ordinibus Reipublicæ in Comitiis generalibus Varſaviæ Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octavo confirmatis, ex cauſis in prædictis pactis expreſſis, ſuæ Serenitati Electorali ejusdemque Poſteris maſculis duas præfecturas Lavenburgen. & Bitovien. cum pertinentiis, jure feudi pro ſe & Succeſſoribus ſuis Regibus Poloniæ dederit, conceſſerit, ac illam de prædictis arcibus & oppidis cum pertinentiis inveſtiverit, atque per Commiſſarium ſuum in quietam poſſeſſionem miſerit, eisdemque pactis cautum ſit, ut idem Sereniſſimus Elector ejusque ſucceſſores, a novo Poloniæ Rege per Conſiliarios ſuos, aut Officiales jus illud feudale de præfatis arcibus & oppidis, ad Regnum Poloniæ pertinentibus, recognoſcant, atque literas recognitionis & renovationis feudi a novis Regibus accipiant. Cumque Sereniſſimus Elector Brandeburgen. quæ ipſi ex pactis illis præſtanda incumbebant, præſtiterit, ac per Conſiliarium ſuum intimum Magnificum Joannem Liberum Baronem ab Howerbecke in Eichmedien, in Baranowo & Geyerswalde, Electoratus Dapiferum hæreditarium, jus iſtud feudale recognoverit tenore tali. „ Ego Sereniſſimi Electoris

Bran-

Anno 1670. Brandeburgici Conſiliarius & Officialis ad recognoſcendum juxta tenorem pactorum Bydgoſtienſium jus feudale de duabus Præfecturis Lavenburg & Bytau, cum omnibus & ſingulis earum pertinentiis, juribus, reditibus, & eminentiis, Delegatus Plenipotentiarius nomine ſuæ Serenitatis Electoralis, hoc ipſum jus feudale, ad Regnum Poloniæ pertinens, a Sacr. Reg. Majeſtate Veſtra, uti earundem Arcium & Oppidorum directo Domino recognoſco, literasque ejusdem recognitionis & renovationis feudi, prædictis pactis conformes, a Sac.Reg. Majeſtate Veſtra mihi extradi peto. „ Nos ratione habita pactorum ſæpius memoratorum, ſuamque Serenitatem Electoralem, Sereniſſimamque ejus Domum pari affectu proſequentes, vigore præſentium prædicto Sereniſſimo Electori, ejusdemque Poſteris maſculis, ex legitimo thoro ejusdem deſcendentibus, duas memoratas Præfecturas, Lavenburgenſem & Bitovienſem, cum omnibus & ſingulis earum ſubditis, vaſallis, fructibus, libertatibus, eminentiis, cenſibus, proventibus, juribus, & pertinentiis univerſis, tenendas, habendas, fruendas, utendas, & poſſidendas, in perpetuum jure feudi, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ, damus, concedimus, & de arcibus iſtis & oppidis Bytau & Lavenburg tenore præſentium inveſtimus. Præterea de ampliori gratia & benevolentia noſtra, Serenitatem ejus, ac illius hæredes, ab omni juramento, necnon tributis & exactionibus quibuscunque Nobis & Succeſſoribus noſtris ratione dictarum arcium & oppidorum præſtandis, dimittimus & liberos facimus, prout olim a Ducibus Pomeraniæ eædem Præfecturæ Bytau & Lavenburg tenebantur. Pollicemur præterea pro Nobis & Succeſſoribus noſtris, dictum Sereniſſimum Principem, ac ejus hæredes in prædictis arcibus, & earum pertinentiis, quantum in Nobis eſt, defendere ac tueri. Tenebitur autem & obligatus eſſe debebit præfatus Sereniſſimus Elector, ejusque Succeſſores, ad ſingulas Succeſſorum noſtrorum Regum Poloniæ Coronationes Conſiliarios & Officiales ſuos mittere, qui hoc ipſum jus feudale de præfatis arcibus & oppidis, ad Regnum noſtrum pertinentibus, recognoſcant, & literas ejus recognitionis & renovationis feudi, quæ gratis illis debent dari, a novis Regibus accipaint. Quodſi aliqua legitima cauſa impediti, hoc officium & debitum in Coronationibus Succeſſorum noſtrorum non fecerint, nihil ea negligentia illis detrimenti afferre debebit, dummodo alio brevi tempore, poſt Coronationem præſtare id curaverint. Ubi vero ipſe Sereniſſimus Princeps Dominus Fridericus Vilhelmus Marchio & Elector Brandeburgenſis, in Pruſſia Dux, ſine legitimis maſculis feudi hæredibus vel eorum legitimi maſculi feudi hæredes non relicta prole virili decederent, ſtirpsque & progenies eorum maſcula & legitima deficeret, extunc prædictæ arces & oppida Bytau & Lavenburg, cum omnibus ſuis bonis, ſubditis, vaſallis, fructibus, libertatibus, juribus, eminentiis & pertinentiis univerſis, ac cum pleno jure & poſſeſſione, citra omnem difficultatem, ad Nos, Succeſſores noſtros Reges Poloniæ redibunt. Religionis Catholicæ exercitium in præfatis Præfecturis Lavenburgenſi & Bitovienſi, prout ad hunc usque diem fuit, liberum erit. Jurisdictio Epiſcopi Vladislavienſis in Templa Catholica Sacerdotesque integra manere, & proventus, videlicet decimæ, cenſus, & ſi quæ ſunt aliæ, Parochis & Eccleſiis ſuis extradi, & renuentes ad extradendum a Præfectis ſuæ Serenitatis cogi debebunt. Cauſæ tam Nobilium quam Plebejorum matrimoniales ad forum Eccleſiaſticum pertinebunt. Nobilitas juribus, privilegiis, bonisque ſuis eodem modo, ac ſub immediato Dominio Regum Poloniæ utebatur, utetur, fruetur q; ſub ſua Serenitate Electorali. Gubernationis & appellationum ratio eadem erit, quæ fuit ſub Ducibus Pomeraniæ, ſalvis privilegiis. Iura Patronatus Regii reſervantur ejus Serenitati Electorali & Nobilibus, ſi quæ habent, juxta privilegia & uſum eorundem, ita tamen, quod juxta declarationem circa Bidgoſtienſem Conventionem, ab ejus Serenitate factam, ad Eccleſias Catholicas Parochiales præſentabit ejus Serenitas Electoralis Sacerdotes Catholicos, ad commendationem Epiſcoporum Vladislavienſium, ab iisdemque Epiſcopis inſtituendos, ita, ne Eccleſia ultra duorum Menſium ſpacium vacare poſſit. In cujus rei fidem præſentes recognitionis & renovationis ac conceſſionis feudi literas Regia manu noſtra ſubſcripſimus & ſigillo Regni communiri juſſimus. Datum per manus Reverendi in Chriſto Patris Domini Andreæ Olſzowſki Epiſcopi Culmenſis & Pomeſaniae, Vicecancellarii Regni. Varſaviae die quinta Menſis Julii Anno Domini MDCLXX. Regni vero noſtri primo Anno. Praeſentibus Reverend is, Magnificis, Generoſis & Nobilibus, Joanne Gembicki Plocenſis, Andrea Olſzowſki Culmenſi & Pomeſaniae, Vicecan-

Anno 1670. cecancellario Regni, Epiſcopis; Joanne Tarło Sandomirienſi, Vladislao Leſzczynſki Lancicienſi, Vladislao Rey Lublinenſi, Alberto Kraſiński Maſoviæ, Joanne Gninſki Culmenſi, Palatinis; Caſimiro Joanne Męciński Siradienſi, Alberto Mokranowſki Ravenſi, Alexandro Ludovico Niezabitowſki Bełzenſi, Rudzinſki Czerſcenſi, Joanne Oborſki Varmienſi, Caſtellanis; Joanne Clemente Branicki Curiae Regni Mareſchalco, Cypriano Paulo Brzoſtowſki M. D. L. Referendario & Notario, Theodoro Donhoff Regni Succamerario, Venceslao Leſzczynſki Regni Inciſore, Joanne Friderico ab Alten Bokun M. D. L. Pincerna, Generali Majore, Joanne Zaleſki Praefecto Culinae Regni, Andrea Gembicki Curiae Regni Venatore, Stanislao Lipſki Cracovienſi & Plocenſi Canonico, Majoris, Stanislao Bużenſki Gneſnenſi & Varmienſi Canonico, Minoris Cancellariarum Regni Regentibus, Joanne Stanislao Zbąſki Decano Lovicienſi, Gneſnenſi, Varſavienſi Canonico, Joſepho Bernardo Zebrzydowſki Canonico Cracovienſi, Camerae noſtrae Notariis, Andrea Leſzczynſki Abbate Czervinenſi, Hieronymo Olſzowſki Vielunenſi, Kapinoſenſi Capitaneo, Reginalis Majeſtatis Stabuli Praefecto Generali, Alberto Opacki Varſavienſi, Capitaneo Połocenſi, Vladislao Donhoff Pomeraniae, Joanne Tetwin Derpatenſi, Succamerariis; Petro Kochanowſki Radomienſis & Camerae noſtrae Notario, Franciſco Weſel Rożanenſi; Joanne Peſzczynſki Oſtrzeſzovienſi, Capitaneis; Joanne Witwicki Gneſnenſi, Conſtantino Brzoſtowſki Vilnenſi, Canonicis; Dębſki Decano Praemislienſi, Stanislao Węgierſki Praepoſito Kijovienſi, Joanne Wolowſki Varmienſi & Culmenſi, Georgio Donhoff Varſavienſi, Canonicis Secretariis noſtris; Stronſki Lublinenſi, Nicolao Narzyński Plocenſi Vexilliferis; Stanislao Żurowſki Dapifero Czerſcenſi & decretorum noſtrorum Curiae Regni Notario, Feliciano Wąſowicz Narvenſi, Alexandro Wolff Piaſecenſi, Obornicenſi, Ioanne Korzeniowſki Koſtenenſi, Grzybowſki Grodzicenſi, Stanislao Weſel Oſtrovienſi Capitaneis; Boguslao Ioanne Horain Iudice Generali, Ioanne Suſzczanſki Proſkura Pocillatore, Stanislao Kowalowſki Venatore & Nuntiis Kijovien. Martino Roſtocki Theſaurario Leopolienſi, Ioanne Georgio Przepędowſki Gvardiae noſtrae Capitaneo, Mathia Cielecki Iudice Marſchalcali, Stanislao Poniatowſki, ... Cerekwicki, Stephano Hankiewicz Decretorum Volhyniae Notario, Hieronymo Pinozi, Secretariis noſtris; Goſiewſki, Połubiński, Wołowicz, Słuſzka, Szczuka, Martino Stroński, Camerae noſtrae Familiaribus, Chriſtophoro Orłowſki Theſaurario Viſznenſi, Nicolao Wołowſki, Joanne Mniſzek, Franciſco Chynowſki Menſae noſtrae Dapiferis; Gaſparo Siemianowſki, Ioanne Pokrzywnicki, Andrea Caſimiro Dunin, Regni Notariis; Zairſki Linguarum Orientalium Interprete, Stanislao Baczyński Secretario noſtro & Cancellariae Regni, actusque praeſentis Notario, aliisque plurimis Nobilibus Incolis Regni & Magni Ducatus Lithuaniae. Anno 1670.

Poſt Recognitionem feudalem per Illuſtriſſimum Dominum Ioannem ab Howerbecke Deputatum Electoralem factam, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Andreas Olſzowſki Epiſcopus Culmenſis & Pomeſaniae Procancellarius Regni, infraſcripta legit.

Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter Clementiſſimus, nihil ſanctius ducit, quam ut antiquae neceſſitudinis, bonae amicitiae, & pactorum jura & nexus cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico Duce in Pruſſia integre & inviolabiliter obſerventur. Cum igitur vigore pactorum Bydgoſtienſium, Gratitudo Veſtra, uti ejus Serenitatis Conſiliarius & Officialis, atque ad hunc Actum ſpecialis Plenipotentiarius, jus feudale, ſuper Praefecturas Lavenburg & Bytau, cum earum omnibus pertinentiis a Sacr. Reg. Majeſtate tanquam earundem Praefecturarum naturali & directo Domino, ad praeſens recognoſcat, ejusmodi recognitionem Sacr. Reg. Majeſtas de Ampliſſimi Conſilii ſententia admittit, ac literas recognitionis ac renovationis ejus feudi, ex Cancellaria Regni extradi mandat: non derogando in futurum pactis, quae plures Conſiliarios aut Officiales ad talem Actum requirunt, quam praecautionem Gratitudo Veſtra admittit, tum & ſalvo juramento, quod per Conſiliarios aut Officiales futuris temporibus, circa tales Actus praeſtari debere Sacr. Reg. Majeſtas & Senatus exiſtimant, quae dubitatio ad Commiſſarios invicem nominandos, ſive ad Mediatores juxta pacta pro amica compoſitione, ac definitione refertur. Denique ut ejusmodi Recognitiones in Coronationibus Regum Poloniae peragantur, neque ſine legitima cauſa in aliud tempus differri poſſint.

ANNO 1672.

CCCXLIII.

Oblata Renovationis Pactorum cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico. Varſaviæ die 28. Menſis Martii Anno Domini 1672. *Ex Arch. Regni Libr. RB. fol. 79.*

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae &c. Significamus etc. Oblatas eſſe ad Acta praeſentia Metrices Regni Cancellariæ majoris Literas infra ſcriptas papyraceas quatuor chartarum, ſigillis 4. obſignatas et ſubſcriptas, continentes in ſe Renovationem et Confirmationem Pactorum ſeu Fœderum infra ſcriptorum, ſanas, ſalvas et illaeſas, omnique ſuſpicione vacuas. Quarum tenor ſequitur, eſtque talis.

„ *In Nomine Sacroſanctæ & Individuæ Trinitatis.*

Notum ſit univerſis et ſingulis, quorum intereſt, vel quomodolibet intereſſe poteſt. Quod deducendo ad executionem perpetui inter Sereniſſimos et Potentiſſimos Reges et Rempublicam Poloniae ab una, Electoresque Brandeburgicos, in Pruſſia etc. Duces parte ab altera, Fœderis, inconcuſſum robur firmitatemque habentia Pacta, et inprimis Articulum, quo diſponitur: ut quotiescunque novus Rex Poloniae electus fuerit, aut Dux Pruſſiae in Ducatu ſucceſſerit, idem Fœdus ab utraque parte renovetur, confirmeturque juramentis deſuper praeſtitis per Deputatos, in animam Principalium jurantes. Exiſtente nunc caſu novae in Republica Polona Electionis (conſtitutis prius ex mutua conventione eidem actui die locoque infra expreſſis) alte memoratorum tam Regiae Majeſtatis, quam Serenitatis Electoralis Deputati Plenipotentiarii. A parte quidem Regia Magnifici et Generoſi: Adrianus Zochowſki Caſtellanus Viſnenſis, et Albertus Opacki Succamerarius Varſavienſis, Sacrae Reginalis Majeſtatis Pocillator, ac Camerarius Regius, et Capitaneus Latovienſis; a parte vero Electorali Joannes Liber Baro ab Hoverbecke in Eichmedien, Baranowo, Geyerswalde et Domkau Dominus et Haeres, Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Conſiliariarius Status intimus, Electoratusque Dapifer haereditarius, Drahimenſis, Hohenſteinenſis Praefectus, Daniel a Tettau in Powarſchen, Marzhauſen Dominus et Haeres, Sereniſſ. Electoris Brandeburgici Aulae et Legationum Conſiliarius, et Loricenſis Capitaneus. praeſtituta die in Arce Varſavienſi comparuerunt, poſt mutuasque Plenipotentiarum tabulas, (quarum Apographa ſub finem hujus Inſtrumenti de verbo ad verbum ſunt inſerta) rite commutatas, ſequenti tenore in animas Principalium jurarunt.

Nos Adrianus Zochowſki Caſtellanus Viſnenſis, & Albertus Opacki Succamerarius Varſavienſis, Sacræ Reginalis Majeſtatis Pocillator, ac Camerarius Regius, & Capitaneus Latovienſis, a Sereniſſimo & Potentiſſimo Principe Domino, Domino MICHAELE *Dei Gratia Rege Poloniæ, Magno Duce Lithuaniæ, &c. &c. ad Renovationem & Confirmationem Pactorum, quæ die 19. Septembris Velaviæ, tum die 6. Novembris Bydgoſtiæ Anno 1657. cum Sereniſſimo Principe Domino* FRIDERICO VILHELMO *Marchione Brandeburgico, S. R. Imperii Archicamerario & Principe Electore, in Pruſſia &c. Duce &c. &c. nomine Inclyti Regni Poloniæ & M. D. L. concluſa & ſtabilita, & per Conſtitutionem omnium Ordinum totius Reipublicæ approbata & confirmata ſunt, Deputati Commiſſarii, nomine ejusdem S. R. Majeſtatis Poloniæ, ejusque Succeſſorum Regum. Quandoquidem præfata Pacta ſua Electoralis Serenitas per Illuſtriſſimos & Excellentiſſimos Dominos, Joannem Liberum Baronem ab Hoverbecke, & Danielem a Tettau, Deputatos ſuæ Ser. Electoralis Plenipotentiarios, in inſtanti quoque ratihabet, & juramento confirmat. Nos ex vi ſpecialis mandati in animam S. R. Majeſtatis juramus, quod S. R. Majeſtas prædicta Pacta in omnibus articulis, punctis & clauſulis obſervatura ſit, nec iisdem ſive directe ſive indirecte contraventura, aut contraveniri a ſubditis paſſura ſit. Sic Ipſam & nos Deus adjuvet per hæc Sancta Dei Evangelia. Amen.*

Joannes L. B. ab Hoverbecke, Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Conſiliarius Status intimus et Deputatus Plenipot.
Daniel a Tettau, Sereniſ. Electoris Brandeburg. Conſiliarius Aulae Legationum, et Deputatus Plenipo.

Formula Juramenti Deputatorum Electoralium.

Nos Joannes Liber Baro ab Hoverbecke, & Daniel a Tettau, a Sereniſſimo Principe ac Domino, Domino FRIDERICO VILHELMO *Marchione Brandeburgico, S. R. Imperii Archicamerario & Principe Electore, in Pruſſia &c. Duce &c. &c, ad Renovationem & Confirmationem Pactorum, quæ die 19. Septembris Velaviæ, tum die 6. Novembris Bydgoſtiæ Anno 1657. cum Rege & Regno Poloniæ, item cum*

ANNO 1672. *cum Magno Ducatu Lithuaniæ ſua Serenitas Electoralis iniit, quæque Reipubl. poſtmodum in Comitiis Regni Anno 1658. ſicuti nunc quoque Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus* MICHAEL *Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. &c. ratihabuit & confirmavit, Deputati Commiſſarii, nomine Serenitatis Electoralis pro Ipſa, ipſiusque Succeſſoribus Marchionibus Electoribus Brandeburgicis, in Pruſſia Ducibus, in animam ſuæ Serenitatis Electoralis vi ſpecialis mandati juramus: quod ſua Serenitas Electoralis prædicta Pacta in omnibus articulis, punctis & clauſulis obſervatura ſit, nec iisdem ſive directe ſive indirecte contraventura aut contraveniri a ſubditis paſſura ſit. Sic Ipſam & nos Deus adjuvet per hæc Sancta Dei Evangelia. Amen.*

Adrianus de Krajewo Zochowſki Caſtellanus Terrarum Viſnenſ. *mppr.*

Albertus Opacki Succamerarius Varſavienſis. *mppr.*

Utque hujus rei ad poſteritatem conſtet memoria fidesque, duo exemplaria ejusdem tenoris confecta, manibusque ac ſigillis propriis partium munita ac firmata ſunt.

Sequitur Apographum Mandatorum tam S. R. Majeſt. quam ſuæ Serenitatis Electoralis.

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc. etc. Notum teſtatumque facimus per praeſentes. Quod cum Pactis Bydgoſtienſibus cautum ſit, ut Pacta illa, quae Nobis et Regno Poloniae, ac Magno Ducatui Lithuaniae cum Sereniſſimo Principe Domino FRIDERICO VILHELMO Marchione Brandeburgico, S. R. Imperii Archicamerario et Principe Electore, in Pruſſia etc. Duce etc. etc. intercedunt, quotiescunque novus Rex Poloniae electus fuerit, ab utraque Parte renoventur et confirmentur, juramento deſuper praeſtito, per Deputatos in animam Principalium jurantes; Nos praedictis Pactis ſatisfaciendo, Magnificis et Generoſis Adriano Zochowſki Caſtellano Viſnenſi, et Alberto Opacki Succamerario Varſavienſi, Sereniſsimae et Potentiſsimae Reginae, Conſortis noſtrae Chariſsimae, Pocillatori et Camerario noſtro, Capitaneo Latovicenſi, in mandatis dederimus, ut ſuper memoratis Pactis Bydgoſtienſibus juramentum in animam noſtram praeſtent, atque ex altera parte per Deputatos Electorales praeſtandum audiant et excipiant. Quemadmodum praeſentibus hiſce ipſis injungimus: ut mediante tali juramento Pacta iſta renovent, confirment, eorundemque obſervantiam a parte noſtra promittant: prout et hiſce praeſentibus illam facultatem et plenipotentiam praedictis Legatis noſtris damus et concedimus. Ratihabentes omnia, quae hac in parte juxta Pactorum tenorem acturi ſunt. In cujus rei fidem hanc noſtram Plenipotentiam manu noſtra ſubſcriptam ſigillo Regni communiri juſſimus. Datum Varſaviae die 22. Menſis Martii Anno Domini 1672. Regni noſtri tertio Anno. ANNO 1672.

MICHAEL Rex (L. S.)

Nos FRIDERICUS VILHELMUS Dei Gratia Marchio Brandeburgicus, S. R. I. Archicamerarius et Princeps Elector, Pruſſiae etc. Dux etc. etc. Manifeſtamus praeſentibus et conteſtamur. Quod cum pactis Bydgoſtienſibus cautum ſit, ut Pacta illa, quae Nobis cum Sereniſsimo et Potentiſsimo Rege & Regno Poloniae ac M. D. Lit. intercedunt, quotiescunque novus Rex Poloniae electus fuerit, ab utraque parte renoventur et confirmentur, Juramento deſuper praeſtito per Deputatos in animam Principalium jurantes: Nos praedictis pactis ſatisfaciendo, Magnificis et Generoſis Conſiliario noſtro Status intimo, Aulae, et Legationum Conſiliario et Capitaneo Locenſi, ſincere et fideliter Nobis dilectis, Joanni Libero Baroni ab Hoverbecke in Eichmedien, Baranowo et Geyerswalde, Electoratus noſtri Dapifero haereditario, et Danieli a Tettau in mandatis dederimus, ut praeſtito prius juramento ſuper pactis a Deputatis Regiis in animam ſuae Reg. Majeſtatis juramentum iſtud, a parte noſtra in animam noſtram praeſtent. Quemadmodum praeſentibus hiſce ipſis injungimus, ut mediante tali juramento pacta iſta renovent, confirment, eorundemque obſervantiam a parte noſtra promittant. Prout et hiſce praeſentibus illam facultatem et plenipotentiam praedictis Deputatis noſtris damus et concedimus. Ratihabentes omnia, quae hac in parte juxta pactorum tenorem acturi ſunt. In cujus rei fidem hanc noſtram Plenipotentiam manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilloque noſtro Electorali firmari juſsimus. Dabatur in Arce noſtra Coloniae ad Spream die 9. Dec. An. 1671.

FRIDERICUS WILHELMUS
Elector. (L. S.)

ANNO 1672. Actum et datum in Arce noſtra Varſavienſi die 22. Menſis Martii, Anno Domini 1672.

Adrianus Zochowſki a Kraſowo Caſtellanus Terrarum Visnenſ. mppr.
(L.S.)
Albertus Opacki ut ſupra mppr.
(L.S.)
Joannes Liber Baro a Hoverbecke, Seren. Electoris Brandeburgici Deputatus Plenipotentiarius. mppr.
(L.S.)
Daniel a Tettau, Seren. Electoris Brandeb. Deputatus Plenipotentiarius. mppr."
(L.S.)

Quas quidem Literas, ut ſupra oblatas, Nos ad Acta praeſentia ſuſcipi, inſcribi, et ex eisdem fideliter de verbo ad verbum depromptas, parti poſtulanti in forma authentica ea extradi permiſimus. In cujus rei fidem etc. Actum et Datum etc. ut ſupra.

CCCXLIV.

1677. *Oblata Recognitionis Feudi ſuper Præfecturas Lavenburg. & Bitovien.* Varſaviæ 19. Maji 1677. *Acta inſcriptionum. Tom. I. fol. 148.*

Oblatas eſſe ad Acta Metrices Regni Cancellariæ noſtræ minoris literas pergameneas, manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo penſili Regni Cancellariæ minoris in pixide argentea munitas, continentes in ſe recognitionem feudi, ſuper Præfecturas Lavenburgenſ. & Bytovien. ſanas, ſalvas, illæſas, omnique ſuſpicionis nota carentes. Quarum tenor ſequitur & eſt talis.

„JOANNES Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c. Univerſis & ſingulis manifeſtum facimus, & conteſtamur. Quod cum Anteceſſor noſter in Regno Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Dominus IOANNES CASIRUS Rex Poloniæ & Sueciae, Sereniſſimo Principi Domino FRIDERICO VILHELMO Marchioni Brandeburgensi, Sacri Romani Imperii Archicamerario, & Principi Electori, in Pruſſia, Magdeburgi, &c. &c. Pactis Bydgoſtienſibus die ſexta Novembris Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, confectis & poſtmodum ab Ordinibus Reipublicæ in Comitiis Generalibus Varſaviæ, Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octavo confirmatis, ex cauſis in prædictis pactis expreſſis, ſuæ Serenitati Electorali, ejusdemque poſteris maſculis, duas Præfecturas Lavenburgenſem & Bitavienſem cum pertinentiis, jure feudi pro ſe & Succeſſoribus ſuis Regibus Poloniæ dederit, conceſſerit, & illam de prædictis arcibus & oppidis cum pertinentiis inveſtiverit, atque per Commiſſarium ſuum, in quietam poſſeſſionem miſerit, eisdemque pactis cautum ſit, ut idem Sereniſſimus Elector, ejusque Succeſſores, a novo Poloniæ Rege per Conſiliarios ſuos, aut Officiales, jus illud feudale de præfatis arcibus & oppidis, ad Regnum Poloniæ pertinentibus, recognoſcant, atque literas recognitionis & renovationis feudi a novis Regibus accipiant, cumque Sereniſſimus Elector Brandeburgens. quæ ipſi ex pactis iſtis præſtanda incumbebant, præſtiterit, ac per Magnificum & Generoſum Ioannem Liberum Baronem de Howerbeck Conſiliarium Status intimum, Electoratusque Dapiferum hæreditarium, jus iſtud feudale recognoverit, tenore tali. ANNO 1677.

Ego Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Conſiliarius, &c. ut ſupra pag. 504.

In cujus rei fidem præſentes renovationis ac conceſſionis feudi literas, Regia manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo Regni communiri juſſimus. Datum per manus Reverendi in Chriſto Patris Domini Ioannis Stephani Wydzga Epiſcopi Varmienſis, Procancellarii Regni, Varſaviæ die XVIII. Menſis Maji Anno Domini MDCLXXVII. Regni vero noſtri Anno III. Præſentibus Reverendiſſimo, Reverendis, Magnificis, Generoſis & Nobilibus. Andrea Olſzowſki Archiepiſcopo Gneſnenſi Legato Nato, Regni Poloniæ Primate, Primoque Principe, Andrea Trzebicki Cracovienſi, Duce Severiæ, Stephano Wierzbowſki Poſnanienſi, Ioanne Stephano Wydzga Varmienſi, Procancellario Regni, Stanislao Dąbſki Luceorienſi, Stanislao Hiacintho Swięcicki Chełmenſi Epiſcopis, Michaele Caſimiro Pac Vilnenſi, Supremo Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ Duce, Ioanne Tarło Sandomirienſi, Andrea Kotowicz Caſtellano Vilnenſi, Felice Caſimiro Potocki Siradienſi, Andrea Potocki Kiovienſi, Stanislao Ioanne Iabłonowſki Ruſſiæ, Regni Campiductore, Michaele Duce in Klewan Czartoryſki Volhyniæ, Vladislao Rey Lublinenſi, Demetrio Georgio Korybuth Duce in Wiſniowiec & Zbaraż Bełzenſi, Exercituum Regni Supremo Ductore, Ioanne Gninſki Culmenſi, Ioanne Stephano Bąkowſki Pomeraniæ, Palatinis; Chriſtophoro Grzymultowſki Poſnanienſi,

Anno 1677. enſi, Stanislao Skarſzewſki Voinicenſi, Stephano Ledochowſki Volhyniæ, Carolo Lużecki Podlachiæ, Caſtellanis; Stanislao Comite in Wiſnicz & Iaroſław Lubomirſki Supremo Regni Mareſchalco, Prophoro Pac Magni Ducatus Lithuaniæ Supremo Cancellario, Michaele Caſimiro Duce Radziwiłł Procancellario & Campiductore Magni Ducatus Lithuaniæ, Andrea Morſztyn Regni, Benedicto Paulo Sapieha Magni Ducatus Lithuaniæ Supremis Theſaurariis, Nicolao Hieronymo a Granow Sieniawſki Curiæ Regni Mareſchalco, Franciſco Prażmowſki Regni, Conſtantino Brzoſtowſki Magni Ducatus Lithuaniæ Supremis Secretariis, Gninſki Abbate Wągrovecenſi Spirituali, Joanne Bonaventura Kraſiński Sæculari Regni, Cypriano Brzoſtowſki Magni Ducatus Lithuaniæ, Referendariis; Theodoro Denhoff Succamerario Regni, Joanne Szomowſki Curiæ Regni Theſaurario, Hieronymo Comite in Wiſnicz & Jaroſław Lubomirſki Equite Melitenſi Regni, Joſepho Boguslao Służka Magni Ducatus Lithuaniæ Vexilliferis, Joanne Franciſco Bieliński Regni, Georgio Thyzenhauz Magni Ducatus Lithuaniæ Enſiferis, Stephano Stanislao Czarniecki Campeſtri Notario Regni, Stephano Bidziński Regni Supremo Excubiarum Præfecto, Marco Matczynſki Regni, Franciſco Sapieha Magni Ducatus Lithuaniæ, Stabuli Supremis Præfectis, Joanne Zbaſki Archidiacono Gneſnenſi, Nominato Epiſcopo Præmislienſi, Joanne Stanislao Witwicki Abbate Plocenſi, Infulato Olicenſi & Varmienſi Canonico, Regni, Andrea Olſſowſki Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellariarum Regentibus, Michaele Radziejowſki Præpoſito S. Michaelis Cracovienſi, Gneſnenſi, Varmienſi Canonico, Joanne Grabowſki Cancell. Lepolienſi, Archidiacono Uniejovienſi; Nicolao Swięcicki Officiali Generali Ducatus Maſoviæ, Stanislao Krajewſki Præpoſito Caliſſienſi, Cuſtode Lovicienſi, Alexandro Koſzonowſki Canonico Poſnanienſi, Stanislao Krzycki Caliſſienſi, Stephano Sarnowſki Lancicienſi, Carolo Romanowſki Chełmenſi, Theophilo Grzybowſki Czernenſi, Succamerariis; Petro Kochanowſki Radomienſi, Vladislao Morſztyn Kovalienſi, Martino Katſki Premislienſi Artilleriæ Regni Generali Præfecto, Martino Oborſki Livenſi, Alberto Conſtantino Brzeza Novodvorenſi, Capitaneis noſtris, Vladislao Skoroſzewſki Vexillifero Poſnanienſi, Nunciorum Terreſtrium in Comitiis proxime præſentibus Marſchalco, Stanislao Sicinſki Judice Premislienſi, Iacobo Rokitnicki Dobrinenſi, Nicolao Narzymſki Plocenſi, Vexilliferis; Athanaſio Miączynſki Colonello & Intimo Cubiculi noſtri Familiari, Remigiano Strzałkowſki Venatore Leopolienſi, Stephano Stankiewicz Decretorum Regni, Franciſco Pląſkowſki Theſauri Regni Notariis, Matthia Martino Ładowſki majoris, Nicolao Szulc minoris Metrices Actorum Regni Notariis & Secretariis noſtris. Aliisque quam plurimis Dignitariis, Officialibus, Equitibus Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ.

JOANNES Rex

Sigillum penſile Regni Cancellariæ Minoris.

Joannes Staniſlaus Witwicki Abbas Plocen. Inſul. Olicen. Regens Cancellariæ Regni."

Quam ſupra ſcriptam recognitionem feudi Nos in Acta preſentia ſuſcipi, iisdem inſeri, & parti poſtulanti authentice extradi mandavimus. In cujus rei fidem &c. Actum & Datum Varſaviæ Feria tertia poſt Dominicam *Cantate* proxima, die 19. Menſis Maji, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Regni noſtri Anno quarto.

Relatio Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Vicecancellarii Regni.

CCCXLIV.

1688. *Oblata Ratificationis Pactorum Velavienſium & Bydgoſtienſium, ſub* Joanne III. *Rege Poloniæ.* Varſaviæ 29. Jul. 1688. *Acta Inſcript. Tom. III. fol. 43.*

Joannes III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. Significamus &c. Oblatas eſſe ad Acta Metrices Regni Cancellariæ minoris, Literas infra ſcriptas, continentes in ſe Renovationem ſeu Ratificationem Pactorum perpetui fœderis noſtri, cum Sereniſſimo Principe Domino Friderico III. Marchione Brandeburgenſi, S. R. Imperii Archicamerario & Principe Electore, Pruſſiæ &c. Duce &c. Cognato & Fratre noſtro Chariſſimo, manibus infraſcriptorum Magnificorum & Generoſorum Plenipotentiariorum ſubſcriptas, ac ſigillis munitas, ſanas, ſalvas, illæſas, omnique ſuſpicionis nota carentes, quarum tenor ſequitur, eſtque talis.

Anno 1688.

„ *In Nomine Sacroſanctæ & Individuæ Trinitatis.*

Notum ſit univerſis et ſingulis, quorum intereſt, vel quomodolibet intereſſe poteſt. Quod deducendo ad executionem perpetui inter Sereniſſimos et Potentiſſimos Reges et Rempublicam Poloniae ab una, Electoresque Brandeburgicos, in Pruſſia Duces &c. parte ab altera, Fœderis, inconcuſſum robur firmitatemque habentia Pacta, et inprimis Articulum, quo diſponitur: ut quotiescunque novus Rex Poloniae electus fuerit, aut Dux Pruſſiae in Ducatu ſucceſſerit, idem Fœdus ab utraque parte renovetur, confirmeturque juramentis deſuper praeſtitis per Deputatos, in animas Principalium jurantes. Exiſtente nunc caſu novae in Ducatu Pruſſiæ ſucceſſionis (conſtitutis prius ex mutua conventione eidem actui die locoque infra expreſſis) alte memoratorum tam Regiae Majeſtatis, quam Serenitatis Electoralis Deputati Plenipotentiarii. A parte quidem Regia Magnificus Otto Fridericus Fölkerſamb Palatinus Czernichovienſis, & Generoſus Joannes Bonaventura Kraſinſki Referendarius Regni, Capitaneus Varſavienſis, Stumenſis, Praſnicenſis, a parte vero Electorali, Illuſtris Alexander Sacri Romani Imperii Burgravius & Comes a Dhona, Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Conſiliarius Status intimus, Monungenſis & Lipſtadienſis Capitaneus, & Generoſus Chriſtophorus a Wichert, Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Aulæ & Legationum Conſiliarius, præſtituta die in Palatio Regio Villanovienſi ad Varſaviam comparuerunt, poſt mutuasque Plenipotentiarum tabulas, (quarum Authographa ſub finem hujus Inſtrumenti de verbo ad verbum ſunt inſerta) rite commutatas, ſequenti tenore in animas Principalium jurarunt.

Nos Otto Fridericus, & Joannes Bonaventura, a Sereniſſimo & Potentiſſimo Principe Domino, Domino Joanne *Tertio DEI Gratia Rege Poloniæ, Magno Duce Lithuaniæ, &c. &c. ad Renovationem & Confirmationem Pactorum, quæ die 19. Septembris Velaviæ, tum die 6. Novembris Bydgoſtiæ Anno 1657. cum Sereniſſimo Principe Domino* Friderico Vilhelmo *Marchione Brandeburgico, S. R. Imperii Archicamerario & Principe Electore, in Pruſſia &c. Duce &c. &c. nomine Inclyti Regni Poloniæ & M. D. L. concluſa & ſtabilita, & per Conſtitutionem omnium Ordinum totius Reipublicæ approbata & confirmata ſunt, Deputati Commiſſarii, nomine ejusdem S. R. Majeſtatis Poloniæ, ejusque Succeſſorum Regum. Quandoquidem præfata Pacta Elect. ſua Seren. per ſupra memoratos Deputat. Plenipotentiarios in inſtanti quoque ratihabet, & juramento confirmat, Nos ex vi ſpecialis mandati in animam S. R. Majeſtatis juramus, quod S. R. Majeſtas prædicta Pacta in omnibus articulis, punctis & clauſulis obſervatura ſit, nec iisdem ſive directe ſive indirecte contraventura, aut contraveniri a ſubditis paſſura ſit. Sic Ipſam & nos Deus adjuvet per hæc Sancta Dei Evangelia. Amen.*

Anno 1688.

Formula Juramenti Deputatorum Electoralium.

Nos Alexander Sacri Romani Imperii Burgrabius & Comes a Dhona, & Chriſtophorus a Wichert, a Sereniſſimo Principe ac Domino, Domino Friderico III. *Marchione Brandeburgico, Sacri R. Imperii Archicamerario & Principe Electore, in Pruſſia &c. Duce &c. &c, ad Renovationem & Confirmationem Pactorum, quæ die 19. Septembris Velaviæ, tum die 6. Novembris Bydgoſtiæ Anno 1657. cum Rege & Regno Poloniæ, item cum Magno Ducatu Lithuaniæ ſua Serenitas Electoralis iniit, quæque Reſpubl. poſtmodum in Comitiis Regni Anno 1658. ſicuti nunc quoque Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus* Joannes III. *Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. &c. ratihabuit & confirmavit, Deputati Commiſſarii, nomine Serenitatis Electoralis, vi ſpecialis mandati juramus: quod ſua Serenitas Electoralis prædicta Pacta in omnibus articulis, punctis & clauſulis obſervatura ſit, nec iisdem ſive directe ſive indirecte contraventura aut contraveniri a ſubditis paſſura ſit. Sic Ipſam & nos Deus adjuvet per hæc Sancta Dei Evangelia. Amen.*

Utque hujus rei poſteritati conſtet memoria fidesque, duo exemplaria ejusdem tenoris confecta, manibusque ac ſigillis propriis partium munita ac firmata ſunt.

Sequitur Authographum Mandatorum tam S. R. Majeſt. quam ſuæ Serenitatis Electoralis.

Joannes III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc. etc. Notum teſtatumque facimus per praeſentes. Quod cum Pactis Bydgoſtienſibus cautum ſit, ut Pacta illa, quae Nobiſcum et cum Regno Poloniae, ac M. D. Lithuaniae cum Sereniſſimo Principe Domino Fri-

ANNO 1688. FRIDERICO VILHELMO Marchione Brandeburgico, *S.* R. Imperii Archicamerario et Principe Electore, in Pruſſia etc. Duce etc. etc. intercedunt, quotiescunque novus Rex Poloniae electus fuerit, aut Dux Pruſſiæ in Ducatum ſucceſſerit, ab utraque Parte renoventur et confirmentur, juramento deſuper praeſtito, per Deputatos in animam Principalium jurantes. Cum itaque poſt obitum memorati Sereniſſimi Electoris Sereniſſimus Princeps Dominus FRIDERICUS III. Marchio Brandeburgenſis, S. R. Imperii Archicamerarius & Princeps Elector, Pruſſiæ &c. &c. Cognatus & Frater noſter Chariſſimus, in prætactum Ducatum Pruſſiæ ſuccedat; Nos prædictis Pactis ſatisfaciendo, Magnifico Ottoni Friderico de Fölkerſamb Palatino Czernichovienſi, & Generoſo Joanni Bonaventuræ in Kraſne Kraſinſki Referendario Regni, Capitaneo noſtro Varſavienſi, Sztumenſi, Praſnicenſi &c. in mandatis dedimus, ut ſuper memoratis Pactis Bydgoſtienſibus juramentum in animam noſtram praeſtent, atque ex altera parte per Deputatos Electorales praeſtandum audiant et excipiant. Quemadmodum praeſentibus hiſce ipſis injungimus: ut mediante tali juramento Pacta iſta renovent atq; confirment, eorundemq; obſervantiam a parte noſtra promittant: prout et hiſce praeſentibus illam facultatem et plenipotentiam praedictis Legatis noſtris damus et concedimus. Ratihabentes omnia, quae hac in parte juxta Pactorum tenorem acturi ſunt. In cujus rei fidem hanc noſtram Plenipotentiam manu noſtra ſubſcriptam ſigillo Regni communiri juſſimus. Datum in Palatio noſtro Villanovienſi ad Varſaviam die vigeſima prima Menſis Julii, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo, Regni vero noſtri decimo quarto.

JOANNES Rex (L.S.)

Stanislaus Szczuka Regens Cancellar. Regni, Capitaneus Lublinenſ.

Nos FRIDERICUS Tertius Dei Gratia Marchio Brandeburgicus, *S.* R. I. Archicamerarius et Princeps Elector, Pruſſiae etc. Dux etc. etc. Notum facimus & teſtatum praeſentibus. Quod cum pactis Bydgoſtienſibus cautum ſit, ut Fœdus illud perpetuum, quod Nobis cum *S*er. et Pot. Rege inclytaq; Republ. Pol. ac M. D. Lit. intercedit, quotiescunque novus Rex Poloniae electus fuerit, aut Dux Pruſſiæ in Ducatum ſucceſſerit, ab utraq; parte renovetur et confirmetur, Juramento deſuper praeſtito per Deputatos in animam Principalium jurantes: ANNO 1688. Nos poſt luctuoſiſſima Divi Parentis noſtri fata, & ſuſcepta in Ducatu noſtro Pruſſiæ rerum gubernacula, prædictis Pactorum legibus quam exactiſſima fide ſatisfacere cupientes, Illuſtri & Generoſo Conſiliariis noſtris Status intimis, & Aulicis ſingulariter Nobis dilectis & fidelibus, Alexandro Burgravio & Comiti a Dhona, & Chriſt. a Vichert mandatum dedimus, ut praeſtito prius juramento ſuper pactis a *D*eputatis Regiis in animam ſuae Reg. Maj. juramentum iſtud quoq; a parte, noſtra in animam noſtram praeſtent. Quemadmodum praeſentibus hiſce ipſis injungimus, plenamque poteſtatem largimur ac concedimus, ut mediante tali juramento Pacta iſta renovent, confirment, eorundemq; obſervantiam a parte noſtra ſpondeant & promittant. Quidquid etiam a memoratis Deputatis noſtris, ſive ab utroque, ſive ab uno eorum, ſolum in hoc negotio, agi concludique contigerit, id omne Nos gratum, ratum & acceptum habituri ſumus eodem prorſus modo, ac ſi Nos ipſi coram illud feciſſemus, aut egiſſemus. In quorum omnium fidem majorem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilloque noſtro Electorali communiri juſſimus. Dabantur Coloniæ ad Spream die 30. Junii An. Dom. 1688.

FRIDERICUS Elector. (L.S.)

Tandem Nos a Sacra Regia Majeſtate, Domino noſtro Clementiſſimo, ad renovationem Pactorum alte memoratorum Deputati Commiſſarii, quemadmodum circa inchoationem Actus præſentis ſolenniter & clara voce manifeſtaturi ſumus, juramentum præſtandum nihil præjudicare Reipublicæ debere, neque poſſe; quo minus Reſpublica & Sacra R. Majeſtas, Dominus noſter Clementiſſimus, prætenſiones omnes, ob non ſatisfactionem Pactis Bydgoſtienſibus in nonnullis articulis, punctis & clauſulis a ſua Ser. Elect. mediis iis, quæ in Pactis extant ſpecificata, ſervatis gradibus in iisdem expreſſis, requirere poſſit; ita nunc præſtito juramento iterato præſenti ſcripto proteſtamur & manifeſtamus.

Quam quidem manifeſtationem, propter memoriam & fidem majorem, circa concluſionem iſtius Inſtrumenti, rite inter Nos commutati, inſeri curavimus.

Viciſſim Nos a Sereniſſimo Electore Brandeburgico, Domino noſtro Clementiſſimo, ad Renovationem Pactorum alte moratorum Deputati Commiſſarii, quemadmodum circa inchoationem Actus præſentis ſolenniter & clara voce remanifeſtati ſumus, juramentum præſtandum nihil præjudicare debere Sereniſſimo Electori,

ANNO 1688. ctori, neque poſſe, quominus ſua Serenitas Electoralis, Dominus noſter Clementiſſimus, prætenſiones omnes, ob non ſatisfactionem Pactis Bidgoſtienſibus in nonnullis articulis, punctis & clauſulis a Republica Poloniae, mediis iis, quæ in Pactis extant ſpecificata, ſervatis gradibus in iisdem expreſſis, requirere poſſit; ita nunc præſtito juramento iterato præſenti ſcripto proteſtamur & manifeſtamus. Quam quidem manifeſtationem propter memoriam & fidem majorem, circa concluſionem iſtius juramenti. rite inter nos commutati, inſeri curavimus. Datum in Palatio Regio Villanovienſi ad Varſaviam die 29. Menſis Julii, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo.

Otto Fridericus de Fölkerſamb Palatinus Czernichovienſis.
(L.S.)
Alexander S. R. Imp. Burgravius & Comes de Dhona.
(L.S.)
Joannes Kraſinſki Referendarius Regni. mppr.
(L.S.)
Chriſtoph. a Wichert mppr."
(L.S.)

Quam ſupraſcriptam ratificationem Pactorum Nos gratam & firmam habentes, haberique ab omnibus volentes, ad Acta præſentia ſuſcipi, iisdem inſcribi & ingroſſari, authoritate extradi mandavimus. in cujus rei fidem &c. Actum & Datum Varſaviæ Feria quinta poſt Feſtum S. ANNÆ Matris B. V. Mariæ, proxima die 29. Menſis Julii, Anno Domini 1688. Regni noſtri 14. Anno.

Relatio Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi in Chriſto Domini, D. Cardinalis RADZIEJOWSKI.

CCCXLV.

1698. *Renovatio Recognitionis Feudi ſuper Præfecturas Lavenburgenſem & Bytovienſem.* Dat. Varſaviæ 11. Septembris 1698. *Acta Inſcript. Tom. III. fol. 141.*

AUGUSTUS II. Dei Gratia Rex Poloniæ. Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c. Nec non hæreditarius Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ, & Veſtphaliæ, Dux, Sacri Romani Imperii Archimareſchalcus & Elector, Landgravius Turingiæ, Marchio Miſniæ, nec non Superioris ac Inferioris Luſatiæ, Burgravius Magdeburgenſis, Princeps Hennebergenſis, Comes Marcæ, Ravensbergæ & Barbii, Dominus in Ravenſtein. Univerſis & ſingulis manifeſtum facimus & conteſtamur. Quod cum Anteceſſor noſter in Regno Sereniſſimus Princeps Dominus JOANNES CASIMIRUS Rex Poloniæ & Sueciæ, Sereniſſimo Principi Domino FRIDERICO VILHELMO Marchioni Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario & Principi Electori, in Pruſſia, &c. Duci, &c. Pactis Bydgoſtienſibus die ſexta Novembris, Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo confectis, & poſtmodum ab Ordinibus Reipublicæ in Comitiis Generalibus Varſaviæ, Anno milleſſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octavo confirmatis, ex cauſis in prædictis pactis expreſſis, ſuæ Serenitati Electorali, ejusdemque Poſteris maſculis, duas Præfecturas Lavenburgenſem & Bytovienſem, cum pertinentiis, jure feudi pro ſe & Succeſſoribus ſuis Regibus Poloniæ dederit, conceſſerit, ac illam de prædictis arcibus & oppidis cum attinentiis inveſtiverit, atque per Commiſſarium ſuum in quietam poſſeſſionem miſerit, eisdemq pactis cautum ſit, ut idem Sereniſſimus Elector, ejusque Succeſſores a novo Poloniæ Rege per Conſiliarios ſuos, aut Officiales, jus illud feudale de præfatis arcibus & oppidis, ad Regnum Poloniæ pertinentibus, recognoſcant, atque literas recognitionis & renovationis feudi a novis Regibus accipiant. Cumque Sereniſſimus Princeps Dominus FRIDERICUS Tertius Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius & Elector in Pruſſia, &c. quæ ipſi ex pactis iſtis præſtanda incumbebant, præſtiterit, ac per Conſiliarium ſuum intimum Magnificum Ioannem Ditericum Liberum Baronem ab Hoverbeck in Eychmedien, Baranowo, Damkow & Geierſvaltt, Electoratus Dapiferum hæreditarium, jus iſtud feudale rocognoverit tenore tali. „ Ego Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Conſiliarius & Officialis ad recognoſcendum, juxta tenorem pactorum Bydgoſtienſium, jus feudale de duabus Præfecturis Lavenburg & Bytau cum omnibus & ſingulis earum pertinentiis, juribus, reditibus, eminentiis, Deputatus Plenipotentiarius, nomine ſuæ Serenitatis Electoralis, hoc ipſum jus feudale, ad Regnum Poloniæ pertinens a Sacra Regia Majeſtate Veſtra, uti earundem arcium & oppidorum directo Domino, recognoſco, literasque ejusdem recognitionis & renovationis feudi, prædictis pactis conformes, ANNO 1698.

ANNO 1698. mes, a Sacra Regia Majeſtate Veſtra mihi extradi peto. „ Nos ratione habita pactorum ſæpius memoratorum, ſuamque Serenitatem Electoralem, Sereniſſimamque ejus Domum pari affectu proſequentes, vigore præſentium prædicto Sereniſſimo Electori, ejusdemque poſteris maſculis, ex legitimo thoro ejusdem deſcendentibus, duas memoratas Præfecturas Lavenburgenſem & Bytovienſem, &c. ut ſupra *pag. 504.*

In cujus rei fidem præſentis recognitionis & renovationis, ac conceſſionis feudi literas Regia manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo Regni communiri juſſimus. Datum per manus Reverendi in Chriſto Patris Domini Georgii Albrachti Denhoff Epiſcopi Premislienſis, Præpoſiti Plocenſis, perpetui Abbatiæ Vitovienſis Adminiſtratoris, Supremi Regni Cancellarii, Varſaviæ die XXII. Menſis Iulii Anno Domini MDCXCVIII. Regni vero noſtri Anno ſecundo. Præſentibus Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo in Chriſto Patre, Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis, Reverendis, Magnificis, Generoſis, & Nobilibus, Michaele S. R. E. Cardinali Radziejowſki Archiepiſcopo Gnesnenſi, Legato Nato, Regni noſtri Primate, primoque Principe, Stanislao Dabſki Vladislavienſi, Andrea Załuſki Plocenſi, Nominato Varmienſi, Georgio Albrachto Denhoff Premislienſi, Supremo Regni Cancellario, Nicolao Swięcicki Kijoviae & Czerniechoviæ, Nominato Poſnanienſi, Nicolao Popławſki Livoniæ, Epiſcopis; Caſimiro Sapieha Vilnenſi Palatino, Supremo; Ioſepho Boguslao Słuſzka Caſtellano Vilnenſi, Campeſtri Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ Ducibus, Ioanne Odrowąż Pieniążek Siradienſi, Raphaele Leſzczynſki Lancicienſi, Majoris Poloniæ Generali; Martino Kątſki Kijoviae, & Artilleriae Regni Generali, Franciſco Gałecki Iunivladislavienſi, Dominico Słuſzka Połocenſi, Joanne Bonaventura Kraſiński Płocenſi, Alexandro Załuſki Ravenſi, Ioanne Georgio Przebendowſki Mariaeburgenſi, Ioanne Gninſki Pomeraniae, Franciſco Załuſki Czerniechovienſi, Ottone Felkierzam Livoniae, Palatinis; Alexandro Lipſki Siradienſi, Georgio Towjańſki Lancicienſi, Euſtachio Grothauz Samogitiae ..... Grzybowſki Iunivladislavienſi, ... Niſzczycki Sierpienſi, Caſtellanis; Stanislao Lubomirſki Mareſchalco, Hieronymo Lubomirſki Theſaurario Supremis Regni, Benedicto Sapieha Supremo Theſaurario & Notario Terreſtri Magni Ducatus Lithuaniae, Alexandro Sapieha Marſchalco Curiae Magni Ducatus Lithuaniae, ... Wyſzycki Secretario Regni Supremo, nominato Epiſcopo Chełmenſi, Stanislao Szczuka Referendario Regni, ... Wykowſki Referendario Magni Ducatus Lithuaniae, Caſimiro Bielińſki Succamerario, Stanislao Warſzycki Enſifero, ... Lubomirſki Subdapifero Regni, Michaele Sapieha Praefecto Stabuli, ... Ogińſki Subdapifero, Michaele Sapieha Vigiliarum Praefecto, Ioanne Caſimiro Wołkowicz Caſtrorum Praefecto, ... Frąckiewicz Vexillifero Curiae Magni Ducatus Lithuaniae, Theodoro Potocki Canonico Cracovienſi, nominato Epiſcopo Culmenſi, Adamo Roſtkowſki Archidiacono Dobrinenſi, Praepoſito Varſavienſi, ... Olſzewſki Canonico Varſaviensi, & Culmensi, Nicolao Tomiſławſki Varſaviensi, Secretario minoris Cancellariae Regni, ... Brolińſki Varſaviensi, Canonicis; Joanne de Tęczyn Oſſolińſki Coadjutore Abbatiæ Vitovienſis, Georgio Warſzycki Petricoviensi & Boleſłaviensi, Georgio Kirſenſtein Kryſzpin Orſanensi, ... Chalecki Moſiriensi, ... Lubomirſki Olſtinensi, Samuele Potocki Scalensi, Caſimiro Principe Czartoryſki Cremenecensi, ... Lubomirſki Praeſtaviensi, Michaele de Kozielſko Puzyna Werbkoviensi, ... Grothauz Vilkinensi, Capitaneis; Ludovico Pociey Breſtensi Magni Ducatus Lithaniae, Ioanne Caſimiro Brzezińſki Nurensi, Succamerariis; Maximiliano de Tęczyn Oſſolińſki Drohicensi, Sigilli Majoris Cancellariae Regni Præfecto, Caſimiro Zaranek Samogitiæ, Vexilliferis; Jacobo Pruſzewſki Samogitiæ, Procopio Lipſki Schovienſi, Joanne Wołczyńſki Mielnicenſi, Michaele Strutynſki Starodubovienſi, ... Lenkiewicz Mozyrenſi, Dapiferis; Caſimiro de Tęczyn Oſſolinſki Drohicenſi, Franciſco Łoſki Zacrocimensi, & Judice Caſtrensi Varſaviensi, Franciſco Laſkowſki Mielnicenſi, Pocillatoribus; Joanne Caſimiro Belſki Varſaviensi, & Notario Caſtrensi Lublinensi, Joanne Strutynſki Vilcomiriensi, Pincernis; Franciſco Dubrawſki Theſaurario Terræ Sanocenſis, ... Szembek, Stanislao Borek, Michaele Puzyna, Nicolao Michałowſki, Matthia Valentino Strzemberſki, Martino Kierſki Aulicis noſtris, Stephano Hankiewicz Decretorum Regni Notario, ... Denhoff Gwardiæ noſtræ Generali, ... Burnowſki Linguarum Orientalium Interprete, Gabriele Petro Szpilkowſki Secretario noſtro, & Cancellariæ Majoris Regni, Actusque præſentis Notario, ANNO 1698.

Anno 1698. rio, aliiſque plurimis Nobilibus Incolis Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ.

AUGUSTUS Rex.

(*Locus Sigilli Maj. in pixide argentea penſili cera rubra expreſſi.*)

Maximilianus de Tenczyn Oſſolinſki Vexillifer Drohicienſis, Sigilli M. R. Secretar. mpr.

Actum Varſaviæ feria quinta poſt Feſtum Nativitatis Beatiſſimæ Mariæ Virginis proxima, die ſcilicet undecima Menſis Septembris, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo.

Ad Relationem Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini, Domini Georgii Albrachti Denhoff Epiſcopi Premiſlien. Abbatiæ Vitovienſis perpetui Adminiſtr. Præpoſiti Cathedr. Plocens. Supremi Regni Cancellarii.

CCCXLVI.

Literæ ad Sereniſſimum ac Potentiſſimum Poloniæ Regem ac M. Ducem Lithuaniæ, a Sereniſſimo Electore Brandeburgico datæ, de occupatione Urbis Elbingæ. Coloniæ ad Spream 7. Octobris 1698. *Sylloge Tom. II. fol. 144.*

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Cognate, & Frater Colendiſſime.

Non poteſt latere Regiam Majeſtatem Veſtram, quibus olim conditionibus coaluerint ſacri & æterni fœderis Pacta, Velaviæ atque Bydgoſtiæ, Sereniſſimum Poloniæ Regnum inter & Nos confecta, nec ita pridem a Regia Majeſtate Veſtra more ſolito renovata ac confirmata, quas inter præcipua eſt, ut pro præſtita fideli opera & ſociatis armis, quibus inclyta Reſpublica ab interitu vindicata, ac in pristinum ſtatum & libertatem reſtituta, Urbs Elbinga Nobis traderetur. Quadraginta & aliquot excurrit annis, longum patientiæ documentum dedimus, expectantes, ut juſtiſſima iſta adimpleretur conditio. Sed cum poſt tot inanes preces & ſollicitudines ne ſpes quidem Nobis reliqua eſſet, traditionem iſtam ſponte & ex præſcripto Pactorum ſubſequuturam, facimus tandem, quod optimo Nobis dudum licuit jure, & quæ Nobis hactenus indebite negata fuit poſſeſſio iſtius Urbis, quamvis juſtiſſime, & ex fide jurata debita, eam ipſi, citra animum hoſtilem, imo & jam citra vim, ſi fieri poteſt, apprehendere conabimur. Sed ne Regiam Majeſtatem Veſtram, tot ac tantis gravioribus intentam rebus, longa juris ac facti enarratione diſtineamus, rogatam Eandem volumus, ut quo jure, quave juſtitia Urbis dictæ poſſeſſionem arripere ſtatuerimus, & quæ ſit mens atque intentio noſtra, ex ſcripto, literis hiſce adjuncto, perſpicere ſuſtineat; de cujus veritate ut liquidius conſtet, non veremur paucis heic repetere, quæ de mente ac deſtinatione noſtra ibi habentur, & coram Reg. Majeſtate Veſtra ſancte teſtari, Nos Fœdus iſtud æternum, nuper renovatum, quod cum Regia Majeſtate Veſtra & Inclyta Republica Nobis intercedit, inviolabiliter ſervaturos, & ex eodem præſtanda præſtituros, privilegia & jura Urbis Elbingenſis ex præſcripto Pactorum religioſe conſervaturos, ne ex eadem Urbe, quamdiu præſidio noſtro inſidebitur, quies ac ſecuritas Reipublicæ, inprimis Vicinorum, turbetur, aut vel minimum iiſdem periculum etiam ab hoſte externo inde creetur, ſumma ope curaturos: nec alio denique titulo Urbem Nos poſſeſſuros, niſi pignoratitio aut hypothecario, & cum Nobis de eo, quod juſte debetur, ſatisfactum fuerit, ſtatim & abſque ulla mora Urbem Regiæ Majeſtati Veſtræ atque Inclytæ Reipublicæ, juxta pactum conventum, Nos reſtituturos. Anno 1698.

De cætero veneramur Deum, ut Regiam Majeſtatem Veſtram omni felicitatis incremento quam diutiſſime ſervet incolumem ac florentem. Dabantur ex Arce noſtra Coloniæ ad Spream, die 7. (17.) Octobr. 1698.

FRIDERICUS *Elector.*

CCCXLVII.

Literæ ejusdem ad Cardinalem Primatem, ut & ad ſingulos Senatores Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, Elbingam occupatam concernentes, Dat. ibid. eodem die & Anno. *Indidem fol. 175.*

Eodem Anno, quo in lucem editi ſumus, æternum etiam Fœdus iſtud, quod cum Sereniſſima Republica indiſſolubili Nos conjungit vinculo, Velaviæ ac Bydgoſtiæ confectum eſt; ita diſpenſante rem tanti momenti divina providentia, ut non prius diei, quo vitæ uſuram

Anno 1698. ram accepimus, quam Fœderis iſtius & eorum, quæ ex eo utrinque debentur, memoriam deponere queamus. Et quidem, quanta cura ac ſolicitudine tum Divus Parens noſter, tum Noſmet ipſi Fœderis iſtius leges, quæ quidem ad Nos ſpectant, expleverimus, quodnam juvandæ Reipublicæ fuerit ſtudium, quæ pro ſalute ac conſervatione ejusdem opera ac fides intemerata, nemo rerum gnarus geſtarum ignorare poteſt. Nec & Inclyta Reſpublica aliud a ſe deſiderari paſſa eſt, niſi quod præcipuam Fœderis conditioem, qua Urbs Elbinga Nobis debetur, ac tradi debeat, hactenus, quo maligno neſcimus fato, inexpletam reliquerit. Non poteſt latere Dilectionem Veſtram (Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. *D*ominationem Veſtram, vel Illuſtriſſ. Dominationem Veſtram) tum clariſſima circa eandem urbem pactorum diſpoſitio, tum fruſtra per quadraginta, & quod excurrit annos, *D*ivi Parentis ac noſtra expectatio & patientia, aut ſi forte quid ea de re geſtum ſit, memoria exciderit, ſubjectum hiſce ſcriptum, quod fide actorum publica nititur, Eandem id luce meridiana clarius docebit. Sed cum ne quidem ſpes Nobis relicta eſſet, urbem ſponte & ex præſcripto pactorum traditum iri, facimus tandem, quamvis inviti ac reluctantes, quod jura divina ac humana non tantum permittunt, ſed et jubent; ut nimirum poſſeſſionem urbis, ex æterno ac jurato Fœdere Nobis debitam, ſed tanto temporis ſpatio negatam, ac fruſtra petitam, ipſimet, utendo jure noſtro, apprehendamus. Quid ſupereſt, quam ut pietatem, fidem æquitatem *D*ilectionis Veſtræ, Illuſtr. ac Reverend. *D*ominationis (vel Illuſtriſſ. *D*ominationis Veſtræ) appellemus, quibus freti non dubitamus, quin ipſamet factum ſit approbatura, quo Sereniſsimus *R*ex ac Inclyta Reſpublica a dedecore fidei non præſtitæ, ac æterni & jurati Fœderis violati liberantur. Quod quidem eo libentius *D*ilectionem Veſtram (&c. &c.) facturam ſperamus, quo certius de mente ac intentione noſtra edocta fuerit, quæ nimirum hæc eſt: Quod æternum iſtud cum Inclyta *R*epublica pactum Fœdus ſancte ac inviolabiliter ſervare, quæ Nobis ex eodem præſtanda incumbunt, religioſe præſtare, privilegia ac jura Urbis Elbingenſis integra conſervare, ſecuritati Optimæ Reipublicæ, quamdiu Urbs in noſtra poteſtate erit, ex eadem proſpicere, nec alio eandem poſsidere titulo ac jure velimus, quam hypothecario aut pignoratitio; ex quo conſequitur, ut ſi de eo, quod juſte Nobis debetur, ſatisfactum Nobis fuerit, Urbs illa ſtatim & ſine mora ex lege conventa reſtitui debeat, quod & ſancte ſpondemus. Qui de cætero *D*ilectioni Veſt. (&c. &c.) proſperrima quævis ex animo apprecamur. *Da*bantur ex Arce noſtra Coloniæ ad Spream die 7. (17.) Octobr. 1698. Anno 1698.

FRIDERICUS *Elector.*

CCCXLVIII.

Reſponſum Regis Poloniæ ad Electorem Brandeburgicum, in cauſa Elbingenſi. Dat. Varſaviæ 17. Nov. 1698. *Indidem fol. 146.*

Literae Serenitatis Veſtrae die 17. elapſi datae, & multo magis nunquam ſperata Civitatis noſtræ Regiæ Elbingenſis aggreſſio, merebantur antequam reſponderemus, Senatus Conſultum, quo illico huc convocato, atque intra hoſce dies expedito, quid aliud reſpondere poſſumus, quam quod univerſi ſtupeant, Serenitatem V. rem attentaſſe etiam poſteritati non credendam, fateri & ipſam, quadraginta & ultra annorum reſuſcitaſſe emortuam, imo tot, tantisque Reipublicæ prætenſionibus ſepultam hypothecam, tam crudis prius inſidiis, mox apertis armis, & quaſi nunquam, pro remiſſo Vaſallagio, conceſſum habuiſſet Fœdus hoſtium loco ſuorum, hoſtes Reipublicæ reputaturum, ipſa infeſtas copias innocuæ admovit, eandemque vi in ſuam ditionem cöegit. Jus hoc, quod Serenitas Veſtra ſcripto ſuo typis vulgato ſolenne vult facere, utiqne melius notum fuiſſe, glorioſæ memoriæ magno Parenti ſuo, tanquam primo Quæſitori, & tamen nunquam auſum quicquam ſimile præſenti caſui, imo maluiſſe illum Brunsbergam, & Travensburgam, loco non traditæ Elbingae, uti praetenderat, ex pactis Velavienſibus poſſeſſas evacuere ac reſtituere in manus Reipublicae, quam primo illi actui, qui procul dubio magis ſuberat, Proteſtantium in Republica difficultatibus, tradendae ſibi in Pruſſiam ſupremitati, derogare. Fuiſſe poſt haec toties ab eodem & Serenitate Veſtra, ſupra memoratis pactis repetita juramenta, ac quidem aequa ex parte Reipublicae, nolente Michaele, recuſante ultima vice per aliquot dies Joanne III. Sereniſſimis divae memoriae Praedeceſſoribus noſtris, ob validas atque graviſſimas Reipublicae praetenſiones. Et cur non eo potius tempore ſuſpenſis juramentis opponenda erat iſta praetenſio? Cur non ſaltem aliqua ante immediatum nuper Nobis, cum ſuper iisdem factum juramentum, injecta

ANNO 1698. mentio? Praeſertim cum Miniſtri a Nobis deſignati, diſtincte ſatis ad praetenſiones quasdam in ſcripto deſiderarent reſponſum, nec obtinuerant a Miniſtris Serenitatis Veſtrae. Nam quis crederet, Republica cum hoſte Chriſtianorum communi cruento implicita ac diſtenta bello, turbari illam ac vexari a tali Principe, qui bona malaque ejus pro ſuis propriis habere aeterno faedere, ac jurejurando obligatus erat? Denique ſi omnes circumſtantiae acerbiſſimae rei geſtae anteriores revocandae forent, factum hoc nemini placitum iri, niſi hoſtibus, cum quibus tam bellum atrox gerimus. Hanc etiam turbam, ac violatam Reipublicae a faederato Principe ſecuritatem, illis ſolis gaudio futuram, qui Nos undique & Patriam anguſtiatam cuperent. Haec non alio fine Serenitati Veſtrae omni fiducia inſinuanda cenſuimus, quam ut intelligere velit, illam exceſſiſſe metam debiti ſui erga Rempublicam hanc, cujus ſumma ſemper in Domum ejus, univerſo teſte Orbe, extitere beneficia; impegiſſe contra perpetui Fœderis pacta, jureque ſuo ex eis cecidiſſe, taleque auſum non modo ad intima usque hujus Patriæ penetraſſe, ſed noſtrum quoque honorem, ac prima Regni auſpicia, ſine omni præmiſſa amicabili requiſitione, extreme impugnaſſe, adeoque cunctos deſiderare, ut caſum iſtum ſummopere Reipublicae ac praeprimis Nobis gravem, Serenitas Veſtra quantocius redintegrandum, immediatumque Statum civitati reſtituendum curet & annitatur, vel id ſi minime libuerit, ſaltem nullius offenſae ac hoſtiſtilitatis loco ſit acceptum, ſi juſta laeſionis tantae reparatio quaeri, ac miniſtrari non intermittatur. De reliquo Serenitati Veſtrae bonam valetudinem intra proſperos faederum amicitiarumque ſucceſſus, precamur. Dabantur in Regia Varſaviae, die 17. Novembris 1698. Regni noſtri ſecundo.

CCCXLIX.

1699. *Declaratio Conſilii Varſavienſis ſuper negotio Elbingenſi* die 10. Novembris 1699. *Sylloge Tom. VII.*

Conſilium præſens Senatus, & Ordinis Equeſtris Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ, lege publica ad negotium Elbingenſe deſignatum literis ſuæ Celſitudinis Primatialis Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Michaelis Cardinalis Radziejowſki, Archiepiſcopi Gneſnenſis, Primatis Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ, poteſtate ſibi a Sacr. Reg. Majeſtate, Domino noſtro Clementiſſimo, pro tunc a finibus Regni abſente, convocatum, unanimi concordia, poſt plurimas prægrandes reflexiones ſenſit, concluſit, ac determinavit, cum ad perfectam undequaque Regni tranquillitatem immenſam S. R. M. D. noſtro, cujus auſpiciis omnia geruntur, gloriam poſt rehabitam ab Oriente quietem & pacem, domeſticum ac fere internum, utpote cum perpetuo fœderato Sereniſſimo Electore Brandeburgico, occaſione nuper captæ, validius quam juſtius Elbingæ, diſſidium plurimum interſit, omni meliori modo, donec in bella ſanguinisque effuſionem deſcendatur, ſervato S. R. Majeſtatis & Reipublicae honore aſſopire, eoque fine Conſilium præſens convocatum, nullatenus cum Miniſtris Sereniſſimi Electoris Brandeburgici, donec rationibus ſatisfactoriis qualitercunque læſæ Reipublicae proviſum fuerit, congredi voluerit, inſumptis tamen per decem dies conſultationibus ſingulari ac prudentiſſima opera ſuæ Celſitudinis Primatialis, in explorandis & reducendis mentibus dictorum Miniſtrorum allaboravit, aſt cum nil elicere potuiſſet, quam quod iidem Miniſtri ſummam ſibi integram quadringentorum millium Tallerum titulo hypothecæ Elbingenſis aſſecuratorum reluendam, & exolvendam, ante retraditionem Elbingæ indebite prætendant, nec id rationibus ullis, vel gradibus inſtructionis, ex primo conſilio promanatis, retundi voluiſſent, ſed tantummodo ad repetitas Principali ſuo inſinuationes ſeſe reciperent, ſpatium quindenæ requirerent; Conſilium vero præſens diutius fruſtra immorari contra dignitatem duceret, ſine tamen concluſione facta, ne occaſio abrupti negotii in Rempublicam rejiceretur, dilabi, & diſſolvi non expediret, ideo conſtanter ſtandum eſſe ultimo gradui inſtructionis ſuæ, non poſſe declarari majorem ſummam, niſi 300000. Talerorum Imperialium, cumque prompta pecunia non adſit, tali modo aſſecurandam praevia reſtitutione Civitatis Elbingenſis, integra danda eſſe in pignus clenodia ex theſauro Reipublicae Cracovienſi, utpote adamas magnus, & garnitura, tum Corona Czarea, Moſchovitica vocata, absque omni periculo vel mora quovis prætextu injicienda reſtituendi hujus pignoris, quamprimum praemiſſa ſumma exſoluta fuerit, exſolvenda autem praeſenti Conſilio aſſecuratum poſt immediata, Deo dante futura Comitia trimeſtri elapſo. Ne vero quaepiam inſufficientia pigno-

ANNO 1699.

Anno 1699. gnori huic praeſtando obiici poſſit, caſu quo in tempore praefixo ſumma exſoluta non fuerit, aliud ſubalternum pignus, nempe Territorium totum patronymicum Civitatis Elbingenſis apprehendendum ſuae Serenitati Electorali permittitur, retinendum tamen in ſtatu quo una cum clenodiis conceditur, donec ſumma praedicta 300000. Talerorum exſoluta fuerit, ea ſi a Miniſtris Brandenburgicis, poſtquam a ſuo Principali reſolutionem habuerint, acceptata fuerint, ſua Celſitudo Primatialis curabit praedicta clenodia, omni ſecuritate ſervata, Varſaviam deportari, Conſilium praeſens ad conficienda Inſtrumenta quietationis a Sereniſſimo Electore Brandenburgico de hypotheca Elbingenſi, & inde emergentibus, & viciſſim a Republica aſſecurationis ſummae, ſupra expreſſis mediis exſolvendae, obdeſtinare, ac invitare, non intermittet; quodſi vero tum aeque ac juſte declarata proſperam non reportarint reſolutionem, Conſilium praeſens nunc pro tunc proteſtari, quemadmodum amiſſae vicinitatis tranquillitatem antea, ita & inpraeſentiarum, negotium reſtabiliendae ejusdem non ex parte Reipublicæ ſed a Sereniſſimo Electore Brandenburgico violari, & abrumpi, Rempublicam totam ad terminos, in quibus erat, antequam Miniſter vel Miniſtri Sereniſſimi Electoris Brandeburgici ad dandas rationes ſatisfactorias admiſſi fuiſſent, redire, ipſosque Miniſtros abire debere, præſentis Conſilii Reipublicæ vigore.

CCCL.

1700. *Tractatus cum Sereniſſimo Pruſſiæ Duce de retraditione Elbingæ, & ſolutione 300. millium Talerorum per Rempubl. initus, Varſaviæ 12. Decembris 1699. confirmatus a S. R. M.* Dresdæ 9. Januarii 1700. *Sylloge Tom. VII.*

Nos Augustus Secundus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, &c. Notum facimus univerſis, & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poterit. Cum populorum ſalus ſuprema lex ſit, cui parere, regnare eſt, & a Nobis merito cenſeatur: ſalutis vero baſis inconcuſſa ſtet publica pace, atque inviolata tum interna, tum externa tranquillitate. Hinc eſt, ut ad regimen Regni noſtri, divino nutu ductuque evecti, nihil antiquius habeamus, quam pacato coeleſti ope intrinſecus Regno, perpetuo paci, ac quieti, & mutuae benevolentiae cum vicinis Principibus, uti nominatim cum Serenitate Electorali Brandenburgica, ſervandae ſtudeamus. Quapropter naſcentis nuper diſſidii flammis, occaſione occupatae Elbingae, propediem erupturis, opportune occurrentes, noſtris, ac Reipublicae, ex Conſilio per legem publicam deſignato, Commiſſariis plenipotentiariis omnimodam facultatem dedimus & conceſſimus, cum Miniſtris ſuae Serenitatis conveniendi, remque amicabiliter diſcutiendi, & pro jure, & dignitate, ut par eſt, componendi. Qui ad infra ſcriptas conditiones & puncta unanimiter devenerunt, omniaque, & ſingula utrinque firmarunt, in hunc, qui ſequitur, modum. Anno 1700.

In Nomine Domini Amen.

Notum ſit univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poterit. Fœdus perpetuum, atque amicitia Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem Dominum Augustum Secundum Dei Gratia Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, &c. Atque Regnum Poloniae, & Magnum Ducatum Lithuaniae inter, & Sereniſſimum Principem Dominum Fridericum Tertium Marchionem Brandenburgenſem, Sacri Romani Imperii Archicamerarium & Electorem, in Pruſſia, &c. inſperata nuper occaſione, occupatae per ſuam Serenitatem Elbingae, in tanto infenſius proruperat diſſidium, quanto minus haec olim praeviſa erant. Iſſet procul dubio ardens mali ſenſus in flammas atrocis belli, ni divina bonitas, vicibus meriti, vel demeriti Regnis pacem ac tranquillitatem adimens & reſtituens, prius mediatorias vicinorum, & amicorum Principum auctoritates, mox Conſilia Generalia Regni Comitiorum interjeciſſet, iisque moderamen ad res amice aſſopiendas, permiſſum fuiſſet, ac tandem a ſua Serenitate Electorali, admiſſio Miniſtrorum ejus, ad dandas rationes explicatorias, praetenſae laeſae Reipublicae indemnitati conſtanter expetita fuiſſet. Ii demum, poſtquam aſſenſu Sacrae Regiae Majeſtatis hic Varſaviae redintegrandae amicitiae ſincera declaratione, quod non animo laedendi, nec offendendi Rempublicam, praemiſſa facta fuerint, nomine Principalis ſui comparuiſſent, debite ad id inſtructi, literisque mandati muniti, atque ultimariam nuper congregati Reipublicae Conſilii declarationem a ſua Serenitate Electorali acceptatam eſſe declaraſſent, Conſilium Senatus, & Ordinis Equeſtris Regni, & Ma-

Anno 1700. gni Ducatus Lithuaniae, lege publica Generalium Regni Comitiorum, proxime praeteritorum, deſignatum, facultateque a Sacra Regia Majeſtate praemunitum, in abſentia ejusdem de Regno, ſub felici directione ſuae Celſitudinis Primatialis, Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Michaelis Cardinalis Radziejowſki, Archiepiſcopi Gneſnenſis, Primatis Regni Poloniae, & Magni Ducatus Lithuaniae, convocatum, cum iisdem Miniſtris, utpote Illuſtri, & Magnifico Joanne Dieterico Libero Barone ab Hoverbeck, in Eichmediens, Baranowo, Damkau, & Geyerwalde, Electoratus Brandeburgenſis Dapifero haereditario, Conſiliario ſtatus intimo, atque Ablegato Extraordinario, & Generoſo, ac Magnifico Godofredo Wernero Conſiliario Aulico, & Reſidente in Polonia ſuae Serenitatis Electoralis, in ſequentes deſcendit, & conceſſit tabulas.

I. Poſt factam modo præmiſſo mutuæ amicitiæ redintegrationem, omnis apprehenſæ Elbingæ, emanatorumque quorumvis inde ſcriptorum, & exacerbationum ab utrinque aboletur memoria; fœdus vero perpetuum, atque firma & ſecura amicitia ad terminos tum veterum, tum recentium Velavienſium pactorum integre ac inviolabiliter, indiſſolubili nexu & vinculo conſervanda reducitur, & reſtituitur.

II. Civitas Elbingenſis, prout recenter accepta, integre, ſine quavis demolitione repertorum ibi mœniorum ac fortificationum, quovis deinceps jure & prætenſione hypothecæ Elbingenſis, aliisque inde emergentibus in perpetuum abolitis, evacuato milite, retradenda erit die prima Menſis Februarii, Anno Domini 1700. præſentibus Commiſſariis, ad id muneris deſignatis, ſine ulla difficultate, & ſine quavis negotii exequendi protractione.

III. Præſidiarii ſuæ Serenitatis Electoralis omnia tormenta, mortaria, ſclopeta, bombardas, aliaque bellica inſtrumenta, tam munitiones quascunque proprias in civitatem importatas, libere, & abſq; cujusvis præpeditione aſportabunt, & avehent; quæcunque vero ad civitatem pertinent, nullo prætextu inde amovebuntur.

IV. Viciſſim a S. R. Majeſtate, & Republica Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniae neglecta quovis caſu ſumma trecentorum millium Thalerorum Imperialium, in vim reluitionis hypothecae Elbingenſis quadringentorum millium Thalerorum Imperialium, inde omnium emergentium, fide bona ſuae Serenitati Electorali, poſt Comitia Deo dante immediate proxime finita, vel non finita, elabente trimeſtri realiter hic Varſaviae exſolvenda declaratur, atque in majorem fidei publicae ſecuritatem certa clenodia ex Theſauro Regni, ſub ſigillis ejusdem Conſilii, atque Miniſtrorum regiſtro, in vim Reverſalium authentice ſpecificato, loco pignoris poſt evacuationem Elbingae inchoatam, poſtera die in manus Commiſſarii ſuae Serenitatis Electoralis ad id Plenipotentiam habentis, jure ſolennis depoſiti concedenda & tradenda erunt. Quae quidem clenodia integre, ac ſub ſigillis ſpecificatis, juxta regiſtrum reverſale, quamprimum ſumma praetacta exſoluta fuerit, absque omni mora, praetextu, vel quaſi imaginabili pro ſe, aut quapiam alia praetenſione, veluti ſolenne Reipublicae depoſitum, totaliter reſtituenda erunt. Anno 1700.

V. Quodſi ſtato tempore ob aliquos caſus ſumma praedicta exſoluta non fuerit, facultas permittitur ſuae Serenitati Electorali, integrum territorium patronymum Civitatis Elbingenſis pacifice, ſine quovis impedimento, una cum uſu fructu ſolito ejusdem territorii occupandi, illudque tamen ſine quavis innovatione, aut quocunque colore, fortalitii extructione, verum in ſtatu quo, una cum clenodiis tam diu poſſidendi, donec ſumma ſaepe dicta trecentorum millium thalerorum exſoluta fuerit. Quamprimum vero eadem exſolvetur, tam dictum territorium integrum, quam et memorata clenodia, ſub eadem, ut ſupra, cautela, nullam ſcilicet humanitus excogitandam injiciendo difficultatem, inviolabiliter reſtituenda & reddenda erunt ad manus ad id a Republica Deputatorum.

VI. Trajectum ſuper Viſtulam, uti & certa per ſuam Serenitatem Electoralem exactio, Strumgeld dicta, Commiſſione mutua, ſi, & in quantum contraria pactis, examinanda & ſopienda.

VII. In majorem affectus erga Regiam Majeſtatem & Rempublicam teſtificationem, a ſua Serenitate Electorali, ſumma quaevis, quocunque titulo apud Rempublicam, ex capite Sereniſſimi olim Domini Principis de Croje praetenſa, vel praetendenda, indeque emergentia perpetuo caſſantur, & annihilantur, nil juris inde ſibi, aut cuiquam nunc & inpoſterum reſervando.

VIII. Teſtimoniales ſuae Serenitatis Electoralis, pro Hetſchero valiturae, ad ipſius debitam exculpationem & libertatem in proximis, Deo favente, Comitiis omni

Anno 1700. omni meliori reſpectu in manus ſuae Celſitudinis Primatialis depoſitae, acceptantur.

IX. Reliqua omnia, ſublatis ab utrinque praetenſionibus, in vigore veterum & recentiorum Pactorum Velavienſium conſtituta firmiter permaneant, amicitia vera & indiſſolubilis, ad mutua partium utrarumque commoda perpetuo colatur & augeatur, & ſuper haec omnia ratificatoriae tam S. R. Majeſtatis, quam ſuae Serenitatis Electoralis, mutuae pro termino evocationis comportabuntur. In quorum fidem duo exemplaria ejusdem tenoris confecta, & ad invicem commutata, manibus propriis ſubſcripta, & ſigillis communita ſunt. Varſaviae die 12. Menſis Decembris 1699.

M. Cardinalis Radziejowſki Primas Regni & M. D. L.
(L.S.)

Nicolaus Swięcicki Epiſcopus Poſnanienſis.
(L.S.)

Andreas Załuſki Epiſcop. Varmienſis & Sambienſis.
(L.S.)

Georgius Albrachtus a Denhoff Epiſcopus Premyslienſis Supremus Regni Cancellarius, S. R. Imperii Princeps.
(L.S.)

S. Jablonowſki C. C. E. R. P. Dux Supremus.
(L.S,)

Joſephus Boguslaus Słuſzka Caſtellanus Vilnenſis, M. D. Lithuaniæ Dux Campeſtris.
(L.S.)

Georgius Towianſki Caſtellanus Lancicienſis-
(L.S.)

Franciſcus Grzybowſki Caſtellanus Junivladislavienſis.
(L.S)

Stephanus de Rychty Humiecki Dapifer Podoliæ, Colon. R. M.
(L.S.)

Lubomirſki Supremus Regni Poloniæ Mareſchalcus.
(L.S.)

Stanislaus Szczuka Procancellarius M. D. L.
(L.S)

Benedictus Sapieha Theſaurarius Supremus M. D. Lithuaniæ.
(L.S)

Michael de Kozielſko Puzyna, Viſtinenſis, Verbkovienſis Capitaneus.
(L.S.)

Franciſcus Loſki Pocill. Zakroczym. Judex & Vicecapitaneus Varſavienſis. Anno 1700.
(L.S.)

Joannes Dietericus L. B. ab Hoverbeck, Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Ablegatus Plenipotentiarius.
(L.S.)

Godofredus Werner, Sereniſſ. Electoris Brandeburgici Reſidens Plenipotentiarius.
(L.S.)

Ad firmandam itaque eandem pacem & tranquillitatem inter Nos, Regnumq; noſtrum ac M. Ducatum Lithuaniae, atque ſuam Seren. veteremque & ſinceram amicitiam ſtabiliendam, tum bonam vicinitatem conſervandam, hos omnes memoratos & ſingulos Articulos, in praeinſerto retradendae Elbingae Tractatu actos, conditos & concluſos, in omnibus & ſingulis eorum punctis, clauſulis & continentiis acceptamus, ratificamus, approbamus & confirmamus. Promittentes verbo noſtro Regio pro Nobis, ac Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniae, ac Regno noſtro, Magnoque Ducatu Lithuaniae, Nos omnia ſupraſcripta, in praeinſertis literis atque articulis conditis & concluſis expreſſa, firmiter & inviolabiliter obſervare, exequi & adimplere, neque illis quoquomodo contravenire, omni fraude & dolo penitus ſecluſis. In quorum omnium & ſingulorum fidem, majusque robur & teſtimonium, praeſentes Literas manu noſtra propria ſubſcripſimus, illasque ſigillo noſtri Regni communiri mandavimus. Dabantur Dresdae die 9. Menſis Januarii, Anno Domini 1700. Regni vero noſtri Anno tertio.

AUGUSTUS Rex.

Venceslaus Franciſcus Trzcinſki Pincerna Ravenſis, S. R. M. Secretarius.

CCCLI.

Commiſſariorum Reipublicæ Poloniæ Recognitio de Clenodiis ex Theſauro Regni acceptis, atque in hypothecam Sereniſſimo Electori Brandeburgico tradendis, juxta Tractatum, pro retraditione Elbingæ inſtitutum. Actum Cracoviæ in Theſauro Regni

ANNO 1700. gni die 9. Jauuarii 1700. *Ex Originali.*

Nos Commiſſarii Reipublicae ex Con. ſilio Senatus & Ordinis Equeſtris, in Comitiis proxime praeteritis in Anno 1699. ad Tractatum cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico de retraditione Elbingae inſtituto, & feliciter, divina ope, ſub auſpiciis & preſidentia Eminen. Cardinalis Radziejowſki, Archiepiſcopi Gneſ. Primatis Regni & Magni Ducatus Lithuaniae (cui ſit perennis exinde honor & gloria) in facultate, a Sacra Reg. Majeſtate, Domino noſtro Clementiſſimo, pro tunc extra fines Regni exiſtente, ad id operis ſpeciali Diplomate conceſſa, Varſaviae determinato, ad Theſaurum Regni pro clenodiis in hypothecam loco reluitionis ſummae, in eliberationem Elbingae condictae, deſignatis, Delegati, convenientes Cracoviam, & ſatisfaciendo commiſſo Nobis negotio, ad praeſentiam Magnifici Franciſci Comitis in Pieſkowaſkala Wielopolſki Capitanei Cracovienſis, & Perilluſtris Admodum Reverendi Pakoslai Lanckoronſki Canonici Cracovienſis, in loco & munere Perilluſtris Admodum Reverendi Hyacinthi Ruſocki Cuſtodis Theſauri Regni, protunc penes Theſaurum exiſtentis, accedentes ad dictum Theſaurum Regni, cum clavibus, ab Illuſtribus Senatoribus convectis, eundem Theſaurum aperuimus, in eoque, reſeratis ſeris arcae ferreae, extraximus inde, juxta inſtructionem noſtram, pixidem unam cum Adamante intus magno filis colligatam, & duobus ſigillis, uno Illuſtriſſimi olim Stanislai Małachowſki Palatini Poſnanienſis, altero Illuſtriſſimi Joſephi Słuſzka Caſtellani Vilnenſis ſignatam, & intactam, alteram pixidem cum ſigillis etiam integris, ſed filis diſciſſis, in qua inventa ſunt duo clenodia adinſtar inaurium antiquarum, variis lapidibus diſtinctarum, ex quibus adamantes locati facile excidere poſſunt, & una ex eis abſque pendente unione, & ſine auricula papyro involuta, & ſigillis cum ſubſcriptione Commiſſariorum Skarſzowys ſigillata, ſed diſciſſa, ſeparatim quatuor adamantes minuti, in ſacculo coriaceo involuti. Praeterea in eadem pixide repertae ſunt tres chartae, in duabus haec duo clenodia ſunt delineata; tertia vero charta diverſae figurae, cujus nullum ibi extabat clenodium. Praeterea exemimus Coronam Caream, ſive Moſchoviticam vulgo dictam, in ſua vagina, quae forſan erat ſupra filis leviter & duobus ſigillis ſignata, ſed haec fila invenimus diſciſſa. Et ita expedito hoc negotio juxta inſtructionem noſtram, & haec ſuperius ſpecificata clenodia extrahentes, arcam cum aliis variis intus clenodiis, iisdem ſeris, quibus erat clauſa, occluſimus, & ſigillis noſtris obſigillavimus. Clenodia vero ſigillis tam noſtris, quam Magnifici Capitanei Cracovienſis, & Perilluſtris Lanckoronſki Canonici Cracovienſis, locum tenentis Perilluſtris Cuſtodis Theſauri Regni, obſignata ad manus noſtras recepimus, & Theſaurum Regni, ut erat clauſus, & debite communitus, nihil omnino amplius praeter commiſſa et deſcripta clenodia ex eo deſumentes, in cuſtodia de lege praeſcripta reliquimus. In vim vero quietationis de receptis clenodiis praetactis, hanc noſtram relationem expreſſam ad manus Perilluſtris Cuſtodis damus, et ſimilem aliam in vim reverſalis in eodem tenore, cum ſubſcriptionibus Magnifici Capitanei Cracovienſis, et Perilluſtris Lanckoronſki Canonici Cracovienſis, locum tenentis pro tunc Perilluſtris Cuſtodis actualis, cum deſcriptione dictorum clenodiorum recipimus. Quod ſcriptum, in vim majoris roboris et firmitatis, manibus noſtris ſubſcribimus, et ſigillis noſtris communimus. Datum Cracoviae in Theſauro Regni die nona Menſis Januarii, Anno Domini 1700. ANNO 1700.

Franciſcus de Windiki Grzybowſki Caſtellanus Inovladislavienſis, Commiſſarius. mpp.
(L.S.)

Franciſcus Lanckoronſki Succamerarius Cracovienſis, Wielicenſis, Bochnenſis, Stobnicenſis Capitaneus, Commiſſarius ex Minori Polonia mppr.
(L.S.)

Caſimirus Pakoslaus Lanckoronſki Canonicus Cracovienſis, pro tunc locum tenens Perilluſtris Cuſtodis.
(L.S.)

Franciſcus Loſki Pocillator Zakroczymenſis, Judex Caſtrenſis Varſavienſis, Commiſſarius ex Majori Polonia.
(L.S.)

Quod depoſitum integrum prout ſpecificatum ad manus meas receptum, Magnificis Commiſſariis Elbingam pro retraditione ejusdem Civitatis, a Conſilio Deputatis remitto. Varſaviae 20. Januarii Anno 1700.

MICHAEL *Cardinalis* RADZIEJOWSKI *Primas Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ. mppr.*

CCCLII.

ANNO 1700.

CCCLII.

Statuta Commiſſionis Elbingenſis. Actum in Præpoſitorio Civitatis Elbingenſis Feria ſexta poſt Feſtum Purificationis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ proxima 1700. *Sylloge negot. publ. Tom. II. fol. 290.*

In præſentia Nobilium & ſpectabilium Bartholomæi Mejenreiſs Burgrabii, Theophili Helroingk Præſidentis, Alberti Stiemer, Caroli Ramſey, Eliæ Heine, Jacobi Braun, Joannis Rogge, Andreæ Brakienhaus, Iſaac Felerabent, Dominici Mejer, Jacobi Raule, Danielis Holet, Jacobi Wingk, Jacobi Lange, Chriſtiani Freschvenbergk, Erneſti Horn, Conſulum, tum ſpectabilium Franciſci Adæ Rohde Advocati, Abraami Lange, Israelis Hoppe, Joannis Alexandri Miller, Henrici Braun, Israelis Pain, Chriſtophori Langa, Sibaldi Barthzembergk, Danielis Fuchs, Davidis Rachſau, Auguſtini Niſtalgen, Eliæ Sachard, Danielis Ridchersdorff, Andreæ Jungschultz, Friderici Szubert, Jacobi Szreyter, Caroli Horn, Danielis Uterbergk, Chriſtiani Gooſe, Michaelis Szhultz, Petri Strezau, Andreæ Herman, Michaelis Lingk, Henrici Stoltz, Chriſtophori Szopp, Balthazari Puſerl, Samuelis Woitt, triginta duum Virorum. Nec non ſpectabilium Petri Poſſelier, Franciſci Eſchi, Alberti Stimer, Michaelis Willer, Secretariorum; coram Nobis Andrea in Załuſkie Kozietuły & Błędow Załuſki Epiſcopo Varmienſi & Sambienſi, Præſide Terrarum Pruſſiæ, Sacr. Rom. Imperii Principe, Georgio Towjański Caſtellano Lancicienſi, Radzicenſi, Stanislao in Szczuczyn & Radzin Szczuka Procancellario Magni Ducatus Lithuaniæ, Lublinenſi, Michaele de Kozielſko Puzyna Regente minoris Cancellariæ Magni Ducatus Lithuaniæ, Viſtinenſi, Verkonienſi Capitaneis; Vladislao Czarnkowſki Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ ad evacuandam Præſidio ſuæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ Civitatem Elbingenſem, tam ad cætera Commiſſionis negotia, Civitatem ipſam concernentia, examinanda, nec non ex Conſilio Generali lege publica concluſo exequenda vigore ſequentis Plenipotentiæ de tenore tali.

„ AUGUSTUS II. Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c. Nec non hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector &c. Notum teſtatumque facimus, quorum intereſt, aut intereſſe poterit. Quomodo Reverendiſſimus in Chriſto Pater, Illuſtriſſimi Magnifici & Generoſi Domini ex Senatu, Andreas in Załuſkie, Kozietuły & Błędow Załuſki Epiſcopus Varmienſis & Sambienſis, Præſes Terrarum Pruſſiæ, Sacr. Rom. Imperii Princeps, Joannes in Prebendow & Lezenko Przebendowſki Palatinus Mariæburgenſis, Kiſzporienſis, Pokrzywnicenſis, Mirachovienſis, Georgius Towjański Caſtellanus Lancicienſis, Radzicenſis, Stanislaus in Szczuczyn & Radzin Szczuka Procancellarius Magni Ducatus Lithuaniæ, Lublinenſis Capitanei, ex Equeſtri Ordine ex Majori Polonia, Michael de Kozielſko Puzyna Regens minoris Cancellariæ M. D. L. Viſtinenſis, Verbovienſis Capitaneus, Vladislaus Czarnkowſki ex Minori Polonia, Stephanus Humiecki Dapifer Podoliæ, Caſimirus Dłuſzewſki Pocillator Chełmenſis, ex Magno Ducatu Lithuaniæ, Michael Sapieha Notarius Campeſtris Magni Ducatus Lithuaniæ, Chriſtophorus Niemirowicz Szczyt Vexillifer Połocenſis Jaſvonnenſis Capitaneus, robore & vigore Conſilii Reipublicæ immediatis Regni Comitiis in negotio Elbingenſi declarati, Varſaviæ die decima Menſis Decembris Anno præterito celebrati & expediti, ad rehabendam & recipiendam de manibus Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Civitatem Elbingenſem Commiſſarii Plenipotentiarii ſint deſignati & deputati, habituri plenariam & omnimodam facultatem. dictam Civitatem Elbingenſem ex poſſeſſione, & prætenſionibus quibusvis memoratæ ſuæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ eliberandi, recipiendi, Clenodia certa Reipublicæ in pignus deponendi, literas noſtras ratificatorias Tractatus de negotio Elbingenſi ratificatoriis ſuæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ commutandi, copias militares Brandeburgicas expediendi, Præſidium vero Reipublicæ imponendi, Civitatem in meliorem Ordinem & ſecuritatem reducendi & redigendi, in præterita animadvertendi, diſcordias de Religione componendi & determinandi, totum denique juxta memoratum Contractum ſcriptum ad Archivum & inſtructionem ſibi datam peragendi, obſervandi & exequendi. Quidquid vero per eos factum, geſtum, conſtitutum, exequutumque fuerit, totum id a Nobis, ab omnibusque Ordinibus Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ, gratum & acceptum fore, uti in fundamento prædicti Reipublicæ Conſilii. In quorum fidem præſentes Sigillo Regni communiri juſſimus. Dabantur Dubenii die IX.

Anno 1700.

IX. Menſis] Januarii Anno MDCC. Regni vero noſtri Anno III.

Ad Mandatum Sacræ Regiæ Majeſtatis Proprium. Venceſlaus Franciſcus Trzcinſki Pincerna Raven. Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius. mpr.
(L.S.)

Deſignatis Commiſſariis comparuerunt perſonaliter Nobiles & Spectabiles Burgrabius, Proconſules, Conſules totusque Magiſtratus, Advocatus ac Communitas Elbingenſis, ad dandas rationes ſufficientes de ditione Civitatis iſtius in poteſtatem præſidii ſuæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ. Quibus omnibus & ſingulis probe & diligenter auditis & bene examinatis, atque circumſtantiis locorum & fortificationum per Nos luſtratarum confrontatis, Nos Commiſſarii Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ eo vel maxime conſiderato, quod Civitatis iſtius deditionem poſt ſuſtentam per quatuor ſeptimanas obſidionem, & continuas Civium in vallis vigilias, ex hac præcipue ratione Ordines Civitatis prædictæ conſenſerint, quia verendum erat, ne Respublica ægre ferret, ſi illam in atrox & diuturnum bellum protraxiſſent per ſangvineam oppoſitionem, quod tamen nunquam ſufficerent retinendæ Civitati ex defectu ſui Præſidii, & quidem tempore altæ ſcilicet pacis, ſufficientis, belli vero multum exigui & imparis, nullo quoque ſubſequente juvamine, quamvis inſtantiſſime & multifariam implorato; in talia Pacta & Statuta ſalvo Reipublicæ beneplacito deſcendimus.

I. Quoniam ex teneritudine in Rempublicam & pro maturanda eliberatione ab onere ſubſidialis hypothecæ Brandeburgicæ territorii patronymici Civitatis, atque ob avertenda multa alia mala, quæ Civitatem in ſtatu ejusmodi dubio & periculoſo permanentem premere poſſent, Nobilis & Spectabilis Magiſtratus ac Communitas Civitatis ſummam trecentorum millium Tynfonum Polonicarum in ſpecie Taleris Imperialibus, quemlibet per ſex Tynfones computando, benevole & ultronee in ſe ſuſcepit, ideo in ſupplementum & pro termino reluendæ Serenitati Electorali Brandeburgicæ ſummæ trecentorum millium Talerorum Imperialium realiter & effective exſolvet; pro colligenda vero dicta ſumma habebit idem Magiſtratus cum ſcitu Communitatis plenam facultatem modos, media, ac contributiones oneri conformes adinveniendi & ſtatuendi, ſine ulla cujusque præpeditione ſub pænis arbitrariis in contravenientes.

II. Loco ducentorum militum præſidiariorum, quos hactenus Civitas iſta ſuſtentavit, abhinc tenebitur præſidium numeroſius de trecentis militibus pedeſtribus & triginta equitibus ſelectis, pro luſtrandis de mane & veſpere extra mænia & ſuburbiis locis, ſemper & continuo habere & conſervare, ingruente autem quocunque hoſtilitatis caſu, & præcipue extremo periculo idem omni diligentia & cura ad duo millia militum pedeſtrium augere & tenere usque ad Provinciæ vel Reipublicæ ſuccurſum. Quorum Præfectus debebit eſſe ſemper vir gnarus artis bellicæ & obſidionum, fortis & ſtrenuus, juratus rotha conſveta, ſed additis hiſce formalibus, quod Sacræ Regiæ Majeſtati Domino noſtro Clementiſſimo, & Reipublicæ Polonæ fidelis ero.

III. Præſidentes vero atque totus Magiſtratus & Communitas in caſu ingruentis hoſtilitatis ſine ſcitu Sereniſſimi Regis & Reipublicæ, Terrarumque Pruſſiæ, Civitatem nemini tradent, eandemque defenſuri ſint usque ad extremam neceſſitatem, quantum in ipſis erit ſub pænis contra convulſores Decretorum Reipubl.

IV. Negotium Religionis Romano Catholicæ, juxta ſeorſivam a Nobilitate & ſpectabili Magiſtratu datam ad præſens in manus Illuſtriſſimi Loci Ordinarii in viſitatione compoſitionem, firmiter in omnibus punctis & articulis conſervandum, manutenendum & exequendum eidem Nobili & ſpectabili Magiſtratui injungitur, ſub rigore jurium ejusdem Religionis in eadem Civitate habitorum. Cum vero hucusque juxta articulum Pactorum Bydgoſtienſ. unus ex Catholicis in Magiſtratum inductus non ſit, proxime vacaturo loco in Magiſtratu eligetur vir quipiam probus & idoneus Religionis Catholicæ, ſalvo ſecundo Ordinis gradu.

V. Quibus ſic Pactis uterque Ordo Civitatis cum omnibus & ſingulis civibus & incolis, in omnibus juribus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, jurisdictionibus & conſvetudinibus, tam generalibus Terrarum Pruſſiæ, quam ſpecialibus, & municipalibus ſine ulla exceptione, quibus ante hanc ſui occupationem ab antiquis retro temporibus ad hæc usque potitus & fruitus eſt, tam ante incorporationem Pruſſiæ Regno, quam a divis Regibus Poloniæ & moderna Sac. Reg. Majeſtate feliciter Regnante conceſſis tam quo ad perſonas, quam quo ad bona perpetuo ac inviolabiliter conſervatur, nec ob factam per ſuæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ militem urbis occu-

Anno 1700. occupationem ſive judicialiter ſive extrajudicialiter ullo tempore vel loco inquietari, turbari aut infeſtari debet. In quorum omnium fidem majorem ſupra ſcripta Puncta & Statuta manibus propriis ſubſcripſimus, & ſigillis noſtris communiri fecimus. Dat. & Actum ut ſupra.

CCCLIII.

Literæ Regis Poloniæ, ad Electorem Brandeburgicum, auxilium contra Suecos petentis. Dat. Varſaviæ Menſe Maji 1700. *Indidem fol. 293.*

AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, &c. Sereniſſimo Principi, D. FRIDERICO III. Marchioni Brandenburgenſi &c. Salutem! Quemadmodum non dubitamus, Serenitatem Veſtram inita noſtra & Reipublicæ cum eadem pacta & fædera indiſſolubili vinculo manutenturam eſſe, ita, ut in contingenti Suecorum molimine, ſi forte quicquam contra Nos, & Regnum noſtrum Poloniæ attentaverint, & excurrere in Poloniam ex Pomerania per ditiones Serenitatis Veſtræ, præſumpſerint, pro nexu eorundem Pactorum obſtituram, omnemque hoſtilem impetum pro virili impedituram, firmiſſime Nobis pollicemur. Cum vero læſiones Regni noſtri & illatæ a Suecis injuriæ, orbi univerſo ſint manifeſtæ, ad quas repellendas, cum tempus & rerum momenta favent, auxiliares Serenitatis Veſtræ copias, vigore prædictorum Pactorum, ipſa poſtulet neceſſitas, fraterne Serenitatem Veſtram convenimus, quatenus mille & quingentos armatos, in ſubſidium noſtrum & Reipublicæ, ut præſto adſint, diſponere velit, quibus poſt acceptam ſuper id a Serenitate Veſtra declarationem ad limites Livoniæ deducendis Commiſſarios noſtros deſtinabimus. Porro & Saxonia certam militiæ noſtræ partem pro tuitione & ſecuritate limitum Regni noſtri deſignare propoſuimus, cui cum per territoria Serenitatis Veſtræ recte pateat tranſitus, facile & in hoc ipſam conſenſuram ſperamus Serenitatem Veſtram, dum viciſſim per Provincias Regni noſtri ſuum quandoque Serenitas Veſtra exercitum tranſire ex Pactis licitum habeat, &c. Dabantur Varſaviæ die .... Menſis Maji 1700.

CCCLIV.

Aliæ Regis Poloniæ ad Electorem Brandeburgicum Literæ circa tranſitum militiæ Majeſtatis ſuæ. Dat. Varſaviæ d. 8. Maji 1700. *Indidem fol. 297.*

AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Sereniſſimo Principi, &c. ſalutem! Quo fine in anteceſſum literis ad Serenitatem Veſtram exaratis Eandem peramanter amplexi ſumus, ut in tranſitum militiæ noſtræ, qui hoſtium impetus per ditiones Serenitatis Veſtræ, vigore Pactorum noſtrorum & Reipublicæ, cum Serenitate Veſtra initorum, aſſentire velit. Et ecce! diuturna in uno eodemq; loco ſubſiſtentia pertæſus miles noſter anticipavit deſiderabiles Serenitatis Veſtræ reſponſorias, ut jam omnino Dominia Serenitatis Veſtræ ingrederetur, & ad deſtinatum ſibi locum tenderet; ne itaque circa tranſeuntem eandem militiam noſtram aliquis apud Serenitatem Veſtram moveatur ſcrupulus, aut quæpiam exoriatur difficultas, repetitis literis apud Eandem neceſſitatem præſentem excuſari cupimus, præcipue cum ſæpe contingat, exercitum Serenitatis Veſtræ, prævia ſola denuntiatione, per Provincias Regni noſtri transgredi. Optima interim &c. Varſaviæ die 8. Maji 1700. Anno 1700.

CCCLV.

Reverſales Reipublicæ Poloniæ ab Electore Brandeburgico datæ, Quod Regalis, quem aſſumſit Titulus, nullum Reipublicæ adferet præjudicium. Coloniæ ad Spream 8. Jun. 1700. *Indidem.*

FRIDERICUS Tertius DEI Gratia &c. Omnibus, quorum intereſt, notum facimus, cum Titulum & Dignitatam Regalem, quibus ante plura ſæcula fulgebat Ducalis noſtra Pruſſia, reaſſumendum merito cenſeamus, nihil ex hac Majeſtatica Prærogativa Pruſſiæ noſtræ, quæ nunc Ducalis appellatur, præjudicii inferendum, nec inferri poſſe juri ac poſſeſſioni Regalis Pruſſiæ, qua Sereniſſimus Rex & Reſpublica Poloniæ gaudent, neque ullam in eandem Pruſſiam Regalem prætenſionem a Nobis & Succeſſoribus noſtris inde vindicandam; Pacta quoque Bydgoſtienſia perpetui Fœderis Sereniſſimam Regiam Majeſtatem, Inclytamque Rempublicam & Nos inter, præcipue vero Art. VI. quo cautum eſt, ut deficientibus maſculis ex linea legitima Divi quondam Parentis noſtri deſcendentibus, Sereniſſimis Regibus & Reipubl. Poloniæ jus ſuum integrum in alte memoratam Pruſſiam Ducalem reſervatur, plene ac ſacroſancte ſervanda, neque ullatenus vel in toto vel in parte a Nobis, ac Succeſſoribus noſtris infringenda ac violanda. In quorum fidem &c. Dat. Coloniæ ad Spream die 8. Junii 1700.

ANNO 1701.

CCCLVI.

Declaratio Electoris Brandeburgici Polonis ratione Regni Boruſſiæ facta. Regiomonti 21. Febr. 1701. *Indidem Tom. III.*

Nos Fridericus, Dei Gratia Rex &c. notum teſtatumque facimus omnibus, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt: Cum Regium Diadema, quo olim Pruſſiæ hujus noſtræ Domini decorabantur, nuper poſtliminio quaſi Nobis reimpoſitum ſit, & inter cæteros Europæ Reges, Regiæ huic noſtræ dignitati applaudentes, Sereniſſimus & Potentiſſimus Poloniæ Rex, Frater noſter chariſſimus, facta eidem ea de re notificatione, non per Literas tantum, ſed per ſuum quoque ad Nos Ablegatum Extraordinarium, Illuſtrem & Magnificum Comitem Towianſki, Supremum Regni Pocillatorem, Nos pro Rege agnoverit & honores, Dignitati huic noſtræ debitos exhiberi Nobis fecerit, Nos cupientes omnem ſcrupulum, ſiniſtrasque opiniones, quæ ab inclyta Republ. propter Regium, quem nunc adepti ſumus, Titulum forſan moveri poſſent, optimo pleriſſimoque, quo id fieri poteſt, modo tollere & ſubmovere, eum in finem non tantum Regiæ ſuæ Majeſtati certas extradiderimus Literas Reverſales, tenoris ſequentis.

Cum Titulum ac dignitatem Regalem &c. *vide ſupra pag.*

Sed pro majore etiam prælaudatæ Reipublicæ ſecuritate denuo promittendum Eidem duxerimus, prout hiſce fide, verboque noſtro Regio, pro Hæredibus, Succeſſoribusque noſtris futuris in Pruſſia Regibus ſpondemus & promittimus, Nos non tantum ea, quæ prædictis literis reverſalibus, quarum novum exemplar omni, quo id deſiderabitur, tempore Reipublicæ exhibebimus, continentur, ſancte ſervaturos, & Regia, qua nunc gaudemus, dignitate nunquam & ſub nullo prætextu ita uſuros eſſe, ut exinde quicquam Reipublicæ damnoſum, pactis, quæ eandem inter & Nos intercedunt, contrarium, aut ad preſentem Reipublicæ ſtatum ullatenus immutandum, juraque ejus imminuenda pertinet, provenire poſſit, quin potius, ſi hæc declaratio noſtra cuipiam haud ſufficiens videatur, de majore etiam ſecuritate, inclytæ Reipublicæ circa hanc Dignitatem noſtram præſtanda, cum eadem eo modo, iisque conditionibus conventuros eſſe, ut exinde novum arctiusque bonæ vicinitatis, amicitiæ, mutuæque ſalutis invicem procurandæ vinculum ſtimulusque exurgat. In quorum omnium fidem &c. Dab. Regiomonti die 21. Febr. 1701. ANNO 1601.

CCCLVII.

Confirmatio generalis jurium Terrarum Pruſſiæ. Dat. Cracoviæ 20. Januarii 1734. *Libr. IV. Metrices Regni.* 1734.

Augustus III. Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Oblatas eſſe ad Acta præſentia Metrices Regni Cancellariæ noſtræ Majoris infra ſcriptas literas authenticas, oblati privilegii noſtri confirmationis generalis jurium Terrarum Pruſſiæ, ex Actis Caſtrenſibus Capitanealibus Cracoviens. extracti, manibus Generoſorum, Morawſki & Makowſki ſubſcriptas, ſigilloque Capitaneali Cracovienſi communitas, ſanas, ſalvas, & illæſas, omnique prorſus ſuſpicione carentes, tenoris ſequentis: Ad Officium & Acta præſentia Caſtrenſia Capitanealia Cracovienſia perſonaliter veniens Generoſus Alexander Huſarzewſki, nomine cujus intereſt, infra ſcriptas Sacræ Regiæ Majeſtatis literas privilegii, confirmationis generalis jurium Terrarum Pruſſiæ Officio, & Actis præſentibus Caſtrenſibus Capitanealibus Cracovienſibus ad acticandum obtulit, petens easdem literas Sacræ Regiæ Majeſtatis privilegii a ſe offerente ſuſcipi, & in Acta præſentia inſcribere permitti. Cujus affectationi officium præſens annuendo, præfatas Sacrae Regiae Majeſtatis privilegii literas ab eodem offerente ſuſcepit, & in Acta praeſentia Caſtrenſia Capitanealia Cracovienſia inſcribere permiſit de tenore ſequenti. „Augustus III. Dei Gratia Rex Poloniae, M. D. L. Ruſſiae, Pruſſiae, &c. Nec non haereditarius Dux Saxoniae, Princeps, & Elector &c. Significamus praeſentibus literis noſtris univerſis & ſingulis, quorum intereſt, tametſi jam juribus, privilegiis, ac immunitatibus Terarum Pruſſiae ſpeciali articulo Pactorum Conventorum ſub numero trigeſimo nono & quadrageſimo, ſolenni juramento per Nos confirmatorum, abunde caverimus, inſiſtentes tamen Divorum Prædeceſſorum noſtrorum Sereniſſimorum Regum Poloniae, Magnorum Ducum Lituahniae, Ruſſiae &c. qui jura, & privilegia earundem Terrarum, ac ſpecialiter jus avitum indigenatus ſeorſivo Diplomate, ſalva & integra eſſe voluerunt, tum fidiſſimo ad Majeſtatem noſtram recurſui Statuum, & Ordinum Terrarum Pruſſiæ meritis, & illibata erga Reges Dominos ſuos fide clementer annuentes, ex certa noſtra ſcientia, praehabitaque matu-

ANNO 1734. matura deliberatione, animo benevolo, & de voluntate expreſſa omnia jura, privilegia Eccleſiaſtica & ſæcularia, quaecunque tam a Divis Praedeceſſoribus noſtris Regibus Poloniae, quam etiam ab Ordine Theutonico, aliisque Principibus ſpiritualibus, & ſæcularibus earundem Terrarum, prioribus Dominis, Terris Pruſſiae, earumque Praelatis, Dignitariis, Officialibus, Nobilibus, Civitatibus majoribus, & minoribus, earumque communitatibus, cæterisque ſubditis & incolis, cujuscunque ſtatus & conditionis exiſtant, juſte & legitime data, collata, ac conceſſa eſſe dignoſcuntur, omnesque libertates, praerogativas, immunitates, etiam uſus, & obſervationes boni ordinis, reſcripta publica, cautiones, & aſſecurationes, ac praeſertim privilegium incorporationis in Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto, hic Cracoviae Terrarum Pruſſiae Incolis ratione aviti juris indigenatus, per olim Sereniſſimum Praedeceſſorem noſtrum CASIMIRUM IV. Regem Poloniae datum, Conſtitutione Regni An. milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi octavi, ac praeſertim Anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi ſeptimi in Comitiis Regni Varſavienſibus, tempore Regiminis olim Regis Poloniae VLADISLAI IV. de conſenſu omnium Ordinum Regni approbatum in omnibus, prout ſingula ſunt in ſe, verbisque ſuis ſonantia, & qualiter a Nobis deſideratur, juxta tenorem, & ſenſum illorum genuinum, competentiam, & conſervationem ſtatus ſaepe dictarum Terrarum Pruſſiae confirmamus, approbamus, & ratificamus praeſentibus literis noſtris, decernentes easdem, eademque robur perpetuae & inviolabilis firmitatis habere debere, non obſtante, neque ullatenus impediente abuſu in contrarium, & injuriis, eisdem juribus & privilegiis aliquando illatis, tanquam publicis querelis Statuum, & Ordinum Terrarum Pruſſiae continuo reclamatis, invalidatis, & illegitimatis. Promittimus inſuper verbo noſtro Regio, & praeſentium tenore ſpondemus, eadem jura & privilegia publica, privatorum libertates & immunitates, laudabilesque conſvetudines, rata & grata habere, illaque omnia inconcuſſe, inviolabiliter, & perpetuo gratioſe manutenere & conſeruare, ſpecialiter vero cavemus, & ſpondemus, quod dignitates tam ſpirituales, quam ſæculares, caſtra, officia, & beneficia, tenutas civitatum, pagorum, omniaque bona in Terris Pruſſiae exiſtentia, vacantia, & vacativa, nonniſi veris, nativis, propriis, & indubitatis indigenis Terrarum Pruſſiae, de Nobis, & Republica bene meritis, dabimus, & conferemus, idque ſub nullitate privilegiorum noſtrorum, ipſaque incapacitate ad malam informationem ſecus obtinenda. Ad extremum ob firmius, & validius robur contrarias a Divis Praedeceſſoribus noſtris ad malam informationem datas collationes in ſequelam, exemplum, & allegationem a nemine trahi debere, nec in quopiam juribus indigenatus praejudicare poſſe, & derogare, firmiter cavemus, & declaramus; omnia etiam illicite a dictis terris alienata aut diſtracta ad proprietatem earundem Terrarum recuperare, terminos earum non minuere, ſed pro virili defendere, ac tandem omnium jurium Terrarum Pruſſiae juſtum reſpectum non remittere, earumque deſideriis, & ad Nos legitimo refugio, authoritate, ac protectione noſtra Regia jugiter adeſſe promittimus, & declaramus. In quorum fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Regni communiri juſſimus. Dat. Cracoviæ in Conventu felicis Coronationis noſtrae die XX. Menſis Januarii Anno Domini MDCCXXXIV. Regni vero noſtri Anno primo. Praeſentibus admodum Reverendo in Chriſto Patre Joanne Alexandro Lipſki Epiſcopo Cracovienſi, Duce Severiae, Procancellario Regni, Reverendiſſimo in Chriſto Patre Stanislao Joſepho de Bezdan Hoſio Epiſcopo Poſnanienſi, Abbate Cervenenſi, nec non Magnificis; Theodoro Lubomirſki Cracovienſi, Georgio Lubomirſki Sendomirienſi, Alexandro a Słupow Szembek Sieradzienſi, Ludovico Szołdrſki Junivladislavienſi, Majoris Poloniae Capitaneo noſtro Generali, Joanne Ansgario Czapſki Culmenſi, & Joſepho Potulicki Czerniechoviae, Palatinis. Tum Magnificis & Generoſis Caſimiro Lubińſki Sendomirienſi, Sigismundo Skarbek Lancicienſi, Petro a Skrynno Dunin Radomienſi, Petro Alberto a Słupow Oświecimenſi, Caſtellanis; Michaele Korybuth Duce Wiśniowiecki Supremo Cancellario, ac Exercituum Regimentario Generali, Paulo Lubarthio Duce Sanguſzko Mareſchalco Curiae Magni Ducatus Lithuaniæ, atque Reverendis Michaele Kunicki Epiſcopo Arſionenſi, Archidiacono & Suffraganeo Cracovienſi, Franciſco Kobielſki Epiſcopo Antinopolitano, Praepoſito Cracovienſi, Suffraganeo & Archidiacono Vladislavienſi, Adamo Grabowſki Epiſcopo Nilapolitano, Vicario in ſpiritualibus Generali, & Suffraganeo Poſnanienſi, Nicolao Wyżycki Eccleſiae Cathedralis Cracovienſis Decano, Generoſis; Antonio Łodzia Poninſki Inſtigatore ANNO 1734.

Anno re Regni, Comitiorum Electionis noſtræ,
1734. & Confederationis Generalis Mareſchalco, Sebaſtiano Antonio Dębowſki Referendario Regni, Joanne Cantio Moſzyńſki Theſaurario Curiae noſtrae, Joanne Branicki Vexillifero, & Supremo rei armamentariae Praefecto, Michaele Rzewuſki Inciſore Regni, Carolo Sapieha Notario Magni Ducatus Lithuaniæ, Franciſco a Słupow Szembek Vexillifero Curiae Regni, Joanne Odrowąż Siedlnicki Vicepraefecto Stabuli Magni Ducatus Lithuaniae, Antonio a Słupow Szembek Palatinatus Cracovienſis Generali, Michaele Nieborſki Ciechanovienſi, Jacobo Narzymſki Nurenſi, Ferdinando Plater Vilcomirienſis, Terrarum Succamerariis; Joanne Małachowſki Opocznenſi, Joanne Morſztyn Sieradienſi, Joanne a Kurozwęki Mecińſki Vielunenſi, Antonio a Lubraniec Dąbſki Breſtenſi, Cujavienſi, Matthia Szymanowſki Wyſſogrodenſi, Capitaneis noſtris; Matthia Poniatowſki, & Thoma Grabowſki Vexilliferis Lancicienſi. Michaele Słucki Judice Terreſtri Palatinatus Lancicienſis, Alexandro Kicki Subjudice Ciechanovienſi, Franciſco Nakwaſki Notario Terreſtri, & Caſtrenſi Wyſſogrodienſi, Melchiore Kalſtein Stolińſki Notario Caſtrenſi Culmenſi, Michaele Suſki Venatore Terrae Łomzenſis, Matthia Grabowſki, Georgio Laurentio Perch Camerario noſtro Aulico, Michaele Brzozowſki Burgrabio Caſtrenſi Kovalovienſi, Caſimiro Błeſzynſki Pincerna Petricovienſi, aliisque plurimis Officialibus & Secretariis noſtris, ad praemiſſa teſtibus fide dignis.

AUGUSTUS Rex.
Minoris Cancellariæ Regni. (L.S.)
Nicolaus Dębowſki Canon. Cracov. & Varſav. S. R. M. Secr. mppr.

Quarum quidem literarum Sacræ Regiæ Majeſtatis privilegii Originale idem offerens illico ab Officio præſenti recepit, & de recepto officium præſens quietavit. Actum in Caſtro Cracovienſi Feria ſecunda ante Feſtum Sancti Caſimiri Confeſſoris proxima Anno Domini 1734.

Correxit Morawſki. mppr. Lectum per Markowſki Capit. Caſtr. Cracov. (L.S.)

Quas ejusmodi literas ſic, ut praemiſſum, ad Acta hæc Metrices Regni per oblatam porrectas, Nos ad eadem Acta ſuſcipi, inſcribi, & ex iisdem fideliter deſcriptas parti poſtulanti authentice extradi permiſimus. In quorum fidem &c. Actum, ut ſupra.

CCCLVIII.

Anno 1739.

Confirmatio Privilegii omnibus minoribus Civitatibus in Pruſſia ſervientis. Dat. Varſav. 5. April. 1739. *Indidem.*

Augustus III. &c. Significamus &c. Oblatas eſſe ad Acta praeſentia Metrices Regni Cancellariae noſtrae majoris literas pargameneas infra ſcriptas originales confirmationis privilegii omnibus in univerſum minoribus Civitatibus in Pruſſia ſituatis ſervientes, manu noſtra Regia ſubſcriptas, & ſigillo Regni majori penſili communitas, ſanas, ſalvas, & illæſas, omnique prorſus ſuſpicione carentes tenoris ſequentis.

„ Augustus III. Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Reproductas eſſe coram Nobis literas pargameneas authenticas manu Sereniſſimi olim divæ memoriæ Sigismundi III. Regis Prædeceſſoris noſtri ſubſcriptas, ſigilloque minoris Cancellariæ Regni communitas, ſanas, ſalvas, & illæſas, omnique ſuſpicionis nota carentes, continentes in ſe privilegium omnibus in univerſum minoribus Civitatibus in Pruſſia ſitis ſerviens, ſupplicatumque Nobis eſt nomine, & pro parte earundem omnium Civitatum, quatenus easdem literas authoritate noſtra Regia approbare, confirmare, & ratificare dignaremur. Quarum quidem tenor de verbo ad verbum ſequitur. „ Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniæ, &c. Significamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Quod cum minores Civitates Terrarum noſtrarum Pruſſiæ aliquoties apud Nos per internuntios conqueſtæ eſſent ut ſupra *p. 408.*

Nos itaque AUGUSTUS III. Rex præfatæ ſupplicationi, uti juſtæ ad Nos factæ, benigne annuentes, prætactas literas in omnibus earum punctis, clauſulis, articulis, conditionibus, nexibus, & ligamentis (in quantum juris ſunt, & uſus earum habetur) approbamus, confirmamus, ratificamus, & innovamus. Decernentes easdem vim & robur debitæ & inviolabilis firmitatis obtinere debere. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Regni communiri juſſimus. Dat. Varſaviæ die V. Menſis Aprilis, Anno Domini MDCCXXXIX. Regni vero noſtri VI. Anno. AUGUTSTUS Rex. Confirmatio privilegii omnibus in univerſum minoribus Civitatibus in Pruſſia ſitis ſerviens. Theodorus de Howel Schol. Cathedr. Liv. Canon. Pultov. S. R. M. & ſigilli Majoris Regni Secret. Quas ejusmodi literas privilegii ſupra ſcripti ſic, ut præmiſſum, oblatas Nos ad Acta præſentia ſuſcipi, inſcribi, & ex iisdem fideliter deſcriptas parti poſtulanti authentice extradi, Originale vero rurſus offerenti reſtitui (de quo recepto Cancellaria præſentibus quietatur) permiſimus. In quorum &c. Actum ut ſupra.

Finis Tom. IV.

Инв. № 292
BIBLJOTEKA w Wilnie